PRO SACRA MONARCHIA ECCLESIAE CATHOLICAE APOSTOLICAE...

Nicolas Coeffeteau, Josè Maria Fonseca de Evora







PRO SACRA MONARCHIA ECCLESIÆ CATHOLICÆ APOSTOLICÆ ET ROMANÆ.

Aduersus Rempublicam

MARCI ANTONII DE DOMINIS

quondàm Archiepiscopi Spalatensis,

PARS ALTERA.

Authore Fr. NICOLAO COEFFETEAV, ex ordine Prædicatorum, Theologo Parisiensi, Regi Christianissimo à publicis & sanctioribus Consiliis, Massiliensique Episcopo designato.



LVTETIAE PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. DC. XXIII.

Cum Priuilegio Regis Christianißimi, & Doctorum Approbatione.




INDEX CAPITVM, ET ORDO

RERVM QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE IN duos diuisa Libros tractantur & discutiuntur.

Liber tertius continet duodecim Capita.

Capita libri quarti sunt septem.



DISCVSSIO
PRIMI CAPITIS
LIBRI TERTII.

Conspectvs Capitis.

Episcoporum gradus diuersi in Ecclesia, quamquam ea vna sit: Ecclesiastici corporis vnitas vno capite nititur: Hoc caput Petrus, cuius potestas est in Pontifices deriuata: Tertulliano quare plures Ecclesiæ vna Ecclesia dicantur: Optatus, Augustinus, Theodoretus, Cyrillus, aut potius Origenes, Gregorius, Euthymius, Beda declarati, ac Orthodoxis asserti: Stulta Spalatensis sententia Ecclesiæ vnitatem esse, vnitatē totius integrantis in quantitate homogenea: Refellitur ab Apostolo non vno loco: Locus Cypriani de vno Episcopatu, cuius à singulis vna pars in solidū teneatur, explicatus: Scopus libri de vnitate Ecclesiæ Cypriani: Plures colonos à Christo missos in vineam, sed non pari authoritate: Censura Epistolæ Damasi: Petrus inter Apostolos primas tulit, annuente etiam Cypriano, quem frustrà in suam sententiam pertrahere nititur Spalatēsis: Cardinalis Bellarminus defensus: Prærogatiua infallibilis Ecclesiæ propugnata: Patres Concilij Constantinopolitani primi, declarati: Eorum in sedem Apostolicam propensus affectus & reuerentia: Ambrosius explicatus: Alexandrini Episcopi de vno corpore Ecclesiæ iudicium libratum: Symmachus Pontifex pro eadem re: Episcopatus summus in Ecclesia gradus, sed in fastigio eius positus Pontifex: Cyprianus pro sententia Orthodoxa: Bellarminus defensus, Cyprianus explicatus: Hieronymi, & Augustini de Cypriano iudicium: De Origene & Augustino.



RACTATVRVS *in hoc lib. de variis prælationibus, & subiectionibus quæ Ecclesiæ vsu, & legibus sunt inter Episcopos institutæ, ante omnia pro fundamento dicendorum, & vt ad ea mihi sternam viam, repeto in hoc cap. 1. ea quæ circa æqualitatem inter Apostolos, & eorum successores Episcopos sunt à me in duobus præcedentibus libris demonstrata: atque hæc ipsa suscipio vlterius, & adhuc plenius hoc ipso 1. cap. confirmanda: vt hinc pateat ex iure diuino prælationes hasce, & subiectiones inter Episcopos non pendere, sed aliundè. Excludam itaque hoc capite quæ sunt in hoc genere excludenda, vt tutius postea quæ sunt includenda includantur. Ex generali itaque quod à nobis toto lib. 1. positum est, fundamento, nimirum Christum Dominum suis ministris pluribus ex æquo, suam commendasse Ecclesiam; & Apostolos omnes pares fuisse, ac prorsus in omni Ecclesiastica cura & potestate æquales; ex ijs etiam, quæ lib. 2. præcedenti cap. 6. deduximus, Episcopos omnes nihilo secius, quàm fuerunt sancti Apostoli, esse in eadem Ecclesiastica cura, & regiminis potestate, prorsus æquales; optimè sequitur, inter eos, iure diuino, Christique institutione, neque subjectionem veram esse, neque prælationem. Sed hoc ipsum melius adhuc, ex sana sana Ecclesiæ doctrina confirmemus & declaremus.* SPALAT. Num. 1.

VEMADMODVM stellarum non vnus est splendor, nec vna magnitudo; sed vt loquitur Apostolus, *differt stella à stella in claritate*, atque ex sententia Mathematicorum, aliæ sunt primæ magnitudinis, aliæ secundæ, aliæ tertiæ; sic in vno eodéque Episcoporum ordine gradus sunt diuersi, ex quibus Ecclesiastica Hierarchia efflorescat ac distinguitur. Ad Hierarchiam enim Ecclesiasticam pertinere non solùm ordinum diuersitatem, quam aduersarius admittere cogitur, verùm etiam in vno & eodem ordine, potissimùm Episcopali, graduum quandam distinctionem, est orthodoxis omnibus constitutum. Sunt enim varij Episcoporum gradus, non quidem ordinis, sed iurisdictionis potestate, vt vel maiori, vel minori potestatis amplitudine inter se distincti ac discriminati; siquidem potestatem ordinis vnam eandemque esse in omnibus nemini dubium esse potest. Graduum verò illa distinctio quam ponimus, partim Ecclesiæ authoritate atque prudentissima constitutione est inuecta, partim verò ex Christi ordinatione profecta. Namque vnum cæteris Apostolis eorũque successoribus Episcopis, cum plenitudine potestatis præfectum Petrum scilicet, Apostolorum Principem ac Coryphæum, totiusque Ecclesiæ pastorem summum, ac eius in Cathedra Apostolica successorem pluribus ostendimus, Spalatensisque sententiam quæ omnimodam æqualitatem inter Apostolos induceret, profligauimus, ac funditùs euertimus. Sed prælium reintegrat, nouoque argumentorum genere nos oppugnare aggreditur, homo vanis litibus serendis natus; verùm muscarum esse insultus facilè ostendimus, adeoque facilè est eos depellere. Primũ prolixa oratione nititur demonstrare vnicam esse, & singularem Ecclesiam Christi, quæ diuersitate non exuberet. Probat verò iis testimoniis quibus semper aduersus sui similes schismaticos vsi sunt orthodoxi. Sed cum loquentẽ audiamus; *Vnicam*, inquit, *esse Ecclesiam Christi, & singularem, non sub vlla diuersitate multiplicem, iuxta illud, Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. Vnicam solam Rempublicam, vnicum perfectum corpus, agnoscunt* Catholici omnes, *& pro hac vnitate sancti Patres vehementissimè semper decertarunt; vt schismata, scissiones, ac diuisiones, & inconsutilis Christi tunicæ, quæ hanc significabat Ecclesiam, dilacerationes vitarentur. Ad hanc vnitatem commendandam* Christus *Dominus, cum vnico Discipulo, videlicet Petro, tractat, vbi de huius Ecclesiæ fundatione sermonem habet, licet ab omnibus duodecimaquè vellet illam fundari: vt exposui pluribus lib. 1. cap. 7. Hanc vnitatem Paulus tantoperè Corinthijs inculcabat, ne dicerent; Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. Et sancti Patres eandem vnitatem plurimùm semper commendarunt, & propugnarũt.* Ita est mi homo, Ecclesia, *Vna est illa columba, perfecta & electa*, quam celebrat Canticum Canticorum, *vna sponsa*, est, *vnum corpus, vnum ouile, vnum Dei optimi maximi tabernaculum ac templum*, sed hæc Ecclesiæ vnitas nulla re magis illustratur, quàm vnius *capitis, pastoris*, & *rectoris* prædicatione. Etenim omnibus est exploratum in vno capite corporis physici, in vno Principe politici corporis cæterorum omnium membrorum, & reipublicæ partium vnitatem apertissimè monstrari, atque adeo ex eo efflorescere. Quemadmodum igitur vnum cẽsetur physicum corpus, quod vnum caput habet, vnum regnum quod vnum agnoscit regem, ita Ecclesiastici corporis vnitas, vno capite, vno rectore, ac pastore nititur; Sicut ergo, teste Augustino, *Ad vehementius commendandam humanæ societatis vnitatem, & vinculum concordiæ vnum ac singulum hominem Deus creauit,*

[Marginal notes: 1. Cor. 15. — Spalat. Num. 2. — Cant. 6. — Matth. 16. — 1. Cor. 1. — Cant. 6. v. 8 — August. de ciuitate Dei l. 12. c. 21.]

creauit, vt ab illo vno homine diffunderetur genus humanum: Sic omninò ad vnitatem fidei sartam tectamque conseruandam, adeoque vehementius commendandam, Christus vnum delegit Petrum, à quo tanquam à capite ordo Ecclesiasticus initium duceret, & diffunderetur. Propterea scilicet vt fusè suprà probauimus, vni Petro fides Verbi incarnati est primùm reuelata, cui postmodum reliqui Apostoli assentirentur: Propterea scilicet prætermissis aliis noui nominis nuncupatione ornatur Petrus, ac participatione dignitatis Christi, *Petra* dicitur: Propterea scilicet *super eum vnum*, quod Cyprianus agnoscit, *Ecclesia fundatur*, propterea scilicet vnus Petrus, *claues Ecclesiæ* collegis communicandas accipit, propterea scilicet pro vnius Petri fide, ne aliquando labasceret, aut etiam deficeret, est à Christo oratum: Propterea scilicet vni Petro *oues suas pascendas*, cum summa potestatis amplitudine, commisit Christus, vt vnitatis fons, & scaturigo ab vno capite Petro, tot modis inciperet, propagaretur, ac denique in alios omnes diffunderetur. Hoc nimirum capite constituto omnis schismatum sublata est occasio, & Ecclesiasticæ vnitati abundè consultum, ac sapienter prouisum. Amplectimur itaque quæ sunt à magnis Patribus de vnitate Ecclesiæ disputata, sed ea miserum Spalatensem non iuuant, cùm hanc vnitatem, ex capitis quoque vnitate, vt suo loco ostendetur colligant, ac demonstrent. *Tertullianus*, inquit Spalatensis, *Apostoli vim Spiritus sancti ad virtutem, & eloquium, primò per Iudæam contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesiis institutis; de hinc in orbem profecti, eandem doctrinam, eiusdem fidei, nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt. A quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vnam esse illam ab Apostolis primam, ex qua omnes: sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Illa ergo tota vna Ecclesia integra*, addit Spalatensis, *quam omnes Apostoli initiò, per vniuersum orbem, in omnibus orbis partibus fundarunt, dat similiter vnitatem reliquis omnibus, quæ successu temporum, illi adhæserunt, & in dies adhærent, & annectuntur. Atque hæ omnes quæ illi annectuntur, illique incorporantur, acquirunt vt sint æquè Apostolicæ, sicut illa prima ab Apostolis fundata, vera est Apostolica.* Respondeo: Tertullianus eò loci, vt ostenderet eam veram esse doctrinam, quæ cum primigenia illa Apostolorum consentiret, ducta è re rustica metaphora, ostendit quemadmodum vites veluti quibusdam brachiis sibi mutuò connexis (rumpos vocant) ex arboribus, & in arbores traducuntur, ac isto modo vna vinea fit, sic traducem quoque extitisse quandam fidei, quæ sit ab vna Ecclesia, seruata doctrinæ vnitate in aliam deuecta, ac translata. Propterea igitur vnam esse Ecclesiam, tot ac tantas Ecclesias, adeoque eas Apostolicas contendit, propter scilicet (vt ille quidem loquitur) *contesserationem*, adeoque *consanguinitatem doctrinæ* ab Apostolis, vel certè ab Apostolicis viris acceptæ; atque propter *eiusdem Sacramenti* vnam traditionem. Sed ista vnitatem capitis non tollunt, neque Petrum sua dignitate spoliant. Inter eos enim qui hanc traducem fidei in Ecclesiam deduxerunt Petrus iudicio etiam Tertulliani eminet, ac effulget, vt inter ignes Luna minores: *Latuit*, inquit, *Petrum ædificandæ Ecclesiæ, Petram dictam claues regni cælorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cælis, & in terris potestatem?* Multa eaque præclara de reliquis Apostolis docet, sed hæc vnius Petri propria facit, ac certè miror hic Optati

SPALAT. Num. 3. Tertull. de præscript.

Ibid. c. 21.

meminisse Spalatensem, quippe qui sententiam eius iugulet. *Ita etiam*, inquit, *Optatus vnicam facit in tota Ecclesia Cathedram, vt habes suprà libro* 1. *capite* 10. Opt.li.2. cõtr.Parm. *num.* 18. qui sic habet: *Ergo quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa, eius iam commemoranda sunt ornamenta, & videndum vbi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis; inter quas Cathedra est prima: Vbi nisi sederit Episcopus, coniungi altera dos non poterit, qui est annulus. Videndum est qui, & vbi, prior Cathedra sederit: si ignoras disce; si nosti erubesce; ignorantia tibi ascribi non potest: Restat ergo vt noueris, scientem errare peccatum est: nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica quæ est prima de dotibus; sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, &c. Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat.* Potuit ne aliquid fulciendæ dignitati Petri accommodatius proferri? Sed pergit Spalatensis; *Augustinus hanc sæpius prædicat vnitatem. Ecce Roma, inquit, ecce Carthago, ecce aliæ, & aliæ ciuitates; filiæ Regum sunt, & delectauerunt Regem suum in honore ipsius; & ex omnibus fit vna quædam Regina. Audis Romanam etiam Ecclesiam, sicut & Carthaginensem, coalescere in vnam illam Ecclesiam totalem, vnamque Reginam, cuius partes sunt, & Roma, & Carthago, & cæteræ aliarum ciuitatum particulares Ecclesiæ. Non ergo Roma Regina, sed vna ex innumerabilibus, quæ simul sumptæ, & vinctæ fide ac religione, conficiunt Reginam. Ecclesiæ multæ (inquit idem Augustinus) & vna Ecclesia, non aliud, sed hoc ipsum. Item: Quæ Ecclesia ipsa Ecclesiæ: Propter vnitatem Ecclesiæ, vna Ecclesia, vna est columba mea, vna est matris suæ: propter congregationes fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ: Ecclesiæ, inquit, Iudææ quæ erant in Christo gaudebant. Ecclesias sic dixit: & vnam Ecclesiam sic dicit, Sine offensione estote Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Item, Ex Ecclesiis pluribus, vna constat Ecclesia.* Romam in vnum Ecclesiæ corpus cum Carthagine coalescere nemo sanus negauerit, sed Cathaginensis Cathedræ eandem esse cũ Romana dignitatem, nequidem per somnium cogitauit Aug. Certè de Ceciliano Carthaginensi Episcopo loquens non dubitauit dicere; *Qui*, inquit, *posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ*, IN QVA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS, *& cæteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Vides vt Principatum Romanæ Ecclesiæ asserat, vt iam de Reginæ honoribus non sit ei lis mouenda. Sed de harum Cathedrarum comparatione videro rursus infrà. Itaque Augustinus particularem hîc Romanam Ecclesiam spectat, quæ proculdubio & ipsius pars est Ecclesiæ toto orbe diffusæ. Sed prçterea mille locis eandem Romanam Ecclesiam, quâ Petrum Apostolorum Principem, & Coryphæum rectorem nacta est, generaliori quadam ratione omnium Ecclesiarum caput agnoscit, quippe cui de reliquis statuendi potestatem, & authoritatem tribuat. Quod igitur perpetuò Ecclesiam *vnam columbam* prædicat, quod plures esse negat, hanc sententiam non labefactat, sed firmat, siquidem vt diximus vnitas corporis vni-

Marginal notes: Spalat. Num.4. August.in Psal.44. — Id.in Psal.67. — Id.Psal.141. — Cant.6. — Gal.1. — 1.Cor.10. August.in Psal.150. — Aug.ep.162

vnitate capitis continetur. Propterea scilicet in Psalmo contra partem Donati, hoc vnitatis Ecclesiasticæ vinculum vrget, atque schismate implicitos vnius Petri commendatione ad vnitatis compagem reuocat. *Venite fratres*, inquit, *si vultis vt inseramini in vite. Dolor est cùm vos videmus præcisos ita iacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede; Et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Videamus de reliquis; *Theodoretus*, inquit Spalatensis, *vnà quidem, ait, per totum orbem, atque mare: Propterea orantes dicimus; pro sancta & vnica Catholica, & Apostolica Ecclesia (oblitus est Theodoretus adijcere Romana) à finibus vsque ad fines terræ. Rursus diuisa est ipsa per ciuitates, & oppida, & agros, quas diuinũ oraculum domos nuncupauit; quemadmodum quælibet ciuitas intus habet domos à se inuicem diuisas, & vna tamen ciuitas nominatur; sic infinitæ & innumerabiles sunt Ecclesiæ, in Insulis & in continenti; communiter autem omnes in vnam rediguntur, ob consonantiam veterum dogmatum, &c. Idem fermè habet in Cantica; vbi exponit illud, Dilectus meus descendit in hortum suum, &c. & lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. ad calcem.* Romanam adducere Ecclesiam non est oblitus Theodoretus, neque enim vt adduceret, locus postulabat; siquidem vnam Ecclesiam docet, sed huius vnitatis rationes diligentius non vestigat, quas tamen si attigisset haudquaquam dissimulasset, eam quoque vnius capitis, Romani scilicet Pontificis præsidio niti, suis siquidem locis id non obscurè significat. De secunda magni Athanasij relegatione agens; *Eusebiani*, inquit, *de criminibus, quæ falsò contra Athanasium confinxerant, per literas certiorem fecerant. Ille Ecclesiæ Canonem secutus, & eos iussit Romam venire: & diuinum Athanasium, quò pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Qui vt primùm fuit accersitus, eò maturè contendit. Tragœdiæ autem authores Romam ideo non sunt profecti, quod intellexerunt sua mendacia manifestò fore deprehensa. Qui vbi oues gregis Alexandrini pastore destitutas vident, quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris substituunt. Qui ad sex annos multò maiore crudelitate, quàm agrestes belluæ, in gregem vsus: tandem à sui ipsius ouibus miserè extinctus fuit, debitasque suæ improbitatis pœnas persoluit.* De Ariminensi verò Concilio; *Numerus* (Episcoporum scilicet) *qui erant Arimini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat.* Ipse verò Theodoretus epistola ad Leonem missa, quo loco Romanam Ecclesiam ac eius Pontificem haberet, satis ostendit. *Cyrillus Alexandrinus*, persequitur Spalatensis, *meritò Petrum de imperitia notatum obseruat, tanquam nesciret quid diceret, dum tria tabernacula fieri procurabat in monte Transfigurationis: Legi enim, inquit, & Prophetis & Euangelio non tria, sed vnum est tabernaculum: quæ est Ecclesia Domini.* Non sunt Cyrilli, sed Origenis hi in Leuiticum Commentarij. Cæterùm ineptè inducitur hic locus ad Ecclesiæ Christianæ vnitatem comprobandam, siquidem, de consensu Mosis cum Iesu, & legis cum Euangelio loquitur; *Vis videre*, inquit Origenes, *quia Moyses semper cum Iesu est, hoc est lex cum Euangelijs; Docet te Euangelium, quia cùm transformatus esset in gloriam Iesus, etiam Moyses & Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria, vt scias quia lex, & Prophetæ, & Euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanent. Denique & Petrus cùm vellet: eis tria facere tabernacula, imperitiæ notatur, tanquam qui nesciret quid diceret. Legi enim & Prophetis, & Euan-*

Aug. in Psal. contra partem Donati.

SPALAT. Num. 5.

Theod. in Ps. 47.

Cant. 6.

Lib. 2. hist. Eccl. c. 4.

Theod. l. 2. c. 22. hist. Eccl.

Πρόκριμά τι ἠλλῶσθαι χρῆναι ὑπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἐν Ἀριμίνῳ συναχθέντων, ὅπου τὸ συνέστηκε, μήτε τῶν Ῥωμαίων ἐπισκόπου οὗ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι.

SPALAT. Num. 6.

Matth. 17.

Cyrill. l. 6. in Leuit.

Orig. ho. 6. in Leuit.

gelio non tria, sed vnum est tabernaculum, quæ est Ecclesia Dei. Quid autem aut Cyrillus, aut Origenes de Petri primatu senserint, est alio loco à nobis explicandum, & multa priore libro sunt in hanc rem dicta. *Gregorius*: *Quia ciuitates*, inquit, *à conuiuentibus populis appellantur, non immeritò ciuitatum nomine, veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ; quæ in singulis mundi partibus positæ, vnam Catholicam faciunt; in qua omnes fideles de Deo recta sentientes, concorditer viuunt.* At huius Catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ caput, non vno loco Romanam facit Gregorius: Sic enim ad Psalm. 4. pœnitentialem: *Rex*, inquit, *in tantum suæ temeritatem vesaniæ extendit, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in Domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet.* Et alibi: *Cùm multi sint Apostoli*, inquit, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem in qua Euangelistam discipulum misit; Ipse firmauit sedem in qua septem annis quamuis discessurus sedit. Quum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex authoritate diuina, tres nunc Episcopi præsident, quicquid de vobis boni audio mihi imputo. Euthymius*, pergit Spalatensis, *exponens illud Psalmi, Beati qui habitant in domo tua, ait: Per domum Dei, has ipsas aulas Christi, nimirum Ecclesias, intelligere debemus. Indifferenter autem singulari numero, & plurali vsus est; quoniam si loca respicias, Ecclesiæ numero plures sunt; si religionem & fidei communicationem, omnia quæ vbique locorum sunt templa vnam constituunt fidelium Ecclesiam. Item exponens illa alterius Psal. verba, Adorate Dominum in aula sancta eius, ait: Illud autem animaduertendum ducimus, quod cùm superius plurali numero aulas dixerit, nunc singulari sermone rursum aulam nominauit, docens nimirum, quod multæ quidem numero Ecclesiæ sunt, fide verò vna est omnium mater Ecclesia. Diuisæ siquidem sunt locis, quæ coniunctæ sunt vnitate opinionis.* Rectè omninò vnam esse Ecclesiam, propter eandem fidei professionem docet Euthymius: quid verò ista contra Pontificis authoritatem faciunt? Imo verò sartam tectamque seruat vnius capitis authoritas. *Beda, Non latet*, inquit, *rabies Hæreticorum de angulo, toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est, omnes gentes habent Ecclesiam; nemo nos fallat, ipsa est vera, ipsa est Catholica, cœpit ab Hierusalem, peruenit ad nos, & ibi est, & hic: non enim vt huc veniret, inde discessit: creuit non migrauit.* Sed Beda Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum caput non inuitus agnoscit. *Roma*, inquit, *per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput omnium eximium.* Itaque Patres à nobis stant, nec quicquã aduersario fauent. Nunc sunt à nobis eius rationes excutiẽdæ.

Hæc porro vnitas, inquit, *in eo consistit, vt vniuersa Christianorum multitudo quotquot per vniuersum orbem sparsi inueniuntur, vnicum efficiat magnum cœtum, vnicamque congregationem. Qui cœtus totus, quæque integra congregatio, vnicam illam constituit Christi Ecclesiam, vnicamque Rempublicam spiritualem. Et hæc vnitas est vnitas vnius totius integralis, in re quantitatiua homogenea, quæ habet partes dumtaxat integrantes, sed homogeneas: sicut si diuideres vnum magnum lapidem in plures partes, & particulas: ita lignum, aurum, terram, aquam, &c. Sic Ecclesia hæc vna, est magna collectio innumerabilium hominum, vnam eandemque fidem, & religionem profitentium; vno eodemque baptismo ablutorum; vna eademque lege Euangelica, ad æternam beatitudinem, directorum; vnicus magnus grex, cuius partes & particulæ non subiectiuæ, non potentiales, non morales, aut metaphysicè; sed merè,*

Margin notes: SPALAT. Num. 7. Greg. l. 16. Moral. c. 23 — Li. 6. ep. 34. ad Eulog. Alexand. — SPALAT. Num. 8. Euthym. in Ps. 83. — Ps. 95. — SPALAT. Num. 9. Beda li. 6. in Luc. c. 93. — Beda hom. in natali Benedicti. — SPALAT. Num. 10.

merè, & purè integrantes, homogeneæ tamen & eiusdem rationis, sunt particulares Ecclesiæ, maiores, & minores; itaut vnica etiam Christianorum domus suam faciat Ecclesiam partialem, vt habet Paulus, Salutate, inquit, Priscam, & Aquilam, & domesticam Ecclesiam eorum. Certum omninò est vnitatem Ecclesiæ Rom. 16.
pro subiecta materia multitudinem Ecclesiarum priuatarum habere, sed quod illæ in vnum corpus coalescant à capite ad quod Ecclesiæ membra reuocantur, omnino habent, quæ enim pluralitate constant, nec locis sociantur, non nisi vnius cuiusdam cum quo colligentur interuentu, in vnitatem coalescunt, ex quo consurgit, absurdum absurdissimum esse, quod hîc persuadere nititur Spalatensis, Ecclesiæ *vnitatem, esse vnitatem vnius totius integrantis, in re quantitatiua homogenea, quæ habeat partes dumtaxat integrantes, sed homogeneas, sicut, inquit, si diuideres vnum magnum lapidem in plures partes & particulas: ita lignum, aurum, terram, aquam.* Hoc absurdissimum dogma non vno loco refellit Apostolus, qui Ecclesiam non cum toto aliquo homogeneo, sed heterogeneo in quo sit etiam membrorum distinctio passim confert. In epistola ad Romanos, *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Dic sodes Spalatensis, An tibi de corpore homogeneo non verò heterogeneo & organico videtur loquutus? Audi tamen adhuc non obscurius loquentem; *Sicut corpus vnum est,* inquit, *& membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt; ita & Christus. Et cùm in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Nonne significat Apostolus de corpore heterogeneo ac organico, quale est humanum corpus, varietate membrorum distinctum se omnino loqui velle? Quàm verò istud sequentia probant; *Si totum corpus oculus,* inquit, *vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.* Certè vt aduertunt interpretes, colligit Apostolus membrorum diuersitatem humano corpori constituendo, conseruandóque penitus esse necessariam, ac inde sequi ostendit in mystico Ecclesiæ corpore persimilem quandam graduum varietatem intercedere debere. Igitur de corpore heterogeneo, hoc est ex dissimilibus partibus constante loquitur, vt nimirum ostendat eos de Republica Christiana, atque adeo de singulis eius partibus malè sentire, qui in omnibus quod facit Spalatensis æqualitatem requirunt, quo nihil possit esse in Republica perniciosius; Ita enim à natura aut potius à naturæ parente Deo constitutum est, vt quemadmodum in hac pulcherrima rerum vniuersitate alia aliis præstant, sic etiam in Republica alij præsint, alij subsint, quidam imperent, nonnulli obsequantur; ordinum denique ac personarum varietate ac distinctione vnum Reipublicæ corpus coagmentatum naturæ speciem ac pulchritudinem imitetur. Quemadmodum igitur si corpora quæ dicuntur simplicia, spatium omne quod est infra lunam occuparent, nullus plantis aut animantibus relinqueretur locus, atque adeo mundi pulchritudo ac species, vnde apud Græcos nomen habet, penitus interiret; ita sublato in Ecclesia eo, quem cernimus ordine, magnam necesse est rerum omnium sequi perturbationem, confusionémque. Propterea

Spalat. Num. 10.

Rom. c. 12. v. 4.

Ad Cor. 1. c. 12. v. 12. 13. 14.

Ibid. v. 17. 18. 19. 20.

1.Cor.12.v. 28.29.30. sermonem ita claudit Paulus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias, curationum opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?* Hæc certè nonnisi de corpore heterogeneo accipi possunt. Rursus in epistola ad Ephesios, cùm Ecclesiam vnum corpus dixisset, ac eius caput scilicet primariũ, Christum indicasset, subiecit; Ephes. c.4. v.16. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Vocat corpus συναρμολογούμενον, vt cohæsionem partium, & artuũ coagmentationem declaret: Addit verò per omnem iuncturam subministrationum, id est, per omnes cõmissuras, & mutuos inter se artuum contractus, membra ad vnum corpus conficiendum quodammodo connecti ac colligari; An igitur tam est in cernendo acutus Spalatensis, vt in corpore homogeneo eas commissuras, artuum coagmentationem, & articulorum cohæsionem aduertat? Sed à corpore heterogeneo & organico metaphoram desumpsisse Apostolum, hæc indicant, Ad Ephes. c.4.v.11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Tricæ igitur sunt quas nobis narrat Spalatensis. Ineptè verò ac contra Apostolum ex vnitate fidei colligit, fideles vnum corpus homogeneum componere; *Vnitas formalis*, vt vocant, membrorum diuersitatem non euertit, sed ex iis optimè coagmentatis effloreścit; ac propterea Apostolus perpetuò contendit etiam Ecclesiæ corpus vno spiritu regi, vnam esse omnium Christianorum fidem, nec propterea tamen negat partibus dissimilibus constare hoc corpus; 1.Cor.c.12. v.12. *In vno*, inquit, *spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa, &c.* Sed iam de loco Cypriani litem mouet Bellarmino Spalatensis. Locus Cypriani est, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*; Ad quem Bellarminus; Bell. l.2.de Pont. c.16. v.2. *Est*, inquit, *vnus Episcopatus similis corpori heterogeneo, non homogeneo, ex quo sequitur vt non eodem modo teneant Episcopi singuli partem huius Episcopatus. Nam sicut radix, licet sit pars vt etiam est ramus, tamen sustentat & regit ramos: & omnia quæ sunt in ramis, sunt etiam virtualiter in radice, non è contrariò: Ita etiam licet Ecclesia Romana, & Episcopatus Romanus sit pars Ecclesiæ vniuersæ, & Episcopatus vniuersalis sicut est Ecclesia Tusculana, & eius Episcopatus, tamen Ecclesia Romana regit Tusculanam, non contrà.*

Spalat. Num. 11.in fin. Excipit Spalatensis; *Fallitur Bellarminus, dum corpus Ecclesiæ facit vnum heterogeneum, sicut, inquit, vna arbor est ex ramis & radice; quæ est similitudo Cypriani.* Sed implicat se, ac inuoluit his tricis Spalatensis; Radix siquidem à qua similitudinem ducit Cyprianus, Ecclesia vniuersa esse non potest, cùm radix quid à ramis diuersum omninò sit, Ecclesia verò vniuersalis nihil aliud sit quàm singulæ Ecclesiæ in vnam collectæ, sed necessariò pars quædam præcipua Ecclesiæ vniuersalis, quæ instar capitis, (hoc enim in arboribus radix est quod in humano corpore caput) vniuersalitatis illius influxum demittat, cuius ope & adminiculo singulæ partes cohæreant. Propterea namque Cyprianus hæreses & schismata ex eo oriri docet, quod caput non quæratur, statimque hoc caput quod

quod quærendum dixerat insinuat; *Loquitur, inquit Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cælorum; & quæ ligaueris super terram erunt ligata & in cælis; & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit; Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas.* Certè fatetur Spalatensis librum Cypriani aduersus schismata scriptum ac editum; atqui schismata proximè fidem non conuellunt, sed Episcoporum authoritatem, maximè verò principis Episcoporum labefactant. Vnde Hieronymus. *Inter hæresim*, inquit, *& schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis peruersum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem, ab Ecclesia pariter separet.* Igitur cùm impugnanda suscepisset schismata, ostendendum illud fuit caput, *quo constituto, schismatis*, vt loquitur Hieronymus, *tollatur occasio*; Propterea igitur ad Petrum Petrique successores confugiendum docet. Sed de loco Cypriani vidimus etiam suprà.

Cyp. lib. de vnit. Eccl. seu de simplic. prælat.

In c. 3. ad Titum.

Pergit verò tricari aut potiùs ineptire; vrget *multos missos colonos in vineam Christi, nempè plures Apostolos quibus vinea excolenda sit, non verò vni Petro eam Prouinciam demandatam.* At suprà docuimus omnes quidem missos à Christo, & quidem pari quod attinet ad Apostolatum dignitate, sed non pari quod attinet ad regiminis executionem, authoritate, cùm vni Petro dictũ sit, *Tibi dabo*, &c. *Pasce oues meas.* Sed locis ex Cypriano petitis totos nos obruit Spalatensis. *Hæc*, inquit, *à Cypriano diuino homine sunt egregiè & mente concepta, & oratione explicata. Ait enim, Vna est Ecclesia à Christo per totum mundum in multa membra diuisa; Item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. Item ad Stephanum Papam. Nam etsi Pastores, inquit, multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere & fouere debemus. Item, cùm Ecclesia quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata, &c. Item Beatus Paulus Apostolus Sacramentum vnitatis ostendit dicens; Vnum corpus & vnus spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere ac vindicare debemus, maximè Episcopi qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat; Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: Ecclesia vna est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Item. Vnus Deus est & Christus vnus, Ecclesia eius vna & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Item, Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet.* Respondeo primùm Cyprianum Ecclesiam vnam & Episcopatum vnum docere, vt ostendat neminem posse Episcopum esse, aut Episcopatus munere defungi, nisi eum qui in vnitate Ecclesiæ ac societate Episcoporum illum sit nactus; sed non negat, in vna Ecclesia esse vnum caput, aut in ordine Episcoporum vnum Coryphæum, si quidem Ecclesiam Romanam *Cathedram Petri ac Ecclesiam principalem, ex qua Sacerdotalis vnitas orta sit*, vocat. At instat Spalatensis, *singulis suam portionem* assignatam dicit; quid tum? Singulis membris, etiam capiti, est sua portio assignata, neque enim verbi gratia ambulat; ergo ex æquo corpus regunt? Falsum verò est non reuocare Cyprianum

Spalat. Num. 14.

Cyp. lib. 4. ep. 2.

Idem l. 3. epist. 13.

Id. l. 4. ep. 3.

Idem tract. de simpl. Præl.

Ephes. 4.

Ibid.

Id. li. 1. ep. 3.

Epist. 55.

Episcopos ad vnum supremum, vt vnitatem illam statuat. Quorsum enim Petrum inducit? quorsum Ecclesiam Romanam principalem docet, ac ostentat? Et si nullam prælationis aut subiectionis distinctionem agnoscit, quorsum à Stephano contendit, vt Arelatensem Episcopum ad Nouatianos deficientem loco moueat, & dignitate exutum in ordinem cogat? Tibias inflat Spalatensis.

SPALAT. Num. 15. *Damasus*, inquit, *præclarè de hac vnitate Ecclesiæ, ministrorumque ipsius æquali munere ex diuina institutione differit: Dum enim Chorepiscopum abusus ex Africa cupit auferre, & ad id operam Episcoporum Africanorum requirit, vt cum eo* Dam. ep. 5. *vniti ad opus accingantur, ait; Quæ si non qua debemus vigilantia resecemus, illi qui nos speculatores esse voluit, nos excusare non possumus, si eius Ecclesiam, quæ nobis generaliter commissa est in quantum praualemus, puram à tam illicitis superstitionibus non custodiamus; quia non aliter vnus grex & vnus pastor sumus; nisi* 1. Cor. 1. *quemadmodum Apostolus docet idipsum dicamus omnes, simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sapientia; nec aliter veri discipuli Domini erimus, nisi radicem amaritudinis sursum germinantem ne nocere, valeat, aut Episcopale Ministerium vilescere faciat, per eorum negligentiam, id est omnium Sacerdotum qui euellere mala, meliora plantare sunt ab eo præpositi, vnusquisque pro viribus extirpare festinet; & ipse qui pro suis ouibus est æterno Iudici rationem redditurus, eas fouere & educare decertat. Si Domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, vt de nobis dicatur; Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &c. Et iterum;* Ioan. 10. *Monente Dominicæ vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum amat diligenter, & cum magna cura pascat.*

SPALAT. Num. 16. *Audis*, ait Spalatensis, *ex ore vnius Romani Pontificis pulcherrimam veritatis assertionem; Episcopis omnibus inter quos se etiam connumerat, & includit, generaliter esse Ecclesiam commissam; & gregem omnium* Ecclesiarum *fieri vnum; vnumque Pastorem ex omnibus* Episcopis *conflari: Vnus, inquit, pastor sumus, si concordiam & vniformitatem in regenda* Ecclesia *seruent omnes idem dicentes, & idem sapientes: vt vnumquemque* Episcopum *esse à Christo præpositum, vt pro viribus curet gregem, & pro ouibus suis decertet; & à quocumque* Episcopo *æquè amorem requiri, & eodem modo quo à Petro fuit requisitus; & cuique* Episcopo *dictum esse à Christo, Pasce oues meas*: Et *tota hac Damasi oratio vnicum Christi gregem, & æquè omnibus* Episcopis *ad pascendum à Christo commendatum esse in solidum explicat, nec vllam inter ipsos aut prælationem admittit, aut subiectionem. In se autem Damasus illud tantùm peculiare vltra alios cognoscit, quod speculator quodammodo sit & adhortator, vt vbi videat* Ecclesiæ *necessitates, excitet illos quos oportet ad occurrendum; tanquam socios & collegas, non tanquam subditos & administros.* Si genuinus partus Damasi esset ea Epistola, facilè responderemus verissimè vnum pastorem omnes Pastores dixisse, sed vnum intellexit *concordia fidei*, non æqualitate dignitatis: sed spuriam esse epistolam, ac tanto viro indignam, suprà de Chorepiscopis agentes ostendimus, vt immeritò magnum Lib. 1. c. 9. Pontificem assensoré se habere prædicarit Spalatensis. Miror verò Spalatensem non vidisse, (sed fortè nec locum viderit) Damasum illũ personatũ initio illius epistolæ, quam inconsideratissimè profert, se caput Episcoporum dicere. *Licet,* Dam. ep. 5. *fratres Charissimi*, inquit, *vobis sunt nota Patrum decreta, mirari tamen non possumus vestram solertiam circa instituta maiorum, vt cunctæ quæ possunt aliquam*

recipere

recipere dubitationem ad nos, quasi ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis, vt inde capiatis responsa, vnde accepistis institutionem & normam rectè viuendi. Vnde & vos non immemores Canonum esse recordamur, qui & idipsum fieri præcipiunt; non vt vobis scientiæ Ecclesiasticæ regulæ aliquid desit, sed vt authoritate sedis Apostolicæ fulti in nullo ab eius deuictis regulis. Miror, si Epistolam illam, cuius testimonio abutitur, aliquando legit, & ad calcem eius legendo peruenit, non animaduertisse vltima cum primis consentire. Vt qui initio se caput Ecclesiæ dixerat, idem se in fine summa Ecclesiæ gubernacula tenere concludat: *Omnia*, inquit, *hæc decretalia, & cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vobis, & omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari: quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et meritò nos, qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faueamus errori.* Profectò enim qui se Ecclesiæ caput esse, qui summa illius gubernacula regere, qui sua & decessorum suorum decreta ab omnibus generaliter Episcopis custodiri, & obseruari debere docet; is neque se in communi Episcoporum ordine tanquam vnum de multis; si iurisdictio & auctoritas spectetur, connumeret, neque Ecclesiam omnibus ex æquo Episcopis commissam à Christo fuisse arbitretur.

Siccine igitur illi fauet, aut causæ patrocinatur laruatus Damasus quo gloriatur? Expendamus reliqua. *Sic etiam*, inquit, *in Concilio quodam Carthaginensi, Aurelius cum accepisset litteras ab Anastasio Papa, hortantes illum vt hæreticis & schismaticis resisteret, ait; Gratias agimus Domino nostro, quod illi optimo & sancto Antistiti suo, tam piam curam pro membris Christi, quamuis diuersitate terrarum, sed in vna compage corporis constitutis inspirare dignatus est.* Atqui pro suo iure adhortatum Africanos Anastasium, vt Donatistas in ordinem cogerent dissimulare non debuit Spalatensis, eiusque adhortationibus quam par esset honorem habuisse. *Placuit*, inquit, *vt litteræ mittantur ad fratres & Coepiscopos nostros, & maximè ad sedem Apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis frater & collega noster Anastasius, quo nouerit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem & vtilitatem: vt & ipsis Donatistis, quicunque Clerici correcto consilio ad Catholicam vnitatem transire voluerint, secundum vniuscuiusque Episcopi voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam: si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit in suis honoribus suscipiantur.* Vides vt Sedem Apostolicam in qua præsideret Anastasius, maximè consulendam, eiusque iudicium potissimum exspectandum sanctissimi Patres duxerint. Certè quod alio loco Pontificem haberent quàm reliquos collegas Episcopos, hæc satis ostendunt. Sed cur nobis Aurelium Carthaginiensem, vel Africana Concilia commemorat, vt curam Ecclesiæ vniuersalem Pontifici Romano detrahat, ac nihilo cæteris Episcopis superiorem illum constituat? Quasi non meminerit Aurelium hunc ipsum esse, qui Cócilio Carthaginiensi præfuit, quod aduersus Pelagium & Celestium Innocentij Papæ vltimis temporibus celebratum est. Aut quasi exciderit ex animo Epistola ab vniuerso illo Concilio ad Innocentium scripta, Aurelij ipsius, omnium principis & coryphæi, ac reliquorum, qui adfuerát Africanorum Patrum nominibus prænotata, quæ longè diuersum de Pontifice illorum sensum, ac iudicium fuisse declarat. Cur enim si superiorem illius aucto-

Spalat. Num. 17. Conc. Afri c. 33.

Can. 35. Εἰς ἰςερ ἤρεσεν, ἵνα γράμματα πεμφθῶσι πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ συνεπισκόπους ἡμῶν, καὶ μάλιστα πρὸς τὴν ἀποστολικὴν καθέδραν, ἐν ᾗ προκαθέζεται ὁ τιμιώτατος προσκυνητὸς ἀδελφὸς, καὶ συλλειτουργὸς ἡμῶν Ἀναστάσιος.

ritatem non agnoſcebant, confirmari ab illo ſtatuta ſua poſtulabant? *Hoc itaque geſtum*, inquiunt, *Domine frater, ſanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam etiam peruerſitate corrigenda.* Cur ſi nullam extra propriam ipſius diœceſim Pontificij nominis ducebant eſſe reuerentiam, tanti referre exiſtimabant ad compeſcendos per diuerſa diſperſos Pelagianos, vt damnatus in Oriente à Synodo Paleſtina error Pelagij, Apoſtolicæ itidem ſedis ſententia & auctoritate damnaretur; atque vt damnaret Innocentius tanto illi opere contendebant? *Si ergo Pelagius*, inquiunt, *Epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iuſtè viſus fuerit abſolutus, error tamen ipſe & impietas, quæ tam multos aſſertores habet per diuerſa diſperſos, etiam Apoſtolicæ ſedis auctoritate anathematizanda eſt.* Et poſt alia, ſub finem: *Non dubitamus venerationem tuam, cùm geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem cauſa confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.* Quòd ſi de præcipua Innocentij ſupra Epiſcopos omnes, Synodoſque auctoritate in hunc modum cum collegis ſuis ſcribebat Aurelius, ridiculus planè Spalatenſis, qui aliter illum de Anaſtaſio Innocentij deceſſore ſenſiſſe videri velit. Stat igitur inuictum robur reſponſionis Bellarminianæ ad locum Cypriani, *vnius ſcilicet magni Epiſcopatus, ab Epiſcopis ſingulis in ſolidum partem teneri*, ſed non æqualem, neque eodem modo; quod ſcilicet Petrus & eius ſucceſſores teneant eam partem, *quæ ſit veluti caput & radix & fons*: cæteri teneant alias partes quæ ſint veluti rami & riui.

Spalat. Num. 18. Bellarm. de Rom. Põt. l. 2. Nic. ep. 8. At Bellarminum ſollicitat Spalatenſis: *Nihil*, inquit, *dicit Bellarminus; imò & ſibi contradicit; nam alias Romanæ Eccleſiæ totam præeminentiam ex facto Petri ortam, & à Petro in eam fluxiſſe docet, ad quam ſi Petrus non acceßiſſet, Primatum Romana Eccleſia non habuiſſet: Nam & Nicolaus ait; Priuilegia S. Sedis in B. Petro ſuſcepta diuinitus in Eccleſiam Romanam eſſe deriuata.* Nugaris mi homo. Doctiſſimus Cardinalis, cùm Romanæ Eccleſiæ primas tribuit, eamque radicem facit Catholicæ vnitatis, illam vna cum Pontifice ſuo Petro proculdubio ſpectat, cuius ſcilicet meritò eam gloriam ſit conſequuta: Itaque verba illa, *Petrus & eius ſucceſſores*, ſic accipienda ſunt, vt Petrum in Romanam Eccleſiam hanc prærogatiuam intuliſſe ſignificent, quam in eius ſucceſſores transfuderit ac deriuarit. Hoc igitur nomine Romana Eccleſia Princeps eſt quod Petrus, cui paſcendas oues ſuas Chriſtus commiſerit, quemque vnitatis originem eſſe voluerit, Romæ ſedem ſuam fixerit, vrbemque ad orbis

Spal eod. nu. 18. Principatum euexerit. Quod autem addit Spalatenſis, *ſe probaſſe omnes particulares Eccleſias etiam Romanam conſequenter de ſe eiuſdem eſſe rationis, ac eſſentialiter omnino eaſdem, quia ſunt partes homogeneæ*, eſt à nobis ſuprà refutatum, & inter abſurdiſſima dogmata etiam cum Paulo manifeſtè pugnantia repoſitum; Sunt quidem omnes Eccleſiæ *vna eſſentialiter* Eccleſia, ſi fidei profeſſionem ſpectes: ſed ſi membrorum conſtitutio, & inter ſe diſtinctio attendatur, proculdubio Romana qua Capitis nomen ſortita eſt, reliquas dignitate & authoritate anteuertit. Namque, vt ſupra monui, *vnitas formalis* in corpore organico diſtinctionem & varietatem membrorum non tollit; Et vt hoc ad reſpon-

Lib. 4. ep. 3. ſionem Illuſtriſſimi Cardinalis addamus, certum eſt *Eccleſiam per totum terrarum orbem diffuſam, vnum eſſe magnum Epiſcopatum cohærentium ſibi inuicem Sacerdotum*,

cerdotum, quod dixit Cyprianus, *glutino copulatum*; sed huius Episcopatus alius minorem, alius maiorem portionem, non solùm quod ad molem, sed etiam quod ad essentiam regiminis attinet, est consequutus; siquidem quemadmodum cùm vnus sit spiritus per totum corpus diuisus, tamen anima excellentiori quodam ac nobiliori modo in capite residet, quàm vel in pede, vel manu, adeóque ex capite veluti ex arce omnibus membris prospicit & imperat, ita est quidam Episcopatus in omnes Ecclesias diffusus, sed non est tantus eius fulgor in priuatis Ecclesiis, quantus est in Romana quàm reliquarum caput voluerit esse Christus imposito ei Rectore Petro, cui vices suas in terris demandarit.

Quod autem dixit Hieronymus parem esse vbique Episcopi dignitatem, siue Romæ, siue Agobij, *de potestate ordinis* ac reuerentia Characteri episcopali debita dictum, non de potestate & amplitudine *iurisdictionis* suprà ostendimus. Sed iam dignitatem & prærogatiuas Romanæ Ecclesiæ conuellere nititur aduersarius; *Est*, inquit, *merum accidens, quod vna Ecclesia particularis tenacius & firmius doctrinam fidei tenuerit quàm alia; aut quod commoditatis gratia ex vna plus quàm ex alia, fides fuerit in alias disseminata; si quidem Apostoli non vni Ecclesiæ fuerunt largiores, in fidei veritate tradenda aliis parciores: sed plenè eandem fidem omnibus tradiderunt: quæ verò Ecclesia melius fidem retinuit, & purius conseruauit, illa ex accidenti facta est quodammodo matrix & radix aliarum. Vt Romanæ contigisse docebo lib. 4. sequenti cap. 3. Sed vt dixi hoc fuit merum accidens & separabile: imò & cum omnibus sedibus Apostolicis commune vt patebit, &c.* Falsum falsissimum est ex accidenti esse, quod tenacius fidei doctrinam tenuerit Ecclesia Romana quàm vlla alia: Habet illud ex infallibili Christi prouidentia, qui de Capitis sui Vicarij in fide firmitate sollicitus Patrem rogauerit, vt eius non labasceret fides; Ego, inquit, *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, qua de re egimus superioribus libris abundè. Argumento verò nostræ assertioni sit, quod nulla Apostolicarum sedium in fide Christi præter Romanam perseuerarit. Vbi enim Hierosolymorum, vbi Antiochiæ, vbi Corinthi, vbi Ephesiorum fides aut Ecclesia?

Hieron. ad Euagrium.

Spalat. Num. 18. in fine.

Luc. 22. v. 32.

Sed importunissimus aduersarius victus non potest absistere ferro; *Hanc verò inter operarios omnes æqualitatem*, inquit, *optimè intellexerunt Episcopi Orientales, alterum Constantinopolitanum Concilium celebrantes sequenti anno post primum; sic enim suas literas, quas ad Damasum & Occidentis Episcopos præcipuos scripserunt, claudunt; Obsecramus vestram Reuerentiam, vti congratuletur spiritali charitate nos mutuò deuinciente, & timore Domini qui omnem humanam affectionem deprimit, Ecclesiarúmque ædificationem amori illi & beneuolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponit. Quod si doctrina fidei ad hunc modum, communi consensu stabilita sit, & charitas* Christiana *in nobis confirmata, posthac desinemus dicere illud, quod ab Apostolis condemnatum est, nimirum, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ; atque omnes cùm simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia, integrum conseruabimus, & ad tribunal Domini fidenti animo, nosmet sistemus. Hic manifestum est hos sanctos Episcopos se simul cum Papa Damaso & aliis Episcopis Occidentis agnouisse communes operarios, qui circa corpus vniuersum Ecclesiæ laborent; non quidem inter se, sed soli Christo immediatè subiecti. Vnde & Ambrosius. Non mundauit, inquit, Damasus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius; non mundauit Gregorius; nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramen-*

Spalat. Num. 19.

Apud Theod. l. 5. c. 9.

1. Cor. 1.

Ambr. in procem. l. 1. de Spir. S.

ta. Damasum, Petrum, Ambrosium, Gregorium Theologum simul iungit, & æquè socios faciat in solo & nudo ministerio & seruitio, tam in exercitio ordinis quàm iurisdictionis. Sic Optatus; Omnes Apostolos & Episcopos æquè fecit famulos, ad Christi mensam conuiuis ministrantes. Æqualitatem inter omnes vineæ Christi operarios, intellexisse Concilij Constantinopolitani Patres, quos refert Spalatensis, tam est falsum, quàm fortasse verum est non legisse eorum ad Damasum Epistolam aduersarium. Ecce enim tibi, *propria se Pontificis membra* dicunt, ab eo se ad Romanam Synodum vocatos agnoscunt, itineris molestias per legatos deprecantur, ac postremò vt Episcoporum Orientis ordinationes gratas & acceptas habeant, obnixè orant. Sunt ne igitur ista fictitiæ illius æqualitatis indicia, aut argumenta? Annon verò pro capite Pontificem colentium ea vox est? *Nos velut membra,* inquit, *propria per Imperatoris sanctissimi literas accersiuistis: ne cùm nos soli iam antea res acerbas subire coacti essemus, nunc Imperatoribus de pietate consentientibus sine nobis vos regnaretis.* Certè non id alio sensu dicunt quàm quo ad Leonem Chalcedonensis Synodi Patres ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες. *Quibus,* inquiunt, *tu sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem beneuolentiam præferens.* Quanquam autem Damasi Epistola ad Orientes Episcopos scripta eos alloquitur, qui superiore anno Concilium II. Oecumenicum coegerant, non verò ad hanc epistolam respondet, quia tamen certum est, & Theodoretus tradit hos ipsos esse Episcopos qui magnæ Synodo interfuissent, qui sequenti anno Constantinopolim reuersi in alterum hoc Concilium conuenissent, facilè apparet ex ea Damasi Epistola quam honorem habuerint, Apostolicæ sedi ac Damaso Pontifici. *Quòd vestra charitas,* inquit, *debitam sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur: tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu longè inferiores esse.* Cæterùm ne cui imponant illa verba posterioris Epistolæ; a *Quod si,* inquit, *doctrina fidei ad hunc modum communi consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata: posthac desinemus dicere illud, quod ab Apostolis condemnatum est, nimirum, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, atque omnes cùm simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, Dei largiente gratia, integrum conseruabimus, & ad Tribunal Domini fidenti animo, nosmet sistemus.* Sciendum est propterea hæc addidisse, quod Paulino cui Flauianum præferri cuperent fauere Damasum crederent. Pontificem igitur per communem charitatem & Dei honorem obtestantur, vt Ecclesiarum ædificationem priuato affectui anteponat, sic namque futurum in Oriente (neque enim hæc de Pontifice & Orientis Episcopis, sed de solis Orientis Episcopis dicuntur, quorum alij in Paulinum, alij in Meletium, alij in Apolinarem inclinarent,) vt turbæ illæ quæ totum illum tractum factionibus compleuerant sopirentur ac extinguerentur, neque perseueraret pestilentissimum schisma, quo in partes diuisa Ecclesia, alius se Meletij, alius Apollinaris, alius Paulini diceret; eo enim torquent illa verba, *Ego quidem sum Pauli,* &c. Quæ propterea de Orientalibus inter se accipienda sunt, non vlla ratione ad Pontificem

Theod. l. 5. c. 9. Καὶ ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη συνεκαλέσατε, διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων, ἵν᾽ ἐπειδὴ τότε τὰς θλίψεις μόνοι κατεδεξάμεθα, νῦν ἐν τῇ τῶν αὐτοκρατόρων περὶ τὴν εὐσέβειαν συμφωνίᾳ, μὴ χωρὶς ἡμῶν βασιλεύσητε.

Relat. Cōc. Chalced.

Theod. l. 5. cap. 10. Ὅτι τῇ ἀποστολικῇ καθέδρᾳ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἀπονέμει, ἑαυτοῖς τὸ πλεῖστον παρέχετε υἱοὶ τιμιώτατοι. καὶ γὰρ εἰ τὰ μάλιστα ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἅγιος ἀπόστολος καθεζόμενος ἐδίδαξε πῶς προσήκει ἡμᾶς τοὺς οἴακας θύνειν, οὓς ἀνεδεξάμεθα, ὅμως ὁμολογοῦμεν ἑαυτοὺς ἥττονας εἶναι τῆς τιμῆς.

a Id. l. 5. c. 9. Οὕτω γὰρ τούτου τῆς πίστεως συμφωνηθέντος λόγου, καὶ τῆς χριστιανικῆς κυρωθείσης ἐν ἡμῖν ἀγάπης, παυσόμεθα λέγοντες τὸ παρὰ τῶν ἀποστόλων κατεγνωσμένον. ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ. πάντες δὲ Χριστοῦ φανέντες, ὃς ἐν ἡμῖν μεμέρισται, θεοῦ καταξιοῦντος, ἄσχιστον τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας τηρήσομεν, καὶ τῷ βήματι τοῦ κυρίου μετὰ παρρησίας παραστησόμεθα.

trahenda

trahenda, quippe cum quo illis optimè conueniret, ac in cuius communione veluti eius mebra agerent. Neque enim alios quàm qui in Damasi communione essent, suis gregibus restitui curauit immortali gloria dignus Imperator Gratianus. *Conscripsit legem*, inquit Theodoretus, *qua iubebat tũ pastores eiectos in exilium redire, suisque gregibus restitui; tum sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi cõmunionem amplexarentur.* Et quidé etiam hoc loco Gratianus Pontificé Romanũ Ecclesiasticæ vnitatis ac cõmunionis radicé facit; Sed de his plura in sequentibus. Veniamus ad Ambrosium. *Ambrosius*, inquit Spalatensis: *Non mundauit Damasus: Non mundauit Petrus; Non mundauit Ambrosius, Non mundauit Gregorius; nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta. Damasum, Petrum, Ambrosium, Gregorium Theologum simul iungit, & aequè socios faciat in solo & nudo ministerio & seruitio, tam in exercitio ordinis quàm iurisdictionis; Sic Optatus; Omnes Apostolos & Episcopos aequè fecit famulos, ad Christi mensam conuiuis ministrantes.* Quid igitur? An baptismi gratiam de qua sub typo roris in Gedeonis vellus incumbentis agit Ambrosius, aut Damasi aut Romanorum Pontificum beneficium esse dicimus? Certè in nomine Petri, Pauli, Damasi, Gregorij aut Ambrosij baptizati non sumus: Ministros eos agnoscimus Christi, & dispensatores mysteriorum, sed vnum Dominum agnoscimus, *pluuiam voluntariam*, vt addit ex Dauide Ambrosius, *hæreditati suæ segregantem*; Sed quid hæc authoritati Ecclesiæ Romanæ officiunt? Quid Pontificem lædunt, quem fidelem seruum, cui familiam suam regendam commiserit Christus, prædicamus? Sunt omnes famuli Christi, sed hic Oeconomus ac famulorum Princeps est, *qui det eis in tempore tritici mensuram.* Cæterùm Romanam Ecclesiam veluti cõmunionis Ecclesiasticæ radicem agnouisse, ac Pontificem Romanum pro Christi in terris Vicario habuisse, superioribus libris ostendimus. Satis sit hic locus. *Ecclesiæ Romanæ*, inquit, *in omnibus typum & formam sequimur, &c.*

Theod. l. 5. cap. 1. Νόμον ἔγραψε, καὶ τοὺς ἐξεληλαμένους ποιμένας ἐπανελθεῖν κελεύων, καὶ τοῖς σφετέροις ἀποδοθῆναι ποιμνίοις, καὶ τοὺς θείους οἴκους παραδοθῆναι τοῖς τῆς Δαμάσου κοινωνίαν ἀσπαζομένοις.

Num. 19. in fin.

Ambr. in procœm. l. 1. Spiritu Sancto.

3. de Sac. c. 1.

Quàm verò falsum sit, & à mente Ambrosij alienum, existimasse eum omnes Episcopos *tam in exercitio ordinis*, vt loquitur Spalatensis, *quàm iurisdictionis pares esse* ex Epistola 9. liquet: Si quidem causas Episcoporum ad Romanum Pontificem referri, etiam post Patriarchæ Alexandrini iudicium omnino censet. *Sanè referendum arbitramur*, inquit, *ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communi nostræ dissensionem non afferat, vt nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.* Et quidem quem eius nomine non vno loco profert Spalatensis, cõmentarij in Pauli Epistolas author, de Damaso in hunc modum loquitur; *Cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus.*

Amb. ep. 9. lib. 1.

Amb. in ep. 1. ad Tim. cap. 3.

Ita etiam Alexander Alexandrinus, inquit Spalatensis, *ad vniuersos Episcopos scribens; Charissimis, inquit, honoratissimisque fratribus, qui vbique gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti, Salutem. Cùm in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ nobis traditum; & præceptum vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, consentaneum est vti per literas colloquamur inter nos, &c. Omnes prorsus Episcopos, nullo excepto, in eodem ministerio*, inquit, *circa vniuersum corpus Ecclesiæ coniunctos esse, optimè sensit Alexander. At quis inter mi-*

SPALAT. Num. 20. Apud Soc. l. 1. c. 3.

nistros eidem operi applicatos, subiectionem vnquam vidit, aut prælationem cum iurisdictione præsertim, ac potestate in socios eiusdem operis & ministerij? Vnum corpus Ecclesiæ omnibus Episcopis in ministerio coniunctis, traditum, optima ratione prædicat Alexander, ea epistola qua Arij furoribus exagitatus veluti supplices palmas omnibus per orbé Episcopis tendit, eorúmque fidem & opem implorat; De communis enim fidei periculo agebatur; sed propterea non negat esse in Episcoporum ordine, potestatis distinctionem: Imo verò ea ipsa epistola loci sui non immemor, de Episcopis suæ sedis (erat enim Alexandrinus Patriarcha) authoritate statuit, ac statu & gradu Episcopali excidisse pronunciat, quòd in Arij partes transiissent. Expendamus reliqua.

Spalat. Num. 21. *Pulcherrima verò similitudine*, inquit Spalatensis, *rem explicuit Symmachus Pontifex Romanus, magnæ veritatis, paucissimis, sed egregiis verbis assertor. Dum enim veterum Canonum, circa Episcoporum ordinationes, inculcat obseruantiam, & reprehendit acta Anastasij, qui Arelatensi Ecclesiæ, contra veteres Canones aliquid præscripserat, illud habet singulare; Nam dum, inquit, ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos Antistites Sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Vnicum in omnibus Episcopis agnoscit Sacerdotium in solidum, non plus in vno quàm in alio; eo, inquit, modo quo in Diuinis tres personæ vnam & eandem indiuisam habent diuinam, sicut essentiam & naturam, ita etiam potestatem. Putasne tunc distinxerit Symmachus in Episcopis potestatem iurisdictionis à potestate ordinis? Vnicum, inquit, & indiuisum in potestate est in omnibus Episcopis Sacerdotium. Et sanè loqu. batur de exercitio potestatis iurisdictionis, circa Episcoporum institutiones.*

Apud Bar. tom. 6. an. 499. nu. 56.

Symmach. ep. 1. tom. 2. Conc.

Vnum Sacerdotium agnoscit Symmachus, atque similitudine indiuiduæ potestatis Sanctissimæ Trinitatis illustrat, sed vtcunque possit istud de omnibus in vniuersum Episcopis ac Sacerdotibus dici, sensu à nobis suprà explicato, ad eos tamen non refert, sed ad solos Pontifices Romanos, ac hoc omnino vult debuisse Anastasium decessorum suorum iudicio stare, nec contra eorum statuta, ac antiquam consuetudinem iura Arelatensis Ecclesiæ interuertere. *Nam*, inquit, *dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuisa potestas, vnum sit per diuersos Antistites Sacerdotium, quemadmodum priorum statuta* (vides hîc conferri Anastasium cum decessoribus suis) *à sequentibus conuenit violari?* Verùm enimverò si quod contendit Spalatensis, Symmachus nullum in ordine Episcoporum discrimen agnoscebat, quorsum de Episcopi Arelatensis & Viennensis limitibus cognoscit, quâ fronte in alienam messem falcem immittit?

Epist. 9. Sed plenæ sunt Symmachi Epistolæ testimoniis, quibus abundè constat, nedum reliquarum Ecclesiarum, sed ipsarum quoque sedium Patriarchalium iudicem fuisse, atque adeò Orientem totum ad eius se tribunal sistere non dubitasse. Pergamus.

Spalat. Num. 22. *Sed*, inquit Spalatensis, *Quid sibi volunt Ecclesiæ Sanctæ Doctores, quando gradus, seu ordines varios recenserent Ecclesiasticos, & in Episcopo tanquam in supremo sistunt gradu, nisi quod supra Episcopum, alium gradum altiorem nolint dari in Ecclesia? Habent quidem Episcopi & Presbyteri Ministros quosdam inferiores, imò potius administrantes quàm Ministros; vt sunt Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, & similes: sed Episcopus tandem in summo ponitur gradu. Areopagita Dionysius sic loquitur; Diuinus igitur Pontificum ordo primus quidem est eorum ordinum qui Deum vident; summus autem & postremus rursum idem est. In eo enim & absoluitur*

Areop. de Eccl. Hier. de Sacerd. perfect.

soluitur & expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio. Vt enim Hierarchiam omnem videmus in Iesum desinere, sic vnamquamque in suum Pontificem. Ita Ignatius suam Hierarchiam numerare incipit ab Episcopis: *Presbyteri, inquit, subiecti estote Episcopis; Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis.* Et in Ec*clesia nihil esse supra* Episcopum*, aut maius Episcopo sæpius pronunciauit, vt vidimus lib. 2. cap. 6. num. 4.* Et *ad Philadelph. ac rursus ad Smyrnenses scribens, ait; Omnes Episcopo pareant, Episcopus* Christo, *vt Christus Patri obediuit. In Hierarchia Ecclesiastica Ignatius supra Episcopum neminem reperit. Et Origenes, primum locum sortitos esse ait, Apostolos in Ecclesia, & eos qui post illos ordinantur à Deo, hoc est, Episcopos: secundum locum Prophetas, &c. Idemque Presbyter cùm esset; Plus à me exigitur, inquit, quàm à Diacono, plus à Diacono, quàm à Laïco. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. Intelligit proculdubio quemcunque Episcopum. Hieronymus Arcæ diluuij mysteria explicans, quod in cubitum desineret; Similiter ait &* Ecclesia, *multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur. Gelasius & ipse Pontificalem potestatem, eam nimirum quæ in omnibus residet Episcopis, cum regali potestate comparauit; vt his duabus totus mundus regatur. Vnam ergo solam & sanè eandem agnouit, in omnibus* Episcopis, *potestatem in solidum. Ita & Fulgentius; Quantum pertinet, inquit, ad huius temporis vitam, in* Ecclesia *nemo Pontifice potior; & in sæculo Christiano Imperatore nemo celsior inuenitur.* Respondeo supremum Ecclesiæ gradum volunt esse Episcopatum Patres à Spalatensi adducti, quod nos non inficiamur, sed in supremo hoc Ecclesiæ ordine, vt ex Augustino & aliis ostendimus, fastigium tenet Pontifex: & quidem vt Ignatium & Dionysium, quorum fidem eleuant aduersarij, prætereamus, quis nesciat Origenem, Hieronymum, Gelasium ac Fulgentium, Petrum Petrique successorem pro capite Ecclesiæ habuisse?

Ignat. ad Tarsen.

Orig. in Io. tom. 32. in verba illa, Postquam ergo lauit.

Idem in Hier. ho. 7.

Hier. adu. Lucif.

Dist. 97. c. duo sunt.

In Conc. Paris. lib. 1. cap. 3.

Sed fortius mouet lacertos Spalatensis, *Quinimò*, inquit, *habemus Patres expressè negantes inter Episcopos omnem prorsus subiectionem & prælationem: Insigne est in primis Cypriani dictum, quod alia simili occasione protuli libro 2. ca. 5. num. 5. Hic verò fusius illum prosequor. Is enim suum* Concilium *exordiens de baptismo hæreticorum, vt in communi res disceptaretur, & ipsius sententia tunc noua & prius inaudita in Ecclesia, imò in contrarium practicata, & cui resisterent multi, ac potissimùm Romana Ecclesia, pluribus suffragiis vel firmaretur, vel repudiaretur: Superest, inquit, vt de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus: neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit amouentes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore, ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium; tanquã iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare; sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Hoc Cypriani dictum, subtrahens vnumquemque* Episcopum *ab alterius* Episcopi *iurisdictione & potestate, confirmat Augustinus & declarat; Opinor vtique, inquit, in iis quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt. In omnibus igitur quæ nondum sunt eliquatissima discussione definita in* Ecclesia, *censet Augustinus dictum* Cypriani *esse verum, nullum* Episcopum *vllius* Episcopi *iudicio in terris*

Spalat. Num. 23.

Cypr. in Cõc. Cart.

Aug. de Bapt. cont. Donat. l. 3. cap. 3.

subiacere: & consequenter neminem reuera esse Episcoporum Episcopum, *vt possit tyrannico more, quicumque* Episcopus, *alium* Episcopum *adigere, vt quod ipse sentit, ille etiam sentiat, & credat, & doceat, & operetur. Imò quia Stephanus Papa contrarium statuerat, & decreuerat, & excommunicatione munierat, hæc à Cypriano contra Stephanum dirigi, non malè autumat Baronius. Suggillat ego Cyprianus Stephanum, quòd tyrannicè se faceret, imò fortasse etiam diceret,* Episcoporum Episcopum; *velletque vi adigere alios ad ipsi consentiendum, cùm tamen quisque* Episcopus *liber sit, ac soli Christi iudicio immediatè subsiet in sua regenda Ecclesia; exceptis, vt ait Augustinus, iis quæ sunt iam definita in tota Ecclesia; In his enim Episcopus nullus liber est, sed ligatur & arctatur, vt ita sentiat & operetur, sicut* Ecclesia *definiuit. Ligatur verò & arctatur in his etiam, non ab vllo* Episcopo, *sed à tota* Ecclesia; *& ita in his quoque nemo est Episcoporum* Episcopus. *Glossema Bellarmini est Cyprianum loqui de iis qui Concilio illo Carthaginensi erant; nec includi ea sententia Romanum Pontificem, qui verè est* Episcopus Episcoporum, *& Pater Patrum. Et quod ait Cyprianus* Episcopum *non posse iudicari nisi à Deo, Bellarminus ait; Intelligi debere in rebus dubiis & occultis, & affert verba Augustini suprà à me citata; quibus vult ab Augustino explicari Cyprianum significare voluisse singulos* Episcopos *in Concilio dum res discutitur, posse liberè sententiam suam dicere, nec debere à Præside tyrannicè cogi ad suam sententiam, antequam quæstio definita sit. At quis vnquam vidit, aut dixit, aut censuit Præsidem Concilij posse tyrannicè cogere quemquam in suam sententiam? Ne Papa quidem noster, tametsi in miseros* Episcopos *in suis Ecclesiis constitutos, summam iamdiu exerceat tyrannidem; vbi tamen Episcopi sunt in legitimo Concilio, præsertim Oecumenico congregati, nondum ausus est vi & tyrannicè in suam sententiam quemquam compellere; dolo & astu potius atque fraude id obtinuit, quàm vi & tyrannide: & multò plus terroris incutiunt ei Episcopi in Concilio quàm ipse Episcopis. Exempla insignia habemus in Conciliis Constantiensi, Pisano, & Basileensi; vt tantoperè abhorreant Papa à Conciliis generalibus congregandis. Itaque Cypriani propositio est generalis, & benè sciebat se suos in illo Concilio Episcopos secum concordes habere, neque poterat timere, cùm ipse esset & Primas & Præses, ne quisquam illorum tyrannidem exerceret, & collegas vi adigeret in sententiam quam ipse teneat. De se autem solo non loquitur; quia dicit (nec quisquam nostrûm) loquitur ergo de tota omnium Episcoporum communitate; & memor charitatis sciensque se cum suis collegis contrarium & diuersum à reliquis Episcopis externis, & præsertim à Romano sentire, admonet omnes collegas, ne propterea putent esse à sua communione diuersum, sentientes separandos, quasi velint vi & tyrannicè cogere quemquam ad secum sentiendum, sicuti cogebat Stephanus Romanus; contra quem indirectè, vt suprà monui, ista proferuntur. Non enim erat res vniuersaliter definita circa baptismũ hæreticorũ, atque in his & in toto regimine suæ Ecclesiæ, cùm nondum essent vlli Canones vniuersalis Ecclesiæ, quemque Episcopum facit absolutum, & supremum Principem in sua Ecclesia, & nulli penitus alij Episcopo subiectum.* Sunt ista futilitatis plenissima. Optimè omnino respondet Bellarminus, Cyprianum loqui de Episcopis Africanis qui in illum cœtum coiissent, nec Pontifici præiudicasse, aut etiam præiudicare potuisse. Quod verò nouum & inauditum dicit, *Concilij Præsidem aliquem in suam cogere posse sententiam*, solidum non est; Etenim

Aug. de bapt. cont. Don. l.5.c. 25.& de vn. bapt. cont. Petil.c. 14. Bar.tom.2. an.258. nu. 42.

Bel.de Ro. Pont.l.2. c. 16.adu.2.

Ibid.

Etenim vtcumque palam vim non inferat, certum tamen est vbi de eius sententia constat, afferre hoc eius præiudicium iudicaturis exemplum, quod reuerentia eius adducti sequantur. Quare vt innueret Cyprianus se nulli arroganter præiudicare velle, aut in suam sententiam inuitum pertrahere; *Nemo*, inquit, *nostrûm*, (nomine multitudinis vtitur, vt se tacitè insinuet) *se Episcopum Episcoporum esse constituit; aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit; cùm nec ipse possit alterum iudicare, sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro iudicandi.* Sed demus esse hoc obliquum fulmen in Stephanum à Cypriano mussitando contortum; quanti putas ponderis sunt quæ commotior ac subiratior in Stephanum effudit? Audi quæso Augustinum. *Iam illa*, inquit, *quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus est. Eadem quippe ipsa dicuntur, quæ iam satis discussa sunt, & ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissentionis habuerunt. Stephanus autem & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur: Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largißimè præditus, in vnitate cum eis manendum qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotius, sed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Non autem hinc vberius excreuerunt hæreses & schismata, quia id quod in eis Christi est approbatur, quod autem ipsorum est, improbatur. Magis enim qui hanc legem rebaptizandi tenuerunt, in plura frusta concisi sunt.* Certè hoc ipso Concilio Cyprianum fundamenta improbissimæ hæresis Donatistarum iecisse agnoscunt vniuersi, ac propterea non solùm Stephani, & Ecclesiæ authoritate eius rescissa, ac damnata sunt decreta, verùm etiam illi Episcopi, qui cum Cypriano senserant ab eo postmodum defecerunt, errorem que confessi sunt. *Conatus est, & beatus Cyprianus*, inquit Hieronymus, *contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ vrbis Episcopum, qui à beato Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit; sed conatus eius frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum. Quod facimus? ita & nobis maiores nostri, & illis sui tradidere maiores.* Speciatim verò de Orientalibus Episcopis Augustinus. *Proinde*, inquit, *si omnino iam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum iudicium correxisse dicamus, non vt tu loqueris rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non moueri, ita culpabile persistere in falsa, quàm nunquam tenere prima laus est, secunda mutare: vt aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa, vera succedat.* De sensu verò illorum verborum; *Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum iudicare, &c.* Cum Augustino ex quo sua hausit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, transigat Spalatensis. *Opinor vtique*, inquit Augustinus, *in his quæstionibus, quæ nondum eliquatißima perspectione discussæ sunt.* Et rursus: *Nouerat enim quantam Sacramenti profunditatem, tunc omnis Ecclesia*

Cyprian. in Conc. Carthagin.

Aug. contr. Donatistas l. 5. c. 25.

Hier. adu. Lucif. ante finem.

Aug. contr. Crescon. l. 3. c. 3.

Aug. contr. Donatistas l. 3. c. 3.

varia disputatione versabat, liberumque faciebat quarendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur. Sed non est quod importunius cum Spalatensi piissimi Martyris vulnera refricemus, satis sit illud Augustini; *Opinor*, inquit, *vtique in his*
Ibid. *quaestionibus, quae nondum eliquatißima perspectione discussae sunt.* Veniamus ad Origenem.

Spalat. Num. 25. Origen. in Matth. tract. 16. *Origenes rursus*, inquit Spalatensis, *primatum mihi videtur negare inter Episcopos: Vnusquisque ergo, ait, sedentium super Cathedram Ecclesiasticam, & amantium primas Cathedras in Synagogis videant, ne fortè sic sedeant in eis, vt veniens Dominus eas euertat, quasi dignas euersione. Dignas euersione*, addit Spalatensis, *videtur sentire Cathedras Episcopales, quae sibi inter alias Cathedras similes, primum locum, hoc est, Dominium, voluerint vsurpare.* Hoc verò est citra pudorem commentari. Origenes per Cathedras à Christo euertendas, dignitatis, ac officij sui immemores ac incuriosos, nedum Episcopos, verùm etiam Presbyteros intelligit, qui improbis, sceleratis ac omnino indignis traderent Ecclesias, eosque columbarum nundinatores dicit, in quos sit Christus animaduersurus: Apparet verò sui aeui electiones, sigillare eum ac perstringere voluisse, in quibus contra disciplinam Ecclesiasticam essent multi, tum Episcopi, tum Presbyteri, qui improbis quibusdam sacras potestates nundinarentur potius quàm deferrent; *Epi-*
Orig. p. 2. tract. 15 in Matth. p. 106. *scopi*, inquit, *& Presbyteri quibus credita sunt Cathedrae, qui tradunt Ecclesias quibus non oportet, & constituunt Principes quos constituere non expedit, ipsi sunt qui vendunt columbas, quorum cathedras Christus euertit.* Claudamus hoc caput;
August de Past. c. 1. & 13. & l. de ouib. c. 1. *Doctißimus Augustinus*, inquit Spalatensis, *Pastores omnes, hoc est omnes Episcopos Christi summi Pastoris oues esse meritò asserit; & de bonis ouibus bonos fieri Pastores. Eosdem tamen quatenus Pastores sunt, non esse amplius vllius Pastoris (excepto Christo) oues. Pastor itaque gregis Christi, non est sub vllo Pastore eiusdem gregis: quia pastoribus solae oues subsunt non Pastores: Pastor verò ouis non est: sed omnes Pastores, incluso etiam Petro, idem Augustinus fecit aequè oues Christi. Et hoc*
Hoc ep. l. 1. c. 8. n. 6. *argumentum clarius exposui in praecedentibus.* Pastores omnes dicit Augustinus esse oues solius Christi, tanquam summi Pastoris, à quo sanctissimus ordo promanarit, quemque authorem agnoscat; neque verò Petrum excipit, quod is potissimùm suam potestatem Christo acceptam habeat; quippe à quo audierit, *Pasce oues meas*, sed ni fallor vel oues Christi non sunt reliqui Apostoli, aut Petri curae commissos eos omnes oporteat: Quare Chrysostomus ad illum locum Ioannis, Apostolos in numero ouium Petro creditarum quoque ponit; Aliud igitur est Apostolos cum Christo, aliud inter se conferre; siquidem comparatione Christi omnes aequè summi illius Pastoris, & *Episcopi animarum nostrarum*, vt quidem ipse Petrus loquitur, oues sunt: sed si eos inter se conferamus; *Inter*
Hier. li. 1. in Iouin. *duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis*, vt habet Hieronymus, *tollatur occasio.* Et quidem hoc sensu dixit Augustinus, *Petrum primatum habuisse in discipulis, Petro oues pascendas commissas, eius Apostolatum cuicumque Episcopatui praeferendum, ac in eius Ecclesia, Romana scilicet, semper viguisse Apostolicae Cathedrae principatum.* Igitur satis constat iure diuino eum esse omnibus Apostolis & Episcopis praepositum, vt scilicet Ecclesiae vnitas, vnius capitis imperio contineretur, sartaque ac tecta conseruaretur. De aliis Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus ac Patriarchis, videro sequenti capite.

DISCVSSIO




DISCVSSIO
SECVNDI CAPITIS
LIBRI TERTII.

CONSPECTVS CAPITIS.

Distinctio ordinum in Ecclesia; Patriarcharum, Primatum, Episcoporum, & Archiepiscoporum: Quibus authoribus hi ordines inuecti: De Canonibus sexto, & septimo Nicænis: Non instituisse eam Synodum, aut Patriarchas, aut Metropolitas: Patriarchas à Petri creatione esse; Antiochensium Patrum de Metropolitis sanctio: Concilij primi Constantinopolitani Canon secundus notatus: A Damaso, Leone & Gregorio reprobatus: In Ecclesiarum distinctione, non esse spectandam solam vrbium magnitudinem: Gelasij & Innocentij de ea re iudicium: Vt aliquando splendoris ciuitatum ratio habita sit: Politia Ecclesiastica inter arcana quæ vulgare non liceret: Quid Principes præstiterint, in erigendis maioribus Ecclesiis.



SICVT *ad vitanda schismata in Ecclesia, confusionéque tollendam, capite 7. ostendimus singulorum Episcoporum potestatem fuisse iure Ecclesiastico, certis sedibus & Diæcesibus arctatam & alligatam: ita eodem iure, & eadem ratione, vt vnitas & concordia inter Episcopos seruaretur, Prouinciæ etiam Ecclesiasticæ diuisæ fuerunt, & multiplicatæ, vt vnius Prouinciæ Episcopi, in quibusdam rebus Ecclesiasticis, illi Episcopo subessent, qui in Metropoli ciuitate suam sedem haberet. Ac rursus Metropolitani plures similiter in certis casibus, & occasionibus vni Primati, qui in Regia ciuitate resideret subderentur. Ac demum & Primatibus, & Metropolitanis, & Episcopis eorum, vnus Patriarcha in tota integra aliqua regione, in certis similiter causis præsideret. Occasio verò harum institutionum, vt iam ostendam, fuit potissimùm, schismatum vitatio; vt per has subordinationes, & per hanc Hierarchiam, Episcopi multi, ad vnitatem tantoperè necessariam facilius redigerentur: ac vt ordinationes Episcoporum, non à quocunque confusè & raptim, sed à certis & determinatis & Episcopis, in propriis Prouinciis celebrarentur. Et quia etiam Synodi Prouinciales plurimùm in regendis Ecclesiis, & Episcopis corrigendis possunt, vt patebit suis locis; neque semper adeò facile est Episcopos* Comprouinciales *in vnum conuenire, expediens fuit vt Metropolitani & Primates, multa soli absoluerent, quæ Synodi absoluere debuissent, essentque quasi totius Synodi Vicarij & Commissarij, & hæc omnia iam reddo manifesta.* SPALAT. Num. 1.





VLCHERRIMVM Ecclesiarum ordinem, quo pro ratione populorum Pontifices instituuntur, & Episcopi designantur, quorum adminiculo sarta tectaque fidei vnitas conseruetur, à Spiritu sancto profectum, nulli dubium esse potest, cui, quod res est, persuasum sit, relictum cum à Christo Ecclesiæ suæ moderatorem & informatorem sapientissimum. Iam inde antequam se in cœlum reciperet Petrum omnibus ac singulis ouibus, quæ in magnum ouile essent cogendæ, præposuerat; sed cùm nondum Imperatores, Principes, ciuitates & populi, fasces summisissent, aut nomen dedissent Christo, non erat quod de politiã in vniuersum seruanda statueret, aut eius modum præscriberet, sed ea res in aliud tempus differenda fuit, quo ad fidem vocato orbẽ terrarum singulis locis ij præficerentur, qui accommodatissimè eum gubernarent, regerent ac administrarent. Igitur cùm magnus iam animarum prouentus factus esset, ac regna, ciuitates, & integræ rationes colla summisissent; Apostoli, præcipuè verò Petrus, cui ea cura esset potissimùm demandata futura politeiæ Ecclesiasticæ fundamenta iecêre, vt ad hanc idæam, qui nascerentur ab illis, ac in eorum locum succederent, omnia referrent, exemplarque sequerentur. Hinc scilicet nata nomina *Patriarcharum*, qui maioribus Diœcesibus (est autem Diœcesis complexio quædam multarum Prouinciarum) moderarentur; *Primatum, Archiepiscoporum, seu Metropolitanorum, & Episcoporum*, qui Hierarchiam Ecclesiasticam suo quique loco excolerent, exornarent ac illustrarent, populósque in officio impensiori quadam cura continerent. Sed meram politicam institutionem hîc somniat Spalatensis, & quamquam alias rationes constitutæ huius Hierarchiæ admittat, Principem tamen eius stabiliendæ causam vult fuisse *Vrbium magnitudinem, ac dignitatem sæcularem.* Hoc vt accuratè, ac solidè refellamus, primùm obseruandum est, rationem quidem habuisse, tum Petrum, tum reliquos Apostolos ciuitatum, quibus *maiorum*, vt vocant, *gentium* Episcopos præficerent, quos nos aut *Patriarchas*, aut *Primates*, ac *Metropolitanos*, seu *Archiepiscopos* indigitamus, adeoque insignioribus vrbibus insigniores imposuisse Rectores. Etenim quod omnes vident consentaneum est maiori vel minori loco, maiorem vel minorem accommodari iurisdictionem; At verò hoc fundamento niti dignitatem Ecclesiasticam negamus, atque pernegamus. Fuerit *accommodatio loci* humana, *iurisdictio* tamen non nisi à Deo esse potest; Ac propterea eius ad locorum dignitatem accommodationem, nescio quid maius, ac augustius quàm sæcularis illius potentiæ imitationem spirare omnes vident.

SPALAT. Num. I. Hoc ipse Spalatensis fateri cogitur. *Occasio*, inquit, (causam melius dixisset) *harum institutionum, vt iam ostendam, fuit potißimùm schismatum vitatio, vt per has subordinationes, & per hanc Hierarchiam, Episcopi multi, ad vnitatem tantoperè necessariam, facilius redigerentur; ac vt ordinationes Episcoporum, non à quocunque confusè & raptim, sed à certis ac determinatis Episcopis in proprijs Prouincijs celebrarentur. Et quia etiam Synodi Prouinciales plurimùm in regendis Ecclesiis, & Episcopis corrigendis possunt, vt patebit suis locis, neque semper adeò facilè est Episcopos Comprouinciales in vnum conuenire, expediens fuit, vt Metropolitani & Primates, multa soli absoluerent, quæ Synodi absoluere debuissent: essentque quasi totius Synodi Vicarij & Commissarij. Et hæc omnia iam reddo manifesta.*

festa. Atqui hæc suadent omnem illam ordinum, & officiorum distinctionem ab Apostolis, quibus eam Spiritus sanctus suggessisset, profectam, etiamsi huius rei expressè non meminerit Scriptura. Hûc enim quoque, vt suprà monuimus, spectat illa grauissima & verissima Augustini sententia; *Illa quæ non scripta,* inquit, *sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini Paßio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti, anniuersaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia.* Non fuisse autem hanc ordinum, & dignitatum distinctionem à Conciliis inuectam, infrà ostendam ad Canonem Nicænum, proculdubio igitur Apostolicum est institutum. Ac istud ipsum probatur ratione à Spalatensi inducta, in qua expendenda est nobis hic elaborandum, vt demonstremus de nihilo non esse quod quidam, in quibus Sanderus ius diuinum in his quæsierint. Illa officiorum ac dignitatum distinctio maximè facit ad fidei, & disciplinæ Ecclesiasticæ conseruationem, ac ad vnitatem fulciendam & roborandam, sed Apostoli ea instituerunt, quæ ad fidem & disciplinam conseruandam in Ecclesia maximè facerent; Ergo quoque par est credere hanc dignitatum & officiorum distinctionem induxisse. Facere verò illam officiorum distinctionem ad fidei vnitatem conseruandam eodem argumento ostendi potest, quo sanctus Paulus probat posuisse Christum in Ecclesia, *alios Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi,* vt scilicet, *occurramus omnes in vnitatem fidei,* siquidem par ratio esse videtur; cùm sublata eminentiori illa potestate quam *Patriarchis, Primatibus,* & *Metropolitanis* tribuimus, schismatibus fenestra aperiatur, quo referri possit illud Hieronymi; *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* Et illud Cypriani, *Non aliundè hæreses,* inquit, *obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Siquidem & Hieronymus, & Cyprianus ad hanc quoque ordinum distinctionem respexerunt; & Cyprianus ipse, vt postea ostendam, Primas fuit Carthaginensis, cui multi in Africa Episcopatus subessent, ac parerent. De disciplina verò nec ipsi aduersarij negant; Audi Caluinum. *Quod autem,* inquit, *singulæ Prouinciæ vnum habebant inter Episcopos Archiepiscopum: quod item in Nicæna* * *Synodo constituti sunt Patriarchæ, qui essent ordine & dignitate Archiepiscopis superiores, id ad disciplinæ conseruationem pertinebat.* Vides vt ad disciplinæ conseruationem Archiepiscopos, & Patriarchas institutos fuisse pronunciat. Cæterùm vt de aliis dubitari possit, de Patriarchis dubitari non potest, Apostolicum esse institutum; siquidem quod attinet ad tres illos quos solos prior agnouit Ecclesia, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum planè constat Petri germanum fœtum esse. Ita Leo; Ita Gregorius. Sed hac de re videro alibi.

Quod attinet ad Primates, aut etiam Metropolitas, seu Archiepiscopos, non desunt qui horum formam in Titi ordinatione ab Apostolo Paulo expressam existiment. *Reliqui,* inquit, *te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Existimat igitur non nemo Titum

[Marginal notes: Aug. ep. 118 — Ephes. 4. — Hier. adu. Lucifer. — Cypr. l. 1. ep. 3. — Caluin. l. 4. c. 4. §. 4. — * *Fallitur Caluinus.* — Ad cap. 10. — Paul. ad Titum c. 1. v. 5.]

Archiepiscopum Cretæ renunciatum, ac insulæ vniuersæ Rectorem impositum; penes quem esset creandorũ Episcoporum potestas, & de rebus Ecclesiasticis statuendi authoritas. Vt vt sit certò cõstat iam ab ipso exordio religionis Christianæ, iacta ab Apostolis fundamenta Hierarchiæ Ecclesiasticæ, quam hodie quoque retinemus. Hoc quidam ex nostris primorum Pontificum Clementis, Anacleti, Aniceti, Lucij in quorum Epistolis hæc clarè tradantur, authoritate probare contendunt; Sed fateor nutat earum Epistolarum fides, vt proinde firmum aduersus hæreticos præsidium ab his duci non possit. Ac præterea quod ad præsentem locum attinet Spalatensis, Deliacus scilicet, vt est apud Ciceronem, Gallinarius qui omnia oua facilè internoscat, non esse eorum Pontificum fœtus contendit; Nec verò eas defendendas suscepimus, quippe qui, annuente etiam Baronio, *apocryphis non innitamur.* His igitur omissis,

Occurrunt primùm Canon sextus Nicænus, quem de Patriarchis, qui & ipsi Archiepiscopi dicti sunt, omnes ferè interpretantur; Septimus qui Metropolitanorum iura versat. Sexto ita habetur; *Antiqui mores obtineant qui sunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quoniam illa est Romano etiam Episcopo consuetudo. Similiter autem & in Antiochia, & in alijs Prouincijs priuilegia seruentur Ecclesijs. Illud autem omnino manifestum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani, factus sit Episcopus, hunc magna Synodus statuit non oportere esse Episcopum. Si verò communi omnium suffragio rationi consentaneo, & secundum Ecclesiasticum Canonem, duo aut tres contentiosè, seu propria pertinacia inducti contradixerint, obtineat plurimorum sententia.* Septimo verò sic. *Hierosolymitana Ecclesia ita honoratur, vt tamen salua sit propriæ Metropolis, hoc est Cæsariensis, sua dignitas.* Quod autem putat Spalatensis, ex his collectum videri Canonem illum, qui nomine Apostolorum præfertur; *Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment: & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli quæ Parochiæ propriæ, & villis quæ sub ea sunt, competunt; sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid, sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.* Nescio an verum sit, neque enim à quo collecti sint, neque quo tempore collecti sint illi Canones, exploratum habeo; quamquam non me fugit ante multa secula Patribus potissimùm Græcis agnitos fuisse. Vt autem ad Canones Nicænos reuertamur, probè omninò Spalatensis indicat institutionem Patriarcharum, Primatum ac Metropolitanorum Concilio Nicæno non esse tribuendam. *Institutionem itaque, inquit, primam Patriarcharum ac Primatum & Metropolitanorum, non est cur tribuamus Concilio Nicæno; id enim gradus hos Ecclesiasticos iam reperit institutos, institutionem verò totam reduxit ad consuetudinem non ad Petrum, vt fatetur etiam Bellarminus, eamque tanquam bonam & opportunam dictum Concilium lege firmauit vniuersali. Consuetudine igitur inductum est, vt aliquæ insigniores sedes, alijs minus insignibus præeminerent, & ad exemplum fermè aliarum, inducitur Romana sedes, de qua libro quarto erit sermo nobis seorsim plenius instituendus, Canonque hic Nicænus expendendus.* Quod verò addit Concilium, fatente etiam Bellarmino, totam institutionem reduxisse ad consuetudinem, non ad Petrum, nostram sententiam non euertit; Consuetudinis enim eiusmodi, quæ in Ecclesia pridem obtinuisset, authorem aliquem fuisse eximia potestate præditum omnino oportuit; neque enim ipsa per se inualuit. Petrum autem doctissimi Patres authorem

authorem eius faciunt consuetudinis, itaque vt eum non expresserint Nicæni Patres, tamen intellexisse omnino certum est. Vnde enim quæso tandem mos iste manauit, vt solummodo olim tres istæ sedes Episcopales, inter innumeras etiam Apostolicas pro Patriarchalibus haberentur? An non eò res reuoluitur, vt ad Petri primariam dignitatem, & Primatum, quem in discipulis, docente Augustino, habuerit, sit ascendendum? Sed de hoc Canone Nicæno, ac Patriarchatuum origine erit aliàs dicendi locus. Sequitur Concilium Antiochenum, cuius Canones quamquam tanti apud me non sunt, vt fulciendæ authoritati Ecclesiasticæ par robur in illis inesse existimem, quia tamen magno loco apud Sectarios habentur, non grauabor ascribere Canoné in gratiam Metropolitanorũ ab Antiocheno conuentu facto factũ. Sic igitur habet. *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanũ Episcopum sollicitudinem totius Prouinciæ gerere: Propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere, concurrant; Vnde placuit eum honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam; nisi ea tantùm, quæ ad suam Diæcesim pertinent, possessionesque subiectas: Vnusquisque enim Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem, vt regat iuxta reuerentiam singulis competentem; & prouidentiam gerat omnis possessionis quæ sub eius est potestate: ita vt Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo iudicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum; neque Metropolitanus sine exterorum gerat consilio Sacerdotum.* Hîc quoque morem antiquum vrget, quem verisimile omninò sit, ab Apostolis manasse, quando nullius Concilij authoritate inuectum apparet. Sed hic verbosam instituit disputationem Spalatensis, vt hanc veritatem obscuret; Contendit primùm quod omnino verum est, *Antiquos Patres nostros, vt veritatem doctrinæ Christianæ quam prædicabant, ab hæreticorum & impugnatorum cauillis vindicarent, nullum certius, nullum solidius, nullum euidentius opponere solitos argumentum, nisi doctrinam suam esse doctrinam Apostolicam ab Apostolis traditam & explicatam, illam eandem quam illi à Christo hauserant, & quam Christus à Patre habitam suis tradiderat Apostolis. Ita verò Apostolos docuisse, vt ipsi docebant, eo (præcipuo) tunc, ac singulari, & quod nullam pati posset oppositionem, argumento omnes conuincebant. Quia Ecclesiæ illæ quas ipsi Apostoli fundarint, instituerint, docuerint, recentem adhuc Apostolorum vocem retinerent, & scriptas etiam ab Apostolis Epistolas, doctrinam hanc continentes, apud se proprijs Apostolicis manibus exaratas haberent, legerent, conseruarent.* Hinc verò colligit, sed perperam *originem consuetudinis, vt aliæ Ecclesiæ ab alijs normam acciperent, ac non parum dependerent,* ex eo fluxisse quod Ecclesiæ quæ se orthodoxas probare vellent, ad illas Apostolicas confugerent; Sed ea mera est hallucinatio, cui enim dubium esse possit plures Ecclesias Apostolorum labore fundatas, aliis Ecclesiis subiectas fuisse? An vnam Antiochiam, quam tamen totius Orientis caput fuisse nemo ambigit, in Oriente fundarunt? Fabulæ. Ergo aliundè petenda est origo illius consuetudinis, scilicet ex ipsa Apostolorum institutione, speciatim verò Petri, si de solis Patriarchis agitur. Nam quod attinet ad Concilium Constantinopolitanum, cuius Canone Constantinopolitano Antistiti secundi post Romanum honores tribuuntur, deflexit proculdubio à maiorum institutis, & vt regiæ vrbi faueret, Nicænæ Synodi placita, quod Leo & Gregorius magni Pontifices conqueruntur, conuellere molitum est; Sed Canonem expendamus; verba eius sunt. *Qui sunt super Diæcesim Episcopi, ad Ecclesias extra suos*

Antioch. Conc. sub Iulio c. 9. Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας.

SPALAT. Num. 4.

SPALAT. Num. 5.

Conc. Constant. c. 2.

terminos sitas ne accedant, neque confundant Ecclesias. Sed secundum Canones, Alexandriæ quidem Episcopus, quæ sunt in Ægypto tantum administret; Orientis verò Episcopi, Orientem solum gubernent, seruatis priuilegijs quæ Antiochenæ Ecclesiæ, Nicænis Canonibus tributa sunt; Et Asianæ Diœceseos Episcopi, Asianam Diœcesim tantùm gubernent, necnon & Ponticæ Diœceseos ea tantùm quæ ad Ponticam Diœcesim pertinent, & Thraciæ quæ sunt in Thracia gubernent. Non vocati autem Episcopi, vltra Diœcesim non accedant propter ordinationem, vel alias dispensationes faciendas. Seruato autem suprascripto de Diœcesibus Canone, manifestum est, quod ea quę ad vnamquamque Prouinciam pertinent, Synodus Prouinciæ administret, secundū ea quæ in Nicæna definita sunt. Ecclesias autem Dei quæ sunt in barbaricis gentibus, gubernari oportet secundum eam, quæ obtinuit Patrum consuetudinem. Constantinopolitanæ Diœcesis Episcopus habeat priuilegia honoris post Romanum Episcopum, eo quod sit ipsa noua Roma. Rectè quidem Patres illi pertæsi tumultuum quos Ægyptij Episcopi Constantinopoli excitassent, creato eius Ecclesiæ, aduersus Gregorium Nazianzenum Antistite Maximo Cynico, vt audax facinus reprimerent, statuerunt seruandos Diœceseon limites, ac distinctionem sequendam quam veteri consuetudine receptam firmassent Nicæni Patres, quare de ea re nobis non est in præsentia disputandum, sed quod *Constantinopolitanæ sedis Episcopum oportere,* ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην *habere primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod Constantinopolis sit noua Roma;* sanctionis Nicænæ ista præuaricatio fuit. Neque video quî ista cohæreant: Ex præscripto Nicæni Concilij volunt quibuscunque Prouinciis sua iura integra seruari, & tamen in præiudicium aliarum Ecclesiarum, Alexandrinæ scilicet & Antiochenæ, vni Constantinopolitanæ primas post Romanam asserunt. Conciliet ista si potest Spalatensis, ac ostendat Nicæno Canone Constantinopolitanæ sedi, quæ tunc nusquam esset eos tributos honores; propterea scilicet subesse hîc vestigia fraudis pronunciant viri doctissimi, existimantque furtim in acta Concilij relatum hunc Canonem, scilicet post abitum Timothei Alexandrini Patriarchæ, quem præsentem nunquam in suam sententiam pertraxissent. Vt vt sit autem certum est hunc Canonem, Concilij Oecumenici Canonem non esse; siquidem Concilium Constantinopolitanum centum quinquaginta Episcoporū, qui omnes ex solo Oriente conuenerant, Oecumenicum non habetur, nisi propter Damasi & Concilij Romani approbationē, quâ factum est vt Orientis & Occidentis vota in vnum conspirarent, Oecumenicamque Synodum componerent. Cùm igitur Damasus, ac Romana Ecclesia illum Canonem reiecerint, non est quod pro legitimo Oecumenici Cócilij Canone haberi possit. Damnasse verò testis est Gregorius; *Canones quidem,* inquit, *Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnāt, sed quis fuerit eorum author Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat, &c.* Sed de his plura alibi.

Addit Spalatensis, *Non modò Concilium Constantinopolitanum primarias illas Ecclesias ad suos certos, & olim stabilitos fines, & terminos reduxit, & arctauit; sed etiam suos Episcopos ad suas sedes reduxit, eisque Primatum iura confirmauit.* Atque eius rei testem facit Socratem; *Sic enim,* inquit, *narrat Socrates. De integro,* inquit, *etiam fidem Concilij Nicæni stabiliunt: & dispertitis Prouincijs Patriarchas constituunt: deciduntque, vt nullus Episcopus, relicta sua Diœcesi, ad exteras Ecclesias*

Ecclesias

Ecclesias demigraret; Nam antea, propter persecutionum tempestates, istud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa ciuitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obuenit: Pontica autem Diœcesis Patriarchatus Helladio, Cæsareæ Cappadociæ post Basilium Episcopo: Gregorio Nyssæ (hæc est urbs etiam Cappadociæ) fratri Basilij: & Otreio Melitinæ, quæ est in Armenia, contigit. Patriarchatum item Asianum Amphilochius Episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortito capiunt: Ægypti Diœcesis Timotheo Alexandriæ Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem Diœcesim, iidem Episcopi qui antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodiceæ, & Diodorus Tarsi, obtinent: honoris Prærogatiua Ecclesiæ Antiochenæ reseruata, quam Meletio tum præsenti tribuerunt. Itemque statuerunt vti, si vsus postularet, res cuiusque Prouinciæ Concilium Prouinciale dispensaret. Hiis etiam Imperator suffragatus est. Quæ in hac Socratis narratione animaduersione digna sunt, infrà examinabuntur. Nunc sufficiat aduertisse. Quod ait, *Ponticæ Diœcesis Patriarchatum Helladio obtigisse, Amphilochio verò Iconij Episcopo Asianum Patriarchatum*, atque hoc pacto Patres dispartitis Prouinciis Patriarchas cōstituisse, (Καὶ πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, inquit Socrates,) explicatione indigere. Certo enim certius est Episcopos & Episcopatus, alios ab Alexādrino & Antiocheno, Patriarchas & Patriarchatus dicere *notione ampla & lata*, quæ ad *minorū gentium* Patriarchas se fundat nō *pressa illa & stricta*, quæ tres dumtaxat Romanū, Alexandrinum, & Antiochenū Patribus Nicænis agnitos, complectitur, vt suo quoque loco ostendemus; quamquam non diffiteor quod attinet ad Constantinopolitanum Antistitem, tentasse Græcos Patriarchatus propriè sumpti dignitatem ei asserere ac vindicare, sed vt dixi contra Canones Nicænos. Erat igitur quod Orientis Antistites intra limites à Synodo Nicæna, non tam præstitutos quàm firmatos se continerent; neque enim tot turbas in Ecclesias inuexissent, & pacatior orbis in optima disciplina quam accepisset à Petro, acquieuisset. Propterea scilicet laudamus Patrum Chalcedonensium (quamdiu tamen in ordine perstiterunt) in asserendis Canonibus conatum: Amplectimur Hieronymi sententiam de non miscendis iurisdictionibus, ac sequendo Canone Nicæno; Sed & Basilij consilium probamus, qui in iure Metropolitico asserendo Patrum premenda vestigia duxerit, At hæc nos non modò non lædunt, verùm etiam causam nostram maximè iuuant. Tantò enim vehementius de seruanda illa consuetudine sibi laborandum ducebant, quantò certius erat illis constitutum de Apostoli Petri exemplo, & institutione primaria descendisse. Dolet iam Spalat. Ecclesiarum distinctionem ad Apostolicam aliquam causam retulisse, ac ferè vnam vrbium magnitudinem spectatam contendit; *Videas*, inquit, *non iure diuino* (primario scilicet) *non Romano Pontificio, sed Synodico & Patrum conuentione, Prouinciarum curam fuisse attributam. Et quidem non nihil habita ratione aliquarum Ecclesiarum authoritatis, quod ab Apostolis fuerint fundatæ & institutæ, maximè verò ex temporali dignitate quam ciuitates in dominio, & regimine temporali, obtinerent.* Probat autem hoc suum assertum Conciliorum Antiocheni & Chalcedonensis, ac multorum Patrum quibus id videatur testimonio & authoritate. Vt hæc nullo negotio soluantur, repetendum est ex superioribus negari non posse Petrum in eligendis sedibus Patriarchalibus rationem habuisse magnitudinis & dignitatis vrbium: Propriam tamen ac germanam, adeoque veram & præcipuam causam eminentioris potestatis harum sedium fuisse Primatum & dignitatem Petri. Itaque ma-

Socrat. l. 5. c. 8.

Spalat. Num. 8.

gnitudo & splendor vrbium occasionem dedit Petro eas prae caeteris deligendi, quibus insigniores illos honores Ecclesiasticos impertiretur; sed *proxima & praecisa* causa potestatis quam sunt consequutae, à Petri est dignitate. Sic magnitudo vrbis Augustum, ac reliquos Imperatores permouit, vt in ea collegia multa conderent, sed erectionis Collegiorum causa primaria, ac efficiens Imperatorum voluntas, ac authoritas fuit: Sic quoque in aliis sedibus primariis Metropolitanis, ac Archiepiscopalibus postea fundandis, certum est Patres rationem habuisse praefecturarum & dignitatũ vrbium, vt iurisdictio Ecclesiastica ad iurisdictionem saecularem quadatenus accommodaretur; verũ iurisdictio ipsa proximè ab authoritate Ecclesiae promanauit; Et videre est Ecclesiasticam illam politiam semper ciuilium huiusmodi Magistratuum ordini non respondisse. Siquidem ante Constantinum quae erat Imperij Prouinciarum, vrbium, & praefecturarum forma, quod omnes docti sciunt, nosterque Filesacius rectè aduertit, non eadem sub Constantino posterisque mansit. Persequitur eleganter hoc argumentum Gelasius Pontifex: *Risimus autem,* inquit, *quod praerogatiuam volunt Acatio comparari, quia Episcopus fuerit regiae ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros, multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt?* Innocentius quoque; *Nam quod sciscitaris,* inquit, *vtrum diuisis Imperiali iudicio Prouinciis, vt duae Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari: non verè visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator.* Igitur vt ad Spalatensem veniamus, procul dubio rationem aliquando habuerunt Patres magnitudinis vrbium, sed perpetua lex illa non fuit, ac praeterea ea occasio fuit impellens non causa efficiens, vt in his vrbibus primariae sedes collocarentur. Sic accipiendum quod de Concilio Antiocheno refert. *Concilium Antiochenum,* inquit, *Canon. 20. curam Metropoliticam illis Episcopis dederat, qui in Metropolitanis ciuitatibus degunt. Et Metropolitanos in certis ciuitatibus constitutos dicebat Can. 9. quia ad eas fieret concursus.* Sic quoque accipiendum quod addit *Hierosolymam Caesareae initio posthabitam,* vtcunque institutis temporibus Patriarchalem dignitatem sit consecuta. Sic accipiendum quod ex Concilio Calchedonensi profert; *Si qua verò ciuitas, inquiunt, fuerit Imperiali potestate innouata, hoc est ad dignitatem Metropolis euecta, similes ac publicas formas, Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequi debet.* Sic accipiendum quod ex Concilio Taurinatensi adducit: *In Concilio Taurinatensi tempore Siricij, vt dirimeretur certamen inter Episcopos Arelatensem & Viennensem, de Primatu Metropolitico decertantes, definitum fuit; Vt qui ex eis comprobauerit, suam ciuitatem esse Metropolim (puta in temporalibus,* addit Spalatensis) *is totius Prouinciae honorem primatus obtineat; & ipse iuxta praeceptum* Canonum, *ordinationum habeat potestatem.*

In eandem sententiam Leo magnus, quem hic miserè torquet ac lacerat Spalatensis Epistola 88. *Connexio,* inquit, *totius corporis, vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et haec quidem connexio, totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed praecipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: quoniam & inter Beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt caeteris praeemineret; De qua forma, Episcoporum etiam orta est*

ta est

ra est distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes [illegible]bi omnia vindicarent: sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter frat[illegible]s haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti so[illegible]citudinem suscipe-rent ampliorem. Supremam, inquit Spalat. tamen curam sib[illegible]nore Romanorum Pontificum reseruat, & ad Monarchiam satis propendet. Ac[illegible]ìo magis Nicolaus. Eodem respectu Concilium Chalcedonense, inquit, repetit, ac [illegible] confirmat decretum Concilij Constantinopolitani, in quo similis primatus datur Ecclesiæ Constantinopolitanæ, atque erat primatus Romanæ; Quia, inquit, Constantinopolis est noua Roma; ob curiam nimirum Imperialem, & de hoc plura aliàs. Atqui vt quod res est dicam, non est hic Canon legitimi Concilij Chalcedonensis, sed quorumdam dumtaxat Græculorum qui Anatolio fauentes, illum reclamantibus Pontificiis legatis sancire magna ambitione tentarunt, freti ope Aulicorum regiæ ciuitati nimirum addictorum. Rationes alibi affero, quibus spurium esse Canonem doceo. Spalat. Num. 12.

Ad amussim etiam politiæ ciuilis exegisse Gundemarum Ecclesiasticas dignitates fatemur, quippe qui ius Metropoliticum Toletanæ Ecclesiæ asseruerit, *quia Imperij solio erat Toletana ciuitas sublimata.* Spalat. Num. 13.

In eadem quoque sententia fuisse Leonem IX. admittimus: *Episcoporum ordo,* inquit, *vnus est, quamuis alij præferantur alijs, siue pro eo quod primas ciuitates, & magis nominatas secundum potentiam aut leges sæculi retinent, siue quod à sanctis Patribus, pro aliqua reuerentia sanctitatis, aliquod priuilegium dignitatis possident; Nam sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum à se inuicem distat, id est, vt primus sit Augustus vel Imperator, deinde Cæsares, deinde Reges, Duces, & Comites atque Tribuni; Ita & Ecclesiastica dignitas ordinata à sanctis Patribus inuenitur. Magna est hæc confessio,* inquit Spalatensis, *ex ore Romani Pontificis.* Spalat. Num. 14.

Gregorius VII. ab ea non recedit; *Prouinciæ,* inquit, *multo ante Christi aduentum tempore, diuisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis, & B. Clemente prædecessore nostro, ipsa diuisio est renouata, & in capite Prouinciarum, vbi dudum Primates legis erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas; Ipsis quoque ciuitatibus vel locis celebrioribus Patriarchas, vel Primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiasticæ poni, & esse iusserunt; ad quos Episcopi si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, vt ipsi nomine Primatum, fruerentur, &c.* Ino Carnotensis, inquit, *cui Ecclesiastica iura erant notissima, contra Remensem Episcopum, qui ad se solum Regis coronationem trahebat, scribens acrius inter alia, hæc habet; Cùm ergo hæc eadem potestas sit cuiusque Metropolitani, in Metropoli sua; mirum videtur, quare vnus in proprium ius ambiat vendicare, quod multorum constat esse commune, &c. Hæc dicentes, non reprehendimus institutionem Ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmius colligata est, cùm inferiores à superioribus sacramentorum dispensationem suscipiunt: nec vltra quam sibi concessum est, vsurpare præsumunt: verùm vbi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil, præter charitatem debet, si altera alteri ius suum vult detrahere, & sibi soli arrogare, sua quærens deceptus est sæculi ambitione. Apertè igitur profitetur Iuo æqualitatem iure diuino, inter omnes Episcopos: & sola Ecclesiastica institutione, quosdam actus concedi aliis supra alios: meram verò ambitionem esse, vbi vnus Episcopus, quicunque ille sit, & quocunque primatu Ecclesiastico ornatus, velit sibi soli omnem potestatem Ecclesiasticam arrogare.* Sed hallucinatur in Iuone Spalatensis, neque enim Epistola quam

Spalat. Num. 15. Greg. 7. l. 6. ep. 35.

Spalat. Num. 16. Iuo ep. 189.

citat agit Iuo de potestate ordinaria Episcoporum, sed de Ecclesiæ Rhemensis inaugurando Rege Christianissimo priuilegio, nec inferiorem aliquem Episcopum cum Archiepiscopo, sed Metropolitanum cum Metropolitano confert, Senonensem cum Rhemensi, adeoque contendit non plus iuris inaugurando Rege esse Rhemensi Antistiti quàm Senonensi. Rem totam aperit Æmilius in Ludouico Crasso. *Crassus*, inquit, *Aureliani inungitur à Gilberto Senonum Archiepiscopo, adstantibus eius Prouinciæ Pontificibus Parisiorum, Meldorum, Aurelianensium, Carnutum, Niuernensium, Altißiodorensium. Causabatur temporum vitia nouis remedijs indigere: Rhemensia sacra expectari nimis longum: se hostes coërcuisse, non perdomuisse. Sed vera causa animis hominum obuersabatur. Rodulphus viridis, Crasso non assentiente, approbante-ve electus Rhemorum Pontifex fuerat: cui qui studebant, in spem veniebant, necesse futurum, nouo Regi Crasso, aut cum eo gratiam reconciliare, penes quem sacrandi Regis ius esse, rumore ferebatur, aut omnino solemnibus ineundi Regni cæremonijs arceri. Rex rerum suarum primordijs præscribi sibi, ac inuisi hominis dextera sacrari, alienum ab Regia magnitudine, ac inauspicatum existimare poterat. Extat Iuonis Carnutum Pontificis apologia id factum vindicantis, ab incusatione sanctæ Rhemensis Ecclesiæ: defendentisque veterum Regum exemplo, qui neque benedicente, neque coronante Rhemensi Pontifice, ab aliarum ciuitatum Pontificibus sacrati, Regnumque auspicati fuissent.* Quàm lepidè igitur Spalatensis, ista ad æqualitatem Episcoporum detorsit? Cæterùm ex superioribus habetur nequaquam falli eos, qui primos Hierarchiæ Ecclesiasticæ authores aliquam politiæ ciuilis rationem habuisse, ac pro vrbium magnitudine dignitates Ecclesiasticas distribuisse censent. Sed vt est à nobis non semel inculcatum, *ea occasio* fuit non *causa proxima*, sed remota *materialem* dicerent Scholastici, non *formalem* aut *immediatam*, vno verbo *impellens* fuit causa, non *efficiens*.

Vt igitur nostram sententiam iam aperiamus, repetenda hîc quoque sunt, quæ sunt à nobis suprà obseruata: Omnes scilicet illas dignitates Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum & Archiepiscoporum, quæ ad externam tantùm politiam & gubernationem Ecclesiæ pertinent, ab Apostolis qui earum fundamenta iecerint, constitutas fuisse, etiamsi nihil ea de re vel Christum præcepisse, vel Apostolos sanxisse constet. Ratio est quam insinuauimus, quòd nimirum ista ordinum distinctio ad vnitatem fidei conseruandam, & disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem retinendum faciant quam maximè, quibus consultum voluisse Apostolos nemini dubium esse possit. Certè quod nostri quoque monent nullam legimus functionum Ecclesiasticarum distinctam explicationem, vel à Christo in Euangelio, vel ab Apostolis in eorum literis expressam: Solam praxim habemus, idque ex minima parte, quatenus scilicet vel Lucas non omnium quidem Apostolorum, sed Pauli præcipuè res gestas, & nascentis Ecclesiæ exordia describenda sibi sumpsit, vel cæteri Apostoli suis in literis ad Ecclesias datis obiter perstrinxerunt. Quare non est quod ex sola Scriptura gubernationis Ecclesiasticæ forma petatur, cùm huius ordinis constituendi potestatem Apostolis, ac Apostolorum successoribus relictam nemo sapiens ambigere possit. Caussam autem cur hanc Ecclesiasticam politiam literis non mandarint, nec publicis monumentis consignarint volunt, omnes nostri, quod arcana quædam res sit, Hierarchiæ Ecclesiasticæ ad id eam cœlestis Hierarchiæ efformatæ distinctio, quæ proinde passim omnibus tradi non debuerit; Sed his duntaxat qui regen-

regendam Ecclesiam susceperunt, *Vide autem*, inquit Dionysius Timotheum Sympresbyterum alloquens, *ne sancta sanctorum enuncies, sed reuereberis ea potius, & quæ occulti Dei sunt, cognitione mentis & animi in honore habebis ac precio: ita tamen vt ea non tradas & intacta nullo Sacramento initiatis conserues: Solis verò Sacramento aliquo initiatis, cum sancta illustratione pro sacrarum rerum dignitate communices.* [a] *Moses*, inquit Eusebius, *in tabulis inanimatis, Christus autem mentibus in vita præditis, perfecta noui testamenti documenta descripsit: eius verò discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam commodantes, quæcunque quidem veluti vltra habitum progressis, à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea iis qui capere poterant tradiderunt: quæcunque verò iis conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes, ea ipsi, ad imbecillitatem multorum se dimittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi iure quodam non scripto seruanda commendarunt.* [b] *Qui*, inquit Chrysostomus, *in sacrum ordinem cooptaturus est aliquem, fidelium preces exigit illo tempore: atque illi assensu suo quæ geruntur comprobant, & acclamant illa quæ nota habent initiati: nam apud eos qui initiati non sunt omnia retegere fas non est.*

31 Dionys. Ar. de Eccl. Hie. c. 1. Ὅρα ὅπως ἱερολογήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, εὐλαβηθήσῃ δὲ καὶ τὰ τοῦ κρυφίου θεοῦ ταῖς νοεραῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι τιμήσεις, ἀμέθεκτα μὲν αὐτὰ καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέστοις διατηρῶν, ἱεροῖς δὲ μόνοις τῶν ἱερῶν ἱεροῖς ἐλλάμψεσιν ἱεροπρεπῶς κοινωνῶν.

Itaque morem veterem quem Nicæni, Constantinopolitani, Antiocheni & Chalcedonenses ac Tauritanatenses Patres vrgent, existimamus ab Apostolis profluxisse, qui diuidendarum ac constituendarum Metropoleωn, Primatuum ac Patriarchatuum specimen primi dederint, maximè verò Petro cuius Patriarchales illas priores sedes partum fuisse suprà ostendimus, ac alibi fusiùs probabimus. Propterea scilicet Iustinianus à Spalatensi citatus ad diuinitatis iniuriam tendere, qui hæc iura violat, non immeritò pronunciat. Verba eius sunt, *Nos tutores sumus*, inquit, *& vindices vetustatis; Nec deerit Ecclesiastica vindicta vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia, aut subreptitiis postulationibus, antiquitatem temerasse docebuntur. Quoniam ad diuinitatis tendit iniuriam, qui sanctorum Patrum constituta contemnere aut violare non metuit.* Itaque falsus iudicij non est Sanderus, qui hæc quoque ad ius diuinum reuocare tentarit; *Ius verò diuinum*, inquit, *non intelligit, quod putet immediatè hæc à Christo præstituta, sed quod sint ab Apostolis priuata Spiritus sancti inspiratione stabilita.*

[a] Euseb. Demonst. Eu. l. 1. c. 8.
[b] Chr. ho. 18. in post. ad Corint. Ὁ μέλλων χειροτονεῖν, καὶ τὰς ἐκείνων εὐχὰς καλεῖ, καὶ αὐτοὶ ἐπιψηφίζονται, καὶ ἐπιβοῶσιν, ἃ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα.
Spalat. Num. 18.
Apud Bar. tom. 7. an. 541. n. 12.
Sander. l. 7.

Sed vrget Spalatensis, *Quomodo quæso ad successionem illam Apostolicam maioris potestatis reducetur Episcopus ille, qui ex laica sola Prouinciarum diuisione, aut ciuitatis in Metropolim erectione, aut ex sola Ecclesiastica institutione factus est Metropolita, sede sua Episcopali in Metropolitanam erecta?* Respondeo nullum inesse argumento robur aut pondus, quod enim de ciuili Prouinciarum diuisione ad quam exegisse Ecclesiam suas dignitates obiicit; cùm ea præfectu tarum partitio causa tantùm impellens & veluti *motiuum* constituendarum tum Metropoleωn, tum Primatuum & Patriarchatuum fuerit; ad seriem & ordinem ab Apostolis præstitutum reuocari omninò potest, si quidem nec ipse Spalatensis negauerit in constituendis Episcopatibus in celebrioribus vrbibus rationem habuisse Ecclesiæ lumina magnitudinis ciuitatum, cùm tamen Episcopatum non solùm Apostolorum authoritate, sed & iure diuino in Ecclesiam inuectum nemo inficietur.

Spalat. Num. 20.

Facit ad hoc Concilium Laodicense. *Non oportet*, inquit, *in vicis & pagis Episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est circumcursatores; eos autem qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine mente Episcopi, qui est in ciuitate. Similiter autem & presbyteros nihil agere sine mente Episcopi.* Vides vt celebriorum vrbium re-

Conc. Laodic. can. 57. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους ἢ περιοδευτάς. τοὺς μέντοι ἤδη προκατασταθέντας, μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει. ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

spectum habuisse Apostolos antiquissimi Patris asseuerent. Fateor verò etiam Principes laicos aliquando Metropoles diuisisse, sed loci designationem, non verò potestatis attributionem hic intelliges; neque enim à magistratu Politico suas leges aut disciplinæ modum vnquam mutuata est Ecclesia. Sapientissimè verò Bellarminus monet, initio Petrum constituisse Patriarcham Alexandrinũ & Antiochenum, qui à tanto Pontifice authoritate accepta, toti ferè Asiæ & Africæ præerant, & Archiepiscopos creare poterant, qui postea crearent Episcopos. Excipit tamen Spalatensis hoc eius pronunciatum solidum non esse; *Quasi verò, inquit, etiam Paulus non dederit potestatem Tito creandi Episcopos, & alij Apostoli aliis, vt libro 2. explicaui. Imò Africa à Romana Ecclesia & fidem & Sacerdotium suscepit, vt testatur Tertullianus, Optatus, & alij, non ab Alexandrina, & iam abundè probaui lib.2.ca.6.7.8. vnumquemque Episcopum non solos Patriarchas, Primates & Archiepiscopos posse ordinare, quantum ad suam potestatem Episcopalem, Episcopos: cum quisque Episcopus iure diuino sit in potestate, cuicumque alij Episcopo æqualis. Cùm itaque in his amplius immorandum non sit, ad alia procedamus.* Respondeo primùm potestatem à Petro Patriarchæ Alexandrino & Antiocheno datam, non euertere potestatem à Paulo Tito concessam. Potuit certè Paulus Tito concedere, vt Episcopos renunciaret in Ecclesiis à se fundatis & excultis citra Patriarchalis Priuilegij à Petro illis sedibus dati præiudicium: Extraordinarius namque ille fuit vsus potestatis, ad tempora nascentis & surgentis Ecclesiæ accommodatus, & illo sæculo vsurpatus, quanquam haud quaquam postea retinendus, sed ad ordinariam potestatem reuocandus.

Quod autem ex Optato & aliis vrget Spalatensis *Africanam à Romana Ecclesia fidem & Sacerdotium accepisse*, Romanam Ecclesiam illustrat, sed quod ex eo colligit, *non ergo præpositum Africæ Alexandum Patriarchum*, inscitiam eius prodit; siquidem cùm Africam subiectam Alexandrino Patriarchæ dicunt Scriptores Ecclesiastici, eam Africæ partem intelligunt quæ ad Ægypti præfecturam pertineret. Cyrenensem scilicet siue Pentapolitanam regionem, & Libyam Mareoticam Ægypto conterminam, non verò Prouincias ad Mare Mediterraneum extensas duplicem Mauritaniam, Tingitanam & Cæsariensem, Numidiam & Africam propriè dictam quam minorem vocant; Namque cùm pridem ad Occidentis Imperium accessissent, Pars quoque fuerunt Occidentalis Patriarchatus.

Perperam autem Spalatensis, creationem Archiepiscoporũ cum eorumdem in Episcopos ordinatione confundit; si quidē certum omnino est ab Episcopis posse initiari in sacrum ordinē Episcopatus Archiepiscopos, creari verò ac eminentiori illa potestate donari, non item; Et quod addit *omnium Episcoporum æqualem esse potestatem*, nos suprà falsum esse ostendimus; atque quidem vnũ Pontificem iure diuino omnibus dignitate & authoritate anteire probauimus, reliquos verò Ecclesiastica lege quæ tamen ab Apostolorum exemplo profluxerit, in distinctas classes relatos, demonstrauimus. Si quis verò scire aueat, qua in re antiquo iure Episcopis præstarent Metropolitani, id eum Concilia docebunt.

DISCVSSIO TERTII CAPITIS LIBRI TERTII.

CONSPECTVS CAPITIS.

Populũ olim admissum ad electiones Ministrorum Ecclesiæ faciendas, cùm scilicet & modestus & grauis esset, sed inclinante eo ad turbas hanc illi prærogatiuam ademptam: Duo in Ministrorum electione spectanda, doctrinæ integritatem & vitæ probitatem: Ad indicandum de doctrina planè ineptum populum: Canones de ea re explicati: De probitate vitæ testimonium ferre posse: Cyprianus & Leo in hanc sententiam: Neque hanc populi electionem repudiare hodie Ecclesiam imò exigere: Nunquam vim suffragij habuisse vocem populi: Posse admitti in suffragia populum, sed non esse necesse: Penes solos Episcopos & clerum vim veri suffragij semper fuisse: Alexandri Carbonarij historia explicata: Cyprianus declaratus: Ac testimonia scripturæ ex Actis Apostolicis deprompta, declarata: Causa ob quam admittatur populus ad testimonium ferendum: Origenes versatus: Concilium Nicænum de electione ministrorum: Solos Antistites ad ea admittit: Eiusdem Meletio & Meletianis rescriptum: Episcoporum fuisse ordinare & electionem factam confirmare: Presbyterorum designare, & suffragia ferre: Constantinus & Episcopi Aegyptij in hanc rem: De Athanasij electione & Georgij vsurpatione: Concilium Sardicense declaratum: Gregorius Nazianzenus pro sacris electionibus, prout iam in Ecclesia fiunt: Diui Martini electio: Hieronymi de electionibus testimonia: Item Ambrosij: Ac rursus Augustini: Quem excipit Chrysostomus: Multi alij Patres explicati: Iuo versatus; vnà cum Bernardo ac Petro Blesensi: Rursus declarata antiquiora Concilia: Grauissimas fuisse causas Ecclesiæ auferendi laicis prærogatiuam electionum: Soluuntur obiectiones: Leo diligentiùs explicatus, ac plures alij Pontifices Romani: Spalatensis inconstantia & diuersum de electione iudicium: Sixtus Senensis defensus: Regũ iura in sacris electionibus: Ioannis octaui decretum propugnatum: Innocentius & Iuo ac alij quidẽ iuris Interpretes declarati: Pontificis & Metropolitarũ quæ sint partes in illis electionibus: Echq querela expẽsa: Vtrũ possit Episcopus sibi successorem eligere: Multorum priscorum Antistitum facta librata: De Gregorio Nazianzeno, Athanasio, Augustino: Locus Gratiani in hanc rem: Aliquot alia facta Episcoporum expensa: Etiam Pontificum Romanorum: Dubia quædam circa designationem successorum: Priuilegia à Pontifice monasteriis concessa malignè carpit Spalatensis.



PISCOPOS ab Episcopis fieri, iam satis ostendi libro proximè præcedenti, neque iure diuino quicquam refert, quis Episcopus, à quo Episcopo ordinetur; neque eodem iure quicquam statuitur, an ab vno magis, quàm ab alio, sedi vacanti, de Episcopo prouideatur. Ne igitur confusio in Ecclesia pacem ipsius turbaret, & tranquillitatem, schismatumque pericula exorirentur, si certatim quisque Episcopus, potissimùm ex vicinioribus, qui circa vacantem Ecclesiam reperiuntur voluisset, quem quisque vellet, Episcopum ordinare; huic incommodo volens oc- SPALAT. Num. 1.

ma esset Episcopos suæ Prouinciæ ordinare; Non quod in ipsius potestate esset, quem ipse solus vellet, ad Episcopale munus, in Ecclesia vacante, euehere; sed vt ritè electum & designatum, ipse sua ordinatione, legitimáque missione instructum, in sede collocaret, eique Ecclesiasticam ministerialiter traderet potestatem. Electiones itaque Episcoporum suæ Prouinciæ ante omnia discutere, & vt legitimæ essent, conari semper debuit Metropolitanus: vt nimirum ab iis fiat electio personæ in Episcopum ordinandæ, à quibus debet, & eo modo quo debet. Quare etiam nobis hoc capite tractandum est de legitimis electoribus, ac de electionum à Metropolitano confirmatione. De delectu verò personarum, vt sint vndequaque ad Episcopale munus idoneæ; ac de electorum approbatione & per Metropolitanum confirmatione, agam postea, ac deinceps de electi ordinatione & consecratione.

De lib. arb. lib. 1. c. 6.

GRAVISSIMA Augustini sententia *est, Modestum & grauem populum potestatem habere creandi sibi Magistratus esse iustissimum; at verò si mutentur mores, & indisciplinatus fiat iustissimè hanc illi auferri potestatem:* Hinc scilicet factum est, vt cum primis Ecclesiæ temporibus moderatum se ac pium ostenderet populus Christianus, in electionibus ministrorum audiretur, suasque partes haberet, decrescente pietate & modestia, eo iure exclusus & priuatus fuerit, ne turbis quas ille excitare soleret locus vllus relinqueretur. Quod cùm iustissimis de causis factum sit, maximam tamen inuidiam hæretici horum temporum ex hoc capite Romanæ Ecclesiæ conflare tentarunt, quod scilicet electionem Presbyterorum & Pastorum, cuius ius penes populum olim esset, ad solos Episcopos vel aliquos de clero transtulerit, persuaseruntque indoctis & rerum Ecclesiasticarum imperitis viris Episcopos & Pastores in Romana Ecclesia non esse, quippe quorum electio non sit legitima, nec ad amussim temporum Apostolorum facta. His succenturiatus accedit Spalatensis, atque vt suppetias labanti causæ afferat, toto hoc capite *per summum scelus & iniuriam* populo suos pastores eligendi ius abrogatum clamat. At quam à vero exorbitet popularis ista querela, facile est ostendere. Sed primùm aduertendum fuerit, duo in ministrorum electionibus spectanda esse, fidei scilicet & doctrinæ integritatem & præstantiam, ac vitæ & morum probitatem, quibus duobus magna dignitas ornatur ac illustratur. Quod ad primum attinet, quis credat legitimum de pastoris eligendi doctrina ac fide iudicium turbam laicorum ferre posse? Hoc scilicet nomine populi testimonia sæpius reiecta sunt, ac cùm admissa sunt haudquaquam ad Canonicam electionem faciendam sufficere sunt existimata. Extant ea de re Canones Concilij Laodiceni, quibus interdicitur populo, non tantùm quod turbas cieret, vt existimauit Caluinus, sed & quod ad eam rem planè ineptus esset, electioni se immiscere eorum qui essent ad Sacerdotium promouendi. Verba prioris Canonis sunt; *Vt Episcopi, Metropolitanorum & eorum qui sunt circum circa Episcoporum iudicio, in Ecclesiastico magistratu constituantur diu examinati, & in verbo fidei, & in recti verbi dispensatione.* Posterior autem ita habet. *Turbis non esse permittendum, eorum qui sunt in altaris ministerio applicandi electionem facere.* Et ad priorem quidem

Syn. Laod. Can. 12. Περὶ τοῦ, τοὺς ἐπισκόπους κρίσει τῶν μητροπολιτῶν καὶ τῶν πέριξ ἐπισκόπων καθίστασθαι εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀρχὴν, ὄντας ἐκ πολλοῦ δεδοκιμασμένους, ἔν τε τῷ λόγῳ τῆς πίστεως, καὶ τῇ τοῦ εὐθέος λόγου πολιτείᾳ.

Can. 13. Περὶ τοῦ, μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν, τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.

quidem Canonem ſic commentatur Zonaras, [a] *Populi ſuffragiis olim Epiſcopi eligebantur, ſed cùm multæ inde ſeditiones exiſterent, hinc factum eſt vt Epiſcoporum vniuſcuiuſque Prouinciæ authoritate eligi Epiſcopũ quemque oportere decreuerint, &c.* [b] Balſamon verò in hunc modum; *Præſens*, inquit, *Canon prohibet Epiſcopos à multitudine eligi, & eos à Metropolitanis & Epiſcopis conſtitui oportere decernit: probari autem eos iubet, & in ſententia & in vita.* Et ad Canonẽ ſequentẽ, [c] *A præſenti quoque Canone*, inquit, *oſtenditur, quod antiquitus non ſolùm Epiſcopi eligebantur à populi multitudine, ſed etiam Sacerdotes; quod etiam vetitum eſt.* Poſteriorem verò paraphraſticῶs ſic expreſſit Martinus Bracarenſis Epiſcopus Canonum collector non indiligens, & apprimè orthodoxus. *Non licet populo facere electionem eorum qui ad Sacerdotium ſunt prouehendi, ſed in iudicio Epiſcoporum eſt, vt eum qui ordinandus eſt, probent ſi in ſermone & fide vita ſpirituali edoctus ſit;* Neque Græci ipſi ſchiſmatici aliter interpretantur; *Multitudini*, inquit Zonaras, *non Epiſcopos tantùm, ſed Sacerdotes quoque eligendi poteſtate interdictum fuit.* Balſamon verò, *A præſenti*, inquit, *Canone oſtenditur, quod antiquitus non ſolùm Epiſcopi eligebantur à populi multitudine, ſed etiam Sacerdotes: quod etiam vetitum eſt.* Facit etiam pro ea re reſcriptum Stephani Papæ ad Epiſcopum Rauennæ, [e] *Sacerdotum eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt: quia docendus eſt populus, non ſequendus; Nam in fidei & doctrinæ examine, quo vtrum quis ſit idoneus diſcutitur, doceri non docere debet populus.* Quare quod ad hoc caput attinet, ineptum ſemper populum ad paſtores eligendos iudicauit antiquitas. Quod verò attinet ad alterum caput, quod in morum & probitatis vitæ examine verſatur, negari non poteſt admiſſum olim populum in miniſtrorum electionibus faciẽdis; hoc enim mille Patrũ Pontificũ & Conciliorũ teſtimoniis quæ prolixè refert Spalatenſis, probatur ac oſtenditur; Et video duas omninò ob cauſas id olim populo conceſſum: primùm vt teſtimonium ordinando præberet, ac ſi flagitioſus eſſet populo reclamante repudiaretur; ſi probus eodem acclamante ordinaretur: ſcilicet difficile multitudinis oculos effugerint eligendi, & aliqui in populo fuerint, cui ſint eligendorũ illorũ mores explorati. Hanc rationem attigit Cyprianus, quem maximè vrgent aduerſarij. *Ad eam plebem*, inquit, *cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur.* Eodem reſpexit Leo Magnus, quo etiam teſte aduerſum nos vſus eſt Caluinus. [f] *Expectarentur*, inquit, *vota ciuium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in Sacerdotũ ſolent ordinationibus ab his qui norunt Patrum regulas cuſtodiri, vt Apoſtolicæ authoritatis norma in omnibus ſeruaretur, quâ præcipitur vt Sacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolũ atteſtatione fideliũ, ſed etiã eorum qui foris ſunt, teſtimonio muniatur.* Eo igitur iſta recidunt vt populi præſentiam deſiderari oſtendãt quo teſtimoniũ præbeat ordinando: Teſtimonium verò præbere; quod ſingulorum vitam pleniſſimè norit. Alia porrò cauſa fuit admittendæ plebis in his electionibus, propter maiorem pacem & concordiam, adeóque populi cum electo ac ſibi impoſito Rectore conſenſionem & conſpirationem; Quod Leo his verbis expreſſit,

[a] Zonar. in Can. 12. Cõc. Laod. Τὸ παλαιὸν οἱ δῆμοι τῶν πόλεων ἐψηφίζοντο τοὺς ἐπισκόπους· ἐπεὶ δὲ στάσεις ἐντεῦθεν ἐγίνοντο, τοῖς ἐπισκόποις ἑκάστης ἐπαρχίας τὸ ἐπὶ τῇ τῶν ἐπισκόπων καταστάσει αὐτῶν ψήφισμα.

[b] Balſ. ad Can. 12. Syn. Laod. Καὶ ὁ παρὼν κανὼν κωλύει ὑπὸ τοῦ ὄχλου τοὺς ἐπισκόπους ψηφίζεσθαι, καὶ ὁρίζει παρὰ μητροπολιτῶν καὶ ἐπισκόπων τούτους καθίστασθαι. παρακελεύεται δὲ δοκίμους εἶναι αὐτοὺς κατά τε τὸ δόγμα, καὶ τὸν βίον.

[c] Id. ad Can. 13. Καὶ ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος παρίσταται, ὅτι οὐ μόνον ἐπίσκοποι τὸ παλαιὸν ἐψηφίζοντο ὑπὸ τοῦ ὄχλου, ἀλλὰ καὶ ἱερεῖς, ὅπερ ἐκωλύθη.

[d] Zon. ad Can. 13. Conc. Lao. Οὐ μόνον ἐπισκόπων ἐκλογὴν οἱ ὄχλοι ποιεῖν ἐκωλύθησαν, ἀλλ' οὐδὲ ἱερέων ἐκλέξεις παρεχωρήθησαν. Balſ. ad Ca. 13. Conc. Laod.

[e] Cypr. l. 1. ep. 4. quæ eſt 68.

[f] Leo mag. ep. 89.

Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur, causámque eam iudicauit, *Per pacem & quietem Sacerdotes qui præfuturi sunt postulentur.* Et rursus; *Per pacem & Deo placitam concordiam, consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordinatur.*

His igitur de causis electio, siue potius consensus & acclamatio popularis adhibita olim fuit, vt ex formula quoque, quam in successore sibi deligendo obseruauit Augustinus, apparet: Postquam enim Augustinus Eradium futurum sibi successorem multitudini commendasset, acclamauit populus, & consensit ad hoc vocatus. His igitur ita explicatis, dico immeritò hinc Romanæ Ecclesiæ conflari inuidiam, quod pertæsa turbarum quæ in popularibus electionibus passim excitarentur, ius eligendi populo abstulerit: quanquam enim vt turbarum occasionem amputaret plebem ab electionibus faciendis remouerit, tamen publicum eius testimonium & assensum non sustulit, sed sartum tectumque seruauit; siquidem in omnium sacrorum Ordinum collationibus, quæ non nisi palàm & statis ac fixis temporibus fiunt, disertis verbis atque magna cæremoniarum grauitate præsentium testimonium, idque eodem prorsus verborum tenore, quo Concilio Carthaginensi præscribitur, ac iuxta eam ipsam formam, quã quæsisse Cyprianum & Leonem ex eorum scriptis colligitur; Namque in Diaconi Ordinatione, quod ignorare non potuit Spalatensis nostrorum rituum callentissimus, postulante Archidiacono nomine Ecclesiæ, vt Episcopus *præsentes Subdiaconos* (verba sunt postulationis) *ad onus Diaconij ordinet.* Excipit Episcopus; *Scis illos dignos esse?* Respondet verò Archidiaconus. *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor ipsos dignos esse ad huius onus officij.* Idem quoque, sed verbis paulò pluribus in Presbyteri Ordinatione repetitur. Possunt ergo qui intersunt ordinationi palam ac apertè dicere, si quid contra Ordinandum habeant dicendum, idque in publica Ecclesiæ statione, certis ac constitutis temporum solemnibus, vt nemo ignorare possit vel locum vel tempus ordinationis faciendæ; Igitur si nullus intercedat contradictor, dignus pronunciatur qui ordinetur, adeóque silentium pro consensu & testimonio meritò habetur.

Falsum verò falsissimum est populi consensum, qui olim postularetur vim vnquam habuisse authentici suffragij, quo scilicet ad eum ex authoritate ordinandi electio pertineret, nec citra eius consensum fieri posset. Rectè enim Concilium Tridentinum anathemate percutit eorum sententiam, qui sacros ordines sine populi suffragiis propriis collatos, irritos esse existiment; *Si quis*, inquit, *dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, & eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, Anathema sit.* Quibus verbis neutiquam Synodus, quod somniat Kemnitius, antiquam illam & Apostolicam formam, qua laïcis electionis vis concederetur damnat, aut eos anathemate ferit, qui plebis consensum nunc expeterent; sed qui hoc tanquam planè necessarium in Episcoporum & Presbyterorum creatione asseuerarent ac efflagitarent, quasi eo consensu sublato vana prorsus & irrita esset Ecclesiastica ordinatio, quod ipsa Canonis verba subindicant. Itaque sententia Concilij, quanquam populus in suffragia admitti possit, quod etiam prioribus

ribus

ribus sæculis factum non inficiatur, tamen non est id planè necessarium, cùm scilicet, quod etiamnum quæritur, vel de ordinandi probis moribus abundè constat, vel absque populi votis & acclamationibus, Ecclesiæ pax seruari, & ordinationum authoritas salua consistere potest. His enim solùm de causis desiderata olim populorum suffragia ex antiquis Patribus apparet; quare mirum non est sublata causa, effectum non perseuerasse. Itaque omnia loca Patrum à Spalatensi allata, sic intelligi debent, vt ex his constet, sic olim quidem in deligendis ministris admissum populum, vt tamen penes solos Episcopos & clerum ipsum veri suffragij ius esset, nec plus populo, quàm de eligendo testimonium reddere liceret, quo eius consensus significaretur. Id primum sibi volunt quæ ex parùm probatis monumentis profert aduersarius; Hoc enim sensu apud Pseudo-Clementem dicit Petrus: *Primus igitur ego Petrus dico, Episcopum ordinari debere (vt suprà simul omnes constituimus) ex omni parte reprehensione carentem, ab omni populo delectum; quo nominato & approbato conueniens populus cum Collegio Presbyterorum & Episcopis qui adsunt, in die Dominico, præcipuus ex omnibus (hoc est Metropolitanus) interroget Presbyteros & plebem quis sit quem petunt in Rectorem.* Eodem sensu in illis priorum Pontificum dubiæ fidei Epistolis Anicetus, *Oportet*, inquit, *vt Archiepiscopus qui illis omnibus (Episcopis suæ Prouinciæ) præesse debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur.* Eodem rursus: *Melius est si ipse cum omnibus (suis suffraganeis) eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter sacrauerint Pontificem.* Eodem quoque Antherus. *Fælicem, de ciuitate*, ait, *qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorum Sacerdotum, ac populorum consilio translatum fuisse Ephesum.* Siquidem hoc solùm volunt admissum aliquando, & auditum populum in sacrorum ministrorum electionibus, vt scilicet eligendo testimonium redderet, quò Ecclesiæ ab Episcopis & clero rector impositus, gratior & acceptior multitudini, cui imperare deberet, esse posset.

Spalat. Num. 3. Constit. Apost. l. 8. cap. 2.

Spalat. Num. 4. Anicetus ep. vn.

Anther. ep. vn.

Subit verò mirari qui in mentem venerit Spalatensi, vt nobis Alexandri Carbonarij, in Comanensem Episcopum, electionem obtruderet, ad firmandum ius suffragiorum olim populo concessorum: Siquidem nostram sententiam omninò firmat, ac mirificè probat, testimonium quidem eligendo reddere solitum, sed Episcopos solos etiam contra multitudinis sensum, fastigium imposuisse negotio, ac per se rem totam absoluisse. Res ita habet. Cùm Comanæ vrbis ciues ad magnum illum miraculorum opificem legationem misissent, *vt Ecclesiam, quæ apud ipsos esset, Sacerdote designato constitueret*, votis eorum annuens, in eorum se ciuitatem recepit, ac coacto populo, de designando Episcopo cum illis egit; Et Principum quidem ac Magistratuum ciuitatis omnium sententiæ in hoc occupatæ erant, vt anxiè ac curiosè inquirerent ac sciscitarentur, qui eloquentia, qui genere, reliquoque vitæ splendore cæteros præcedere videretur: Cùm autem illi quidem producerent eos de quibus suffragium ferretur, quem quisque promoueret, eius honorificam mentionem facientes, non eis morem gessit Gregorius, sed vt viliorum quoque (quod ad vitæ speciem attinet) rationem haberent, hortatus est: Non placuit sanctissimi viri sermo vni ex iis qui suffragiis præsiderent, qui etiam cauillans cum quadam irrisione illum excepit, ac

Greg. Nyssen. in vita S. Gregorij Thaumat.

καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς ἐκκλησίας διὰ τῆς ἱερωσύνης συστῆσαι. ἐπὶ μὲν ἐν τῷ πόλει τέλη καὶ τὸ ἐπιτήδευμα τὰ μέγαν ἀξίωμα τιθέμενοι σκοπὸς τὴν χάριν αἰτοῦνται.

iniecta Alexandri Carbonarij (erat is vir summus, qui latêre dedita opera volebat, ac propterea se omnibus abdicarat, & Carbonario opificio tradiderat, quo corpus ad virtutem laboribus exerceret) mentione: eum igitur eligi oportere acclamauit. Productus Carbonarius risum quidem cæteris mouit, sed perspicacem illum Gregorij oculum obstupefecit, ac in sui admirationem pertractum, eò adegit vt illum Episcopum Comanæ ciuitati præfecerit. *Cùm eum*, inquit, *iuxta consuetum morem ritusque solemnes ad hoc munus idoneum effecisset, per Sacerdotium Deo virum dicat.* Hoc autem in Gregorio Thaumaturgo maximè miratur Nyssenus Gregorius, quod *non motus est suffragio eorum, qui dignitate præstabant, neque simul* πρὸς τὰς μαρτυρίας τῶν προεχόντων *ad testimonia Optimatum ac Principum virorum raptus est*, atque *quod Optimatum studiis aduersatus, constantis, recti, atque excelsi animi manifestissimum indicium fuisse* asseuerat. Non itaque putauit magnus Thaumaturgus in Episcoporum electionibus sequendum populum, sed magis docendum: vt proindeà magno viro præsidium meritò ducamus. In Fabiani electione nihil factum obseruat Nicephorus, quem testem profert Spalatensis, quod nobis aduersetur; Fatemur admissum populum, qui testimonium redderet eligendo, sed penes Episcopos ius eius designandi fuisse non obscurè indicat: Verba Nicephori sunt. *Anterote post mensem vnum in Episcopali munere mortuo, diuinitus sacra administratio ad Fabianum est delata, quem dicunt post Anterotis mortem ex agro Romam venisse, atque ibi cum aliis versatum esse. Quum verò Romæ Episcopi & fratres omnes in Ecclesia ad Episcopum creandum conuenissent, atque suffragia deligentium de multis præclaris & illustribus viris, quibus eam dignitatem collatum iri hominum opinio erat, variarent, affuit etiam Fabianus: & quamuis de eo nulli Episcoporum in mentem veniret, derepentè tamen alicundè aduolans columba, ac capiti eius insidens, eum designauit, & Spiritum in eo acquiescere significauit, in columbæ specie apparere solitum: Quemadmodum olim certum Seruatori perhibuit testimonium, vocem cælestem super ipsum verbum pertrahens. Qua re tam admiranda vniuersus populus delectatus, eadem alacritate, atque eodem simul ore omnes dignum esse & idoneum acclamauerunt, & continuò in Episcopali throno collocarunt.*

Greg. Nyss. de vita S. Greg. Thaum.

Προσάγει τῷ Θεῷ διὰ τῆς ἱερωσύνης τὸν ἄνδρα μετὰ τὸ τὸν νενομισμένον τρόπον τελειώσας τῇ χάριτι.

Niceph. Callist. li. 5. cap. 26.

At grauior nobis hostis Cyprianus obiicitur, quo se maximè tuentur, ac nos oppugnant sectarij: Audiamus Spalatensem; *Cyprianus*, inquit, *eodem sæculo illum dumtaxat esse verum & legitimum Episcopum in Ecclesia contendit, qui post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, suam Cathedram obtineat: Indeque calumniatores Episcoporum legitimorum schismaticos, & extra Ecclesiam esse exaggerat. Quando, inquit, ibidem Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi vniuersi suffragio in pace deligitur: Et talis à quibusdam desperatis & perditis, & extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet. Scribit & illa idem Cyprianus cum Collegis ad Ecclesiam Legionensem: In ordinationibus Sacerdotum, nonnisi immaculatos & integros Antistites eligere debemus; qui dignè ac sanctè sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quæ faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate: Cùm scriptum sit, Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit.*

Spalat. Num. 7. Cypr. l. 1. ep. 3.

Id. l. 1. ep. 4.

Ioan. 9.

Propter

Propter quod plena diligentia & exploratione sincera oportet eos ad Sacerdotium Dei deligi, quos à Deo constet audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione esse delicti possit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atque illicitum Præpositi sui Episcopatum consensum suum commodans, cùm per Oseam Prophetam comminetur, & dicat censura diuina, sacrificia eorum, &c. Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore præposito separare se debet; nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere: cùm ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Hæç ex Cypriano Spalatensis post Caluinum & Musculum. Sed quod attinet ad priorem locum, morem sui sæculi profert Cyprianus, ac suam electionem aduersus Fœlicissimi & Fortunati calumnias tuetur explicatione formæ, & ritus Ecclesiastici in ea legitimè obseruati; Sed suffragia populi non alia ratione profert, quàm quod adhiberi, & audiri quoque soleret, vt testimonium eligendo redderet, ac suum consensum testaretur, non verò vt electionem sua authoritate firmaret; vt ex sequentibus probabitur. At, inquit, secundo loco Spalatensis, verba Cypriani sunt; *Ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur; Sicut in numeris Moysi, &c. coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem; id est instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; Et sit ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Probatque Cyprianus,* inquit Spalatensis, *ibidem exemplo Apostolorum qui Matthiæ & Diaconorum ordinationem conuocata, & congregata plebe fidelium, censuerunt esse celebrandam. Subditque paulò pòst: Propter quod diligenter de traditione diuina & Apostolica obseruatione seruandum est, & tenendum quod & apud nos quoque & ferè per Prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur,* Episcopi *eiusdem Prouinciæ, proximi quique conueniant; & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum, de eius conuersatione perspexit. Quod & apud nos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione; vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo litteras ad vos fecerant, iudicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.*

Oseæ 9.

Eod. nu. 7.

Num. 20.

Act. 1. & 6.

Respondeo ex illis ipsis locis, quos ex scriptura colligit Cyprianus, omnino haberi, nihil aliud olim fuisse populorum, ciuium ac Magistratuum in eligendo vel Episcopo vel Sacerdote *votum, suffragium, aut electionem, quàm consensum animorum, testimonium bonum, & postulationis cuiusdam formam ac specimen*: quod vt benè intelligatur est à nobis diligenter excutiendum; quod ex libro Actorum Apostolorum profert. Primùm occurrit electio Matthiæ, ad quam faciendam, admissos fuisse laïcos fideles, liber Actorum significat, sed apparet non tam fuisse electionem, quàm postulationem, quia etiam diuinæ prouidentiæ tota res permissa est. Addo verò iudicio Chrysostomi solum Petrum Iudæ successorem dare potuisse, vt appareat

Act. c. 1.

Chr. ho. 3. in Act.

Petri concessu id quoque cæteris Apostolis tributum, tantùm abest, vt populares aliquid in ea electione iuris haberent; Potentius est quod de electione Diaconorum affertur; Si quidem de tota multitudine dicitur; *Elegerunt*
Act. 6. v. 5. *Stephanum*, sed qualis esset illa electio superiora docent, *Considerate ergo*
ibid. v. 3. *fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto.* Itaque fratribus Diaconis eligendi potestatem fecerunt Apostoli, id est, eis concesserunt, vt quibus innocenter actam vitam exploratam haberent, his testimonium redderent, ac vt verbis his in rebus receptis vtamur, *eos nominarent, præsentarent*, ac munere ad quod vocarentur, dignos testarentur. Cæterùm penes ipsos Apostolos ius & authoritas formandæ electionis à populo factæ maneret, *quos*, inquiunt, *constituamus super hoc opus*, de consensu scilicet omnium. Haud igitur testimonium illud authoritatem aliquam notat, aut suffragij vim habet, vt aduersarius contendit, secùs & Ethnici ipsi eligendi, atque suffragium ferendi potestatem illo
1. Tim. 3. sæculo habuerunt; siquidem Apostolus asserit, *Oportere Episcopum bonum testimonium habere ab his qui foris sunt*, id est, ab Ethnicis. Cui verò persuasum sit, quia horum testimonium desideraretur, etiam authoritatem intercedere debuisse? Vt igitur iam ad Cyprianum reuertamur, Plebis consensum, vocat *legem diuinam*, illámque asserit, maximè habere *potestatem eligendi dignos*, ratione *publici testimonij*, quod omnino requirit Apostolus, non quod de iure diuino populi testimonium sit necessarium, sed quod diuino Spiritu inuectum sit, vt nemo nisi probatæ innocentiæ ordinetur, siue per testimonium populi, cuius ratio habita sit, cùm adeo numerosa non esset plebs Christiana, modestiæque studeret, non vt hodie numerosa & penè indisciplinata esset, siue aliundè illa innocentia probari queat. Certè Cyprianus
Cypr. l. 1. ep. 4. ipse, quamuis loco quem versamus, scribit *hoc de authoritate diuina descendere, vt Sacerdos plebe præsente deligatur, imò ipsam plebem maximè potestatem habere, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi*, quæ verba aduersarium maximè iuuare videntur, ne tamen ex sensu quem vrget Spala-
Cypr. ibid. tensis, ea dixisse videretur, eadem epistola veram causam aperit; *Coram*, inquit, *omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit, & ostendit ordinationes Sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Causa igitur ob quam populi suffragium, id est, consensus adhibetur; est testimonium ordinando præbendum, vt si integris sit moribus, populo acclamante ordinetur; sicuti in successore Augustini Eradio factum idem Augustinus testatur. Omninò enim verisimile est, si aliquo crimine aspersus sit, eligendus, hoc in tota multitudine populari facilè resciri posse. Atque hanc ob causam conuocatam & auditam fuisse plebem idem
Cyp. l. 1. ep. 4. quæ est 68. Cyprianus eodem loco significat; *Episcopus*, inquit, *deligatur plebe præsente quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum, de eius conuersatione perspexit.* Quam rationem afferunt quoque Concilij Carthaginensis Patres, quorum verba à Pontifice in ordinationis cære-

cæremoniis vsurpantur, *Non frustra*, inquiunt, *à Patribus institutum est, vt de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt consulatur & populus, quia de moribus & vita præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis.* Summa igitur est, populi præsentiam desiderari vt testimonium præbeat ordinando, ac idcircò testimonium præbere, quia singulorum vitam & mores plenissimè nouit. Cum itaque de ordinandi vita, vt superius monebamus, aliundè constare potest, quis non videat posse eius testimonium prætermitti? Certè Cyprianus ipse Clericum quendam de cuius probitate ei aliunde constaret, inaudita plebe ordinauit; *In ordinationibus clericis, fratres charissimi*, inquit, *solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare: sed exspectanda non sunt testimonia humana, cùm præcedunt diuina suffragia.* Rursus sequenti epistola, *Referimus ad vos*, inquit, *Celerinum fratrem nostrum, virtutibus pariter & moribus gloriosum, Clero nostro non humana suffragatione, sed diuina dignatione coniunctum.* Itaque quod scribit Cyprianus de Cornelio. Qui, *Episcopus*, inquit, *factus est de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate atque omnium nostrûm consensione firmato;* Omninò ad morem illo sæculo obseruatum referendum est, vt scilicet plebs testimonium ordinando præberet, quod tamen prætermissum etiam ab ipso Cypriano suprà ostendebamus. Addo verò ex vno vel altero exemplo ius diuinum non rectè colligi, ac propterea nec Cyprianum, nec Presbyteros qui *Bonifacium* elegerant, cùm electionem à plebe factam *institutionem diuinam* vocant, ius diuinum perpetuum intelligere, sed morem pro temporum ratione diuinitus introductum: ac propterea postulationem & testimonium populo quidem tribuere, non autem authoritatem suffragij quam in solis clericis fuisse omnino nobis certum est. Propterea scilicet in Concilio Carthaginensi tertio, vt ab Africa non recedamus, vocatur *Episcoporum examen*, dicitur verò *populi testimonium*; quod scilicet populis hunc aut illũ postulantibus, merita Antistites perpenderét, ac demum aptiorem rebus gerendis suo iudicio præferrent. Hinc scilicet in Concilio II. Carthaginensi contra illos Episcopos Canon scribitur, qui contempto Primate Prouinciæ suæ, ad desiderium populi Episcopum ordinarunt. Veniamus ad Origenem.

Pontific. ex Conc. Car.

Cyp. l. 2. ep. 5. alias. ep. 33.

Id. ep. 5. l. 4. siue ep. 34.

Cyp. li. 4. ep. 2. alias ep. 52.

Spalat. Num. 7.

Can. 22.

Origenes etiam, inquit Spalatensis, *electionem Episcopi describit occasione ordinationis Aaron quam explicabat; Licet ergo inquit, Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen conuocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præsentia populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc astante populo, nequa postea retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc autem est quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens; Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt. Si ab Ethnicis, quantò magis à populo Dei petendum est hoc testimonium?* Verè omninò Origenes electionem Episcopi occasione electionis Aaron describit, sed authoritatem suffragij populo non tribuit; Præsentiam verò requirit, *ne qua*, inquit, *postmodum retra-*

Spalat. Num. 8.

Orig. ho. 6. in Leuit. ponitur 8. q. 1. c. Licet. Et Cyril. l. 6. in Leuit.

1. Tim. 3.

ctatio cuiquam ne quis scrupulus resideret. At hoc non plus est ei tribuere quàm testimonium & consensum de quo non dubitamus. Benè est autem quod Origenis locum profert, in quo ad viuum qui ex popularibus electionibus orirentur tumultus expresserit.

SPALAT. Eod. num. Orig. ho. 22. in Nu. *Recessurus*, inquit, *Moyses de sæculo orat Deum, vt prouideat Ducem populo. Quid agis Moyses? Nunquid filij tibi non sunt Gerson & Eleazar? Aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipsis vt eos constituat populo Duces? Sed discant Ecclesiarum Principes, successores sibi non eos qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur; testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum; sed referre ad iudiciũ Dei, & non eligere illum quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere. Si ergo tantus ille ac talis Moyses non permittit iudicio suo de eligendo Principe populi, de constituendo successore, quis erit qui audeat, vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus ad gratiam aut ad precium fortasse excitatis, moueri solet; vel ex ipsis etiam Sacerdotibus, quis erit qui se idoneum ad hoc iudicet, nisi si cui oranti & petenti à Domino reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moysem; assume ad temetipsum Iesum filium Naue, hominem qui habet Spiritum Dei in semetipso; & impones manus tuas super eum, & statues eum coram Eleazaro Sacerdote, & præcepta dato ei in conspectu totius Synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant illum filij Israël. Audis euidenter ordinationem Principis populi tam manifestè ad scripturam, vt penè expositione non egeat. Nulla hîc populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur quem Deus elegerit; homini scilicet tali, qui habet (sicut scriptum audistis) in semetipso Spiritum Dei, & præcepta Dei in conspectu eius sunt; & qui Moysi valdè notus & familiaris sit, id est in quo sit claritas legis & scientia, vt possint eum audire filij Israël.* Hinc scilicet confirmatur quod initio dicebamus, propter tumultus populares vitandos tandem sublatam esse popularem electionem, qua de re rursus videro infrà.

SPALAT. Num. 9. Cæterùm hunc assensum populorum quem vrget Spalatensis non repudiamus, sed Origenem läicis ius & potestatem electionis asseruisse pernegamus. Multò verò minus authoritatem populo tribuerunt Nicæni Patres, quos tamen pro se audiendos monet Spalatensis; *Hunc morem*, inquit, *in Ecclesia ab ipsis* Con. Nic. c. 4. Ibid. c. 6. *eius incunabulis seruatum Nicæna celeberrima illa Synodus vniuersalis, lege sanxit vniuersali. Vt Episcopi omnes eiusdem Prouinciæ concurrant in Episcopis vacantibus sedibus, dandis. Quod si, inquit, communi omnium electioni, quæ & rationi consentanea, & ex regula Ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam qua delectantur contentionem contradicant, vincant plurium suffragia. Communem ponit electionem non ab Episcopis tantùm factam, sed etiam concurrente cum illis & clero & plebe loci, de Episcopo prouidendi; is enim iam erat mos, vt probauimus.* Respondeo Spalatensem præfidenter, ne quid amplius dicam, hos Nicænos Canones qui de solis Episcopis intelliguntur, ad läicos quoque & populares flectere, vt eis suffragij potestatem asserat: Fateor inducuntur & läici, sed qui testimonium ferant, non qui electionem firment, hoc scilicet Episcopis relinquitur.

Certè

Certè de Episcopis solis intellexerunt Patres Concilij Constantinopolitani: *De administrationibus*, inquiunt, *quæ sunt cuiusque Ecclesiæ propriæ, cùm vetus, vti nostis, lex est, tum Sanctorum Patrum in Concilio Nicano decisio: vt videlicet singularum Prouinciarum Antistites vnà cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum Prouincijs ordinent. Ex cuius legis & decisionis præscripto scitote, tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrißimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos.* Scholiastes Lutheranus vidit ad Episcopos omnino pertinere; ac propterea Apologiam instituit pro suorum symmistarum electionibus ab antiquo iure degenerantibus; *Electio*, inquit, *Episcopi seu superattendentis, quæ olim fiebat per omnes Episcopos illius Prouinciæ, in qua nouus erat eligendus Episcopus, hodie in bene constitutis Ecclesiis rectè fit in consistorio, in quo præcipui aliqui Theologi, vnà cum viris politicis eligunt superattendentem: & is summi Magistratus Christiani consensu, & approbatione confirmatur. Tales enim constitutiones sunt inter adiaphora numerandæ, in quibus pro ratione temporum, locorum, & personarum, non necesse est in omnibus Ecclesiis esse conformitatem.* Sed & hoc obiter aduertendum, quod etiam infrà in Caluino & Beza obseruabimus, inter adiaphora numerare constitutiones de ministrorum electionibus ab antiquis Patribus positas, vt propterea etiam aduersariorum iudicio Ecclesiæ licuerit, de his pro temporum ratione statuere.

Epist. 1. ad Dam. apud Theodor. l. 5. c. 9.

Περὶ δὲ τῶν οἰκονομιῶν, τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος, καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἰ βούλοιντο σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας. οἷς ἀκολούθως, καὶ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας παρ' ἡμῖν οἰκονομεῖσθαι γινώσκετε, καὶ τῶν ἐπισημοτάτων ἐκκλησιῶν ἀναδεδεῖχθαι τοὺς ἱερέας.

Sed instat Spalatensis, *Quinimo ipsummet Nicænum Concilium decreuit, vt scribunt ipsimet Patres dicti Concilij ad Episcopos Ægypti; vt Presbyteri à Meletio quodam Episcopo schismatico, & excommunicato designati, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur. Vt omnibus Presbyteris sint inferiores. Quod si qui fortè eorum qui Ecclesiæ funguntur muneribus diem suum obibit, tum vnus ex illis qui nuper in Ecclesiam asciti sunt, modo idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeò populi electionem confirmet, in locum succedat demortui. Quod ergo expreßè decreuit illud Concilium de electionibus Episcoporum Ægypti, vt concurrat & clerus & populus; id virtute inclusum intelligas in Canone illo vniuersali. Ita & Constantinus Imperator mandat populo Antiocheno & Episcopis, vt prætermisso Eusebio Cæsariense, quem sibi in Episcopum aduocabant, & ipse respuebat, vt Canon Ecclesiasticus de translatione Episcoporum non facienda seruaretur; alium sibi canonicè de more eligerent, quem Canones eligi non impedirent.* Ecce, inquit Spalatensis, *non solis Episcopis, sed etiam populo mandatur electio.* Respondeo nec Theodoreti narrationem eum quicquam iuuare, sed potius nostram sententiam fulcire; Nam refert Theodoretus hoc rescriptum à Synodo Nicæna aduersus Meletium pro Alexandrino Patriarcha sese ventitantem ad Ecclesiam Alexandrinam datum. *Meletius ipse in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamque habeat potestatem, vel cuiquam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum delegendi, vel in alienam regionem ciuitatemve eius rei gratia commeandi: sed vt solùm dignitatis, & officij nomen retineat: Illi autem, qui ab eo Presbyteri designati sunt, simulatque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur: nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis, & ministerij gradum habeant illi quidem, sed tamen omnibus Presbyteris in singulis Prouincijs & Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratißimo viro, & collega nostro Alexandro* (erat is legitimus Patriarcha Alexandrinus) *ordinati, sint omnino*

Ehingerus ad Can. 4. Nicæni 1.

SPALAT. Eod nu. 9.

Apud The. hist. l. 1. c. 9.

Euseb. de vit. Const. l. 3. c. 58. 59. 60.

Ep. Conc. Nicæ. apud Theodot. hist. Eccl. l. 1. c. 11.

inferiores. Quin etiam vt nulla illis potestas sit, eos ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio: neque nominationem penes se habeant eorum, qui sint ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi; (vides vt designationis & electionis ministrorum ius, ac potestas penes Presbyteros fuerit,) *neque quicquam absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omnino transigant. Hi autem, qui Dei gratia, & vestris precibus adiuti, ad nullum schisma deflexisse comperti sint, sed se intrà Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ fines ab erroris labe vacuos cõtinuerint, authoritatem habeant:* (vides rursus hîc nostram confirmari sententiam) *tum ministros ordinandi, tum eos qui clero digni fuerint nominandi, tum denique omnia ex lege, & instituto Ecclesiastico liberè exequendi. Quod si qui fortè eorum qui Ecclesiæ fungantur muneribus diem suum obibit, tum vnus ex illis qui nuper in Ecclesiam asciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeo populi electionem confirmet, in locum succedat demortui.* Itaque populo conceditur αἱρεῖν eligere; *Si tamen,* ait Synodus, *Episcopus Alexandriæ ei suffragetur,* atque adeò *populi electionem confirmet.* Ex qua tota antiquissima Synodo, vt aduertit vir doctissimus, videmus *Episcoporum fuisse ordinare, & electionem factam confirmare, Presbyterorum fuisse designare, & suffragia ferre, populi fuisse eligere,* hoc est expetere, postulare, & consentire Presbyterorum, seu Clericorum iudicio. *Hoc totum est,* inquit ille, *quod populus olim fecit, cùm quidem faceret, quicquid ei vnquam facere concessum fuit.* Ad hunc igitur populi consensum, ad quem tamen Episcoporum accedere deberet confirmatio, respexit Constantinus ea Epistola, qua *mandat populo Antiocheno & Episcopis, vt prætermisso Eusebio Cæsariense, quem sibi in Episcopum aduocabant, & ipse respuebat, vt Canon Ecclesiasticus, de translatione Episcoporum non facienda, seruaretur; alium sibi Canonicè, de more eligerent, quem Canones eligi non impedirent.*

Eo quoque proculdubiò respexerunt Episcopi Ægyptij in sua Eucyclica; *Nos cum tota ciuitate, & vniuersa Prouincia, testamur omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ in vnum coactum, quasi in speciem vnius corporis & animæ, clamoribus vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari; idque publicis votis à Christo expetijsse, nosque vt faceremus per multos dies & noctes iureiurando obtestatos fuisse; cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent. Porrò quod nostrum plerique sub omnium oculis exclamationibusque Athanasium Episcopum crearint, nos ipsos in testes offerimus, &c.* Scilicet vt legitimam esse ordinationem Athanasij probarent ei nihil defuisse eorum quæ in Episcoporum ordinationibus vsurpari solerent, ostendunt, adeoque multitudinis conspirantis suffragia numerant, sed quæ Episcoporum votis & suffragiis posthaberent. Meminerunt autem maximè postulationis à populo factæ, vt calumniam aduersariorum depellerent, qui ad imperatores scripsissent post obitum Episcopi Alexandri, cùm paucissimi essent qui Athanasij mentionem facerent, sex aut septem Episcopos clanculum, & in loco obscuro eum in præsulem Alexandrinum elegisse. Cæterùm hæc quoque addunt: *Porrò quod nostrum plerique sub omnium oculis acclamationibusque Athanasium Episcopum creauerint, nos ipsos in testes offerimus, quibus vt authoribus creationis maior quàm istis, qui & tunc aberant, & nunc mentiuntur, fides haberi debet.* Itaque sub populi acclamationibus, quibus consensus significaretur, se Athanasium

Margin notes: δεῖ αὐτοὺς τὰς μὲν ἐξουσίας ἐξουσίαν εἶναι τοὺς ἀρεσκομένους αὐτοῖς προχειρίζεσθαι ἢ ὑποβάλλειν ὀνόματα, &c. — ἐξουσίαν ἔχειν καὶ προχειρίζεσθαι, καὶ ὀνόματα ἐπιλέγειν τῶν ἀξίων τοῦ κλήρου, ἢ ὅλως πάντα ποιεῖν κατὰ νόμον καὶ θεσμόν, &c. Ἐπισφραγίζοντος τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. — Stapl. cont. l.5.c.13. in fin. — Euseb. de vita Const. l.3.c.58.59.60. — Spalat. Num.10. Apud Athã. Apolog.2. — Athanas. Apolog.2. to.1.p.565. Ὅτι δὲ οἱ πλείους ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν ὑπὸ τοὺς πάντων ὄψεις καὶ βοαῖς.

nasium creasse Episcopum indicant, hoc enim illa verba significant, οἱ χειροτονήσαντες, ac eius promotionis se authores faciunt; propterea scilicet Epistolam deprauauit Spalatensis, ne huius rei euidentissima testimonia apparerent.

Pergit Spalatensis, *Eodem pacto electiones à plebe, & proprio clero celebrari solitas, habemus eodem tempore ex Iulio Pontifice Romano, qui Gregorij Alexandrini electionem perperam contra Athanasium factam improbans ait; Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt; Primùm enim (si verum dicendum est) non decebat, cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, alios præoccupare iudicium Synodi; deinde non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci: vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus* Canon, *aut istiusmodi traditio Apostolica, vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus, cum Episcopo Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, &c.* Hic quoque locus pro nobis facit, siquidem idcirco Georgij ordinationem inter cætera damnat Iulius, quod neque plebi cognitum, neque à Presbyteris postulatum cum in thronum Alexandrinum seditiosi quidam inuexissent, μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς μήτε αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, cumque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, *Non*, inquit, *cum Presbyteris aut Diaconis ciuitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus* ausi fuissent. Hæc certè nullam populo authoritatem suffragij tribuunt, quamquam intercessisse eius consensum significant. Similia sunt quæ de ea ipsa sua electione scribit Athanasius; *Sed vt demus*, inquit, *querelam aliquam aduersus me susceptam, meumque nomen inter reos receptum esse, non tamen oportuit, in mei locum, Arianum, aut qui Ariana saperet subrogari; sed secundum Ecclesiasticos Canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis vnà cum Spiritu sancto, qui Episcopum constituant, publicè, & in præsentia* Clericorum, *Episcopum postulantium, inquisitionem fieri, atque ita omnia Canonicè peragi: non autem ad præsentiam postulationemque Arianorum, qui ab Ecclesia alieni sunt, quique Episcopale nomen non vereantur emere, successorem mihi dari, nundinatoremque Episcopalis tituli præter consensum eorum, qui* Episcopum *postulare debebant; & præter voluntatem conscientiamque omnium, qui actis adhibiti non fuere, per vim opesque iudicium extraneorum, in hanc dignitatem immittere. Id enim &* Ecclesiasticos *Canones soluit, &* Ethnicos *ad blasphemiam suspicionemque cogit, vt putent non legibus rituque diuino, sed nundinatione & potentia* Episcopos *constitui.* Clericorum fuisse postulationem indicat, consensum verò populi cuius conscientia consuleretur, ac testis vitæ eius qui eligendus esset adhiberetur, sed summam ordinationis penes Episcopos fuisse non obscurè significat, siquidem initiationem Georgij hoc nomine suggillat, quod opera Arianorum qui ab *Ecclesia alieni essent, & Episcopale nomen non reuererentur emere*, facta esset. Pergamus; Vt per fas nefasque nos obruat Spalatensis, Concilium Romanum sub Syluestro aduocat; Quia igitur ita placet illud audiamus. *In Romano Concilio priore sub Syluestro capite 5. statutum fuit; Vt si fuerit omnium votiua gratia, non præmio, non inuasione cupiditatis, nulli præripiens gradum, sic ab omni* Ecclesia *eligatur consecrandus* Episcopus, *nullo de membris* Ecclesiæ *intercidente, & omni* Ecclesia *conueniente.* Et in altero: *Vt Presbyter annis tribus probatus ex omni parte in tantùm, vt etiam ab ijs qui foris sunt testimonium habeat bonum: vnius videlicet vxoris vir, quæ tamen à Sacerdote sit benedicta; Etsi probatus fuerit dignus, & vota populi & cleri concurrerint, Canonicè* Episcopus *conse-*

SPALAT. Num. 11. Apud Athan. Apolog. 2.

Athan. epi. ad Orthod. Εἰ γὰρ ὅλως ἔδει τις καθ' ἡμῶν μέμψεις κρατῆσαι, ἔδει μὴ Ἀρειανὸν μηδὲ τὰ Ἀρείου φρονοῦντα, κατὰ δὲ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας, καὶ κατὰ τὸ τοῦ Παύλου ῥῆμα, συναχθέντων τῶν λαῶν, καὶ τοῦ πνεύματος τῶν καθιστάντων, σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, πάντα κανονικῶς ἐξετασθῆναί τε καὶ πραχθῆναι, παρόντων τῶν αἰτουμένων λαῶν καὶ κληρικῶν.

Eod. nu. 11. Cōc. Rom. sub Sylu.

cretur. Hic consensum & testimonium populi lego, authoritatem & ius suffragij ferendi, nec video nec audio. Neque maius robur habent, quæ ex Concilio Sardicensi profert. *Si qua in Prouincia,* inquit Canon magnæ Synodi, *in qua plurimi sunt Episcopi, contigerit vnum Episcopum morari absentem, neque is propter negligentiam quandam conuenire voluerit, neque Episcoporum creationi consentire, populi verò congregati postulent eum quem ipsi expetunt constitui: primùm oportet Episcopum illum qui absens moratur admoneri literis Primatus Prouinciæ (nimirum Episcopi Metropolitani) de populorum postulato, pastorem sibi dari petentium: rectè autem se habere puto eum quoque vt intersit, expectari. Quod si neque per literas rogatus affuerit, ac ne rescripserit quidem, satisfaciendum populi voluntati est. Conuocari autem oporteat ex vicina etiam Prouincia Episcopos ad Metropolitani Episcopi creationem.* Hic quoque postulationem plebis aduerto, sed cœcus est Spalatensis, nisi ipse quoque summam Episcopis à Synodo hic tribui in creandis Episcopis potestatem perspiciat: Vt enim populi votis satisfiat, conuocandos Episcopos monet, qui Metropolitanum postulante populo creent, ac ad thronum Episcopalem euehant.

Dist. 65. fin. in annot.

Sed iam tempora Nicænum Concilium insecuta attingit Spalatensis, vt populo ius electionum asserat, ac ingentes copias explicat quibus nos terreat; sed in castra nostra concedunt, & in partes nostras haud ægrè transeunt, viri orthodoxi. Primus Gregorius Nazianzenus, de quo sic Spalatensis; *Duas Episcopi Cæsariensis in Cappadocia electiones ponit Gregorius Nazianzenus, in quibus egregiam nauarit operam Gregorius eius parens, verus & proprius Episcopus Nazianzenus; Alteram Eusebij: Basilij magni alteram, proximi Eusebio dati successoris: In vtraque mos idem antiquus perseuerat. Cæsariensium, inquit Theologus, ciuitas de Pontificis disceptabat electione, cùm vnus obijsset, alter verò in locum eius substituendus quæreretur. Feruebat itaque seditio, nec facilè sedari poterat. Ciuitas enim illa ex sui natura, admodum hanc ob rem ad seditionem est procliuis, cùm propter fidei ardorem, tum Catholicæ præstantiam singularem: & hæc erant quæ contentionem plus accendebant. Aderant itaque Episcopi quidam, vt Pontificem darent; Cùm verò populus inter se diuisus esset, & alius alium poneret, quemadmodum in talibus fieri consueuit, secundum quod vnusquisque, vel amicitia alicuius, vel pietate erga Deum affectus erat, tandem populus vniuersus consensit, vt quemdam ex primis inter eos vita præstantem, nondum tamen diuino baptismate signatum, inuitum etiam raperent. Auxilio itaque manus militaris, quæ tum fortè aderat, illum super gradum posuerunt, ac Episcopis obtulerunt, rogantes vt illum expiarent, & Pontificem pronunciarent; interimque persuasionibus vim quoque permiscere non dubitabant: non admodum decenter, sed magno fidei feruore impellente. Verùm enimverò non huius temporis est referre, quemnam illo præstantiorem aut sanctiorem ostenderit tempus: Quid igitur factum est? Aut quousque processit seditio? Coëgerunt, expurgauerunt, pronunciarunt, super thronum collocarunt, manu potius quàm voluntate & dispositione spiritus, quod patuit quidem ex sequentibus.*

Spalat. Num. 12. Nazianz. orat. 14. quæst. in funere Patris.

De Basilij verò electione, pergit Spalatensis, *multa dicit idem Gregorius Theologus, tum in hac ipsa oratione, quam in funere sui Patris dixit; tum etiam in alia, quam de laudibus Basilij habuit: sed quod spectat ad morem eligendi Episcopos, in vtraque narrat Basilium fuisse de more electum ab Episcopis, Clero & populo, non tamen sine seditione populari; vt propterea cupiat ipse Nazianzenus electiones à*

Spalat. Num. 13.

Nazian. ibi.

Clero

Clero solo, & sui temporis Nazaræis, hoc est Monachis fieri, quàm à Laïcis potentioribus & plebe: Addit & illud: Tandem cùm electio canonicè fieri deberet, vnusque qui pronunciari debebat numero destitueretur, è lecto senectute & ægritudine degrauatus (*Gregorius Pater*) *surrexit, & ad ciuitatem iuuenili perrexit animo, seu potius corpore ferebatur mortuo, ac parum perspirante ordinatur ille: collocat eum in thronum. Concurrere ergo vota omnia Episcoporum Comprouincialium, ad electionem Metropolitani oportuit. Nam & propterea idem Gregorius senior, antequam ad electionem in persona accedere statuisset, per literas non semel inculcauit, se in nullum alium nisi in solum Basilium consentire. Cæterùm ex omnibus, inquit, qui & honore & gloria apud vos florent, neminem Deo dilectissimo filio nostro Basilio Presbytero anteferre possum. Si igitur huic sententiæ assensum fuerit, suffragiumque nostrum adeò sanum & integrum, vnaque cum Deo latum vicerit, & spiritualiter adsum & adero; imo etiam iam manum imposui, spiritusque fiducia nitor. Sin autem aliud quidpiam potius quàm hoc placeat, ac per sodalitia & cognationes eiusmodi res expendantur, ac miscellanea turba exactum, & seuerum electionis morem conuulserit & distraxerit, seorsim sanè id quod vobis arriserit facite: Nos autem intra nosmetipsos collecti quiescimus. Exactum & seuerum electionis morem vocat, vbi Episcopi potissimùm de persona deliberant, populo tamen non inuisa. Hunc verò morem à turba solere conuelli, vbi illa parata non sit Episcoporum iudicium sequi, sed tumultuariè velit aliquem temerariè obtrudere, ac per vim in sede collocare. Ciues tamen in hac electione suas partes habuisse, quamuis non pauci Basilio obsisterent, Gregorius iunior non diffitetur. Quid verò ipse Basilius?* Hîc autem à nobis stat Nazianzenus, etiam Spalatensis iudicio, vtcumque enim auditam plebem in Metropolitani electione doceat, tamen Episcoporum fuisse Archiepiscopum Ecclesiæ dare, innuit. Καὶ, inquit, παρῆσαν τῶν ἐπισκόπων τινὲς τὸν ἀρχιερέα δώσοντες, ac turbarum quæ in popularibus electionibus contingere solerent mentione facta, cupit sacras electiones à Clero solo, & sui temporis Nazaræis, hoc est Monachis fieri, non verò à Laïcis potentioribus & plebe. Verba eius sunt; *Quibus solis* (ministros altaris & Monachos intelligit) *vel certè potissimùm electiones huiusmodi committi oportebat,* (*sic enim nunquam Ecclesiis malè esset;*) Audisne magni viri de sacris electionibus iudicium? *ac non iis qui opibus & potentia pollent, aut plebis impetui & temeritati, atque etiam plebeiorum vilissimo & contemptissimo cuique?* Itaque non existimauit iure diuino populis concessas ministrorum altaris designationes & electiones, siquidem eas abolitas & sublatas cupit. Eodem sanè loco & oratione, hanc labem populari electioni aspersit, quòd plebs vocata, vt in postulando Cæsariensi Archiepiscopo audiretur, magno Basilio relicto, ad alium se contulerit; ac præterea addit mortuo etiam Eusebio, cum quo ei dissidii aliquid in priori electione intercesserat, eamque tulerat Eusebius, multa à furente plebe passum Basilium; *Ad excelsum*, inquit, *Episcopatus thrônum euehitur, non id quidem citra laborem, ac citra inuidiam & dimicationem, tum eorum qui patriæ præsidebant, tum perditissimorum quorumque vrbis ciuium, qui ad eorum partes se adiunxerant: Postmodum verò vicisse Spiritum sanctum, excitatis ad Basilium vngendum ab exteris regionibus viris pietate claris*, in his Gregorio Nazianzeno Theologi parente.

Non est itaque quod à Nazianzeno præsidium ducat Spalatensis, neque verò credo à Basilio, quem tamen aduocat. Proferamus locum ex meliori editione;

Apud Gregor. Naz. ep. 22. & 25.

Greg. Naz. orat. de lau. Basil.

Nazianz. orat. 19. Ἐφ' οἷς ἔδει τὰς τοιαύτας προβολὰς κεῖσθαι μόνοις, ἢ ὅτι μάλιστα. καὶ οὐδὲν ἂν ἦν ταῖς ἐκκλησίαις κακὸν, ἀλλὰ μὴ τοῖς εὐπορωτάτοις τε καὶ δυνατωτάτοις, ἢ φορᾷ δήμου καὶ ἀλογίᾳ, καὶ τούτων αὐτῶν μάλιστα τοῖς εὐωνοτάτοις.

Nazian. orat 20. Ἐπὶ τὸν ὑψηλὸν τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον αἴρεται, οὐκ ἀμογητὶ μὲν, οὐδὲ ἄνευ βασκανίας καὶ πάλης, τῶν τε τῆς πατρίδος προεδρευόντων καὶ τῶν πονηροτάτων τῆς πόλεως ἐκείνοις συντεταγμένων, &c.

Spalat. Num. 14.

Basi. ep. 58. *Volo pietatem tuam scire* (scribit ad Meletium Antiochenum alterum Patriarcham, aduersum Anthimum Thianensem parùm legitimè, & concitatis tota Armenia turbis secundæ Cappadociæ factum Archiepiscopû) *quod bonus frater Anthimus Faustum cum Papa agentem Episcopum ordinauit, neglectis iustis suffragijs venerandissimi fratris Cyri, quem tu ordinasti, ita vt Armeniam seditionibus repleuerit.* Sed hîc ne gry quidem de iure electionis popularibus attributo, quamquam non dubito iusta suffragia vocasse Basilium, postulationem plebis, & Clericorum electionem, cuius ratione Celerinum Anthimo præferendum existimat. Sed properandum.

Spalat. Num. 15. Theod. l. 4. c. 18. Ibid. c. 20. *Mortuo Athanasio*, inquit Spalatensis, *Episcopi circumuicini congregantur, & Petrum in sede Alexandrina ei suffecerunt. Is verò à Lucio Ariano pulsus, in sua Epistola, inter alia, hæc scribit: Quæ cùm ita se haberent, & ipse de Ecclesia decessissem, (quî enim ibi manere poteram, vbi incursiones à militibus factæ, vbi multitudo argento conducta ad seditionem, vbi nimia pecuniæ cupiditas, vbi turbæ gentilium, amplissimis promissis ad maleficia inuitatæ?) noster scilicet successor Lucius, qui partes Lupi nequitia & improbè factis agere impensè studebat, quique Episcopatum non consensu Episcoporum orthodoxorum in vnum conuenientium, non suffragijs verè Clericorum, non postulatione populi, vbi sacri Ecclesiæ Canones præscribunt, sed pecunia tanquam dignitatem quandam, vt ita dicam, sæcularem emerat, illo cum mandato aduenit.* Hîc quoque postulationem populi agnoscimus, authoritatem eligendi nullam videmus: Certè Hieronymus, quem infrà refert Spalatensis, de Alexandrini Episcopi electione hæc habet; *Alexandriæ*, inquit, *à Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant ad se quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent.* Non igitur populus hoc sibi ius vendicabat, vtcumque eius consensus expeteretur. Sed relicta Alexandria Gallias iam suscipit lustrandas; *Ad Martini quoque*, inquit, *Turonensis electionem, incredibilis, vt scribit Seuerus, multitudo non solùm ex illo oppido (Turonensi) sed etiam ex vicinis vrbibus ad suffragia ferenda conuenerat. Bricium etiam proximum Martini successorem scribit Gregorius Turonensis, consentientibus ciuibus officium Pontificatus adeptum fuisse.* Respondeo in electione sancti Martini, & in electione sancti Bricij, tulisse suffragia populum postulando, annuendo, ac testimonium eligendis reddendo, cùm tamen penes Clerum, & Episcopos verum ius suffragiis, & electionis esset. Hoc indicant verba Sulpitij de vita Martini, & Gregorij Turonensis de Bricio. Prior sic habet. *Incredibilis*, inquit Seuerus, *multitudo, non solùm ex illo oppido (Turonensi) sed etiam ex vicinis vrbibus ad suffragia ferenda conuenerat.* Posterior verò hunc in modum loquitur. *Bricium etiam proximum Martini successorem, consentientibus ciuibus officium Pontificatus adeptum fuisse.*

Spalat. Num. 16. Hier. Euag. ep. 85. Eod. nu. 15. in fin. Sulp. in vit. B. Mart. c. 17. Greg. Tur. l. 2. hist. c. 1. Sulp. de vit. B. Mart. c. 17. Greg. Tur. l. 2. hist. c. 1.

Spalat. Num. 16. Hieron. l. 1. adu. Iouin. IdemEuag. ep. 85. Veniamus ad Hieronymum; *Hieronymus*, inquit, *In plerisque, ait, suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentiæ & calliditati, quasi malitiæ opponitur. Nonnunquam erat plebis vulgique iudicium, & in Sacerdotibus comprobandis vnusquisque suis moribus fauet, vt non tam bonum quàm sui similem quærat præpositum. Item alibi: Nam & Alexandriæ, inquit, à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. Ecce tibi penes Clerum electio,* inquit

inquit Spalatensis; *Præterea*, addit, *idem Hieronymus verba illa Prophetæ. Terra, si constituerit super se speculatorem, &c. declarans ait; Terra est Ecclesia, quæ sæpè de nouissimis suis speculatorem eligit. Speculator autem Ecclesiæ vel Episcopus, vel Presbyter qui à populo electus est. Vnde magnoperè formidandum est, inquit, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo, negligentiæ nos demus atque desidiæ.* Priore loco Hieronymus, vitia electionum popularium notat, vt proinde nostræ sententiæ omnino faueat. Secundò penes Clerum, agnoscente aduersario, vult electionis ius fuisse: Postremò verò equidem popularis electionis meminit, sed quæ populi in ea partes essent non explicat, & omnino apparet de postulatis à plebe, speculatoribus scilicet, vel Episcopis, vel Presbyteris loquutum; Neque enim negamus in sacris electionibus expetendi Episcopi ius habuisse populum, ex consuetudine olim recepta, quam tamen abolendam meritò duxerit Ecclesia, propter turbas in his popularibus electionibus excitari solitas.

Id. in Ezech. c. 33.

Sequitur Ambrosius. *Ambrosius quoque*, inquit Spalatensis, *à tota Ecclesia electiones fieri docet, dum ita scribit ad Ecclesiam Vercellensem. Confligor dolore, quia Ecclesia Domini quæ est in vobis Sacerdotem adhuc non habet; ac sola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus; huiusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi Ecclesiæ petere solebant: & (quod verecundius est) mihi ascribitur vestra intentio quæ affert impedimentum.* Respondeo Ambrosium Vercellensem Ecclesiam suo pastore orbatam, vt Episcopum iuxta receptum in Ecclesia morem, conspirantibus omnium votis, eligat hortari, & cùm in partes scinderetur populus, ad animorum consensionem vocare, vrgereque *vt modestiæ suæ, & concordiæ insigne edat, vtque assensu omnes congruant* (verba illius sunt) *ad postulandũ Sacerdotẽ*; Non est autem id ita accipiendũ, quasi pódus à populi suffragiis electio Episcopi mutuetur & robur, sed quòd cũ veteri consuetudine in suffragia admitteretur, operæ precium duceret, conspirantibus totius populi votis, Episcopũ eligi, ne quid schismatis ex cócitatis turbis in illa Ecclesia resideret. Hac enim ratione à diuinæ vindictæ in Core, Dathan & Abiron, vsurpatæ exemplo, à tumultibus ciendis eos deterret, vt scilicet posito illo animorum calore, ac in vnum coëuntibus suffragiis, Sacerdotem postulent. Facessere verò sibi negotium eam animorum diuisionem dicit, quod scilicet animi penderet, nec Episcopum eis dare posset quamdiu non postulassent, cùm eius postulandi illo sæculo ius haberent: Addit verò turbas huiusmodi electionem impedire, ac vt non impedirent, futurum tamen vt qui eligeretur Prouinciam detrectaret, ne in multorum à quibus non esset postulatus odia incurreret. Hæc sunt quæ expendit Ambrosius, ac Vercellensibus ob oculos ponit, non quod, vt dixi, electionem Episcopi à populo robur accipere existimarit, sed quod in illa animorum contentione ægrè illi Ecclesiæ prospici posse videret. Quod addit Spalatensis, inuitis non esse Episcopum dandum, infrà subiicietur examini: Sed ex ipsa Ambrosij electione, quid Laïcis liceret, abundè colligitur; siquidem Valentinianus Imperator rogatus à Concilio Episcoporum, *vt ipse deligat aliquem suffragio suo sapientem & pietate ornatum. At ille, Maior, inquit, quàm vt à me præstari possit res est, multoque fuerit melius vos decernere diuina gratia dignatos, & participes splendoris illius. Illi igitur egressi secum consultabant, incolæ autem ciuitatis dissidebant, cùm vna pars huic, altera illi studeret; Nam contacti Auxentij morbo subijciebant consentientes secum: sana verò pars, & ipsa eos qui suæ essent sententiæ. Hoc dissidio animaduerso Ambrosius, qui gentis illius tum Prætor esset metuens ne quid nouaretur,*

Spalat. Num. 17. Amb. ep. 82

Theod. l. 4. c. 6.

Σοφόν τ' ὄντα καὶ εὐσεβείᾳ κατακοσμούμενον. ὁ δ' ἔφη, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς τὸ ἐγχείρημα. ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἠξιωμένοι χάριτος, καὶ τῆς αἴγλης ἐκείνης δεξάμενοι, ἄμεινον ψηφιεῖσθε. οὗτοι μὲν οὖν ἐξελθόντες καθ' ἑαυτοὺς ἐβουλεύοντο.

celeriter in Ecclesiam accurrit, tum illi contentione omni posita, communi voce clamauere Ambrosium sibi proponendum Episcopũ, qui nondum tamen sacris initiatus erat.

Spalat. Num.18. Aug. Dial. 65. qq. ad Orof q. 64. c. Ibi. q. vlt.

In scenam iam inducitur personatus Augustinus; neque enim author Dialogorum quos citat Spalatensis, est ille Hipponensis; *Augustinus*, inquit Spalatensis, *vbi quatuor genera posuit in Ecclesia Apostolorum cum Hieronymo; & ordinarium iam sit eorũ genus, qui à Deo fiunt, sed per hominem: contingere tamen etiam ait, vt & tertium adsit genus, eorũ qui per homines tantùm fiant, sed non à Deo. Sicut nostris, inquit, tẽporibus, multi fauore vulgi in Sacerdotium subrogati sunt: Subditque indicia ad cognoscendos illos qui verè sunt à Deo per homines, & ait; Illum cognosce missum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; sed illum quem & vita & mores optimi, & Apostolicorum actio commendat Sacerdotum: vel etiam qui vniuersorum populorum iudicio comprobatur; qui non appetit praeesse, qui nec pecuniam dat vt Episcopatus honorem acquirat. Nam qui praeesse festinat, quidam Patrum eleganter expreßit dicens: Sciat se non esse Episcopum, qui praeesse cupit, non prodesse. Vniuersi populi approbationem quando eligitur Episcopus, vult Augustinus esse vnum ex signis diuinæ mißionis. Ac interim recenset morem, vt vulgus etiam in electionibus suam partem haberet: licet interdum indignis faueret. Idem signum tractat etiam Cyprianus sup. li. 2. c. 4. n. 21. huius operis. Et Ambrosius modò citatus nu. praced. Et Hormisda infra hoc ipso c. n. 39.* Vt vt autem Augustini verba non sint, sed dialogistæ, annuimus tamen: vult vniuersi populi approbationem quando eligitur Episcopus, esse vnum ex signis diuinæ missionis, quia nimirum vox populi vox Dei censeatur, licet parœmia quandoque fallat. Sed haud negat alia esse posse diuinæ missionis, non solùm indicia, sed & σφραγῖδας. Allusit porrò ad morem suo sæculo receptũ, & in popularibus electionibus eã maximè spectandam dixit, quæ vniuerso populo approbante, non paucis tamen laudantibus, aut potius adulantibus, in vnum aliquem probatæ vitæ conspiraret. Cæterùm notari quoque potest disiunctim enunciasse; Illum cognoscendum à Deo missum, quem & vita & mores optimi, & Apostolicorum actio commendat Sacerdotum; vel etiam qui vniuersorum populorum iudicio comprobatur. Certè regula est dialecticorum, ad veritatem propositionis disiunctiuæ, sufficere alterius partis veritatẽ, vt proinde qui sunt probatæ vitæ, & Sacerdotum actione commendantur, ipsi quoque diuinæ missionis signum consecuti videri debeant.

Spalat. Num.19. Acta publica apud Aug. ep. 110

Audiamus iam verum illum non personatum Augustinum; *Mos legitimarum electionum*, inquit Spalatensis, *egregiè explicatur, vbi Augustinus Eradium sibi successorem instituit: Populo enim solemniter congregato in Ecclesia dixit Augustinus; Scio post obitus Episcoporum per ambitiosos, aut contentiosos solere Ecclesias perturbari: Et quod sæpè expertus sum, & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere ciuitati. Sicut nouit charitas vestra in Mileuitana Ecclesia modò fui, quia post obitum beatæ memoriæ fratris & Coepiscopi mei Seueri, nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni & quomodo voluit Dominus, adiuuit nos pro sua misericordia, vt cum pace Episcopum acciperent, quem viuus designauerat Episcopus eorum. Hoc enim eis cùm innotuisset, voluntatem præcedentis & decedentis Episcopi sui libenter complexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, vnde nonnulli contristabantur; quia frater Seuerus credidit posse sufficere, vt successorem suum apud Clericos designaret; ad populum inde non est locutus: & erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura? Deo placuit, tristitia fugata est; gaudium succeßit, ordinatus est Episcopus, quem præcedens Episcopus designauerat. Electionem itaque personæ, à præcessore cum solo Clero peractam, vt minus habentem & defectuosam, agnoscit etiam Augustinus, quia inconsulto populo, & absque eius assensu facta fuit.*

Respon-

Respondeo Augustinum paci Ecclesiæ suæ omnino consulere voluisse, ac propterea eum quem sibi successoré designasset, populi quoque iudicio probari cupiisse, ne scilicet quod in Mileuitana Ecclesia contigisset, in Hipponensi quoque contingeret. Ægrè enim patiebantur populi sibi rectorem imponi, quem non probassent, quare etiam populares illæ actiones turbas quàm maximas excitare solebant. Has igitur vt auerteret Augustinus, Eradium successorem suum gratum, & acceptum populo reddere curauit; *Scio*, inquit Augustinus, ad suos Hipponenses, *post obitus Episcoporum per ambitiosos, aut contentiosos, solere Ecclesias perturbari, &c.* Ergo acclamationes populi desiderauit Augustinus, ad maiorem Ecclesiæ pacem, propter grassantes tunc varias hæreses, & factiones quibus turbarentur Ecclesiæ, non verò quòd eam planè necessariam iudicaret. Cæterùm acclamatio tantùm illa fuit, non purum aut putum aliquod ius electionis faciendæ, quod populo tribueretur. Patet istud ex actis publicis in chartas ab ipso Augustino relatis. Certè non tribuisse Eradio aliquam Episcopalem dignitatem, illa posteriora Augustini verba à Spalatensi citata indicant. *Erit*, inquit, *Presbyter, vt est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.* Veniamus ad alium locum, de quo sic Spalatensis. *Quanta etiam sit potestas populi in electione sui Episcopi, habes ab eodem Augustino expressum, vbi suprà & suam & Piniani violentam electionem ad Sacerdotium commemorauit. Nam similiter etiam Episcopos rapere, nedum eligere solebat populus, vt obijcit Donato Augustinus.* Eod. nu.19. Respondeo turbulentissima illa seditione in electione Piniani excitata, abundè probari iustam fuisse Ecclesiæ causam, priuilegium electionum populo auferendi, vt nos quoque infrà docebimus; neque verò ius illi fuisse Episcopos rapiendi, quod tamen non semel fecit, vnquam ostenderit aduersarius; Itaque quod Donato Presbytero Ep.204. partes Donati obiicit Augustinus, multos vt Episcopatum suscipiant *teneri inuitos, perduci, includi, custodiri, pati quæ nolint, donec eis esset voluntas*; in his numerandum est, quæ zelum quidem præ se ferunt, haud tamen semper ad rationis iudicium exiguntur; sed hæc nil faciunt ad ius sacrarum electionum populo asserendum. Itaque iam audiendus est Chrysostomus.

Chrysostomus, inquit Spalatensis, *qui & ipse à populo & Clero in Episcopum, & electus Imperatore quoque consentiente hac aliquando scripsit: Ito hinc iam ac publica festa spectato, ea dico in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Hos omnes tum in multas factiones scindi, neque inter se consentire, neque cum eo cui sorte Episcopatus delatus sit, Presbyterorum congregationem conuenire videas, sed vnusquisque à suis vnius partibus stat; alius hunc, alius illum eligens, cuius rei causa hæc est quod in vnum non spectant; quod spectandum fuerit, nempè animi virtutem; sed aliæ sunt causæ quibus honores conciliantur; verbi gratia hic quod claro genere natus sit, in Episcopatus, inquit, ordinem cooptetur; Ille quod opibus abundet, neque indigeat alimentis ex Ecclesiæ prouentibus quæsitis; alius, &c.* Respondeo & hunc quoque locum pro nobis facere, siquidem vitia & abusus qui in electionibus popularibus contingere solerent, apprimè notat Chrysostomus, vt proinde mirum esse non deberet Ecclesiam illas abolitas voluisse. Persequitur Spalatensis.

SPALAT. Num.20. Socr.l.8. c.2. Suzom.l.8. c.2. Pallad.c.5. Chrys. de Sacerd.l.3. c.15.

Damnato impio Dioscoro Alexandrino in Concilio Calchedonensi, inquit, *eoque exautorato, quo pacto processum fuerit ad electionem Proterij ipsius successoris, narrat in suo Breuiario Liberatus Diaconus, ita scribens: Reuersi sunt autem* SPALAT. Num.21. Lib.c.14.

relegato Dioscoro, Alexandriam, qui cum eo venerant Episcopi & Cleri; vt cum omnium ciuium voluntate eligerent ordinandum Episcopum, sacris ad hoc literis praecedentibus ad Theodorum Augustalem. Collecti sunt ergo Nobiles ciuitatis, vt eum, qui esset vita, & sermone Pontificatu dignus, eligerent: hoc enim & Imperialibus sanctionibus iubebatur. Cumque super hoc multa dubitatio praecessisset, volentibus ciuibus neminem penitùs ordinare, ne adulteri viderentur, Dioscoro quippe viuente, nouissimè in Proterium vniuersorum sententia declinauit. Dioscoriani tamen post multas molestias Proterio exhibitas, eum tandem occiderunt, & Timotheum Ælurum in eam sedem intruserunt. Sed Leo Imperator occurrit, scripsitque Duci Alexandriae Stylae, vt pelleret quidem ab Episcopatu omnibus modis Timotheum, inthronizaret autem illum decreto populi qui Synodum vindicaret. Iussit videlicet Imperator piissimus, vt populus Catholicus qui nimirum Chalcedonensem Synodum veneraretur, eique adhaereret, electionem Episcopi perageret, & quem populus elegisset eum Dux inthronizaret. Quae ex Liberato affert Spalatensis omnino vera sunt,

Lib. c.25. to.2. Conc. p.619. sed quantum populo tribuendum sit, euentus probauit. *Inthronizato eo,* inquit, *diuisio & discessio populi orta est, eo quod viueret Dioscorus, & esset in exilio. Multa ergo pericula Proterius passus est, ita vt militari pro custodia indigeret auxilio plurimo tempore sui Pontificatus.*

Spalat. Num.22. Veniamus iam ad Eutychij Memmae in sede Constantinopolitana successoris electionem: *De electione Eutychij,* inquit Spalatensis, *Memmae successoris, Eustathius post narratam visionem Iustiniano Imperatori exhibitam, qua ei diuinitus de*

Apud Suriū die 6. April. *Eutychio dictum fuit; Fac vt hic sit Episcopus, subdit; Haec cùm ita se habere iureiurando affirmaret Imperator, omnes ipsius intentionem & studium (quod diuino quodam splendore vultus declarabat) conspicientes vno animo, eademque mente, & cunctis suffragijs, atque vna voce ante tempus clamabant. Dignus est, dignus est. Cùm igitur illi omnia ordine, & ex diuinorum Canonum praescripto contigissent, consecratur. In hoc verò ordine,* inquit Spalatensis, *& Canonum praescripto, posuit populi consensum & acclamationem.* Et hîc quoque acclamationem populi audio, sed ius electionis nullum peruideo: Acclamarunt omnes, *Dignus est, dignus est,* hoc totum est quod praestitit populus. Itaque non est quod singula exempla, quibus chartas infercit ac onerat Spalatensis, expendamus, aut diligētius libremus: Hoc enim solùm probant admissum populum, vt testimonium eligendo redderet, ac ei consensum suum praeberet, non verò vt authoritate eligendi gauderet.

Spalat. Num.23. Capitul.l.1. c.83. ponitur dist. 63. c.34. Eod. Num. Apud Baro. to.9. an.813 nu.27.28. Hoc sibi volunt Capitula Caroli magni, & Ludouici filij Imperatorum. *Sacrorum Canonum,* inquiunt, *non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico praebuimus; vt scilicet Episcopi per electionem Clericorum, & populi secundum statuta Canonum de propria Diaecesi eligantur.* Hoc ipsum innuit Hincmarus Epistola ad Carolum: *Venerunt,* inquit, *tres Clerici & duo Laïci Syluanectensis Ecclesiae ad indignitatem meam innotescentes, eandem Ecclesiam, fratre, & consacerdote nostro defuncto, viduatam esse pastore; ferentes etiam ipsius Ecclesiae tam Cleri quàm plebis petitionem, vt secundum sacras regulas pastor tribuatur. Quos interrogaui si verbum erat de pace Cleri, ac plebis ipsius Ecclesiae, & aliqua designata persona? Qui responderunt se non aliam petitionem ex parte sociorum afferre, nisi vt apud solitam misericordiam vestram illis liberam, ac regularem electionem obtinere satagerem, quatenus secundum sacras regulas, illuc Canonico Visitatore directo, ab omnibus Ecclesiae ipsius alumnis, valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.*

Hoc

Hoc quoque sibi vult Florus, quem nunc prædicat Spalatensis, quamquam ab eius doctrina valde alienus; *Manifestum est omnibus*, inquit, *qui in Ecclesia Dei Sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione Episcopali, & sacrorum Canonum authoritas, & consuetudo Ecclesiastica, iuxta dispositionem diuinæ Legis, & traditionem Apostolicam iubeat obseruari, videlicet, vt Pastore defuncto & sede vacante, vnus de Clero Ecclesiæ, quem communis & concors eiusdem Cleri, & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter, ac solemniter designauit, legitimo Episcoporum numero consecratus, locum decedentis Antistitis ritè valeat obtinere; nec dubitetur diuino iudicio, & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei, tam sancto ordine & legitima obseruatione fuerit celebratum. Hæc sunt quæ in Concilijs Patrum, & Decretis Apostolicæ Sedis Pontificum statuta reperiuntur, & ab Ecclesia Christi, & initiò comprobata reperiuntur, & comprobantur.* Admissum enim in electionibus faciendis populum indicat, sed authoritatem suffragij, de qua sola nobis quæstio est, habuisse non dicit; Et certum est eam authoritatem penes Clerum & Episcopos fuisse, vt statim docebo.

Spalat. Num. 24. Apud Baro. to. 12. in appen. ad ann. 813.

De electione Pontificis, quam hic obiter attingit, nil dicam hoc loco, dicturus de ea cum Spal. ad librum quartũ, ad quem nos remittendos duxit. Nicolaum etiam Pontificẽ prætereo, quòd Leonis authoritate nitatur, de quo infra abundè. Admittimus verò ex Epistolis Iuonis constare, electiones multas Episcoporum à Clero & populo Iuonis sæculo factas, atque Metropolitani electionem ab Episcopis Prouinciæ fieri solitas, sed hoc postremum sententiã nostram firmat. Primùm verò solum testimonium, & consensum populi præ se fert, nec plus colligitur ex decreto electionis Gerberti, postea Syluestri II. Pontificis Romani in Archiepiscopum Rhemensem. Verba Decreti sunt. *Nos Episcopi Rhemorum Diæceseos, secundum has constitutiones, Patrum fauore, & conniuentia vtriusque Principis nostri Domini, videlicet Augusti, & Excellentißimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, &c.* Hìc vides assensum populi hìc exprimi, adeoque vt ille ait quidem *conniuentium Principum*, sed decernere Episcopos, tanquam authoritatem in moderanda, & ad Canones exigenda electione habentes. Similia sunt quæ in decreto electionis Arnulphi Regis Lotharij filij habentur. *Nos qui dicimur Episcopi Diæceseos Rhemorum Metropolis, cum omni Clero diuersi ordinis, populo acclamante, orthodoxis Regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in Præsulem, &c. Arnulphum, &c.* Eligunt siquidem Episcopi acclamante populo, ac orthodoxis Regibus consentientibus.

Spalat. Num. 25. Spalat. Num. 26. Vita Gerb. post. eius Epist. Eod. Num.

Bernardum iam profert Spalatensis; *Bernardi temporibus*, inquit, *idem mos perseuerabat, is enim commendat Papæ Honorio Albericum in Episcopum Catalaunensem electum*; *In cuius electionem*, inquit, *totus tam Clerus quàm populus pari voto, & voce conuenerant.* Sed in ipso limine impingit, siquidem illa ad Honorium Epistola piissimus Pater à Pontifice humillimè ac demississimè postulat, vt suo assensu Alberici illius in Episcopum Catalaunensem electionem probare, ac firmare dignetur. *Aiunt apud vos plus valere pauperis precem*, inquit Bernardus, *quàm potentis vultum. De qua vestra singulari dignatione, tam sancta opinio facit me dignitatis celsitudinem non vereri, quo minus audeam loqui ad vos, id præsertim quod charitas suggerit: De Ecclesia dico, Domine, Cathalaunensi, cuius quantum in me est nec valeo, nec debeo dißimulare periculum. Videmus nimirum iam iamque im-*

Spalat. Num. 27. Bern. ep. 15. Bern. ep. 15.

minere, sentimus nos qui vicini sumus, pacem videlicet memoratæ Ecclesiæ grauiter mox esse turbandam, si electioni illustris illius viri, id est Magistri Alberici, in quam vtique totus tam Clerus quàm populus pari voto & voce conuenerat, & conueniunt, vestræ pietatis assensum impetrare nequiuerint. De qua re si & nostra quæritur aut curatur sententia, nouimus hominem sanæ fidei & doctrinæ hactenus extitisse: in diuinis pariter & humanis prudentem esse, & speramus in domo Dei (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem; & vtilem futurum non solùm illi, sed & omni Gallicanæ Ecclesiæ. Vestræ iam discretionis est iudicare, an meritò flagitetur à vobis facienda dispensatio, vnde talis potest sperari recompensatio. Quod attinet ad Arductionem Gebennensem electum, vtcumque magno Cleri & populi consensu factam eius electionem agnoscit Bernardus, ei tamen hanc labem aspergit, quod
Bern.ep.28 parum idoneus esset ad Episcopale munus obeundum. *In te*, inquit, *aut nulla merita, aut non quantum satis est, præcessisse dolemus.* Cæterùm assensum tantum populi celebrat, non verò ei authoritatem suffragij tribuit. Nescio verò cur hunc Centonem reliquis inseruerit *Mediolanensis Ciuitas, plebs & Nobilitas confir-*
Spalat. *mationem suæ electionis, Bernardi tempore à Pontifice obtinuerat;* Hæc enim pro-
Num. 27. bant penes Pontificem esse sacrarum electionum authoritatem, qua de re hunc
Bern.ep.131 in modum scribit Bernardus: *Plenitudo potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ sedi donata est, qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest si vtile iudicauerit nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit, &c.* Suntne igitur ista ad Spalatensis palatum? Ad Clerum Senonensem nihil scribit quod nos lædat, nec enim ipso Spalatensi teste, populi meminit in electione Metropolitani, sed dumtaxat suffraganeorum Episcoporum & Religiosorum, quare etiam hoc addit aduersarius. *Ecce iam paulatim cœperat populus excludi.*

Spalat. Num. 28. Quod attinet ad Petrum Blesensem, meritò auersatur furtiuam, vt vocat, & clandestinam electionem Archiepiscopi Cantuariensis, à Monachis Ecclesiæ Cantuariensis contẽpta, ipsorum & Abbatũ authoritate factam, sed populi non
Blesf.ep.27. meminit. Verba eius sunt. *Ausa est*, inquit, *irrumpere vsque ad Religionis professores, magistra illa discordiæ, odij fomes, & occasio scandalorum, præsumptuosa scilicet vsurpatio seorsim, & singulariter eligendi, vt contempta & abiecta Episcoporum & Abbatum deliberatione communi, fieret electio furtiua, clandestina, & consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis, & moribus reprobata. Sanè pestis hæc, & aliæ innumerabiles, corpus Ecclesiæ generalis hodie inficiunt & cor-*
Id. Blesen. ep. 131. *rumpunt.* Narrat etiam; *Se fuisse in Archiepiscopum Neapolitanum ab illa Ecclesia electum, & per maiores Capituli communi decreto, & voto vnanimi postulatum, dignitatem tamen illam se respuisse.*

Spalat. Num. 29. Sed nec hic quoque populi aliqua mentio est. Saresberiensis electionẽ à Clero & populo factam prædicat, sed *desiderium, & preces populo*, Episcopis *potestatem eligendi* Metropolitani tribuit; Verba illius sunt Epistola qua Richardi S. Tho-
Saresb.ep. 298.299. mæ Cantuariensis proximi successoris electionem refert, nomine *Exoniensis Ecclesiæ & Conuentus Cantuariensis exarauit, ab Episcopis suffraganeis, præeunte desiderio, & prece populi secundum instituta sacrorum Canonum, fuisse factam.*

Spalat. Num. 30. Sed iam à metis ad carceres nos reuocat Spal. ac antiquorum Conciliorum repetit sanctiones; *Quid in Concilio Nicæno*, inquit, *in hoc genere statutum, quid in aliis*

alijs Ecclesiasticis Comitiis siue prius siue posterius circa dicti primi Concilij generalis tempora Decretum sit, iam vidimus: nunc alia percurramus. Arelatense Concilium secundum sub Syluestro, seu potius sub Siricio statuit; In ordinatione Episcopi hunc ordinem custodiri, vt primo loco, venalitate vel ambitione submota ab Episcopis, nec nominentur, de quibus Clerici *vel* Laïci *ciues, erga vnum eligendi habeant potestatem. Antiochenum sub Iulio decernit; Non posse aliter fieri Episcopum, nisi in Concilio & cum consensu Episcoporum eorum dumtaxat, qui post obitum illius qui præcessit habuerint potestatem, eum qui dignus fuerit prouehendi. Laodicenum c.12. sic. Vt* Episcopi *iudicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem: ij videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei quàm rectæ conuersationis exemplo.* Carthaginense *3. ca. 40. Illud est statuendum, vt quando ad eligendum Episcopum conuenimus, si qua contradictio fuerit aborta (quia sæpè talia facta sunt apud nos) non præsumant, ad purgandum eum qui ordinandus est, tres tantùm; sed postulantur ad numerum supradictorum duo vel tres; & in eadem plebe cui ordinandus est, discutiantur primò persona contradicentium; postremò illa etiam quæ obiiciuntur pertractentur; & cùm purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demũ ordinetur:* Carthaginense *4. c. 1. post enarratas qualitates futuri boni* Episcopi; *Si talis fuerit, inquit, tunc cum consensu* Clericorum *& Laïcorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporũ, maximéque Metropolitani vel authoritate vel præsentia ordinetur.* De Nicæno Concilio vidimus suprà: Arelatense secundum proculdubiò sub Siricio celebratum promiscuè populo & clero eligendi potestatem tribuit, quod populus etiam eum postularet, quem dignum Episcopatu arbitraretur: Vult autem Synodus liberam proponendi facultatem electuris fieri, ne scilicet Episcoporum factionibus pateret locus, qui sibi aliqua ratione deuinctum aut acceptum eligendum suggererent, adeóque fortasse melioris postulationem impedirent. Hæc nos nihil lædunt. De Antiocheno Canone hoc solùm querimur, quod ab Orthodoxis Patribus editus non sit; nam quod attinet ad sanctionem, nobis omninò fauet, quippe qua solis Episcopis ius eligendi Episcopi tribuatur. Certè Lutheranus Scholiastes ad illum Canonem sic habet: *Videntur* Episcopi *illo tempore ius eligendi Episcopi, ita ad se traxisse, vt non valdè solliciti fuerint, an Ecclesia in electionem liberè consentiret, necne.* Laodicenum Concilium pro nobis facit; sic enim ad eum Canonem Balsamon; *Præsens quoque Canon prohibet Episcopos à multitudine eligi, & eos à Metropolitanis & Episcopis constitui oportere decernit; probari autem eos iubet, & in sententia & vita.* Sequens quoque Canon eiusdem Concilij sic habet, *Turbis non esse permittendum, eorum qui sunt in Sacerdotio constituendi electionem facere.* Quod ad Carthaginense III. attinet, huius Concilij Canon 40. ius summum & authoritatem in discutiendis electionibus Episcopis tribuit, quare nil nobis aduersatur, nec quicquam pro Spalatensi facit. Carthaginense quartum equidem consensum clericorum & laïcorum requirit in Episcopi ordinatione, sed non obscurè Episcopis Prouinciæ, maximè verò Metropolitano authoritatem pronunciandi asserit; verba illius sunt, *Cùm in his omnibus, inquit, examinatus inuentus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu clericorum & laïcorum & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximè Metropolitani vel authoritate vel præsentia ordinetur Episcopus.*

Paulò diligentiùs expendendus est à nobis libellus Synodicus Constantinopolitanorum Patrum ad Damasum. *Patrum Concilij primi Constantinopolitani*

Conc. Arelat. 2. c. 35.
Conc. Ant. c. 27.
Dist. 61. c. Episcopũ. Et dist. 24. c. Episcopi.
Dist. 23. ca. Illud & Conc. Afr. ca. 17.
Dist. 23. c. Qui Episc.
Elias Ehinger. ad can. 23.
Balsa. ad Synod. Laod. in can. 12. Καὶ ὁ παρὼν κανὼν κωλύει ὑπὸ τοῦ ὄχλου τοὺς ἐπισκόπους ψηφίζεσθαι· καὶ διορίζεται παρὰ μητροπολιτῶν ἐπισκόπων τούτους καθίστασθαι. παρακελεύεται δὲ δοκίμους εἶναι αὐτοὺς κατά τε τὸ δόγμα καὶ τὸν βίον.
Syn. Laod. Can. 13. Περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.
Can. 1.
Spalat. Num. 31.

ſecundi generalis, inquit Spalatenſis, *libellum Synodicum ad Damaſum, & Epiſcopos Occidentales miſerunt; in quo multa commemorant, & notificant quæ ad inſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam fuerunt in illo Concilio ſtatuta. Inter hæc de electionibus iſta habent: De adminiſtrationibus autem quæ ſunt cuiuſque Eccleſiæ propriæ, cùm vetus, vti noſtis, lex eſt tum ſanctorum Patrum in Concilio Nicæno deciſio, vt videlicet ſingularum Prouinciarũ Antiſtites vnà cum finitimis, modo ipſis ita viſum fuerit Epiſcopis, Miniſtros ad Eccleſiarum commodum in ſuis ipſorum Prouinciis ordinent, &c.*

Apud Theod. li. 5. c. 9.

Reſpondeo, & huius quoque libelli Synodici narrationem omninò nobis fauere; Namque teſtatur Epiſcopos in Concilio Nectarium Conſtantinopolitanũ, Flauianũ, Alexandrinum, Cyrillum Hieroſolymitanũ, Epiſcopos renunciaſſe, aſſentiente quidẽ Imperatore, & tota ciuitate Cõſtantinopolitana in Nectariũ inclinante (namque aliarũ Eccleſiarũ plebes non aderant) ſed authoritate & poteſtate comprouincialiũ Epiſcoporum, quibus hac in parte ſummũ rerum iudiciũ, non verò laicis tribuunt Patres, adeóque Romanũ Põtificem obnixè rogant, vt his congratuletur; *Quibus rebus*, inq. Theod. *tanquam legitimè & ſecundũ Eccleſiæ Canones conſtitutis, obſecramus veſtram reuerentiam vti congratuletur.*

Theo. hiſt. Eccl. 5. c. 9. Οἷς ἐνθέσμως καὶ κανονικῶς παρ' ἡμῖν κεκρατηκόσι, καὶ τὴν ὑμετέραν συγχαίρειν παρακαλοῦμεν εὐλάβειαν, &c.

Audiamus iam Concilium Aurelianenſe ſecundum, *Concilium Aurelianenſe II.* inquit Spalatenſis, *circa tempora Vigilij de electionibus hæc habet. In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis, antiquam inſtitutionis formulam renouamus, quam per incuriã omnimodis vidimus amiſſam. Itaque Metropolitanus Epiſcopus à Comprouincialibus Epiſcopis Clericis vel populis electus, congregatis in vnum omnibus Comprouincialibus Epiſcopis ordinetur; vt talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat per quem regula Eccleſiæ in melius aucta plus floreat. Tertium quoque eiuſdem loci Concilium ſic ſtatuit; Metropolitanus à Comprouincialibus Epiſcopis (ſicut Decreta ſedis Apoſtolicæ continent) cum conſenſu Cleri, vel ciuium eligatur; quia æquum eſt ſicut ipſa ſedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendis eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprouincialibus verò ordinandis cum conſenſu Metropolitani, cleri & ciuium, iuxta priorum Canonum ſtatuta, voluntas & electio requiratur.* Reſpondeo: Et hic quoque Epiſcopis ſummum iudicium electionis Metropolitani tribui, licet & populi quoque meminerit, ſed diſiunctim, vt nimirum accedat vel Cleri vel populi conſenſus, ſignificans, ſcilicet alterum ſufficere, ſiquidem ambo non conſpirent. Idem habet etiam tertium Aurelianenſe Concilium. *Metropolitanus*, inquit, *à Comprouincialibus Epiſcopis (ſicut Decreta ſedis Apoſtolicæ continent) cum conſenſu Cleri vel ciuium eligatur, quia æquũ eſt ſicut ipſa ſedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Vt autem concedamus coniunctim intercesſiſſe populi conſenſum, *ad teſtimonium* referendum eſt, non *ad authoritatem eligendi* quam Comprouincialibus Epiſcopis omnino tribuit vtraque Synodus. Pergit Spalatenſis.

Spalat. Num. 32. Conc. Aureli. 2. c. 3. Conc. Aur. 3. c. 3. Anicet. ep. vn. infrà c. 5. num. 4.

Conc. Aur. 3. cap. 3.

In Aruernenſi, inquit, *Canon eſt huiuſmodi; Placuit etiam vt ſacrum quis Pontificij honorem non voris quærat, ſed meritis: nec diuinum videatur munus comparare rebus, ſed moribus. Atque eminentiſſimæ dignitatis apicem omnium conſcendat electione, non pauco rum fauore. Sit in eligendis Sacerdotibus cura præcipua: quia irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis. Diligenter itaque quiſque inſpiciat prædium Dominici gregis, vt ſciat quod meritum conſtituendi deceat eſſe paſtoris. Epiſcopatum ergo deſiderans, electione Clericorum, vel ciuium conſenſu, etiam Metropolitani eiuſdem Prouinciæ, Pontifex ordinetur.*

Spalat. Num. 33. Conc. Aruern. c. 2.

Non

Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola ad conscribendum decretum, alios hortetur præmiis, alios timore compellat. Quod si quis fecerit, Ecclesiæ cui indignus præesse cupit, communione priuabitur.

Atqui ista probant summam rerum in electione Episcoporum penes laïcos non fuisse, siquidē cùm par rebus gerendis esse non possit Episcopus, nisi doctrina sit singulari & eximia, certè huius rei iudicium ad laïcos pertinere non potuit; Quod attinet quidem ad mores, testimonium ferre potuit, at hac ratione in electionibus suas olim partes habuisse non inficiamur. Hoc solum vult Aruernense Concilium.

Nec latius se fundit Concilij Aurelianensis quinti sanctio, de qua sic Spalatensis, *In Aurelianensi quinto*, inquit, *sic legimus, vt nullum Episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis iuxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus continetur scriptum, consensu cleri ac plebis à Metropolitano, vel quem vice sua miserit cum Comprouincialibus Pontifex consecretur. Item. Sed nec per oppreßionem potentium personarum ad consensum faciendum ciues aut Clerici, quod dici fas est, inclinentur.* Vides scilicet vt ad Metropolitanũ & Comprouinciales Episcopos summa rei referatur non quod solùm ad eos ordinatio electi pertineret, sed quod omnino electioni præsiderent, ac de ea num legitima esset pleno iure inter populares & Clerum censerent. Eorum quoque fuit despicere num populis & clero vis vlla facta esset, vt scilicet vitiatam electionem, si id contigisset, significarent ac decernerent. Videamus de Toletano quarto; *In Toletano quarto*, inquit, illud habemus; *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec clerus nec populus propriæ Ciuitatis elegit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprouincialium Sacerdotum assensus non exquisierit. Et paulò pòst, Tunc secundum Synodalem vel decretalia constituta, cum omnium clericorum vel ciuium voluntate, ab vniuersis Comprouincialibus Episcopu consecrabitur.* Idem habet hoc Concilium quod superiora, & cleri vel populi consensum ac testimonium satis esse docet. Sed aliò nos vocat aduersarius.

SPALAT. Num. 34. Conc. Aur. 5. c. 10. 11.

Conc. Tol. c. 18. habetur Dist. 51. cap. fin.

Inter Canones, inquit, *Græcarũ Synodorum à Martino Bracharensi collectos, vnus morem hunc, vt à populo Episcopus eligatur, expreßè supponit, dum sic habet; Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam non habentem Episcopum, subripiens populos, sine Concilio integri ordinis irruerit, etiamsi populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum* Concilium *dicimus illud, in quo Metropolitanus* Episcopus *fuerit.* Respondeo hoc Canone labefactari sententiam Spalatensis; Ad Concilium enim integri ordinis, hoc est omnium Comprouincialium Episcoporum, quibus Metropolitanus præsit rem reuocat, nec eum vult Episcopatu gaudere, qui populos seduxerit, ac in suã sententiam pertraxerit, vt se pro Episcopo agnoscant. Nec dissentit Cabilonense, de quo sic Spalatensis, *Et in Cabilonensi ita statuitur; Si quis Episcopus de quacunque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio nisi à Comprouincialibus, Clero & ciuibus suis alterius habeatur electio: sin aliter huiusmodi ordinatio irrita habeatur.* Vt vt enim etiam populum nominet par ius cum Episcopis & Metropolitano ei non tribuit. Quini-sexta Synodus, quæ tamen Synodus non est, nos non lædit; *Quini-sexta etiam Synodus*, inquit, *electionem Episcopi ab omnibus Episcopis Comprouincialibus faciendam esse agnoscit, fatetur, & statuit.* Vt iam molestissimo labore nos leuemus, & vno verbo reliqua argumenta ex variis authoribus

SPALAT. Num. 35. Coll. Mart. Brach. c. 9. habetur. Dist. 92. c. Si quis Epi.

Conc. Cabil. c. 10.

Syn. Quini sex. c. 39.

Conc. Val. ca. 7. Syn. Ticin. deprompta diluamus, concedimus Concilium Valentinum sub Leone quarto electionem Cleri & plebis supponere, Concilium Ticinense sub Ludouico II. Imperatore, cauere, vt vacante sede, primùm quidem illius loci Presbyteri, vel cæteri clerici, idoneum sibi rectorem eligant, deinde populi sequatur assensus. Agnoscimus & decretum à Bellouacensi Synodo de ordinatione Archiepiscopi Rhemensis factum, in hæc verba. *Vnde à Clero & plebe ipsius Metropolis, sed & ab Episcopis eiusdem Prouinciæ petitus, sicut petitio eorumdem manibus subscripta declarat, & ab Archiepiscopo tunc suo Senonensi, & proprio Episcopo Parisiorum, nec non etiam Episcopis Senonensis Prouinciæ, cum consensu Abbatis sui, & fratrum Monasterij in quo degebat, fauente etiam D. Carolo Rege glorioso, Episcopis Rhemensis Prouinciæ, & Clero ac plebi ipsius Metropolis per Canonicas literas ipsorum manibus subscriptas, quas patenter nobis ostendit frater Hincmarus, est traditus. Sicque de proprio ipsius Ecclesiæ clero effectus, cum Decreto Canonico, eligentium manibus roborato, iudicio Metropolitanorum, & eorum qui circùcirca fuerunt, secundum Laodicense Conciliũ, præsentia & vnanimi consensu omniũ suffraganeorũ ipsius Metropolis, astante quoque Metropolitano suo, qui eum, consensu Coepiscoporũ suorũ illis tradiderat, omnibus acclamantibus, nullo resultante, aut obdicente Canonicè, & iuxta decreta sedis Romanæ Pontificum veluti literæ nobis ostensæ, quas Africanum Concilium ordinatum ab ordinationibus suis iubet accipere monstrant, in ea est ordinatus.* Fatemur quoque esse hunc Canonem Concilij Rhemensis sub Leone IX. *Ne quis sine electione cleri & populi ad regimen Ecclesiasticum proueheretur.* Sed ista omnia solùm probant intercessisse *testimonium* & *consensum populi*, quod non negamus; At verò habuisse populum *authoritatem suffragij*, non euincunt.

Apud Bar. to. 10. an. 867. nu. 18.

Apud eund. Bar. to. 11. in append.

Spalat. Num. 36. Iam ad populorum iura defendenda homo popularis aggreditur. *Variis*, inquit, *tandem prætextibus, & fortè non sine occasione, propter abusus introductos, plebem excludere ab electionibus multi sunt conati. Eam verò non nisi cum maxima iniuria, & contra tot Ecclesiæ statuta excludi, inde vel maximè probatur, quod inuitis Episcopum nullo modo esse dandum, tota clamet antiquitas, & ratio suadeat vehementissimè. Quare & in Concilio Ancyrano antiquissimo liberum esse plebi supponitur, vt possit Episcopum sibi ea inconsulta datum respuere; Sic enim Canone illius 18. habetur; Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa Parochia, in qua fuerunt denominati, voluerintque alias occupare Parochias, hos abiici placuit. Et Cyprianus suprà num. 7. dicebat plebem maximè habere potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Et in Antiocheno Concilio Can. 18. supponit plebem posse Episcopum sibi ea inscia ordinatum, recusare. Si quis, inquit, ordinatus non ierit in Parochiam, ad quam est ordinatus, non sua quidem culpa, sed propter populi recusationem, vel aliquam aliam causam quæ à se non oritur, is sit & honoris & muneris particeps; dummodo nullam rebus Ecclesiæ, in qua conuenit, molestiam afferat. Eodem tempore Iulius. Orientales Episcopos reprehendens, quod Episcopos plebibus acceptos expellerent, & alios inuisos, inuitis obtruderent; id contra Apostolicas Pauli & Petri ac Patrum traditiones esse docet; vt habes infrà lib. 4. cap. 10. num. 20. Et expressè Cælestinus Papa (quem Ioannes quoque Octauus secutus est) imò & Pelagius declarat licere clericis refutare Episcopum, nec illum recipere, si ex alieno Clero is eis præficiatur. Sit facultas, inquit, Clericis renitendi, si se viderint prægrauari, & quos sibi ingeri ex transuerso agnouerint, non timeant*

Dist. 92. c. 6.

Cæl. ep. 1.

meant refutare. Qui etsi non debitum præmium vel liberum de eo qui eos recturus est, debeat habere iudiciũ. Qui & illud præmiserat: Nullus inuitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur. Et exemplum infrà habes de Perigene. Leo sapientißimè, Cùm de summi, inquit, Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulant; ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio, is alteri præferatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis; tantùm vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur; ne plebs inuita Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit. Item excessum Hilarij reprehendens, qui præter ius fasque Episcopos ordinabat, ait; Traduntur ordinandi ad hoc officium iis quibus præficiendi sunt, ciuitatibus ignoti; vt enim notus qui fuerit probatus per pacem petitur, ita per vim necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur. Sic & Concilium Parisiense primum, Nullus, inquit, ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio, plenißimâ quæsierit voluntate. Idem repetit Concilium Aurelianense quintũ. Item, inquit, sicut antiqui Canones decreuerunt nullus inuitis detur Episcopus, &c. Ita etiam Ioannes Papa VIII. infrà Num. 44. Non est itaque firma assertio Bellarmini, dum nullum Conciliorum Decretum afferri posse dixit, in quo habeatur Episcopos à Clero & populo eligi debere. Et quod dicimus de electionibus plebi quoque pro sua parte dandis, intelligimus vbi vel leges de eiusdem quoque plebis consensu latæ non obstant, vel si Rex suppleat pro ipsa plebe, vt infrà Num. 54. & lib. 6.

Ib & habetur. Dist. 61. c. 13.
Infr. c. 6. n. 13.
Leo ep. 88. habetur Dist. 63. c. fin.
Idem Leo ep. 99.
Conc. Par. lib. 1. c. 8.
Conc. Aur. 5. ca. 11.
Bel. de Clericis l. 1. c. 7.

Respondeo, cum summa Ecclesiæ iniuria Spalatensem populorũ temporaria priuilegia propugnasse; Rationem enim grauissimam fuisse Ecclesiæ, laïcis olim concessa in Episcoporum electionibus suffragia auferendi, æqui rerum æstimatores vident: siquidem quanti & quàm sanguinarij tumultus in his popularibus electionibus acciderint, norunt omnes quibus veteris historiæ lux aliqua affulserit. Et vt à Principe sede ordiamur, quis nesciat in vnius Damasi Pontificis Romani electione, seditiosorum manibus interfectos supra centum & triginta homines? Marcellinus homo à nostris sacris alienus, culpam in Damasum æquè ac Vrcisinum confert; sic enim de Viuentio quæsitore Palatij in Pannonij locũ suffecto ac vrbi præfecto. *Hunc quoque*, inquit Marcellinus, *discordantis populi seditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitauere. Damasus & Vrsicinus supra humanum modum, ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scißis studiis asperrimè conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adiumentis vtriusque progreßis; quæ nec corrigere sufficiens Viuentius, nec mollire, vi magna coactus secesßit in suburbanum: & in concertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat instante. Constatque in Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die centum triginta septem reperta cadauera peremptorum: efferatamque diu plebem ægrè posteà delinitam.* Damaso iniuriam facit quam Christiani authores depellunt: sed vides cruentas populorum seditiones, & sanguinarios motus in sacris electionibus ab eis concitatos. Similia ferè in Bonifacio II. Conone, Sergio, Paulo I. & Constantino Romanis Pontificibus tradit Platina. Adi illum; Neque pacatiores fuere aliis orbis terrarũ locis populares electiones. Lege Sozomenum circa successorem Alexãdri Constantinopolitani Episcopi; Socratẽ circa successorem Attici: & circa successorẽ deiecti Nestorij: Et circa electionẽ Flauiani. Rursum vide apud Sozom. circa successorẽ Eudoxij quid acciderit: lege etiam apud Euagr. grauissimos tumultus circa electionem Protorij Alexandrini Episc.

Marcell. li. 27.
Sozo. l. 3. c. 4. & 7. Socr. l. 6. c. 27. & l. 7. c. 35. & l. 5. c. 9. Sozom. l. 4. c. 28 Eugr. l. 2. c. 5. & c. 8.

Gregorius Nazianzenus in orat. funebri patris sui, & potissimũ Chrysostomus, latissimè scribunt de popularibus tumultibus, & factionibus circa huiusmodi electiones. Fuit igitur necessariò tandē penitus sublata popularis acclamatio, & illa qualis qualis electio. Propterea scilicet Greg. Nazianz. ac Chrysostomus, quod suprà monuimus, in turbulẽtissimas illas electiones passis velis inuehuntur, easq; damnant, ac multorum malorũ in Ecclesia causas esse conqueruntur. Igitur necessitate adducta Ecclesia illas tandem sustulit, ac ad vnũ clerum reuocauit, nisi quod Regum quoque accessit fauor, quem consensus peculiaris vice esse posse, non ipse negat Spalatensis regio beneficio deuinctus. Sed his missis diluamus obiecta. Concilio Ancyrano aut Antiocheno non dicitur liberum esse plebi Episcopum sibi datum repudiare, sed quod impudentia populorum id non rarò acciderit, malo occurritur, ac medela adhibetur; Certè vtcunque nutet Canonum Apostolicorum fides, tamen quod Græca Ecclesia illis semper vsa sit, non grauabor ascribere quæ de hac re habent. Extat ergo Canon trigesimus sextus quo cauetur, [a] *Vt si quis delectus Episcopus, &c. non sua voluntate, sed populi prauitate non recipiatur, ipse quidem maneat Episcopus, Clerici verò ciuitatis communione priuentur, qui non fuerunt inobedientis & intractabilis populi moderatores & correctores.* Ad quem locum Zonaras, [b] *Si se contulerit Episcopus in eam ciuitatem quæ sorte sibi contigit, illius autem parœciæ populus eum non excepit, non ob aliquam Episcopi vituperabilem causam, sed propter ipsius populi qui subiici non vult, inobedientiam & impudentiam: in proprio quidem manebit Episcopus honore, videlicet Episcopali dignitate: illius verò parœciæ clerus ab Ecclesiæ communione segregabitur, quod inobsequentem illum populum, qui maiorum non fert imperium, non docuerit.* [c] Repetunt hunc Canonem Antiocheni, ac reluctante plebe ordinatum Episcopum honorem Episcopalem retinere iubent. Non ergo potestatem faciunt populis repudiandi Episcopos sibi à maioribus datos, sed potius quorumdam populorum peruicaciam notant, qua non obstante voluit renunciatum Episcopum Episcopali honore gaudere.

De Iulio vidimus suprà; Cæterùm iure optimo Orientales Episcopos reprehendit, quòd Episcopos plebibus acceptos expulissent, & alios inuiti, obtrusissent; siquidem Orientales, illi per summum scelus orthodoxos antistites crudeliter habitos suis Ecclesiis spoliarant, ac in eorum locum Arianos aut Arianorum palpatores suffecerant. Scilicet Athanasium immortali laude dignum virũ Alexandrino Episcopatu abdicarant, ac sceleratum illud Caput Georgium Cappadocem in eius thronum induxerant, cuius rei occasione quod conqueritur Iulius virgines denudatæ, Monachi, Presbyteri, & multi alij ex populo indignè habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati, mysteria ab Ethnicis direpta, & in terram abiecta fuissent. *Si,* inquit, *Iulius post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oporteret Creationem noui Episcopi ita illegaliter, & præter Canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacerdotali ordine, & ex ipso Clero eius Prouinciæ Episcopos constitui, & nequaquam ex illis qui nunc Apostolorum Canones violant.* Mitto iniurias factas Marcello, Ancyræ, Asclepæ, Gazæ, ac reliquis, de quibus post modum videro. Itaque meritò Iulius ad Orientales; *Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste & nouum studium est. Obsecro vos cum alacritate audire, pro publico bono ista scribo. Quæ enim accepimus à beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos*

Chr.l. 3. de Sacerdot.

[a] Canones Sanctorum Apostolor. Can. 36. Εἴ τις χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος, &c. μὴ δεχθείη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ μοχθηρίαν, αὐτὸς μενέτω ἐπίσκοπος, ὁ δὲ κλῆρος τῆς πόλεως ἀφοριζέσθω, ὅτι τοιούτου λαοῦ ἀνυποτάκτου παιδευταὶ οὐκ ἐγένοντο.

[b] Zonar. in Can. illum. Εἰ ὁ μὲν ἐπίσκοπος ἀπῆλθεν εἰς τὴν λαχοῦσαν αὐτόν, ὁ δὲ τῆς παροικίας ἐκείνης λαὸς οὐκ ἐδέξατο αὐτὸν δι' οἰκείαν ἀνυποταξίαν, καὶ ἀναίδειαν, ἀλλ' οὐ διά τινα αἰτίαν τοῦ ἐπισκόπου ἐπίψογον· ὁ μὲν ἐπίσκοπος μενεῖ ἐπὶ τῆς οἰκείας ἐπιτιμίας, τῆς ἀξίας δηλαδή, ὁ δὲ κλῆρος τῆς παροικίας ἐκείνης ἀφορισθήσεται, ὅτι τὸν ἀνυπότακτον ἐκεῖνον λαὸν οὐκ ἐπαίδευσεν.

[c] Can. 18.

De publico testimonio exigi ab Episcopo solito vide Hier. ep. 85. & auth. vtriusque testam. qq. 101. apud Augustinũ.

Athan. to. 1. p. 586. ep. Iulij.

nos conturbassent. Episcopi abripiuntur, & sui è sedibus propelluntur; alij verò aliundè in eorum loca reponuntur, alij verò insidiis appetuntur, vt subditi & de abreptis doleant, & à summißis vim patiantur, vt quos optant, frustra requirant, quos nolunt inuiti recipiant; Obsecro ne ista vlterius fiant, vel potius contra illos scribite, qui talia moliuntur, ne deinceps has iniurias Ecclesiæ patiantur, aut Episcopus aut Presbyter istiusmodi contumelias sentiat, aut præter animi sententiam ea quæ nolint, vt nobis indicarunt cogantur facere, ne apud Ethnicos ridiculi efficiamur, aut quod præ omnibus grauißimum est, Deum exacerbemus.

Quod attinet ad Cœlestinum Papam meritò quoque in illa rerum turbatione, de qua ad Viennenses & Narbonenses conqueritur, ordinationes Episcoporum ad antiquum & receptum in Ecclesia morem reuocare studens inter cætera, clericis si prægrauarentur facultatem renitẽdi facit. Siquidem imponebantur inuitis Episcopi scelerati, nullis etiam Ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium euecti, ac præterea ex aliis Ecclesiis assumpti, adeò vt quasi in alienum patrimonium inuolarent, & inuaderent homines ambitiosi, quod ferre se non posse innuit Pontifex, & quidem optima ratione, quæ tamen illa tempora solùm respiciat. *Nullus*, inquit, *inuitis detur Episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus, ac desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quòd euenire non credimus) poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur.* Interim obiter monemus, quod ad populũ attinet, non plus ei tribuere Cælestinũ, quàm consensum & desiderium. Sed neque in verbis Leonis aliquid est quod nos lædat, siquidem authoritate Apostolica summũ rei iudiciũ Metropolitano tribuitur, & populi solùm consensus laudatur, ac quærendus dicitur *qui maioribus & studiis iuuatur & meritis.* Atque vt eodẽ filo soluamus quæ ex Concilio Parisiensi, Aurelianensi, Ioanne Papa VIII. affert, vt ostendat cõtra Bellarminũ *decretũ olim extitisse in Ecclesia, in quo haberetur Episcopos à clero & populis eligi debere*; Dicimus intercessisse primũ morẽ, vt in electionibus sacris populus audiretur, eius testimoniũ ponderaretur, & consensus postularetur, demũ accessisse etiam decreta Pontificum & Conciliorum, quibus mos ille illibatus seruari iuberetur; sed quemadmodum in more nunquam positum fuit, vt authoritas suffragiorum, adeóque ius electionis sacræ penes populũ esset, ita quoque nullum vt ei assereretur sequutum est decretum; Quod ipsa verba Conciliorum, Pontificum & Patrum ostendunt: *Nullus*, inquit, *inuitis Episcopus detur; præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit*: Igitur Episcopi dant atque præponunt, quos clerus & populus postularit, adeóque penes Episcopos est potestas renunciandi Episcopos, penes plebes ius postulandi. Cæterùm in ipsa etiam magistratuum ciuilium creatione, solet à Regibus & Principibus ratio haberi ciuium, vt nonnisi gratus & acceptus populis imponatur rector, saltem in benè constitutis Imperiis, siquidem ingratus & inuisus multorum tumultuum causa esse possit, quod præcauendum monent politicarum rerum sapientissimi scriptores: Nunquid igitur quia postulatũ à Prouincia populis imponunt Rectorem, Reges aut Principes, creandi eius magistratus potestatem non habent, aut ea penes populum est? Fabulæ. Quod addit de iure Regum postea examinabitur.

Cælest. PP. ep. 2. ad Episc. Galliæ c. 5.

Sed rem obseruatu dignissimam affert sequenti sectione, *Et quamuis immeritò*, (hoc tuum *immeritò* suprà dispunximus) *vt videmus, iam sit exclusa plebs ab ele-* Spalat. Num. 37.

ctionibus suorum Episcoporum, Clerus tamen diutißimè in suo iure eligendi perseuerauit, & adhuc perseuerat, vbi nimia potentia, sanctißima iura, Apostolicamque, imò & Euangelicam traditionem non extinxit. In Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio cap. 23. electio clericorum confirmatur. Innocentius ipse in sua epistola 152. lib. 1. de iure Canonum, fatetur electionem fieri in ipsa Ecclesia Pastore viduata. Decretales recentiorum Romanorum Pontificum idem & supponunt & confirmant infrà citandæ. Iam igitur morem priscum electionum ex authoritatibus Romanorum Pontificum ostendamus. Apparet igitur maiorem semper cleri quàm populi habitam rationem, nimirum quod clerus viris grauissimis refertus sit, à quibus minus quàm à populo timendum sit, ne factionibus se implicent, & turbas concitent, quamquam etiam, vt nihil est ex omni parte beatum, habet & suos næuos electio toti clero concredita. Sed hæc non sunt nostri instituti. Pontifices nobis iam sunt audiendi.

Acquiescamus in Leone, hunc enim potissimùm nobis obiiciunt Caluinus, & reliqui Sectarij, à quibus sua mutuatus est Spalatensis. Illud tamen præfabor non plus quoque in numerosissima ista testimoniorum serie haberi, quàm in sacris electionibus auditum populum qui postularet, ac testimonium redderet eligendo, & factæ electioni suum assensum præberet. Cæterùm quod attinet ad Leonem, manifestum est eum electiones sacras ad receptum morem exegisse, ac primùm censuisse in his *exspectanda vota ciuium, testimonia populorum, honorum arbitrium, & electionem clericorum*; sed clarum quoque est läicis nil aliud præter votum, testimonium, ac arbitrium, quæ tria illi vnum & idem significant tribuere, electionem verò clericis asserere, & hoc est quod suprà monebamus, popularem electionem cùm maximè vigeret, nunquam pro necessariò suffragio habitam esse, sed sæpiùs etiam reiectam.

Spalat. Num. 38. Causas cur admitteretur expendimus, & in his numerat Leo Ecclesiæ pacem, & paratiora ac promptiora populorum obsequia; *Qui præfuturus est omnibus,* inquit, *ab omnibus eligatur. Per pacem & quietem Sacerdotes qui præfecturi sunt postulentur; Propter pacem & Deo placitam concordiam consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est ordinetur*; & sexcenta huiusmodi quæ profert Spalatensis. Cæterùm eo loco quo factas perperam ab Hilario Arelatensi ordinationes rescindit; Prouincialium Episcoporum & Metropolitani iudicium in sacris electionibus potissimùm requirit, & postulationem solummodo populo

Leo ep. 95. habetur Dist. 62. c. 1. asserit; *Nulla*, inquit Leo, *ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Prouincialibus* Episcopis, *cum Metropolitani iudicio consecrati. Vnde cùm sæpè quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collocatum? Si qui autem clerici, ab istis Pseudo-*Episcopis *in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios* Episcopos *pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec authoritate munita.* Idem in Hilario, Gelasio, Hormisda, Agapeto, Stephano, Pelagio, Gregorio Magno, Bonifacio Tertio, ac reliquis, quorum testimonia coaceruauit Spalatensis, vt mole obrueret, quos ratione vincere non posset, obseruandū venit. Concedimus igitur olim quidem fauentibus Pontifice, & sacris Synodis populos auditos in sacris electionibus, vt testimonium eligendis redderent, ac electionibus factis assentirentur, quo pax constaret Ecclesiis,

&non-

& nonnisi probati sanctissimis honoribus cumularentur. Sed oro perpendat eruditus lector sanctionem Stephani Papæ ad Rauennatem Episcopum; *Nosse tuam fraternitatem volumus*, inquit, *ad nostras aures fore peruentum, Imolensem Episcopum ab hac luce migrasse, in cuius successoris electione populi diuisionem prouenisse audiuimus. Quod quia sæpè contingere solet (quærentibus singulis quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi) non adeò miramur: Verumtamen in hoc tuam plurimùm oportet adhiberi sollicitudinem, vt conuocato clero & populo, talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obuenient Canones. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est; qui docendus est populus, non sequendus. Hoc est*, inquit Spalatensis, *consensus ipsius est omninò exspectandus; non tamen semper persona quam proponit promouenda: quia sæpè indignos promouet.* Vides vt se suo gladio iugulet, ac confodiat: non igitur authoritatem & pondus electioni dare solitus populus, sed Episcopi, à quibus rei iudicium pendeat.

Sed iam cominus nos argumentis incessit. *Quoniã qui excludunt plebem nostri*, inquit, *ab electionibus Episcoporum, plebis partes non alias ponunt antiquitus, nisi vt testimonium reddat de vita & moribus promouendi, vt errare se cognoscant, si non sint satis tot testimonia iam allata in quibus multò plus tribuitur plebi quàm tale testimonium: legant acta* Concilij *Chalcedonensis, in quibus ordinarius Ecclesiasticus mos electionum peragendarum exactè discutitur; in iis verò decretum etiam publicum intercedebat, vt habes infrà lib. 4. cap. 4. num. 8. Legant etiam Alcuinum, vbi sic scribit: Cùm Episcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius à clero seu populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apostolicum (hoc est ad Primatem Regni seu Metropolitanum) cum suo electo, deferente secum suggestionem, hoc est Rogatorias literas, vt eis consecret Episcopum. Vbi satis apparet*, inquit Spalatensis, *electio vera & proprio etiam decreto firmata, &c.* Respondeo nullius ponderis esse decretum nomine Concilij Chalcedonensis ab aduersario prolatum, quippe cuius authores fuerint homines laïci, quos etiam in re maioris momenti constat à regulis Ecclesiasticis aberrasse, vt suo loco sum dicturus: Addo verò nec in eo decreto, nec in Alcuini loco aliquid apparere, quod authoritatem sacrarum electionum populo asserat: *Decretũ ab ipsis etiam possessoribus & clarissimis* (quos primores ciuitatum fuisse nullus dubito) *componebatur*, sed decretum erat postulationis, quæ Metropolitano offerretur, & intercessisse primùm oportebat suffragium Episcoporum Prouinciæ, *Decreto facto à clericis*, inquiunt Iudices, hoc est Imperatoris oratores, *vniuscuiusque Metropolis & possessoribus atque clarissimis viris, super hæc & à Reuerendissimis Episcopis Prouinciæ, omnibus aut pluribus eligatur, is quem præfati Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopi dignum esse probauerint; referatur autem ab omnibus eligentibus sanctissimo Archiepiscopo regiæ Constantinopolis, vt penes eum sit, si velit hunc qui electus est aduenire, & hic ordinari, an secundum eius permissionem in Prouincia, Episcopatus mereri decretum.* Alcuinus omninò rectè ROGATORIAS LITERAS vocat huiusmodi decretum, quod à clero & populo fieret, vt ad Primatem seu Metropolitanum deferretur; non igitur alio loco quàm postulationis habuit. Quod verò de sancti Martini electione & Eradij designatione, vt Augustino succenturiaretur, refert, est suo loco discussum. Impetum etiam populi Alexandrini in euehendo ad thronum Episcopalem, eo qui esset illi acceptissimus expendimus, ac nouissimè

Num. 39. in fin.
Dist. 63. c. Nosse.
SPALAT. Num. 42.
Sixt. Sen. Bibl. l. 5. an. 118. & Bel. de Cleric. l. 1. c. 7. & c. 9.
Conc. Cha. Act. 16.
Alcuin. de diuin. offic. c. 36.
Conc. Cha. Act. 16.
Ὥστε ψηφίζεσθαι μὲν παρὰ τῆς ἑκάστης μητροπόλεως κληρικῶν, καὶ κτητόρων, καὶ λαμπροτάτων ἀνδρῶν, ἔτι μὴν καὶ παρὰ τῶν κατὰ τὴν ἐπαρχίαν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων πάντων, ἢ τῶν πλειόνων, καὶ ἐκλέγεσθαι, ὃν ἂν οἱ προειρημένοι ἄξιον εἶναι τῆς κατὰ τὴν μητρόπολιν ἐκκλησίας ἐπίσκοπον δοκιμάσωσι. ἀναφέρεσθαι δὲ παρὰ πάντων τῶν ἐκλεξαμένων τῷ ὁσιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως, ἐπὶ τῷ ἐν αὐτῷ εἶναι, εἴτε βούλεται, τὸν ἐκλεγέντα ἐνταῦθα παραγενόμενον, χειροτονεῖσθαι, εἴτε κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ τῇ ψήφῳ τῆς ἐπισκοπῆς.

cuiusmodi esset decretum, cuius meminerunt Gregorius, Hincmarus, Alcuinus, & reliqui ostendimus, nimirum *literas rogatorias*, vt interpretatur Alcuinus. Hæc satis esse possunt soluendis reliquis locis, & testimoniis Pontificum pro popularibus electionibus. Non diffitemur itaque etiam Nicolao I. Adriano II. Ioanni VIII. Gregorio VII. Innocentio II. Vrbano II. Alexandro III. Innocentio III. probari eas sacras electiones, in quibus populus audiatur, sed quænam populi in his essent partes fusè ostendimus in superioribus.

SPALAT. Num.50. Certè Spalatensis tot spatia emensus tandem ad nos remeat, ac laicorum electiones non adeo sibi probari ostendit. *Contra hunc morem electionum*, inquit, *quatenus Laïcos & plebem includit, non diffiteor in Ecclesia interdum fuisse reclamatum: abususque non leues ex plebis leuitate, electiones sæpè aut turbasse aut deturpasse: vt visum est in aliquot exemplis iam à me productis: Vbi per seditiones illæ interdum non sine schismate, factæ sunt. Et quia contingebat, vt plebs laïcos sæpè contra statuta Canonum ad* Episcopatum *posceret, ne id fiat acrius monet Cælestinus, néue in hoc plebi inscia & imprudenti mos geratur. Docendus, inquit, est populus; non sequendus; nosque si nesciunt eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus, &c. Non itaque auferendam censuit Cælestinus potestatem eligendi, sed moderandam, vt qui præsunt* Episcopi, *plebem instruant, quales personas debent eligere, & quales non sint iuxta Canones eligendæ; vt correcta mala electione aliam bonam faciant. Atque hoc sibi voluit etiam Concilium Leodicenum, quando sic statuit; Permittendum non est turbis, eorum electionem facere qui sunt ad Sacerdotium promouendi. Hoc est non esse permittendum, vt plebs absolutè semper suam voluntatem expleat circa personarum electiones; vbi videlicet contra Canones, personas etiam inhabiles, eligit. In quo sensu Canonem hunc intellexit Martinus Bracarensis; In sua enim collectione cap. 1. Hoc pacto eum ponit: Non licet populo electionem facere eorum qui ad Sacerdotium promouentur; sed in iudicio* Episcoporum *sit, vt ipsi eum probent, si in sermone & fide & spirituali vita edoctus sit. Per electionem itaque intelligit etiam approbationem. Simplex itaque electio relinquitur iure communissimo plebi; dummodo electi approbatio vel reprobatio non spectet ad plebem, sed ad* Episcopos *ordinatores.*

Dist.62.ca. Docendus.

Dist. 63.ca. Non est.

Dist.63. ca. Non licet.

SPALAT. Num.51. *Electionem itaque pura & simplex* Ecclesia *non distinxit olim à nominatione simplici vel præsentatione aut postulatione; neque in electione vllũ ius acquiri censuit electo, super quo lites & iurgia essent excitanda. Antequã enim ordinaretur Episcopus, & in sede collocaretur ab Episcopis, vel Metropolitano, plebis vnanimis consensus quærebatur; & si studia in contrarias partes essent diuisa, ad vnionẽ vt redigerentur, Episcopi ipsi & ordinatores satagebant. Ac demùm si plebem cõponere non potuissent absque vlla competitorum lite, quem magis idoneum ordinatores censebant, plebique non inuisum illum consecrabant, vt ex supra allatis tot electionum exemplis & authoritatibus satis constat. Neque ego tanto cum rigore contendo plebis electionem ius dare electo; aut adeo necessarium, vt interdum etiam vbi persona diuino aliquo iudicio sit approbata, non possit citra expressum plebis consensum ordinari; Ait enim Cyprianus, ad clerum & plebem suam scribens: In ordinandis clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum, communi consilio ponderare; sed exspectanda non sunt testimonia humana, cùm præcedunt diuina suffragia. Ordinariè tamen innotescere Pastor plebi debet, antequã ordinetur; non solũ vt si vitia eius plebi nota sint, aduerso testimonio, excludatur; sed etiã vt posteà amẽt & obseruent illũ in cuius ordinationẽ consenserint, neque auerso in eũ sint animo, vt*

Cypr.l.2. ep.5.

Leo

Leo suprà num. 36. considerabat, si sibi inscia, ac multò magis si sibi inuita præficiatur: loquor de plebe Catholica & fideli. Nam cùm primùm alicui plebi Episcopus *ordinatur & mittitur ad eam conuertendam, non est necesse ipsius exspectare assensum: Imò vt plurimùm inuitis etiam est dandus Pastor; & gentibus Euangelio reluctantibus, Apostoli Euangelistæ accesserunt: Fidelis tamen plebs debet saltem tacitè in suos Pastores consentire.*

SPALAT. Num. 52. Sixtus Senen. Bibl. l. 5. ann 118. Eckius etiã de pri. Pet. lib. 3. c. 28.

Fecerunt id, inquit Sixtus Senensis, olim tempore Leonis Papæ, & Apostolorum temporibus in electione Matthiæ: tunc enim hoc facilè multitudini fidelium donari poterat, quando fidelium populus erat moderatus, grauis & publicæ vtilitatis studiosissimus. Nunc autem cùm plebs Bestia sit multorũ capitum, factionibus & seditionibus semper intenta, id ipsum non nisi maxima Ecclesiæ perturbatione concederetur. Certè si ista benè perpendantur, apparet non aliud fuisse electionem popularem, quàm meram postulationem, quæ cùm & ipsa turbas cieret, nec aliud remedium occurreret, meritò sublata est. Rectè igitur omninò Sixtus Senensis Leonis & Cypriani loca, de quibus suprà egimus, versans, hoc tantùm à Rectoribus Ecclesiæ plebi concessum scribit, vt ipso populo præsente sub oculis omnium deligerentur, vt digni atque idonei publico iudicio comprobarentur, ne vlla post ordinationem retractandi occasio remaneret. *Vnde*, ait idem Sixtus, *& Lampridius scriptor à nostra religione alienus, in vita Alexandri Aug. refert consueuisse prius nomina eorum qui Ecclesiæ præficiendi erant proponi palàm, vt si quid contra eum populus haberet, id in medium proferret; atque hic idem mos temporibus nostris non omninò aliqua tamen ex parte seruatur. Prius enim de fide & moribus eligendi exquiri solet à viris probatissimis, deinde cum egregia de ipso testimonia suscepta sunt, antequam in Ecclesiæ regimine collocetur, vocari solet populus & eo præsente declarari, quo electio populi fauore comprobetur, & multò libentius ei obsequatur multitudo, quem suo quoque consensu in eam dignitatẽ euectum sciat. Cæterùm ipsa Episcopi electio veterum Conciliorum decretis populo interdicta est, sicut ex Concilio Laodiceno apparet; in cuius duodecimo Canone vetitum est, ne electio Episcopi fiat, nisi ab Episcopo Metropolitano vnà cum Episcopis Comprouincialibus, vel Sacerdotũ collegio; nemini igitur Episcopos eligere licet, nisi his qui Ecclesiæ gubernacula teneant, & summo præsertim* Christi *Vicario, & his tantùm Principibus & populis, quibus peculiari quadam prærogatiua ab ipso Pontifice Max. concessum sit Episcopum nominare, quem regendo idoneum iudicauerint, sicut nunc ex eius authoritate nonnulli populi faciunt, feceruntque olim tempore Leonis Papæ, & Apostolorum temporibus in electione Matthiæ. Tunc enim hoc facilè multitudini fidelium. Populus erat moderatus, grauis & publicæ vtilitatis studiosissimus: nunc autem cùm plebs bestia sit multorum capitum, factionibus & seditionibus semper intenta, idipsum nonnisi maxima Ecclesiæ perturbatione concederetur. Sed & D. Cyprianus in eadem epistola ab hæreticis citata, apertè asserit, non esse necessarium vt à populo de meritis eligendi quæratur, vbi diuina suffragia per* Episcopos *prolata præcedant.*

Sixtus Sin. Bibl. lib. 5. annot. 118.

SPALAT. Num. 52. Almayn. de pot. Eccl. l. & Lai. q. 2. ad c. Occã. 10. 11. & alij.

Sed instat Spalatensis; *Obiectio hæc*, inquit, *non esset contemnenda, si plebi daremus & electionem & vltimum complementum; ita vt electio sola plenè faceret* Episcopum; *eo modo quo bestia aliquot capitum, & si minor mole quam sit plebs, maior tamen humanis, si non & diabolicis inuentis & perturbationibus in sola electione ad modum principatuum temporalium, ponit completam Romani* Pontificis *institutionem, vnde tot mala & turbulenta schismata sunt toties exorta. Nos verò electio-*

nem cum sanctis Patribus & Conciliis ponimus in Clero & plebe, quæ ad summum solius nominationis, aut præsentationis, siue postulationis vim habeat, aut etiam solius consensus. In ordinationibus verò totam dicimus consistere potestatem missiuam Sacerdotum, quod & probauimus lib.2.ca.1.nu.7. & cap.2.num.11.12. & ca.5.nu.21. & consequenter in consecratione seu missione tota consistit Episcoporum *institutio. Ab his ergo ordinatoribus docenda plebs est non sequenda, vt suprà monebat Cælestinus; & conandum his est, vt consensum saltem plebis habeant, vel tacitum, si non expressum, ita tamen vt inuitæ Pastor non obtrudatur.*

SPALAT. Num 53. *Ac verum quidem est plebem esse bestiam multorum capitum, & ad seditiones paratissimam: sed hoc vitium circa electiones hasce, plebi fideli innatum non est; quæ non minus nunc quàm olim, moderatione grauis esset, in electionibus ac publicæ vtilitatis studiosissima si* Episcopi *essent, qui olim in pura Ecclesia fuerunt, & Episcopatus onus esset, non bo*[illegible]*, neque occasio superbiendi, ac superciliosus fastus esset ab* Episcopis *nostris, vt olim remotissimus. Sic enim sæpè fortassè vi etiam adhibita à plebe essent idonei ad* Episcopatum *vel inuiti vt olim trahendi & cogendi. Postquam verò res inuersa est, & Episcopatus cœpit esse plerisque in locis, ac præsertim in nostris Ecclesiis, Mundanus fastus, certatimque potentes ambitione stimulante ad illum animum adiecerunt, malis artibus plebem corruperunt, & ad seditiones incenderunt. Reducatur Episcopatus ad suum verum statum, & moderatissimam vt prius in suis electionibus plebem experiemur. De verò autem Episcopali statu citra abusus & pompas mundanas agam posteà lib.9.*

SPALAT. Num.54. *Atque vt dissentiones huiusmodi & seditiones vitentur, postquam iam ipsis ampla, vt dixi, data est occasio, optimè & meritò factum est, vt Reges & Principes temporales tanquam suæ plebis præcipui protectores & generales procuratores, electiones pro ipsa & loco ipsius peragant, sic enim neque plebs multorum capitum bellua turbat electiones; neque interim ipsa suo iure in quo ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, vt ostendi, est stabilita, priuatur. Reges verò suæ plebis iure vti non est nouum,*

Greg. Dist. 63. c. Quia & cap. Reacin. & seq. Plat. in Bonif. 3.

neque rectæ dissonum rationi: Quos etiam Gregorius & Bonifacius tertius in electionibus admisit & meritò admittendos esse pluribus ostendam lib.6. Et sanè Monarchiæ visibilis assertor Sanderus Regibus id negare non potuit. Sed primùm volens nolens in nostras concedit partes, quippe qui non inficiemur olim Conciliorum ac Pontificum indulgentia concessum populis ius nominationis, ac præsentationis, siue postulationis; fallitur verò in eo quod *in ordinationibus totam consistere missiuam potestatem Sacerdotum* censet, cùm præterea ab Ecclesia iurisdictionis suæ limites, quos diuersos habent Archiepiscopi, Episcopi, Primates, ac Patriarchæ, accipere omninò certum sit, & quidem alia designatione, quàm ordinatione. Quod autē addit ab ordinatoribus docēdam plebem, remedium est temporarium, quod cum ipsis popularibus electionibus sublatum est. Quàm verò benè illud *Bestia multorum capitum* à Senensi hoc loco vsurpatum, in posteriorum sæculorum plebes quadret, historiæ probant, quæ tumultibus ac seditionibus à populis in sacris electionibus concitatis, sunt refertissimæ. Nec erat quod in Episcopos hac ratione inueheretur afflictor & perditor sanctissimi nominis & dignitatis. Vt enim verum sit à multis quoque huius ordinis peccatum fuisse, quod attinet tamen ad electiones sacrorum ministrorum, eas maximè populi deformarunt, dehonestarunt, &, vt ratio esset Ecclesiæ eas rescindendi, causæ fuerunt. Quod subdit de iure Regum in sacris electionibus, alias expendemus: Hic verò in Sāderi doctrina, quæ & ipsi aduersario probatur acquiescimus.

Præterea,

Praterea, inquit Sanderus, *in omnibus Regnis Christianis videmus hoc fieri, vt Rex eum, prærogatiua suffragij sui donet, quem Episcopatui praeesse optat. Rex autem per tacitum populi consensum, in ea re totius populi, cuius gubernator à Deo constitutus est, personam gerit. Si ergò quem Rex nominat, eundem postea Clerus elegerit, iam salua sunt omnia; nec aliquid aut de populi, aut de Cleri priuilegijs perit. Nam loco plebis & omnium Laïcorum, Rex interponit authoritatem suam. Hac optimè Sanderus*, inquit Spalatensis; *Ideo in Concilio Toletano XII. statutum fuit, vt quem Rex nominaret, eum posit Toletanus solus consecrare. Et Innocentius III. Rheginum & Capuanum Episcopos ordinari non vult, nisi præuio ipsius Vice-Regia assensu. Regnum enim Neapolitanum est feudum temporale, vt aiunt, sedis Apostolicæ. Et expreßè, Principis assensum in electionibus expectandum esse idem confirmat, & ante illum proximus Cælestinus. Et hoc confirmat etiam Canonum collector Gratianus. Quod verò interdum Canones ab electione Laïcos, & ipsos Reges ac Principes conentur remouere, nihil his obstat. Id enim faciunt ne Reges soli excluso Clero ad electiones procedant. Neue illi absque vlla Ecclesiastica discußione, & confirmatione cogant illum, quem ipsi velint, consecrari; audeant absque Ecclesiasticorum opera, Episcopum, in throno collocare, eique Episcopalem tradere potestatem, vt lib.6. ca.9. pluribus differemus, agemusque de potestate Principum in electionibus & inuestituris.* Sand. de visib. Mon. l.1.cap.7. obiect. vlt. Conc. Tol. 12.c.1. Inno. 3. l.2. ep.165. De elect. c. Cùm inter. Innoc.3.l.3. ep.76. De elect. 1. Cùm terra. Dist.63.c. 25.§.Electiones. Dist.63.c. Porrò & Conc. Auc. c.3.& seq. Gloss. in c. Porrò dist.63.

Sed ad populum reuertamur; *Potuit profectò*, inquit Spalatensis, *olim plebs, dum eligebat, non parum errare, ex variis humanis affectionibus, vt suprà Origenes num.8. Nazianzenus num.12. & 13. Chrysostomus num.20. & Ioannes VIII. num.44. animaduertebant. Nec enim omnis vox populi est vox Dei. Non erat quippe (vt loquuntur Episcopi Prouinciæ Rhemensis) vox Domini, vox clamantis, Crucifige, crucifige; nec omnia Cleri & populi vota, & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt; sed tantùm simplicis & incorrupti, & spe quæstus minimè electi. Ac propterea electiones iudicandæ & discutiendæ Episcopis ordinatoribus, vt vidimus, proponuntur.* Hæc quidem vera sunt, nec abnuimus. Sequitur in Spalatensi. Spalat. Num.55. Vita Syl. 2. in fin. Epist. Gerber.

Quoniam tamen inter Episcopos ordinatores, primus & Præses est Metropolitanus; neque semper toti Prouinciæ commodum est, vt illius Episcopi in ordinationibus ordinarijs Episcoporum conueniant; hinc factum est, vt Ecclesiæ consensu Metropolitani munus sit, & officium electiones discutere, & malas reprobare, bonas verò admittere & confirmare, ac promouere. Et hoc iam probamus. Sanè in primis Concilium Nicænum habemus, quod statuit, vt si vnus aut pauci ex Episcopis, qui ordinaturi Episcopum conueniunt, legitimè electo aliquid opponant, & ne ordinetur contradicant, tunc plurium suffragia vincant. Ab hoc Nicæno Canone, ita intellecto pendent ferè Arelatenses, dum in altero Concilio suo decernunt: Si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanum debere in electione consentire. Et similiter Concilium Carthaginense III. c. 40. contradictiones in electionibus ab ipsis Episcopis ordinatoribus, statuit, certo modo ibi explicato esse examinandas. Et Ambrosium solicitum videmus, vt Vercellenses, circa dissentiones vnanimes Episcopum eligant. Vercellensis autem Ecclesia suffraganea est Metropolis Mediolanensis. Imo & culpam aliqui in eum transferebant, qui sua authoritate non vteretur. Spalat. Num.56. Conc. Nic. c.6. Conc. Arel. 2.c.5. Dist. 23. c. Illud. Amb. ep.82

Leonis Decretum huiusmodi habemus, inquit Spalatensis, *in Epistola 88. quam ad Anastasium Thessalonicensem scripsit; Cùm ergo de summi Sacerdotis electione* Spalat. Num.57. Dist. 63. c. fin.

tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio, is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur & meritis. Hæc quoque vera sunt, nec nostram sententiam oppugnant; quamquam dissimulandum non fuit sæpissimè retulisse, de dubiis electionibus Metropolitanos ad Pontificem, tanquam ad sui ordinis caput, & rerum Ecclesiasticarum, ac sacrarum electionum summum moderatorem. Hîc verò Ioannem Octauum mordet Spalatensis; *Nescio ergo,* inquit, *quorum Sanctorum Patrum regulam viderit Ioannes Octauus à regula Nicæna Arelatensi, Carthaginensi, & Leonina longè diuersa, quæ Ioanne ipso referente sic habeat: Si diuisio Clericorum vel populi extiterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex ijs duobus in throno Episcopali esse aliquatenus consecrandum, sed alterius electionem fieri debere.* Respondeo Ioannem Octauum hoc Decretum posuisse obseruandum, cùm alter alteri præferri non potest, citra dissidium & pugnas ingentes populi in contraria studia diuisi; Tunc enim sapientissimè censet, neutrum ordinandum, ne quid detrimenti Ecclesia accipiat, populis ad seditionem, si alterius partis consecretur Episcopus, inclinantibus ac deuergentibus. Cùm autem nullum huiusmodi subest periculum, obtinet sententia Innocentij Tertij, qui *Rhemensem Archiepiscopum cum suis Episcopis iudicem esse definit circa electionem, si in ea contingat dissentio: & Archiepiscopi curam propriam esse agnoscit, in sedandis dissentionibus circa electiones.* Hoc sensu accipiendum quoque, quod ex Iuone, & aliis profert Spalatensis; *Iuo,* inquit, *Carnotensis iuxta regulam Leonis instituit suum Archiepiscopum, vt, in diuisione partium pro electione Episcopi Niuernensis, illum præferat, qui maioribus studijs iuuetur & meritis, aut ad futuram Synodum rem deferat. Et discussionem alterius electionis maximè propriam Metropolitani esse fatetur. Imo si interdum Metropolitanus, non possit ad Ecclesiam vacantem accedere, vt assistat electioni; habet ius mittendi ad illam, suo nomine Visitatorem, qui & rerum Episcopalium dilapidationem prohibeat, easque futuro Episcopo illæsas conseruet; & electionem promoueat, impediatque dissentionem. De hac visitatorum missione plenæ sunt Gregorij Epistolæ, plenæ etiam aliorum Decretales dist. 61. c. 17. 19. & 10. qu. 1. c. 9. 10. 11. 12. & 10. qu. 3. c. 4. 6. 7. 8. 9. 10. &c. in quibus etsi Romanus Pontifex illud præstet, ne putes tamen propterea ipsius solius esse id præstare, nisi in Ecclesiis sibi tanquam peculiari Metropolitano, subiectis; sed scias id esse proprium cuiusque Metropolitani. Habesque de hoc suprà num. 45. irrefragabile testimonium Gregorij VII. quod tale est. Quoties defuncto Pastore alicuius Ecclesiæ, alius est ei canonicè subrogandus: instantia visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica vel Metropolitana sede directus est, Clerus & populus Pastorem sibi eligat. Sed de Metropolitani potestate circa suffraganeas sedes vacantes, dicam plura inferius,* inquit Spalatensis, *nunc solam prosequor ipsius authoritatem circa electionum discussionem & confirmationem.* Malè autem omnino potestatem Pontificis, ad ius Metropolitani reuocat Spalatensis, cùm certè grauissimo Gregorij testimonio constet Póntificem iure Apostolico, hoc est quà Petri successorem de Episcoporum electionibus cognouisse, ac etiam statuisse. Sed hæc sunt alterius loci.

Spalat. Num. 57. Ioan. 8. ep. 171. Innoc. 3. l. 1. ep. 152. Ib. ep. 76.

Pergit Spalatensis; *Non solùm itaque,* inquit, *ipsam electionem discutit Metropolitanus, curat & promouet, atque approbat & confirmat, vt est hactenus à nobis explicatum; sed etiam ipsius est personam electam cognoscere, & ex causa legitima* appro-

Spalat. Num. 58.

approbare vel reprobare; ita vt omnimoda electionum, & electorum confirmatio ad ipsum spectet. Hoc habes in magno Nicæno Concilio statutum & definitum, vt omnes quidem Episcopi, aut tres ad minimum conueniant ad noui Episcopi ordinationem, confirmatio tamen electi, antequam consecretur spectet ad Metropolitanum, qui sanè solus possit electos confirmare; non tamen solus possit eos ordinare & consecrare. Canon Nicænus sic habet, Episcopi ab omnibus qui sunt in Prouincia sua debent ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel aliqua vrgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in vnum congregari, ita vt etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum in his teneant, & ita faciant ordinationem. Potestas sanè vel confirmatio pertinebit, per singulas Prouincias ad Metropolitanum Episcopum. Idem repetit Martinus Bracarensis ex eodem Concilio; Vt potestas circa ordinandum pertineat ad Metropolitanum. Adeoque inculcat hoc sanctum Nicænum Concilium debere Metropolitanum Episcopum, in his ordinationibus Episcoporum suæ Prouinciæ semper suam interponere authoritatem, vt si secus fiat Episcopus, non sit qui sine ipsius consensu factus fuerit. Atque his innixi decretis eiusdem magni Concilij Patres Ægypti, Ecclesiam instruentes inter cætera in Synodica ad eam data hæc scribunt: Quod si fortè eorum qui Ecclesiæ fungantur muneribus, diem suum obibit, tum vnus ex illis qui nuper in Ecclesiam asciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeo populi electionem confirmet, in locum succedat demortui, Alexandrinum verò totius Ægypti Metropolitam iam in eodem Concilio c. 6. approbarunt. Vtinam tam benè de aliis, ac de istis sentiret Spalatensis; Hæc prisci æui regulæ sunt, quæ nobis omnino probantur, cùm etiam ex illis constet sacrarum electionum summum ius penes Episcopos, ac potissimùm penes Metropolitanum fuisse, in cuius locum successerit iam Pontifex Metropolitanorum omnium caput, ac princeps.

Conc. Nic. c. 4. ponitur dist. 64. c. 1. — Dist. 64. c. Episcopum oportet. — Conc. Nic. c. 6. ponitur dist. 64. c. fin. — Et Conc. Arel. 2. c. 6. — Apud The. l. 1. c. 9.

Addit Spalatensis; *Ambrosius postea sui muneris esse agnoscit, decernere circa electionem Episcopi in Ecclesia Vercellensi: quippe cuius ipse esset Metropolitanus, vt iam monui. Siricius quoque, ac deinde Hormisda, Metropolitani curam esse fatentur & inculcant, vt electiones fiant legitimæ, citra Simoniæ & ambitus deprauationem. Leonem verò iam vidimus in electionibus discordantibus fecisse supremum arbitrum, & confirmatorem Metropolitanum. Et Concilium Nicænum secundum, Metropolitani munus esse asserit, futurum Episcopum examinare, probareque an sacra scientia sit satis instructus. Idem onus Metropolitano imponit Concilium Valentinum sub Leone IV. Iuo quoque Carnotensis scribit ad suum Metropolitanum Senonensem, decuisse vt ipse Episcopos suffraganeos ad discussionem cuiusdam electionis Episcopi Parisiensis inuitaret, antequam Rex eosdem conuenire præcepisset. Quod si, inquit, tot de collegis non conuenerint, qui ad tanti negotij definitionem sufficiant, aut in aliud tempus rem differte, aut ad sedem Apostolicam vtramque partem ire permittite. In potestate igitur Metropolitani erat, vel definire in Prouincia negotium electionis perplexæ, vel permittere vt Romæ definiretur. Et ad Clerum Parisiensem illud in eadem causa scripserat; Electioni domini Fulconis, vel vlterius assensum non dabimus, nisi quem aut Cleri plebisque consensus elegerit, aut Metropolitani iudicium cum conniuentia Suffraganeorum habita legitima discussione probauerit.* Non repugnamus, nec enim ex propriis loquitur Spalatensis, sed de mente Patrum. Sed hic Eckij viri orthodoxi querimonias retexit. *Fatetur,* inquit, *planè Monarchicus Eckius, ab antiquo constitutum Episcopum, quemlibet à suo*

Spalat. Num. 59. — Amb. ep. 82 — Siric. ep. 1. c. 8. — Hor. ep. 60. — Dist. 63. c. fin. — Sept. Syn. c. 2. — Conc. Val. c. 7. — Iuo ep. 39. — Id. ep. 38. — Eckius l. 3. de Prim. Petri c. 40.

Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à ſuo Patriarcha: miraturque quomodo contra iura (quæ plura profert) ſuas confirmationes Epiſcopi, præſertim Germani ex Roma petant. Pergit enim, Quod iugum neſcio quomodo Epiſcopi excuſſerunt, vt confirmationem ſaltem in Germania omnes ex Roma petant. Forſitan viri magni, & potentes ac natalibus illuſtres, dedignabantur confirmari ab humilis generis Metropolitano. Hoc autem de confirmatione per Metropolitanum facienda, conſtitutum fuit in Concilio Nicano, &c. Hac ille. Reſpondeo Eckium non negare probè iam Pontificem electiones ſacras confirmandas ſuſcepiſſe, ſed morem antiquum abolitum conqueri, quo tamen non obſtante, ſummam ſacrarum electionum iudicium ad Pontificem ſemper pertinuiſſe, homo orthodoxus agnoſcit.

Spalat. Num.60. Perſequitur Spalatenſis; *Poteſtas hæc diſcutiendi confirmandique electiones, & electos abſque vlla interruptione, vſque ad noſtra fermè tempora perpetuò manſit in Metropolitanis, eaque ſemper vſi ſunt, vt iura ipſa etiam noua apertè teſtantur: quod facilè colliges ex Innocentij III. Epiſtolis lib.1. Epiſt.76.366.532. lib.2. Epiſt.163. & ca. Quia diligentia. ca. Innotuit. ca. Cùm dilectus, De electione. Et de Cler. coniug. ca. Cùm olim. De tranſlat. Epiſc. ca. Cùm ex illo, Et ca. Inter corporalia. De appellat. ca. Qua fronte. De ſcrutinio. cap. vn. &c.*

Spalat. Num.61. *Atque hic eſt verus, & legitimus antiquiſsimuſque, & continuatus modus, & mos electionum peragendarum, Metropolitanis ab Eccleſia commendatus: vt ipſis electionibus aſsiſtant, eaſque diſcutiant, approbent & confirment: Mox verò facta electione perſonæ, eaque approbata Epiſcopum conſecrent, vt dicetur inferius. Sed potuit interdum contingere, vt Epiſcopus ſibi ſucceſſorem eligat: atque adhuc ipſo viuente omnino poſt ipſum futurus Epiſcopus deſignetur; ita vt eo defuncto, non ſit amplius circa electionem laborandum; ſed quem ſibi ille viuens ſucceſſorem elegit, illum omnino conſecratores acciperent & ordinarent. Hæ tamen electiones non ſine conſenſu Cleri, & plebis fuerunt peractæ; ita vt non tam elegiſſe diceretur ille Epiſcopus ſibi ſucceſſorem, quàm propoſuiſſe Clero & plebi anticipatè eligendum. In paucis omnino ac præſertim in Auguſtino contigit, vt & electus fuerit, & etiam ordinatus ac plenè conſecratus Epiſcopus Hipponenſis, viuente adhuc Valerio. Sed hoc ipſum etiam Auguſtinus reprehendit, & contra Canones factum non approbauit, vt oſtendi lib. 2. ca. 9. num. 14. & oſtendam inferius. Quod verò de Petro ſolet afferri, quod & ipſe ſibi ſucceſſorem Clementem ordinarit, quodque non eſſe imitandum cauerunt multi, aut nihil, aut parum facit ad rem. Iam enim docui libro ſecundo, Apoſtolos Romæ ſecum habuiſſe aliquos ſuos diſcipulos, iam plenè factos Epiſcopos & adiutores, & hos non fuiſſe Apoſtolorum, vt ſingulorum ſucceſſores, ſed Collegas, dum illi viuerent, & ſucceſſores omnium in ſolidum poſt eorum obitum. Ac propterea Clementem, Linum, & Cletum fuiſſe primos Epiſcopos Romanæ Eccleſiæ, ab Apoſtolis Petro & Paulo datos. Quamuis Clemens fuerit propriè Epiſcopus primus eo modo quo ego eodem libro ſecundo cap.3. num.60. explicaui. Quomodo verò ſucceſſorem potuerit ſibi Epiſcopus eligere & deſignare, ac interdum etiam ordinare, ac conſequenter ſibi coadiutorem aſſumere, cum futura etiam ſucceſsione, patebit ex factis Catholicorum Epiſcoporum ab Eccleſia non reprobatis.* Reſpondeo eum fuiſſe morem in Eccleſia olim receptum, cùm tamen liceret Pontifici Metropolitanorum partes implere, quippe qui in illo dignitatis Eccleſiaſticæ faſtigio, quo cæteris præeminere iure optimo creditur, & Epiſcopos, & Archiepiſcopos, & Primates, ac Patriar-

8.q.1. c.1.2. Ea.c.3.& ſeqq.

triarchas referat, iisque, vt caput membris, pro authoritate sibi à Christo credita imperet: qua de re videro lib. 4. Iam est à nobis alia quæstio pertractanda, vtrum Episcopus possit sibi successorem deligere. Rem non indiligenter persequitur Spalatensis, ac exempla multa profert, quibus ostenditur posse Episcopum successorem sibi asciscere; Occurrit enim factum Valerij Hipponensis Episcopi, qui Augustinum asciuit, ac se superstite Hipponensem etiam Episcopum renunciari, ac consecrari voluerit, de quo postea; Occurrit quoque ipsius Augustini, qui Eradium successorem sibi designauit, ac eam designationem plebis assensu firmari voluerit, vt latè suprà ostendimus; Occurrit etiam factum Petri, cui cùm proficiscendi in diuersas orbis terrarum partes necessitas incumberet; Coadiutores asciuit Linum, Cletum & Clementem, quorum postremum nemo dubitat postmodum Petri Cathedram insedisse, de aliis videro postea. Occurrunt quoque facta aliorum Episcoporum orthodoxorum, quæ lubet eodem ordine quo Spalatensis percurrere.

Narcisso Hierosolymitano adhuc superstite, inquit Spalatensis, *licet sene, Alexander Episcopus cuiusdam Ecclesiæ in Cappadocia, qui deuotionis causa Hierosolymam venerat, factus est Episcopus Hierosolymitanus, & Narcissi collega; Salutat vos (inquit idem Alexander ad Antinoitas) Narcissus; qui hic ante me Episcopatus locum tenuit, & centum iam & sedecim annos prætergressus, mecum in eodem ministerio, quorundam precibus coniunctus fuit.* SPALAT. Num. 62. Apud Eus. l. 6. c. 9.

Gregorius Nazianzenus senior, Gregorium filium Episcopum Sasimorum sibi Coadiutorem asciuit; & secum à pari fecit Episcopum Nazianzenum. Cùm enim Gregorio ipsi iuniori sedes Sasimorum negaretur, ad quam fuerat à Basilio ordinatus; ideoque in solitudines abijsset, post fugam patris imperio fuit reuocatus, & adiutor in functionibus Episcopalibus assumptus, factusque pariter cum Patre Episcopus, & ipse Nazianzenus, Hieronymus eiusdem Gregorij discipulus, id apertè fatetur: Gregorius, inquit, primùm Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus vir eloquentissimus præceptor meus. Idem asserunt Ruffinus libr. 2. cap. 9. Socrates libr. 7. cap. 35. Sozomenus libr. 6. cap. 17. & communissimè semper vocatus fuit Episcopus Nazianzenus, & per excellentiam Theologus. Neque verò alius illum in Episcopum Nazianzenum, aut elegit, aut ordinauit, nisi Pater ipsius de cuius solius imperio, & non alterius se Nazianzenam curam suscepisse, idem Gregorius fatetur; profectò non sine consensu Cleri & plebis, quem consensum meritò supponere debemus Gregorium Patrem plenissimum habuisse. Quia tamen ordinatione, hoc est consecratione non amplius indigebat, qui iam fuerat Episcopus alterius sedis consecratus: Idcirco neque Synodi, neque Metropolitani noua alia opera vtendum fuit: Iam enim Episcopus erat, propria verò sedes ei non concedebatur, & in alienam non irrumpebat, quia & rogatus, & penè coactus ab Episcopo Patre & Clero, vt dixi, & plebe Basilio eius Metropolitano, insigni eius amico, profectò plenissimè, & ipso consentiente curam illam suscipiebat, ex qua iam verè & propriè erat Episcopus Nazianzenus; Nam aliam nouam ordinationem, aut deputationem, aut applicationem nullam amplius habuit: Imò post mortem Patris, statim eidem curæ cessit, & ab illa etiam se abdicauit, & nihilominus tam clarum est illum fuisse Episcopum Nazianzenum, quàm quod clarissimum. SPALAT. Num. 63. Nazianz. in carm. de vita sua, & in orat. *Cùm in consortium Patris assumptus est.* Hieron. de script. Eccl. in Greg.

Sed lectorem sistit Spalatensis, & Baronio diem dicit. *Baronius solus*, inquit, *suprà omnes factus nuper sapiens negare voluit, Gregorium hunc iuniorem fuisse* SPALAT. Num. 64.

Episcopum Nazianzenum; quem tamen Hieronymus ipsius discipulus, & comes fermè indiuiduus, Nazianzenum Episcopum fuisse affirmat. Quid verò Baronio contrarium persuasit? Quia, inquit, ipsemet Gregorius contestatus est, se ad tempus vsque ad obitum videlicet patris, illam præfecturam administraturum fore; Postea verò aliò ex voluntatis arbitrio, migraturum; planè ergo, inquit, constat nequaquam fuisse ordinatum eius Ecclesiæ Episcopum, temporariæ enim, & conditionales Ecclesiarum præfecturæ nequaquam conferri solebant, &c. Verùm, non erat, quod manibus magni Annalium parentis homo insolentissimus insultaret; Neque enim hac de re aliud habet, quàm quod ex ipso Gregorio elicitur; Quod cùm videret aduersarius, vt per Baronij latus Gregorium peteret, leuiores eius excusationes dixit, quibus suam secessionem à calumniis vindicare esset conatus. Certè Nazianzeni hæc ipsissima verba sunt; *Inter omnes enim constat*, inquit, *me non Nazianzi, sed Sasimorum Antistitem creatum fuisse, tametsi in patris reuerentiam, & eorum qui supplices hoc à me contenderunt, ac breue tempus præfecturam, quasi hospites suscepimus.* Et rursus: *Quod si Ecclesiam, vt scribis, relinquere periculosum est, quam tandem? Si nostram: rectè dicitis, idemque ipse aio. Si verò nihil ad nos attinentem, nec nobis assignatam, culpa vacamus. At idcirco tenemur, quia ipsius curam aliquantisper gessimus? Nimirum multi alij eadem ratione teneantur, quotquot nimirum extraneorum curam susceperunt.* Igitur quod eum Hieronymus, Ruffinus, Socrates, Sozomenus Episcopum Nazianzenum vocant, ad charissimi parentis votum referendum est, qui eum *coadiutorem* sibi asciscere, renitente Theologo, nisus sit; Cùm enim parentis & amicorum precibus superatus operam suam, quamquam tamen, vt ipse loquitur, ad tempus Episcopatui Nazianzeno addixisset, vt ætate grauem, & onere pressum parentem iuuaret, ac leuaret, pro Episcopo Nazianzeno habitus est, vtcumque perpetuæ eius Ecclesiæ præfecturæ ei nunquam in mentem venisset. Igitur Hieronymo Gregorij præceptoris sui amantissimo, atque Ruffino, Socrati, ac Sozomeno Episcopus Nazianzenus habetur, propter nauatam patri in eo regendo Episcopatu operam; sed Gregorio ipsi Gregorius Nazianzi Episcopus non habetur, quod sibi conscius esset magnus vir, nunquam se de ea sede occupanda cogitasse: Et quidem quod Gregorij dignitates nulli potuerint esse, quàm Gregorio exploratiores, eius sententiam sibi sequendam duxit diligentissimus historiarum scriptor Baronius; Sed vmbratiles illas pugnas aliis committamus.

Greg Naz. ep. 42. Πᾶσι γὰρ δῆλον, ὅτι μὴ Ναζιανζοῦ, Σασίμων δὲ προεβλήθημεν, εἰ καὶ πρὸς ὀλίγον αἰδοῖ τοῦ πατρὸς, καὶ τῶν ἱκετευσάντων, ὡς ξένοι τὴν προστασίαν κατεδεξάμεθα.

Idem ep. 65. Εἰ δὲ τὴν ἐκκλησίαν καταλιπεῖν ἐπικίνδυνον, ὡς γράφεις, ποίαν; εἰ μὲν τὴν ἡμετέραν· κἀγώ φημι, καὶ ὀρθῶς λέγετε. εἰ δὲ τὴν μηδὲν προσήκουσαν, μηδ᾽ ἐπικηρυχθεῖσαν ἡμῖν, ἀνεύθυνοι. ἀλλ᾽ ὅτι ἐπεμελήθημεν χρόνον τινὰ, τούτῳ κρατούμεθα; πολλοὶ καὶ ἄλλοι κρατηθεῖεν ἂν, ὅσοι ξένων ἐπεμελήθησαν.

Spalat. Num. 65. Ruffin. l. 2. c. 3. *De Athanasio iam moribundo*, inquit Spalatensis, *hæc scriptores tradiderunt. Igitur ea tempestate, cum quadragesimo & sexto anno Sacerdotij sui Athanasius, post multos agones, multasque patientiæ coronas quieuisset in pace: sciscitatus de successore, Petrum tribulationum suarum participem & socium delegit. Eiusque electioni, inquit Theodoretus, ab omnibus tam Sacerdotibus, quàm Magistratibus assensum est, populus quoque vniuersus acclamationibus quantum lætitiæ percepisset demonstrauit.*

Spalat. Num. 66. 7. q. c. Non autem. *Augustinus & ipse*, inquit, *à Valerio Hipponensi coadiutor cum futura successione plenè factus est Hipponensis Episcopus, eo modo quo Nazianzenus, & simul cum Valerio sene in solidum Ecclesiam illam gubernauit, in eaque post obitum Valerij vsque ad mortem perseuerauit. In hac tamen electione ipsius, seu assumptione Valerius, & ipse consensum habuit Cleri & plebis; Qua Ecclesia cura tenear,* Aug. ep. 34. *inquit Augustinus ad Paulinum, ex hoc vestra charitas oportet attendat, quod*

B. Pater

B. Pater Valerius nec Presbyterum me esse suum passus est, nisi maiorem mihi Coepiscopatus sarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta eius charitate, tantoque populi studio Dominum id velle credidi, nonnullis iam exemplis praecedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudebatur, vehementer timui excusare. Ordinatus quoque est ab ordinario ordinatore illius Prouinciae, nimirum Primate Numidiae, & non sub titulo mendicato Ecclesiarum extinctarum, vt nunc mos est apud nos; sed sub vero titulo Ecclesiae Hipponensis, in qua ita factus est coadiutor Valerij, vt simul esset Coepiscopus; Et sedi, inquit, cum illo, quod Concilio Nicano prohibitum fuisse nesciebam: nec ipse, Valerius, sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. August. in actis elect. Eradij ep. 110. Hîc quoque hærédum in facto Augustini diligentius expendendo, quando occasio sese offert explicandi Canonis Nicæni celeberrimi, cuius ignorationem lapsum se cum Valerio fatetur Augustinus. Verba Concilij in cuius Canone hęret Augustinus, vt citantur à Concilio XII. Toletano, Damaso, Hilario in epistolis Can. 4. & Concilio Cabilonensi I. ac capitularibus sunt. *Ne duo simul sint in vna ciuitate & Ecclesia Episcopi.* Occasione enim Nouatianorum Episcoporum, qui ad Ecclesiam reuerterentur in magno Concilio, sancitum est, vt citra consensum Episcopi Catholici, Episcopalis nominis honorem non retineat Nouatianus. Can. 8. ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν, *vt in ciuitate vna non videantur duo Episcopi esse.* Hoc igitur statuto premi se Augustinus fatetur; *Adhuc*, inquit, *in corpore posito beatæ memoriæ patre, & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicano prohibitum fuisse nesciebam: nec ipse sciebat; Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* Aug. ep. 110 Quamquam autem certum est, existimasse Augustinum, nec ipsi Valerio agnitum Canonem Nicænum, refert tamen Possidius Valerium ingrauescente iam ætate, vt afflictæ valetudini consuleret, seque Episcopatus oneribus eximeret, cogitasse de Augustino retinendo; Cumque vereretur ne propter admirabilem doctrinam vir Episcopali solio dignissimus, ab aliis Ecclesiis vocaretur, ac sibi eriperetur, secretis literis apud Primatem Carthaginensis sedis egisse, vt Hipponensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non iam succederet, sed Consacerdos, hoc est, Coepiscopus, accederet Augustinus. Itaque ingrauescentem ætatem, & corporis imbecillitatem causatus est Valerius, cuius ratione constat priscis Canonibus concessum, vt Episcopus sibi adiutorem ascisceret; Sed Augustino factum excusatione molliendum visum est, quod scilicet proculdubio non paterentur Canones Nicæni, duos Episcopos eodem titulo, ac dignitate in vna esse ciuitate, aut Ecclesia. Et quod Spalatensis de Gregorio Nazianzeno profert, ac de aliquot aliis ne quid amplius dicamus, legem non euertit, quam non vidisse nec aduertisse, Augustino disciplinæ Ecclesiasticæ retinentissimo, vehementer doluisse omninò apparet; Siquidem rariora sunt illa exempla, & priuatorum Episcoporum, quibus tamen non nego sui facti rationem constitisse consilia sunt, quæ magnæ Synodo præiudicare non possint. Renouatum siquidem eum Canonem in multis Conciliis, ac eius verba citata fuisse à Patribus suprà docuimus, & eius sensus omninò est; *In eadem ciuitate non debere esse duos Episcopos pari dignitate, & eodem titulo*, ne plebs in studia contraria, aut amore, aut odio alterius illorum scindatur. Cæterùm potuisse Episcopum onere fessum, & muneri propter imbecillitatem virium imparem sibi adiutorem asciscere, Spa-

latensi concedimus, hac lege, vt ipse à priore Episcopo, cui primas concederet Synodus, ac veluti eius Vicarius esset. Id certè quoque sequentia probant.

SPALAT. Num. 67. Apud Baro. to. 5. ann. 417. nu. 9. *Basilius*, persequitur Spalatensis, *tanquam Metropolitanus* Cappadociæ *Prouinciæ concessit Innocentio Episcopo, vt viuens suum apud se haberet successorem: Prudenter profectò, inquit, dum viuis eum videre cupiens, qui post te, electum Domini gregem recturus sit, quod B. Moyses optauit & vidit, &c. Offerretque ad eum se missurum Presbyterum optimum, quem ad succedendum ei in Episcopatu maximè idoneum censeret; vt eum haberet dum viueret coadiutorem, & post mortem ad plenum successorem.*

SPALAT. Num. 68. Syn. Rom. 2. sub Syl. c. 4. habetur dist. 79. c. Si transitus. Anast. in Bonif. 2. *In vno ex Conciliis*, addit Spalatensis, *Romanis sub Symmacho, inter alia statuta illud legimus; Si quod absit, transitus Papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris, vt suprà placuit, non possit antè decernere; siquidem in vnum totius inclinauerit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Hic video supponi tanquam rem consuetam & ordinariam, vt Episcopus etiam Romanus adhuc viuens, sibi deligat successorem. Igitur etiam Bonifacius II. Vigilium diaconum sibi viuens constituit, in Synodo successorem: clerique iuramento ac chirographo, electionem hanc stabiliuit, proculdubio quia id monuerat in Ecclesia. Quamuis iterum congregata Synodo, eandem resciderit idem Bonifacius cum suo Clero electionem: ob reuerentiam sanctæ Sedis, ait Anastasius, & quia contra Canones hoc fuerat factum, & quia reum se læsæ Maiestatis agnouit. Iam enim Reges Gothi in electione Romani Pontificis primas habebant. Cur autem contra Canones id asserat factum Anastasius, examinabo inferius nu. 73. & seq.* Sed quod attinet ad successorem Romani Pontificis ab ipso Pontifice superstite designandum, nescio vnde habeat olim Pontifices successores sibi asciuisse. Apparet aliquando de ea successione, cùm adhuc in viuis essent egisse, adeoque cum Clero ea de re sanxisse; sed ego perpetuum morem non obseruo, & proculdubio eum damnauit Bonifacius II. de quo videro infrà. Cæterùm Gratianus postquam Canones qui prohiberent, ne Episcopus successorem deligeret, citasset adiunxit; *His omnibus authoritatibus prohibentur Episcopi successores sibi instituere. Sed aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare; aliud est ea testamento tanquam suæ dignitatis hæredem sibi quærere. Illud fieri permittitur, hoc autem penitus prohibetur.* Percurramus reliqua. *Tetrico verò Episcopo*, inquit Spalatensis, *Lingonensi successor viuenti datus fuit Mondericus: & Augustinus Anglorum dictus Apostolus, successorem sibi viuens Laurentium delegit. At*, inquit Gregorius Turonensis, *sub ea specie, & dum beatus Tetricus viueret, hic Ternodorense castrum, vt Archipresbyter regebat.* Non igitur propterea duo erant pari dignitate Episcopi. Causam verò fuisse Augustino deligendi sibi successorem significat Beda. *Successit autem Augustino*, inquit, *in Episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est, beatissimi Apostolorum principis Petri, qui fundata Romæ Ecclesia Christi Clementem sibi adiutorem euangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur.*

Caus. 8. q. 1. c. 7. §. His omnibus. Ad fin. nu. Greg. Tur. l. 5. hist. c. 5. Beda l. 2. hist. Angl. c. 4. Lib. 5. c. 5. Beda l. 2. c. 4.

SPALAT. Num. 69. *Bonifacius Moguntinus*, ait rursus Spalatensis, *successorem, & ipse sibi assumpsit Lullum: quod ei licere rescripserat Zacharias Papa. Huius verò Lulli Moguntini*

con-

concessione, Burcardus Herbipolensis Metropolitica (non Apostolica ex Legatione, vt somniat Baronius) authoritate fultus, assentiente Carolo magno, *sibi voluit Mengingandũ substitui successorẽ; quod & feliciter consecutus est. Et vir sanctus Vdalricus, Episcopus Augustanus, nepotem suum Adalberonem sibi, & coadiutorem & successorem instituere voluit: Imperatoris dumtaxat ad hoc, vt ordinarij iam electoris propter multa regalia, quæ ille obtinet Episcopatus, consensu requisito.* Hîc immaniter errat Spalatensis, ac perperam scribit hoc Bonifacio licuisse, scripsisse Zachariam Pontificem. Contrà ille: De eo *quod tibi successorem constituere petisti, vt te viuente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur; sed volumus vt tibi ministret, & sit in Euangelio adiutor, dicente Apostolo; Si quis bene ministrauerit, gradum sibi bonum acquirit. Nimis enim reprehensibile, ac detestabile esse manifestum est, vt te viuente tibi alium substituamus.* Ex indulgentia itaque Pontificis habuit Bonifacius, quod successorem sibi in sede Moguntina deligere posset: quod etiam author vitæ Bonifacij, apud Serrarium clarissimis verbis docet; *Ab Apostolico Præsule*, inquit, *iam ante eundem* (Lullum) *pro se ordinãdum impetrauit.* 7. q. 1. c. Petiisti. Egil. apud Sur. 14. Octob. & Baro. to. 9. an. 791. n. 11. Apud Baro. tom. 10. an. 971. nu. 5. Ep. 6. ad Bonifac. Serr. de vita Bonif. c. 23.

In Cõcilio Meldẽsi, ait Spal. *Episcopo infirmo coadiutor cõceditur, soliusque Episcopi infirmi voluntas, & Archiepiscopi authoritas ad hoc requiritur; Futura enim successio tribuitur iam dato coadiutori; si tamen moratus extiterit, & iuxta Canones idoneus, non secus decretum Concilij est huiusmodi. Vt nemo viuente Episcopo Ecclesiam illius, aut res ad eam pertinentes inuadere, aut dominari præsumat, neque sub voluntariæ Cleri, ac populi electionis obtentu præter voluntatem Episcopi, quisquam quacumque seculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Sed si Episcopus ministerium Ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc cum voluntate Episcopi eiusdem Ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium verò ad Remp. pertinens, qualiter exequatur per tales ex subditis, & Ecclesiasticis Ministris eum consensu Archiepiscopi; propter pacis charitatisque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non eleuet, neque vexet: nisi ita moratus extiterit, vt secundum instituta B. Gregorij in lib. Epistol. & humiliter in subditione profit, & post viriliter conueniens sanctis regulis præsit, quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Sin autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse* Concilio *Coepiscoporum suorum huiusmodi ordinem exhibeat.* Concilium Meldense de more illo sæculo recepto loquitur, nec nobis aduersatur, quippe qui infirmis Episcopis *Coadiutores* dari posse concedamus, Pontifice haudquaquam receptam consuetudinem improbante; Et rursus constat præcipuam potestatem penes seniorem Antistitem fuisse, vt propterea pari etiam non fuerit dignitate ille administer. Spalat. Num. 70. Conc. Mel. c. 47.

Gregorius VII. inquit Spalatensis, *Desiderium Abbatem Caßinensem moriturus successorem designauit, & Cardinalibus plurimùm commendauit. Isque fuit Victor III. qui & ipse moribundus Ottonem Ostiensem similiter commendauit, imo illum manu apprehensum, cæteris Episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana sede locate: meamque vicem in omnibus, quousque id facere poßitis, habetote.* Sed hîc dira Ecclesiæ tempora agnosco, quibus id cauendum duxerint Pontifices, ne quis è turba schismaticorum ad Petri thronũ magno orbis scandalo eueheretur. Spalat. Num. 71. Leo Host. l. 3. c. 64. Ibid. c. 71.

Causas iam inuestigat Spalatensis, ob quas Episcopis darentur *Coadiutores: Causa porro*, inquit, *cur Episcopis dẽtur* Coadiutores, *prima & præcipua est corporis* Spalat. Num. 72.

7.q.c. Scripsit. Ea. c. Pontifices. Greg.7.l.2. ep.50.

infirmitas; abhorruit enim Ecclesia Episcopum infirmum deijcere, & illo eiecto alium ei substituere, vt habet Greg. lib.3. epist.13. & Nicolaus Albino, & Gregorius VII. Infirmis igitur ordinariè datur Coadiutores, quasi Vicarij & Chorepiscopi, qui exerceant regimen disciplinæ, & temporalia administrent: Pontificalia verò à vicino Episcopo rogato suppleantur. Sed vt fidelius Coadiutor laboret, & sit proprius Pastor non mercenarius, sæpe factus est Chorepiscopus, vt patet in aliquot supra positis exemplis, & concedit expreßè pro causa infirmitatis Gregorius, seruatis tamen etiam plenè alimentis ei cui datus est Coepiscopus. Et Episcopo simplici, ad regimen vix idoneo, si præsertim se talem ipse cognoscat, & petat Coadiutorem, Pelagius illum cōcedit. Sicut & Episcopo dilapidatori bonorum Ecclesiasticorū Honor. III. dat Coadiutorem pro solis temporalibus & sine succeßione. Hîc tamen prætereundum non putauerim, quod quoque obseruauit Spalatensis, non debuisse Episcopo etiā morbis vexato alium ipso reclamante dari successorem, qua de re extat grauis expostulatio Leonis aduersus Hilarium Arelatensem. *Huic negotio sic finito,* inquit, *fratris & Coepiscopi nostri Proiecti querela succeßit. Cuius ad nos literæ lachrymabiles, & dolendæ, de superordinato sibi Episcopo sunt directæ. Epistola quoque ingesta est ciuium ipsius, & numerosa subscriptione singulorum firmata, inuidiosißimis contra Hilarium plena querimoniis, quod Proiecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, eiusque Sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, & tanquam in vacuam posseßionem ab Hilario peruersore hæredem viuentis inductum. Quid hîc fraternitas vestra sentiat, cuperemus audire, quamquam de vestris animis nostra non debeat sententia dubitare, cùm fratrem in lectulo constitutum, non tam infirmitate corporis aggrauari, quàm alio videatis dolore torqueri. Quæ spes illi de vita relinquitur, cui de Sacerdotio suo, dum illi alter substituitur, irrogatur desperatio? Apparet ergo, quàm mitis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suæ, fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in se fuit, illi subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc dolorem, in locum eius alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, iniecit. Esto, vt breuis fratri inuenerit humanæ conditionis consueta migratio: quid sibi Hilarius quærit in aliena Prouincia, & id quod nullus decessorum ipsius, aut Patroclus habuerit, cur vsurpat, cùm & ipsum quod Patroclo à sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum postmodum sit sententia meliore sublatum?* Itaque quod de Senecione Episcopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datum esse scribit Ambrosius, *ad votum & postulationem Basi* factum nostri interpretantur. *Legimus,* inquit, *etiam & omnia percurrimus, vel de eo quod fratri nostro, & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, vnde vestræ normam accepimus sententiæ.*

Greg.l.7. Indic. 2. c.49. 50.51. Id.l.11.ep. 7.8.habetur.7.q.1. c.13.14. Ea. c. Quia frater. De offic. & pot. Iud. delegat. c.Venerabili. Leo ep. 89. ad Episc. per Viennēsem Prouinciā constitutos. Amb.ep.79

Rem totam absoluit Synodus Arausicana nondum edita, tamen à nostro Filesaco prolata; *Si post omnia,* inquit, *occurrerit imbecillitas fragilitatis humanæ, vt si quis Episcopus per infirmitatem debilitatemve, aliquam in hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea, quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum euocet, cui hoc quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat. Episcopum illum vicinæ alicuius Diœceseos esse, non est ambigendum, ita vt* Coadiutoris *officium ad tempus exerceat.*

Filesf. de sacra Episc. authoritate c.14.§.4.

Ipse Spalatensis fluctuat, ac dubius hæret: *Habemus,* inquit, *nihilominus nos paucas etiam prohibitiones, ne viuenti Episcopo, aut alius superordinetur, aut aßignetur successor. Theodoretus sanè Paulini Antiocheni factum, quo sibi solus successorem Euagrium constituit & ordinauit, reprehendit, dicens; In qua re complures simul* Canones *violauit; Siquidem* Canones *neque faciunt potestatem cuiquam iam mortem*

Spalat. Num.73. Theod. l.5. c.23.

mortem oppetituro, quemquam in locum suum sufficere; Atque omnes Prouinciæ Episcopos, iubent in vnum ad eam rem conuocari. Quin etiam vetant rursus, quemquam absque tribus Episcopis Episcopum constitui. Sed præter octauum Canonem *Nicænum, quo duo Episcopi in vna ciuitate non admittuntur, alios in hoc genere veteres* Canones, *qui Theodoretum præcesserint, nunc mihi videmur non habere: præsertim quod ait de non sufficiendo sibi successore; Et Nicæni* Canonis *sensum iam exposui suprà num. 64. vt duo primarij Episcopi non adsint, cum schismate & scißione. Sed & illud vel maximè obseruauit Ecclesia, ex illa potestate sibi eligendi successorem, abusui aditum amplum fuisse apertum; vt caro & sanguis dominetur, & adsint qui dicant; Venite hæreditate poßideamus sanctuarium Dei; vt vbi tale adsit periculum* Psal. 82. *eligendi sibi successorem, potestas Episcopo auferatur.* Vno verbo dici potuit, admittendos successores ex necessitate Ecclesiarum, non inducendos ex carnis & sanguinis affectu, qui magnis calamitatibus viam munierit, ac fenestram aperuerit in Ecclesia Dei. Cæterùm certum est Paulino paulò iniquiorem fuisse Theodoretum, quod Meletio Paulini aduersario impensius faueret, ac eius partes tueretur. Rectè verò reliqua perpendit Spalatensis, & nos habet tota sequenti sectione assensores.

Sed venena profundit proxima sectione; *Et nos igitur*, inquit, *cum* Gratiano SPALAT. Num. 75. *concludamus; Nihil obstare quominus viuente Episcopo, & suam dignitatem retinente poßit successor ipsius eligi & confirmari: ipso sic volente & electoribus ordinariis, hoc est* Clero *& plebe seu loco plebis Principe concurrentibus, Metropolitanoque seu Patriarcha* (vel Pontifice qui omnium illorum iura tenet) *id concedente & approbante. Nec solùm posse talem eligi & confirmari, sed etiam si omnes iam dicti conueniant consecrari; & simul cum alio in solidum* Coepiscopum *fieri. Et consequenter posse ex causis, vel inhabilitatis, vel ægritudinis, vel occupationis maioris Ecclesiasticæ & similibus, Episcopo volenti & petenti, Clero ac plebe assentiente, non solùm authoritate Patriarchæ supremi, sed etiam solius proprij Metropolitani, dari coadiutor cum futura succeßione. Quæ omnia & iuribus, & factis sunt iam à me abundè probata & confirmata. Iura verò authoritatesque, huiusmodi succeßiones & Episcoporum duplicationes prohibentes, intelligenda esse, vbi solus Episcopus propria sola authoritate id conaretur; vbi inuito Episcopo alius adderetur, vbi caro & sanguis dominaretur; & hæreditariæ fierent Ecclesiasticæ dignitates, vbi schismata pullularent, vbi demum nulla legitima suppeteret causa id concedendi: Alioquin coadiutores huiusmodi non solùm à Papa, sed etiam à solis Metropolitanis cum futura succeßione, concedi in Ecclesia solitas videmus, citra vllum discrimen vsque ad tēpora Bonifacij VIII. Qui primus ad solum Romanum Pontificem authoritatem hanc, coadiutores* De cler. ægrot. c. vn. in 6. & Cōc. Trid. sess. 25. c. 7. *cum futura succeßione concedēdi per summam vim, & grauem iniuriam Episcoporum & Metropolitanorū attraxit. Et nunc, absque vllo iure, nostri Papæ, soli esse volunt, qui coadiutores cum futura succeßione, ad magnum argenti & auri pondus concedāt.* Respōdeo malignè omnino hîc Pontificem proscindi ordinis Episcopalis Principem ac caput, ad quem iam rediisse Metropolitanorum iura nullus mirabitur, qui summæ dignitatis præstantiam perpenderit, & causam cur factum sit vestigarit; Certum est enim hac ratione prouisum Ecclesiasticæ vnitati, vt scilicet sanctissimi muneris concessione, ac largitione obstricti Episcopi, vehementius pro tuenda & asserenda capitis sui dignitate, qua tota membrorum campages continetur, laborarent, minusque in schismata inclinarent. Sed placet viro *de Synagoga libertinorum* Pontificum formam proscindere, atque propter exiguam

stipem quæ in vsus Ecclesiæ cedat, auaritiæ postulare. Properemus ad calcem.

Spalat. Num. 76. *Huc demum*, inquit, *spectat resignatio Episcopatus, ad fauorem certa & nominata persona, non aliter nec alio modo, prout est forma resignationis. Hac enim est ipsissima electio successoris, quam quis viuus & cedens facit. Si quis tamen vult suum Episcopatum ita resignare, vt nomen & dignitatem retineat; id à Synodo impetrare debet; ita in Synodo Oecumenica Ephesina, Eustathius Metropolitanus Pamphiliæ senex, molestiarum impatiens, Episcopatus curæ nuncium remittens, vt nomen & honorem retineret Episcopatus, ab ipsa Synodo petijt & obtinuit. Illa enim resignationem approbauit, sicut & approbauit quod Synodus Prouincialis Pamphiliæ, ei alium suffecerat, & Metropolitanum ordinarat, nomenque & communionem Episcopi ei reliquit; sed potestatem abstulit ordinandi, nisi ab Episcopo coassumeretur coadiutor. Patet hoc ex Epistola Concilij Ephesini ad Synodum Pamphiliæ, quæ quia* Acta Conc. Ephes. edit. Pelt. in append. to. 2. ca. 1. *rem optimè explicat, hic ex parte apponatur. Sancta Synodus quæ gratia Dei, & nutu peritissimorum Regum, in Epheso congregata est, sanctæ Synodo in Pamphilia dilectis fratribus in Domino salutem, &c. Vbi autem à quibusdam turbatus est (Eustathius) & in sollicitudines inexpectatas incidit, & cùm præ multo ocio pondus curarum sibi impendentium ferre non esset assuetus, nec valeret conuicia insidiantium repellere, cessionis suæ, nescimus quomodo, obtulit libellum. Oportebat enim semel concreditam Sacerdotalem curam cum tanto spirituali robore geri, vt labores & sudorem sponte ferat. Quoniam autem pusillanimem se declarauit, hoc ex inconsiderantia rei magis quàm ignauia vel torpore passus, ordinauit necessariò vestra pietas pientissimum, & Dei amantissimum fratrem nostrum, & Coepiscopum Theodorum, qui Ecclesias curet; indignum enim est viduas esse, & absque præceptore manere Saluatoris greges. Quoniàm autem accessit plorans non de ciuitate, neque de Ecclesia contendens contra prædictum pientissimum Episcopum Theodorum, petens iam Episcopatus honorem, & nomen: Condoluimus omnes Presbytero, & communes esse arbitrati eius lachrymas, festinauimus, vt addisceremus, nũ legitimam depositionem pertulisset memoratus, hoc est à quibus obtrectatoribus, & de quibus absurdis rebus redargutus esset. Didicimus autem nihil tale, sed magis euenisse illi pro crimine ipsam cessionem. Vnde neque vestram pietatem reprehendimus, quæ ordinauit in locum eius memoratum pientissimum Episcopum Theodorum. Quoniam autem non valde contendendum est, cum viro, ob amorem otij eius; sed miserandum potius seni extra natalem ciuitatem, & patrias conuersationes longe dissito, iustum esse decreuimus, vt absque omni contradictione habeat Episcopi nomen & honorem, ac communionem; sic quidem vt neque ipse ordinet, neque in Ecclesiã propria authoritate ordinaturus veniat, nisi fortè coassumatur, siue admoneri contingat à fratre, & Episcopo secundum affectionem & charitatem in Christo. Quod si melius quiddam de ipso consulueritis, vel nunc vel in posterum, placebit & hoc sanctæ Synodo. Cyrillus tamen* Bibl. PP. to. 3. *Alexandrinus, in sua Canonica Epistola resignationes omnino reprobari ab Ecclesia scribit his verbis: Iam verò alia quoque res est, quæ Ecclesiasticæ consuetudini non placet, offerre Sacerdotes aliquos renunciationis libellos. Si sunt enim digni qui sacra mysteria obeant, in ijs maneant; Sin autem indigni, nec per renunciationem exeant, sed rebus ipsis potius condemnati.* Hæc maiori discussione non indigent, Concilium optimo seni concessit, vt abdicatis Episcopatus curis nomen, & dignitatis titulum retineret, nimirum fractum senem miserati sunt, Cyrillus verò *resignationes omnes ab Ecclesia reprobari* asserit, quibus nimirum aliqua labes aspersa sit, siue praui ambitus, siue alius cuiuscunque imposturæ & fraudis.

De

De Martyrio verò Antiocheno, narrat Theodorus Lector, inquit Spalatensis, *& ipsum sui in disciplinati Cleri, populique seditiosi, ac ceruicosi pertæsum sponte sua se abdicasse, Episcopatumque renunciasse, altiori voce ista præfatum in Ecclesia; Clero immorigerato, & populo rebelli, &* Ecclesia *contaminatæ renuncio: seruata interim mihi Sacerdotij dignitate. Atque hæc est vera cessio & renunciatio; non autem cum conditione, vt talis, vel talis, præsertim consanguineus, ei detur successor: Quod est genus quoddam hæreditatis transmittendæ, non sine nundinatione & mercatura. Neque video hîc resignationes fieri in manus & de licentia Pontificis Romani, aut Patriarchæ; sed liberè, & absolutè pro arbitrio resignantis: & cum retentione nominis, & dignitatis Episcopalis, quam meritò retinendam esse censuit magnum etiam (vt nunc vidimus) Concilium Ephesinum.* Cæterùm quod hîc quoque Pontifices vexat Spalatensis, hominis genium prodit, aut potius rerum Ecclesiasticarum ignorationem; Siquidem Episcoporum causas ad vnum Pontificem maximum pertinere, si quo Concilio firmari possit, Ephesino quam maximè potest, siquidem Ioannis Antiocheni ac sociorum causam discutiendam Cœlestino Pontifici reliquit, num scilicet loco mouendus esset. Verba Concilij sunt: *In dignitate rei meritò commoti, eiusmodi in illum & in alios sententiam legitimè proferre deliberauimus, cuiusmodi ipse tulerat illegitimè, contra eos qui de nullo crimine condemnati fuerant. Verùm quo illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam iustissimè legitiméque subiuisset, pietatis tuæ iudicio reseruauimus:* Cùm igitur potestatem Episcopos abdicandi ad Pontificem pertinere censuerit, quidni etiam credatur eorumdem institutionem ad eum ipsum pertinere existimasse. Volo Metropolitanis permissum prioribus seculis, vt hoc suo iure gauderent, nec eis litem vllam super ea re à vetustioribus Pontificibus illis factam, fuere posteà Ecclesiæ secula, quibus ad Pontificem eam potestatem reuocandam esse ipsi Metropolitani è re Ecclesiæ esse iudicarent.

[Margin: Spalat. Num. 77. Apud Bar. tom. 6. an. 471. nu. 12. — Conc. Eph. part. 2. Act. 5. Τοῦ δὲ τὴν ἐκείνου μακροθυμίᾳ νικήσωμεν, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα δικαίως ἂν ἔπαθεν αὐτὸ, καὶ ἐννόμως, τετηρήκαμεν τῇ κρίσει τῆς σῆς θεοσεβείας.]

Coronidis vice ludit Spalatensis in Abbatum Regulariúmque Prælatorum electionibus; *Sanè*, inquit, *quandiu Monachi fuerunt Monachi, nulla fuit circa Abbatum electiones difficultas, nulla controuersia; Sicut enim Monachorum congregationes erant priuatæ, ac priuatorum hominum, & sanè Laïcorum, vt ostendi lib. 2. cap. 12. secessus; ita ipsimet inter se sibi patrem constituebant; Neque in hoc quicquam negotij aut Ecclesia aut Respub. habuit. Postquam verò periit Monachismus, & ditata sunt Pseudomonachorum Monasteria, ipsorumque Abbates facti sunt Domini opulenti, dataque est eis quædam vana & indebita (vt ostendam postremo libro) iurisdictio, atqui Monachi ex Monachis facti sunt per metamorphosim Clerici & viri Ecclesiastici, tunc circa electiones Abbatum variæ sunt exortæ concertationes. Communissimum tamen ius est, vt ipsi Monachi seu Monachæ sibi Abbatem eligant vel Abbatissam. Confirmatio verò & benedictio spectet ad Episcopum loci; quanquam interdum &* Capitulum Canonicorum *ius electionis simul cum Monachis se habere in aliquo Monasterio prætendat. Interdum verò etiam alterum Monasterium ius habeat, vt ex eo in alio Monasterio persona assumatur, & in Abbatem eligatur. Confirmatio verò Abbatis per Monachos electi, etsi ordinariè spectet ad Episcopum, tamen etiam Capitulum interdum Clericorum potuit illum confirmare. Et in multis priuilegiatis Monasteriis Papa voluit esse ordinarius confirmator, imò & elector Abbatum, & collator Abbatiarum: Sed aliquando Cassinensis Cœnobij Monachi, simplices fraterculi, sub ipso penè Romanarum arcium conspectu positi, suæ tamen libertatis memores Romani Papæ in hoc detrectant impe-*

[Margin: Spalat. Num. 78. — De cõsuet. c. Cùm dilectus. De sent. & re iu. c. Int. & de verb. sign. c. Abbate. c. Cùm dilect. vt sup.]

rium; neque volunt consentire, vt nutu ipsius Abbas illius Monasterij eligatur; & aduersus Cardinalem eo à Papa Honorio II. ad hoc missum murmurantes dicebant; Non debere Casinensis Abbatis electionem in alterius potestatem transire, iniquum & indignum esse, vt Casinensis Ecclesia quæ libera semper extiterat, maximo pudore Cardinalibus subiiceretur. Dicere veriti sunt Papæ; vt subdit Baronius; de Papa tamen loquebantur; qui sanè tunc nihil potuit obtinere. Sed & Reges ac Principes postquam Abbatibus regalia sunt concessa, & ampla latifundia acquisita; in electionibus & inuestituris partem habere debuerunt. De his omnibus agam locis commodioribus, nempè libris sexto, nono, & decimo.

Pet. Diac. l. 4. c. 91.

Bar. to. 12. an. 1126.

Sed multa hîc sunt animaduersione dignissima. Primùm enim stultum dogma de Monachis laïcis suprà profligauimus; Demum verò falsum est penes solos Monachos fuisse potestatem eligendorum suorum præpositorum, neque his curis Episcopos se immiscuisse; cùm contrà constet veterum institutis toto Oriente & Occidente Episcopis curam incubuisse, potestatémque eos in Monasteria habuisse. Extat de ea Chalcedonensis Concilij decretum; [a] *Placuit*, inquit, *nullum quidem ædificare monasterium, præter voluntatem Episcopi ciuitatis, neque in possessione præter voluntatem Domini possessionis. Eos verò Monachos, qui per singulas ciuitates sunt, atque Prouincias subiici Episcopo, & quietem amplecti & intendere solùm ieiunio & orationi, & neque Ecclesiasticis neque publicis importunos rebus existere; nisi fortè iubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo ciuitatis. Sed neque potestatem habere Monachos suscipiendi in monasteriis suis seruos, aut inscriptitios præter voluntatem dominorum.* Item & illud, [b] *Placuit nullum quidem vsquam ædificare aut constituere monasterium, vel oratorij domum, præter conscientiam ciuitatis Episcopi. Monachos verò per vnamquamque ciuitatem aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo ieiunio & orationi, in locis in quibus renunciauerunt seculo, permanentes, nec Ecclesiasticis verò, nec secularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes; nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis. Nullum verò recipere in monasteriis seruum, vt sit cum eis monachi obtentu, præter sui Domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decernimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum conuenit ciuitatis, competentem monasteriorum prouidentiam gerere.* Sed & Concilium Trullanum à Spalatensi laudatum de ea re ita sensit. [c] *Si in eodem eligendæ vitæ instituto permaneant*, sancimus, *includi ipsos & eis non amplius licere, quando etiam voluerint ex tali mansione egredi, præterquam si propter communem vtilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem vrgentem, ad id trahantur, & ita cum benedictione eius loci Episcopi*. Ad quæ verba sic Balsamon. [d] *Nota quod sine Episcopali permissione, non licet ei qui inclusus est, ex claustro suo egredi, etiamsi sit causa iustissima, quæ ei exeundum esse suadeat. Eos autem qui non sic egrediuntur, etiam inuitos includi.* Concilium verò Carthaginense sic habet: [e] *Placuit vt si quis alieni Monasterij aliquem susceperit, & vel ad clericatum adducere, vel monasterij præfectum constituere voluerit, Episcopus qui hoc facit, à reliquorum communione separatus, sit sola sui populi communione con-*

[a] Cõc. Chal. Act. 6. ca. 1. Ἔδοξε, μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν μοναστήριον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου, μή τε ἐν κτήματι παρὰ γνώμην τοῦ δεσπότου τοῦ κτήματος· τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν, καὶ χώραν μονάζοντας, ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ προσέχειν μόνῃ, &c.

[b] Id. Act. 15. Can. 4. Ἔδοξε μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν, μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον, παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου· τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας, ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ, &c.

[c] Syn. in Trull. Can. 41. Εἰ τῷ αὐτῷ προαιρέσει ἐμμένοιεν, ἐγκεκλεῖσθαι αὐτοὺς, καὶ μηκέτι τούτοις ἐξεῖναι, ὅτι βούλονται, ἀπ' τοιαύτης καταμονῆς ἀφίστασθαι, &c.

[d] Balsam. ad illum Can. Σημείωσαι ὅτι χωρὶς ἐπισκοπικῆς ἐπιτροπῆς οὐκ ἔξεστι τῷ ἐγκλείστῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἐγκλειστηρίου, κἂν εὐλογωτάτη ᾖ ἡ αἰτία, προσκαλοῦσα τὸν τοιοῦτον ἐξελθεῖν.

[e] Synod. Carthag. Can. 83. Ὁμοίως ἤρεσεν, ἵνα ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου ἀποδέξηται τινα, καὶ τοῦτον εἰς κλῆρον προσαγαγεῖν θελήσει, ἢ τοῦ ἰδίου μοναστηρίου ἡγούμενον καταστήσει, &c.

tentus. Ille autem nec clericus nec præfectus permaneat. Ad quem locum sic Balsamon; *Quod fit hodie à monasterij præfectis, vt eos qui sibi subsunt, cum literis dimittant, vt possint esse Monachi in alieno monasterio, non est, vt mihi videtur firmũ & accuratum. Episcopalibus enim dimissoriis magis opus est ei qui migrare voluerit, non autem Monasterij præfecti. Episcopis enim magis subiecti sunt monachi, quàm monasteriorum præfectis.* Item in Concilio Carthaginensi, *Placuit vt si quis de alterius monasterio repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterij constituere; Episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit; & ille neque clericus neque præpositus perseueret.* Sed de his suo loco cum Spalatensi. Interim ad calcem huius Capitis notabimus, priuilegia à summis Pontificibus monasteriis concessa, imperitè omninò ac malignè assumi, ad vexandam Pontificis potestatem. Quare Cassinensium proteruiam meritò damnat Baronius, non quòd sarta tectáque sua priuilegia voluerint, sed quòd inciuiliter admodum Pontificis imperium detrectarint, cùm à *malè instructo ad melius instruendum* prouocare eis omninò liberum esset, prolatis in medium superiorum Pontificum diplomatibus, quibus penes Monachos ius eligendi Abbatis esse voluissent; sed desertori Ecclesiæ & Pontificiæ dignitatis afflictori, mirè placent factæ aduersus Pontificem rebelliones. Certè constitutum non erat Honorio Cardinalem eis imponere Abbatem, sed cùm refractarium haberent præpositum Oderisium, primùm cum loco mouit, ac cùm ei iuniores Monachi successorem dedissent Nicolaum Tusculanum, neque hunc probauit, sed Gregorium Cardinalem tituli Sanctorum Apostolorum Cassinum misit, cuius opera Senioretus Capuani monasterij præpositus, Abbas eligeretur. Historiam sic narrat Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi. *Nicolaus natione Tusculanus, præfuit anno vno, mense vno, & diebus* XVI. *Hic à sanctæ memoriæ Oderisio primo susceptus in monasterio est, postmodum verò à Girardo Abbate rector apud suum ordinatus: post ab Oderisio II. Decanus huius loci constitutus est. In qua administratione cùm ferè mense vno præfuisset, à fratribus Abbas eligitur. Verùm hanc eius electionem quidam ex senioribus ægrè ferentes, datis ad summum Pont. litteris, seditiosè non Canonicè electũ questi sunt. Pontifex autem cùm Nicolaum electum ignoraret, Gregorium Cardinalem tituli Apostolorum, ad monasterium dirigens, mandat vt eiusdem consilio Senioretum Capuani monasterij præpositum Abbatem fratres eligerent. Ex cuius promotione & Deus honoraretur, religionis status in famoso Casinensi monasterio roboraretur, bonáque* Ecclesiæ *tam spiritualia quàm temporalia in dies augerentur: Ipse pro viribus monasterio fauere semper paratus esset. Veniens autem Cardinalis ad monasterium, fratribus quid Papa praeceperit nuntiat. Quod dum fratres audissent, murmur inter eos protinus oritur, dicentes non debere Casinensis Abbatis electionem in alterius potestatem transire: iniquum & indignum esse, vt Casinensis Ecclesia (quæ libera semper extiterat) maximo pudore Cardinalibus subijceretur. Tunc ille imperato silentio fratribus dixit. Ego huc neque pro Papæ Honorij lucro, neque pro Romanæ* Ecclesiæ *honore: sed pro salute animarum vestrarum (si permittatis) adueni. Romana enim Ecclesia vestro auxilio & laude non indiget: quæ præconium laudis in Petro ex ore ipsius redemptoris emeruit. Quænam autem* Ecclesia *vel monasterium à Romanæ Ecclesiæ non disponatur arbitrio: cuius imperio cælum ipsum aperitur & clauditur? Omnes quippe* Ecclesiæ *à Pontificibus, Impe-*

Balſ. in illũ Can.

Ὅτι καὶ τοῖς ἐπισκόποις μᾶλλον ὑπόκεινται οἱ μοναχοὶ, ἢ τοῖς ἡγουμένοις.

Cõc. Cart. 5. cap. 13.

Baron. ad ann. 1126.

Petrus Diaconus in Chronico Cassinensis lib. 4. c. 91.

ratoribus, Regibus, vel quibuslibet fidelibus conditæ sunt : Romanam verò sedem solus fundauit Dei filius : & super Petri Apostoli erexit fidem. Cui etiam terreni similiter & cælestis imperij iura commisit : & illud verbum quod condidit cælum & terram Romanam fundauit Ecclesiam. Atque vt omißis cæteris, ad ea de quibus nunc agitur veniamus : sicut Apostolorum Principes Petrus & Paulus Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrarunt : ita Casinense Cænobium per beatum Benedictum qui Romæ doctus fuerat, & per ciues Romanos Maurum & Placidum, habuit fundamentum. Neque illud ignoratis quod destructo à Longobardis monasterio, fratres iuxta Lateranense palatium centum fermè & xxx. annis habitrunt. Ac demum Casinensem Ecclesiam non alij quàm Romani Pontifices extruxetarunt : Gregorius scilicet & Zacharias. Quæ rursus à Saracenis incensa : iterum à sancto Agapito est restaurata. Cùm igitur hujus Cænobij fundatores ex Romanæ Ecclesiæ disciplina prodierint, eiusque instauratores Romani Pontifices fuerint: consequens est iuxta Sanctorum Patrum instituta, vt Ecclesia Romana mater & domina, Casinensis autem eius spiritualis appelletur filia. Reuoluite Casini cuncta monumenta, scrutamini annales, & an ita se habeat res, ipsi iudicate : Sin autem se aliter habet, mendacij arguite. Sin verò ita habet (vt dixi) nolite veritati resistere, nolite Rom. Ecclesiæ repugnare, nolite eius iußionibus contraire : sed ex cuius vberibus fidei iuramenta cæpistis : eius iußis per omnia obtemperare curate. Tunc fratres temporis obiecta neceßitate : Apostolici voluntatem se impleturos pollicentur, dum tempus opportunius viderint : sicque discessum à capitulo est. Oderisius verò cognita Nicolai electione, agiliter ad arcem quæ Bantram dicitur, penetrat: & pecunias largè distribuens, vndecumque milites collegit, igni & ferro cuncta Nicolao fauentia castra demoliri solo tenus cæpit.

DISCVSSIO



DISCVSSIO QVARTI CAPITIS LIBRI TERTII.

Conspectvs Capitis.

Virtutes & ornamenta quibus enitere debent Episcopi: Res penè contra naturam ab illis exigitur, vt sint irreprehensibiles: Multa in Episcopo exigi olim solita, vt qui eligerentur Tyrocinium in Clero egissent: Num ex laicis rectè assumantur: Pontifex Romanus defensus: De Constantino Romano Pontifice: Damasus à calumniis vindicatus: Marcellinus historicus notatus: Vigilius malis artibus viam sibi munit ad Pontificatum: Tandem verò ad meliorem frugem conuersus melius audit Pontifex, estque legitimè habitus: Baronius defensus: De ignotis vtrū possint Episcopi renunciari: Spalatensis in Ecclesiam Romanam calumnia diluta.



MAGNVM volumen esset mihi conscribendum, si vellem huc plenè & congerere virtutes omnes, omniaque ornamenta, quibus instructus debet esse is, qui ad Episcopatum est promouendus; & omnia impedimenta numerare, quæ hominem, ab hoc insigni in Ecclesia gradu remouent & repellunt. Ea duntaxat quæ maiori digna consideratione mihi videntur, paucis exponam: ipsiusque decretis & exemplis ac admonitionibus insistendo, rem explicabo. In genere profectò, Concilium Carthoginense IV. bonas futuri Episcopi qualitates, paucis est complexum, sic statuens cap. 1. Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si super suis negotiis cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus: & ante omnia si fidei documenta, verbis simplicibus asserat; id est Patrem, & Filium & Spiritum sanctum vnum Deum. Cum his omnibus examinatus, fuerit inuentus plenè instructus, tunc, cum consensu Clericorum, & Laïcorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximéque Metropolitani vel authoritate vel præsentia, ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatu, non suæ delectationi, nec suis motibus; sed his Patrum definitionibus acquiescat.

[Spalat. Num. 1] [Dist. 22. ca. Qui Episc.]



VERVM omninò est magnum volumen ei conscribendum, qui plenè velit explicare virtutes omnes, omniaque ornamenta recensere, quibus instructus debeat esse is, qui ad Episcopatum sit promouendus, & omnia impedimenta, quæ improbis ad summam dignitatem aditum intercludant, numerare; Egit de hac re omnium optimè Apostolus: *Oportet*, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem.* Et rursus: *Opor-*

[1. Tim. 3.] [1. Tit.]

tet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. Ac vt cætera omittamus illis verbis, *Oportet irreprehensibilem esse*, Græcè ἀνεπίληπτον atque ἀνέγκλητον inculpatum, veluti omne genus virtutis, quod annotauit Chrysostomus expressit; cuius rationem reddit Theophylactus, quod Præsidem ac Principem veluti stellam & illuminatorem deceat esse, vt ad ipsum omnes defigentes oculos illustrentur, atque ducantur in rectam viam. Quare Hieronymus hæc Pauli verba ita accipit, quasi omnis generis virtutes ac ornamenta in Episcopo exigat. *Omnes*, inquit, *virtutes in vno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit; Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo reprehensione dignum est: quis est ille qui absque peccato, id est, sine reprehensione versetur in hoc mundo? Sed futurus pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur.* Quod fortè ex præceptore suo Nazianzeno didicerat, qui enumeratis virtutibus quibus effulgere debeant sacri Antistites concludit, *Vitium esse Episcopo, non quàm optimum esse.* Propterea scilicet Apostolum sequuti prioris æui patres tam multa in Episcopo desiderant, vt ad summum fastigium properantibus terrori esse possint. Audiamus primùm Carthaginensis Concilij Patres, quos primo loco ponit Spalatensis, vt *bonas Episcopi qualitates* recenseat, *Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si super suis negotiis cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus; & ante omnia si fidei documenta, verbis simplicibus asserat: id est Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum Deum. Cum his omnibus examinatus, fuerit inuentus plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & Laïcorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximéque Metropolitani vel authoritate vel præsentia, ordinetur Episcopus. Suscepto in nomine Christi Episcopatu, non suæ delectationi, nec suis motibus, sed his Patrum definitionibus acquiescat.*

Chrys. ad illũ locum Pauli. Theop. ib. Hie. ep. 83. ad Ocean. Apol. 1. Dist. 22. ca. Qui Episc.

De impedimentis verò hæc habet Toletana Synodus: *Qui in aliquo*, inquit, *crimine detecti sunt; qui infamiæ nota aspersi sunt; qui scelera aliqua per publicam pænitentiam admisisse confessi sunt; qui in hæresim lapsi sunt, qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur; qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt; aut numerosa coniugia frequentarunt, qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt; qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui seruili conditioni obnoxij sunt; qui ignoti sunt; qui neophyti sunt: vel laïci sunt; qui sæculari militiæ dediti sunt; qui Curiæ nexibus obligati sunt; qui inscij literarum sunt; qui nondum ad 30. annos peruenerunt, qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt; qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur; qui à decessoribus in Sacerdotium eliguntur; sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus nec populus propriæ ciuitatis elegerit; vel authoritas Metropolitani, vel comprouincialium Sacerdotum assensio exquisiuit.* Hæc nobis mirè probantur, nisi quod quædam sunt, quibus est communi & iam recepta consuetudine derogatum, de quibus aut est à nobis suo loco dictum, aut postea dicetur. Clara sunt impedimenta illa grauiora, quibus via occluditur ad sacram potestatem his qui se illis teneri agnoscunt. Et miror

Spalat. Num. 2. Dist. 51. ca. Qui in aliq.

Spa-

Spalatensem non aduertisse in his esse grauissimum hæreseωs crimen, quo propterea quod se polluerit indignum se proinde sacris infulis, quibus tamen inaniter gloriatur, omninò ostenderit: sed mittamus ista grauiora. Tria omnino obseruat in Episcopo exigi olim solita, de quibus est nobis eodem ordine dicendum.

Primùm igitur aduertit, nec malè olim obseruatum, *vt qui eligeretur esset Clericus in ministeriis Ecclesiasticis diutius exercitatus, ac consequenter Ecclesiastico Spiritu Ecclesiasticisque moribus imbutus.* Firmat id quoque non malè sequentibus testimoniis; *Est, inquit, Canon Concilij Laodiceni antiquus in ordine 12. Vt Episcopi, iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam dignitatem: ij videlicet, qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quàm rectæ conuersationis exemplo. Intelligit profectò Clericos: hos enim & non Laïcos Ecclesia multo tempore probat, tam verbo fidei, quàm conuersationis exemplo. Explicat id clarius Caius Papa, quicunque ille sit, dum mandat; vt ad ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia qui ordinari merentur, id est, Si quis Episcopus esse meretur, sit primùm Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus & posteà Presbyter; & exinde si meretur, Episcopus ordinetur.* SPALAT. Num. 3. Dist. 24. ca. Episcopi. Dist. 77. ca. Illud nos.

Siricius Episcopum non vult ordinari, nisi prius per decennium fuerit Presbyter. Presbyterum verò vult prius in Diaconatu quinquennio ministrasse. Diaconum verò ordinandum, vult ab infantia, vsque ad vigesimum ætatis annum in minoribus Ecclesiæ inseruiisse. Et Episcopi Illyrici in suo Synodico libello, Ecclesias vacantes tribuendas esse statuunt, ante omnia Magistratibus qui Episcopatu laudabiliter functi fuerint: hoc est Episcopis, qui sedes suas non haberent, quippe ex eis ab Arrianis pulsi: sin autem tales non reperiantur, è Sacerdotum Collegio sint assumendi: minimè verò de Curia, aut militum ductoribus. SPALAT. Num. 4. Dist. ead. c. Quicumque. Theod. lib. 4. c. 8.

Zozimus epistola prima, Interdictum, inquit, esse constat ne quis penitus, contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione, diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summam Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumeret: & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verumetiam in ordinatores eius, vt carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum. Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ & arrogantiæ venienti. Si enim officia sæcularia, principem locum non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis, temporibus deferunt: quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, vt in cœlesti militia quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cùm tyro antè non fuerit, & prius velit docere quàm discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij; nec illi vile sit Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam verò ad Presbyterij fastigium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testentur; iure inde summi Pontificis locum sperare debebit. Hæc autem in singulis gradibus obseruanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores vsque ad 20. ætatis annum continuata obseruatione perduret; si maior iam & grandæuus accesserit, ita tamen vt post Baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter Lectores, siue inter Exorcistas, quinquennio teneatur: exinde Acoly- SPALAT. Num. 5. Dist. 59. c. 1. Dist. 59. ca. Si officia. Dist. 77. ca. In singulis.

thus vel Subdiaconus quatuor annis: & sic ad benedictionem Diaconatus si meretur accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit hærere debebit. Exinde, suffragantibus stipendiis, per tot gradus, datis propriæ fidei documentis, Presbyterij Sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si illum eo exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit. Hæc Zozimus. Similia fermè Gelasius Epist. 6. nisi quod interstitia breuiora aßignat Monacho clericando quàm Läico. Vide suprà lib. 2. c. 12. num. 53.

SPALAT. Num. 6. Greg. Naz. orat. de laude Basil. Aduerterat iam optimè ista omnia Gregorius Nazianzenus, cuius grauis est & sensata illa oratio, dum ex eo capite laudat Basilium, quod nequaquam festinanter ad gradus peruenerit; *neque per obtrectationes, inquit, & fraudes, more multorum qui nunc præsidentias concupiscunt; sed ordine & lege, assensionis spiritalis honorem adauxit. Sanè nequaquam rerum & ordinis, apud nos laudo confusionem, cùm aliquando peruersè à quibusdam præsidetur in gradibus. Siquidem non omnes accusare audeo, neque visum est; obiter tamen legem laudo nautarum, quæ prius Gubernatori remum in manus dat: indèque in proram deducit & vlteriora concredit: Itaque tandem super gubernacula, cùm multa maris experientia & ventorum statuit cognitione. Pariter & in rebus fieri solet bellicis; Miles sub initium quis efficitur; deinde ordines regit; tandem etiam in ducem euadit; siquidem ordo ipse optimus est, incipientibus pariter & vtilißimus. Res verò nostræ multum dignæ essent, si ita se haberent, nunc autem sanctißimus apud nos periclitatur ordo, ne præ rebus cunctis sit ridiculosißimus: non enim ex virtute magis quàm malitia oritur præsidentia; neque digniorum, sed potentiorum sunt throni. Samuel inter Prophetas futura præuidens, sed & Saül abiectus: Roboam Salomonis inter Reges, quin & Hieroboam seruus & desertor. At nec Medicus, aut pictor vllus est, qui non prius ægrotantium considerat naturas, aut colores temperat multos, & deliniat figuras. Cathedra verò etiam sine vllo acquiritur labore; non secus ac cùm fabulæ Gigantes fingunt: vnius diei sanctos facimus, ac sapientes esse iubemus eos qui nulla præditi sunt sapientia, & qui nil ad gradum præterquam velle, afferunt. Hæc pulcherrimè & sapientißimè Nazianzenus, quæ nostris temporibus vel maximè cum tanto Ecclesiæ dedecore cernimus perpetrari.*

SPALAT. Num. 7. *Haud multum dißimilia idem Gregorius de Athanasio perorauit, dicens: Non enim thronum pariter accepit, quemadmodum ij qui tyrannidem quandam aut hæreditatem præter opinionem sortiuntur, ac propter satietatem violenter egit; hæc enim degenerantium & adulterinorum sunt Sacerdotum; & qui professione sunt indigni, qui nihil ad Sacerdotium afferunt, neque boni consequendi gratia laborarunt; nihilominus tamen & Discipulos se & Doctores pietatis esse ostentant; & prius quam purgentur, purgant. Heri Sacrilegi, hodie Sacerdotes: Heri sacrorum expertes, hodie in sacris duces; Veteres in malitia ac tenues in pietate. Quod quidem opus est charitatis humanæ, & nequaquam Spiritus, qui cùm omnia per violentiam sunt scrutati, tandē pietati etiam vim inferunt. Quorum mores haudquaquam gradū indicant, sed gradus mores; cùm multum ordo immutetur. Qui pluribus pro peccatis propriis quam populi indigent sacrificiis; & omnino in vno ex duobus delinquunt; quia cum venia indigeāt, immoderatè veniam tribuant, tanquam malitia non sit rescindenda, sed docenda: aut Principatus asperitate propria abscondāt crimina, quorū neutrū ille fecit, sed operibus erat sublimis, &c. Iam igitur illis quoque diebus electiones Pontificū turpiter, vt hodie nutabāt; & inexperti in Clero inhabiléſq; ad regimen Ecclesiæ atque indigni assumebantur.* Hæc omnia vera sunt, & certū omnino est prioribus illis sæculis (de moribus

ribus

ribus nobis sermo est) nonnisi reclamantibus melioribus Patribus, & rem minus probantibus ad Episcopatus fastigium euectos, qui tyrocinium in Clero non exegissent. Certè non desunt interpretes, qui in Neophytorum numero, quos ab Episcopatu arcendos censet Apostolus, homines seculo addictos ponant; *Nec nuper baptizatus*, inquit Anselmus, *nec nuper à secularibus negotiis, vel à militia separatus, fieri debet Episcopus*, quia vnusquisque talis est Neophytus: Quantoperè autem à Neophytis ordinandis abhorruerit vetus Ecclesia, testis est Hieronymus, qui id probri loco ducit. *Nec enim*, inquit, *decet eum qui heri fuit Catechumenus, hodie fieri Pontificem, heri in theatro, hodie in Ecclesia, vesperi in Circo, manè ad altare, dudum fautorem histrionum, nunc virginum consecratorem, creari.* Eleganter de Cornelio magnus Cyprianus; *Non iste ad Episcopatum subitò peruenit*, inquit, *per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis religionu gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit: sed quietus & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet.* Melius igitur fatemur Ecclesiæ consultum fuisset, si perpetuò ad hanc normam sacras electiones exigere licuisset; Sed ita sunt res Ecclesiæ à Laïcis pessumdatæ, vt vix ac ne vix quidem Pontifices optimorum decretorum authores potuerint suis votis hac parte satisfacere. Sanè disciplina Ecclesiastica non alios habuit acriores vindices, aut assertores.

Ansel. in 1. ad Tim. c. 3.

Hie. ep. 83. ad Ocean.

Cyp. lib. 4. epist. 2. ad Anton.

Pergamus, & secundo loco de laïcis videamus, vtrum Episcopi renunciari possint, Negat Spalatensis. *Hinc est quod Ecclesia*, inquit Spalatensis, *tantopere semper abominata sit promotionem Laicorum; ac seuerissimè toties prohibuerit, ne Laici ad Episcopatum assumerentur, Siricius sic decreuit; Certè illud etiam non fuit prætermittendum, vt quod semel aut secundò necessitas hæreticorum intulit, contra Apostolica præcepta, velut lege licitum præsumi, Neophytum, vel Laïcum, qui nullo Ecclesiastico functus fuerit officio, inconsideratè vel Presbyterum, vel Diaconum ordinare, quasi meliores Apostolis sint, quorum audeant mutare præceptum; vt qui non didicit, iam docere compellitur. Ita nullus reperitur idoneus Clericorum; nec inter Diaconos, nec inter alios Clericos inuenitur, qui Sacerdotio dignus habeatur, sed ad condemnationem Ecclesiæ Laicus postulatur? Quod ne fiat vltra admoneo. Prædico vt vnam fidem habentes, vnum etiam in traditione sentire debeamus, probantes nos vnanimes atque concordes, pacifici in Christo & in obseruationibus Apostolicis habere charitatem. Medio itaque Patre & vnigenito Filio eius & Spiritu sancto, & vnius diuinitatis Trinitate conuenio, vt in his fides Catholica & disciplina nostra permaneat. Nec quisquam putet tanquam ordinationes terrenas fieri, cùm cœleste sit Sacerdotium; vt fidelibus gloria maneat dignitatis eiusdem; & ante tribunal Christi ex hinc non habeat quod accuset. Prius tamen excluserat omnes qui viri militares fuerant; quos etiam Innocentius I. exclusit; & simul viros Curiales, qui videlicet forensia tractarint, vt sunt præsertim Indices curiæ. Quo nomine Athanasius Constantium Imperatorem reprehendit ita scribens. Cur cùm se Ecclesiasticum Canonem curæ habere prætexit omnia contra Canonem facit? Vbi enim ille Canon, vt è palatio mittatur, is qui Episcopus futurus est?*

SPALATri Num. 8.

Siric. ep. 3.

Innoc. I. epist. 13.

Athan. ad Solitar.

SPALAT. Num.9. Inn.1.ep.30 ponitur Dist.61. ca Miserum.

Sed idem qui supra Innocentius grauius aduersus Laïcorum ordinationes excandduit; cuius verba ad Aurelium Carthaginensem sunt ista; Qua indignitate, qua molestia malè tractetur Ecclesia, præcipuéque Episcopus relegam vel audiam; & tua fraternitas benè nouit, & ego tam idonea tanto dolori verba inuenire non possum; dum facilè imponuntur manus, dum negligenter summus Sacerdos eligitur. Ecce facta est querela publica, quæ fecit semper, vt communis omnibus tremenda sit reuerentia: Sic clerici Ecclesiasticorum dogmatum nutriti, vel honorati intra altaria Christi respuuntur; Sic prætereunter promouentur; quasi nefas sit ad primatum per ordinem peruenire: Nam cùm inuoluti mundanis nexibus, actibus vel moribus abruptè adsciscuntur, ad tanti collegium Sacerdotij & illi videntur contemni, de quibus oportuerat eligi: & isti malè intromitti, qui præter ordinem irrumpunt potius quàm eliguntur: Quàm enim miserum est eum magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit; eum summum fieri Sacerdotem, qui nunquam in vllo gradu obsecutus fuerit Sacerdoti? Relege Præfectorum literas, & vide quæ vel falsò vel pro certo sublimium potestatum annotentur scriptis. Perdimus profectò nos ipsi, nos, inquam, sanctimoniæ reuerentiam, qui quasi vilißimum aliquod summos efficimus Sacerdotes; vt iam incipiat quasi noxium aliquid publicis interlocutionibus condemnari.

SPALAT. Num.10. Cæl.ep.1. Dist.59.ca. Ordinatus.

Cælestinus vrget idem sic scribens; Ordinatos verò quosdam fratres carißimi, Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus, ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta huius vsurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse didicimus; cùm ad Episcopatum his gradibus, quibus frequentißimè cautum est, debeat perueniri, vt minoribus initiati officiis ad maiora firmentur. Debet enim antè esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat, vt poßit docere quod didicit. Omnis vitæ institutio hæc ad id quo tendit, se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creuerit, ad meritum stipendij ordinem non potest peruenire. Solum Sacerdotium inter ista, rogo, vilius est? Quod facilius tribuitur, cùm difficilius impleatur. Sed iam non satis est laïcos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit; sed etiam ij quorum crimina longè latéque per omnes ferè sunt nota Prouincias ordinantur. Et inferius: Abstineatur, inquit, ab illicitis ordinationibus. Nullus ex Laïcis, nullus digamus, &c.

SPALAT. Num.11. Cœl. ep.2. Dist. 61.ca. Quid proderit.

Rursus idem; Nulli Sacerdotum, inquit, suos licet Canones ignorare, nec quisquam facere quod Patrum poßit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma Constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permixta frangatur. Audiuimus quasdam propriis destitutas Rectoribus ciuitates Episcopos sibi velle petere de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, vt hoc iis qui non Deo, sed seculo militauerint æstiment nos posse conferre; non solùm malè de suis Clericis (in quorum contemptum hoc faciunt) iudicantes; sed de nobis peßimè quos credunt hoc posse facere sentientes: Quod nunquam auderent, si non quorundam illic his consentiens sententia conniueret. Ita nihil quæ frequentius sunt decreta proficiunt, vt hoc quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit ignoretur. Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requirantur? Qui vacantes seculo, & omnem Ecclesiasticū ordinem nescientes saltu præpropero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere; & in aliud vitæ genus, calcata reuerentia Ecclesiasticæ disciplinæ transire. Talibus itaque fratres carißimi, qui iuris nostri, id est Canonum guber-

gubernacula custodimus, necesse est obuiemus: hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis Laïcum ad ordinem Clericatus admittat, & sinat fieri: vnde & illum decipiat, & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat. Docendus est populus non sequendus, nosque (si nesciunt) eos quid liceat, quidve non liceat commonere; non his consensum præbere debemus. Viueres nunc Cælestine, fortioribus hæc lateribus intonares. Dist. 61. c. 2.

Leo Magnus, In ciuitatibus, inquit, quarum Rectores obierint, de substituendis Episcopis *hæc forma seruetur; vt is qui ordinandus est (etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciatur) non laïcus, non Neophytus, non secundæ coniugis maritus. Hoc tamen argumentum, in alia epistola ad* Episcopos *Africanos, quoniam tractat idem Leo exactissimè, vt non minus Laïcos, quam Bigamos, ab ineundo* Episcopatu *absterreat, placet hîc integram fermè illam* Epistolam *exscribere: quæ sic habet.* SPALAT. Num. 12. Leo ep. 88.

Mirantes tantùm apud nos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, vt indignis quibusque, & longè extra Sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ *crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; Nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum; Et vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo.* Et *difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter, scienterque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; quantò magis elaborandum est, vt in electione eius qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa Beati Pauli Apostoli, per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei, omnium Sacerdotum Christi numerus eruditur? Et proinde vnicuique nostrum dicitur; Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis; Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis; ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem; qualis est ille qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote iudicium; Ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur; Nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus. Meritò sanctorum Patrum venerabiles sanctiones cùm de Sacerdotum electione loquerentur, eos demùm idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordijs, neque ad prouectiores annos per disciplinæ* Ecclesiasticæ *stipendia cucurrisset; vt vnicuique testimonium, prior vita præberet; Nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire; & notari ambitus solet quos probitatis documenta non adiuuant: Quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cælestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica &* Canonica *decreta violentur; & iis Ecclesia Domini regenda cre-* SPALAT. Num. 13. Leo ep. 91. 1. Tim. 5.

datur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimus sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium? Cùm valdè iniquum sit & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis. In domo quidem magna, necesse est (sicut Apostolus differit) vt vasa diuersa sint; quædam aurea & argentea, quædam verò fictilia & lignea: sed horum ministerium, pro materiæ qualitate discernitur: Nec idem est preciosorum vsus & vilium. Nam inordinata erunt omnia, si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum species figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent, ita in aureis & argenteis, ij sine dubio declarantur, qui per longa eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excreti, aurum probatum, & argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro deuotione non redditur, omnis Ecclesiastica disciplina resoluitur: Omnis ordo turbatur, dum in Ecclesia, qui nullum subiere ministerium, peruerso eligentium iudicio indebitum obtinent principatum. Has Romanorum Pontificum voces, vtinam nostrorum temporum Pontifices audirent, & seruarent. Prætermittere non potuit Spalatensis, quin hîc quoque Pontifices lacesseret. *Has Romanorum Pontificum voces, vtinam nostrorum temporum Pontifices audirent & seruarent.* Respondeo per Pontifices non stare, quò minus sacro ordini suus constet honos, addo verò neque hoc æuo aliquid prætermisisse eos, quod ad asserenda Ecclesiæ sua iura facere temporum ratio suaderet: Non inficior verò illis persæpè imponi, sed hæc planorum fraus est, nec dubito prioribus ac purioribus sæculis peccatum quoque in his, adeo imposturarum ac impostorum ferax est mundus. Quàm acriter verò pugnarint, pro vindicandis ab omni ambitu sacris electionibus, etiam sequentia docent.

2.Tim.2.

Spalat. Ibid.

Grauis est Hormisdæ admonitio, inquit Spalatensis, *ad Episcopos Hispaniæ, vt in Sacerdotibus, inquit, ordinandis, quæ sunt a Patribus conscripta & descripta cogitetis: quia sicut est Caput* Ecclesiæ *Christus, Christi autem Vicarij Sacerdotes, sic in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis: nec quicquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa & substantia disciplinæ. Aestimet quis precium Dominici gregis, vt sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris. Hoc ita fiet, si non Sacerdotij gradus, saltu quodam passim laïcis transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula cõmittuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in Laïcis Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fidelia. Discere prius quisque debet antequam doceat, & exemplũ religiosæ conuersationis de se potius aliis præstare, quàm sumere.* Emendatiorem *esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa obseruatione religiosus cultus tradatur vt luceat, &* Clericalibus *obsequiis erudiendus inseruiat, vt ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis ostendat: Nec leue nec vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem nisi Leuitici generis viri, ad sancta admittebantur altaria, ne pessimè meritis contemptis, aut precio, aut præsumptione ad sacros cultus impar accederet. Tunc migrabant per illam prærogatiuam familiarum ad instituta cultorum: nunc est doctrina pro genere: quod illis fuit nasci hoc nobis imbui: illos tabernaculo dabat natura; nos altaribus parturit disciplina. Nec tantùm de Laïcis consecrari inhibemus; sed nec de pænitentibus quisquam quidem, ad huiusmodi gradum profanus temerator adspiret.*

Spalat. Num. 14. Horm. ep. 60. Dist. 61. ca. 2. 3.

Gregorius quoque vehementer promotionem laïcorum ad Episcopatus, est detestatus: Hoc ad nos, inquit, *peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur,* *quod*

Spalat. Num. 15. Dist. 59. c. 3.

quod quidam desiderio honoris inflati, defunctis Episcopis tonsurantur; & fiunt repentè ex Laïcis Sacerdotes: Atque inuerecundè religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt: Quid putamus quod isti subiectis præstaturi sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere Magisterij locum non formidant? Qua de re necesse est, vt quamuis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos ordines, Ecclesiasticis exerceatur officijs. Et ad Brunichildam Francorum Reginam; Sacerdotale, inquit, officium vestris in partibus, in tantam, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt Sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex Laïcis ordinentur. Nihil illustrius proferri potest pro Pontificum innocētia, sed tantisper immorandum nobis est in glossemate Spalatensis excutiendo; *Tantum in se ponderis,* inquit, *habuit aliquando Canon Ecclesiasticus, ne Laïci ad summa Sacerdotia asciscerentur, vt Constantinus Romanus Pontifex, hoc solo nomine fuerit à sede deiectus, quam per integrum iam annum pacificè tenuerat, quod Laïcus cùm esset susceptis raptim sacris ordinibus, ipsum summum Pontificatum sufficienti electione, & consecratione præcedentibus arripuisset. Si enim dicas in ipsius electione, siue vim & arma, siue largitiones intercessisse, ac propterea intrusum fuisse iudicatum, facilè negabimus illum his nominibus fuisse depositum: Nam & Damasus per vim & arma cadesque fœdissimas in Pontificatum est ingressus, & Vigilius auro promisso Siluerium extrusit; seque in Romanam sedem intrusit, & vterque nihilominus legitimus Pontifex habetur; mitto alios, nec paucos. Atque illud ipsum Concilium Romanum in quo tandem Constantini causa iudicata est, sedente iam Stephano, qui ei deiecto est subrogatus, aliud crimen quo meritò depositum esse pronunciauit, non obiecit nisi nouitatem hanc solam, quod ex Laïco factus sit Episcopus. Imò quamuis ipse fuerit & sacris initiatus, & Pontifex à Prænestino consecratus, ipsius tamen ordinationes, quibus & Diaconos, & Presbyteros, & Episcopos fecerat nonnullos, cassas & irritas, nullasque ac inanes esse declarauit, adeo vt noua ordinatione opus esse Episcopi in Concilio illo statuerint, si vellent illi in suis ordinibus ritè ministrare. Atque sub Anathematis interdicto solemniter sanxerant; Ne vllus vnquam præsumat Laïcorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus, vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri. Sic igitur (subdit Baronius) & statuto Canone omnis inuasoribus S. Apostolicæ sedis occlusus est aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum esset à sacro diuisum. Hic tamen tam altus paries ad simplicem aranearum telam iam est redactus. Mihi profectò ex hac tam rigida vnius Papæ depositione, certum esse videtur Laïcum hominem, si promoueatur ad gradū Episcopalem, nihil accipere, neque esse Pontificem, nisi intrusum & inuasorem.* Sunt in hoc commentario multa animaduersione digna. Primùm falsum est hunc Constantinum de quo agit, *per integrum annum pacificè tenuisse sedem Apostolicam*; Audi Platinam. *Cum,* inquit, *Constantinus munera Pontificatus per annum obstinatè exercuisset, tandem è sede deijcitur à populo Romano, ira & indignatione percito: in eiusque locum omnium suffragijs Steph. III. sufficitur. Sic,* inquit Anast. *vniuersum populum sibi Sacramentum præbere fecit, & adueniente Dominico die rursum cum multitudine armatorum exercituum in basilica B. Petri properans Pontifex ab eodem Georgio Episcopo Prænestino, & alijs duobus Episcopis Eustratio Albanense, & Citonato Portuense consecratus est. Et per anni spatium, & mensem vnum, sedem Apostolicam inuasam detinuit.*

Spalat. Num. 16. Anastal. & Platin. in Steph. 3. & Baron. to. 9. an. 768. & 769. Ammian. Marcell. l. 27. Liberat. in Breu. c. 22.

Apud Baro. vbi sup. an. 769. n. 2. 3.

Ibid. nu. 5.

Plati. in vit. Steph. 3.

Anast. in Steph. 3.

Quod verò addit Spalatensis eum depositum, *quod Laïcus cùm esset susceptus raptim sacris ordinibus, &c.* est valde obscurum, nec tam in his cerno acutum, vt videam quid sibi velit; Si enim sufficientem electionem vocat, qua sit ad Pontificatum euectus Constantinus iste, repugnant omnes historici; Audi Anastasium: *Paulus Papa*, inquit, *in ægritudine positus cùm nondum adhuc spiritum exalaret, illicò Toto quidam dux Nepesinæ ciuitatis dudum habitator, cum suis germanis Constantino, Paßiuo, & Paschale, aggregantes tam ex eadem Nepesina, quamque ex alijs Tusciæ ciuitatibus multitudinem exercitus, atque cateruam rusticorum, ingredientesque per portam Beati Pancratij in hanc Romanam vrbem, atque in domo antedicti Totonis armati aßistentes, elegerunt ibidem subito Constantinum fratrem eiusdem Totonis Laïcum existentem. Quem cùm armis plurimi eorum loricis induti latrocinantes, in Lateranense Patriarchium introduxerunt. Et ascendentes cum eo in vice-dominio, continuò accersito* Georgio Episcopo, cõpulerunt eum, vt orationem Clericatus eidem Constantino tribueret. Ipse verò omnino hoc renuebat facere, corruensque in terram prostrauit se pedibus ipsius Constantini, adiurans eum fortiter per omnia diuina mysteria, vt locum daret, & ab eiusdem impiæ præsumptionis proposito recederet, ne per eum talis inaudita nouitas in Ecclesia Dei fieret. Et dum huiusmodi adiurationis proferret verba concitati plurimi ex ipsis malignis, qui eandem impiam electionem fecerant insurgentes super eum, atque fortiter comminantes ei; Timore correptus orationem illi Clericatus tribuit, & ita Clericus effectus, eundem Sanctißimum Lateranense inuasit Patriarchium. Alio verò die illucescente secunda feria, Subdiaconus, atque Diaconus ab eodem Episcopo in oratorio sancti Laurentij intra eundem Patriarchium, contra Sanctorum Canonum instituta consecratus est. Sicque vniuersum populum sibi Sacramentum præbere fecit, & adueniente Dominico die rursum, cum multitudine armatorum exercituum in Basilica beati Petri properans, Pontifex ab eodem Georgio Episcopo Prænestino, & alijs duobus Episcopis Eustratio Albanense, & Citonato Portuense consecratus est.* Itaque inter vitia electionis Constantini quoque ponenda est vis, tum populo, tum Episcopis ordinatoribus illata: Fateor tamen potissimùm obiectam illi Laïcam professionem, à qua saltuatim ad Pontificatum promotus fuisset, quòd nimirum omnino sacris Canonibus esset interdictum, ne qua huiusmodi fieret electio. De Damaso falsa narrat Spalatensis, namque quicquid contrà scripserit Ammianus Marcellinus homo Ethnicus, ante concitatos ab Vrsicino tumultus, legitimè renunciatus fuerat Pontifex. Audi Ruffinum; *Damasus*, inquit, *post Liberium per successionem Sacerdotium in vrbe Roma susceperat. Quem prælatum sibi non ferens Vrsinus quidam eiusdem Ecclesiæ Diaconus in tantum furoris erupit, vt persuaso quodam satis imperito & agresti Episcopo, collecta turbulentorum & seditiosorum hominum manu, in Basilica quæ Sicinini appellatur, Episcopum se fieri extorqueret, legibus & ordine, & traditione peruersis. Quo ex facto tanta seditio, imò verò tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, vt replerentur humano sanguine orationum loca. Quæ res factione Maximi præfecti sæui hominis, ad inuidiam boni & innocentis versa est Sacerdotis; ita vt causa Clericorũ vsque ad tormenta duceretur. Sed assertor innocentiæ Deus affuit, & in caput eorum qui intenderant dolum, pœna conuersa est.* Similia ferè habent Socrates & Sozomenus; *Damasus*, inquit Socrates, *Liberio in Episcopatus Romani administratione succeßit. Vnde Ecclesiæ Romanæ status fortè fortuna magnoperè conturbatus fuit, cuius rei causam talem fuisse*

Anast. de vitis Pontif. Rom. ann. Chri. 768. p. 130.

* Aliis Gregorio.

Ecclef. hist. Ruffi. authore l. 2. c. 10.

Socr. hist. Eccl. l. 4. c. 24.

Δάμασος μετὰ Λιβέριον τῆς ἐπισκοπῆς ἐγχειρισθεὶς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐδέξατο, ἀφ᾽ οὗ συνέβη ταραχθῆναι τὴν ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίαν, διὰ τοιαύτην αἰτίαν, &c.

fuisse accepimus: Vrsinus Ecclesiæ illius Diaconus, cùm delectus haberetur Episcopi, ipse Damasi competitor fuit. Qui cùm videret Damasum sibi prælatum, iniquo animo ferens se de spe decidisse, separatim ab Ecclesia conuentus agere laborauit: persuasitque quibusdam obscuris & abiectis Episcopis, vt in occulto ipsum crearent Episcopum. Sozomenus: *Per idem ferè tempus*, inquit, *mortuo Liberio Damasus Ecclesiæ Romanæ sedem capeßit. In qua electione Vrsacius Diaconus competitor eius fuit, qui suffragijs præteritus iniquo animo tulit. Et ideo ab obscuris quibusdam Episcopis ex occulto Episcopus institutus populum distrahere, & conuentus separatim agere laborauit.* Non erat ergo quod Marcellino fidem haberet Spalatensis, & ab eo edoctus innocentissimum Pontificem calumniis oneraret. Certè de Damasi electione hæc habet Ambrosius; *Damasus Romanæ Ecclesiæ Sacerdos iudicio Dei electus.* De Vigilio omnino verum est eum numerata pecunia egisse cum Belisario, vt adnitente Theodora Iustiniani impiissima coniuge Sylucrium vrbe pelleret. Certum quoque est per vim, & fraudem Pontificatum tunc obtinuisse Vigilium pulso in exilium Syluerio; Sed eam nundinationé nunquam probauit Ecclesia Romana, neque viuo aut superstite Syluerio Vigilium vnquam pro Pontifice habuit. Extincto autem Syluerio Clerus pertæsus tumultum, ac de Vigilij religione certior factus annuit, vt eum pro Pontifice agnosceret, ac hoc pacto vitia, ac vulnera prioris electionis obduxit, ac sanauit; Sed vt ad Constantinum reuertamur, verum est Synodum Romanum eius ordinationes rescidisse, vt noua reconciliatione egere eos significaret, qui à spurio & per vim intruso Pontifice essent initiati. Baronius, hic Sarcasmis à Spalatensi petitur: *Baronius*, inquit, *subdit, & statuto Canone omnis inuasoribus sanctæ Apostolicæ sedis occlusus est aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum esset à sacro diuisum, hic tamen tam altus paries ad simplicem aranearum telam iam est redactus.* Quis igitur hunc parietem euertit? Quis effodit? An Pontifices? Apage has fabulas. Addit Spalatensis: *Mihi profecto ex hac tam rigida vnius Papæ depositione, certum esse videtur, Laïcum hominem, si promoueatur ad gradum Episcopalem nihil accipere, neque esse Pontificem nisi intrusum & inuasorem.* Sunt ista in Ambrosium Nectarium, Tarasium, ac plerosque etiam sanctissimos Pontifices contumeliosa, quos constat ex Laïcis repentè factos Episcopos. Fateor horum electiones receptæ consuetudini officere non debuerunt, neque legem euertere Ecclesiasticam, tamen ex illorum legitima vocatione habetur contra Spalatensem, *Laïcum promotum ad gradum Episcopalem*, seruatis scilicet seruandis *verum esse Episcopum*, quamquam, vt dicebam, præstaret ex Ecclesiastico ordine assumi.

Sozo. hist. Eccl. l. 6. c. 22. Περὶ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον Λιβερίου τελευτήσαντος, ἐπιτρέπεται Δάμασος τὸν Ῥωμαίων θρόνον. ὑποψήφιος δὲ ἐν τῇ χειροτονίᾳ ὁ Οὐρσάκιός τις διάκονος ἀποτυχὼν ἐλύπει. λάθρα δὲ ὑπό τινων ἀσήμων ἐπισκόπων χειροτονηθείς, διασπᾶν τὸν λαὸν ἐσπούδαζε, καὶ καθ' ἑαυτὸν ἐκκλησιάζειν.

Amb. ep. 30

Num. 16. in fin.

Ibid.

Persequitur. *Hadrianus primus*, inquit, *Tarasium ex Laico factum fuisse Episcopum Constantinopolitanum ægrè tulit, & ita scripsit Imperatoribus. Nimis iterum turbati, ac conturbati sumus, quia ex Laicorum ordine, & imperialibus obsequijs deputatus, repentè ad Patriarchatus culmen electus est: & Apocalligus, contra Sanctorum Canonum censuram, factus est Patriarcha; & quod dicere pudet, & graue tacere est, qui regendi adhuc & docendi sunt, Doctores nec erubescunt videri, nec metuunt ducatum animarum impudenter assumere: quibus via in omnibus ignota doctoris est, & quo vel ipsi gradiantur ignari sunt. Quod quàm prauum quamve sit temerarium seculari ordine, & disciplina monstratur. Nam dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine, expertus eligitur, quales animarum duces esse poßint, qui in Episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere;*

SPALAT. Num. 17. Hadr. ep. 1. ad fin.

huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores abstineant; quippe qui non didicerint quod docent. Vnde Canonica instituit censura, nequaquam ex Laico ad Sacerdotium repentè transire. Doluit certè summo disciplinæ Ecclesiasticæ vindici, violatos in electione Tharasij Canones tamen Patriarcha Constantinopolitanus permansit, tandem etiam in eum inclinante Adriano.

Spalat. Num. 18. Pergit Spalatensis, & magis ac magis nostrorum Pontificum gloriam illustrat. *Nemo*, inquit, *tamen acrius in Laicorum ordinatione declamauit, quam Nicolaus primus contra Photium Constantinopolitanum; qui, eiecto Ignatio, fuit perperam, cùm Laicus esset, subrogatus. Reprehendit sæpissimè ex eo potissimùm capite, factum; quod, contra Canones Photius ex Laico sit ordinatus Episcopus. In prima Epistola ad vniuersam Ecclesiam conqueritur, quod Ignatium tyrannicè proiecerunt. Photium, inquit, quendam ex foro ac seculari militia, & habitu atque à Palatinis ædibus eductum, ac subitò tonsuratum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ, contra sacros Canones præfecerunt. In secunda Epistola ad Michaëlem Imperatorem totus est, vt ostendat grauiter peccatum contra Canones, dum de Laicorum habitu populi caterua sic directa, qui ei præesset, elegit pastorem. Exaggeratque pluribus hoc peccatum. Et decreta Cælestini Leonis, Gelasij & Hadriani recitat ac producit. In Epistola tertia renuit consentire consecrationi Photij, quia Laicus non poterat ordinari; Citatque Concilium Sardicense, de quo nos infrà: & decreta Cælestini, Leonis & Gelasij. In quarta Epistola idem repetit, queriturque Photium subitò contra Canones ex Laicali militia tractum fuisse ad Episcopatum. In quinta Epistola ad Michaëlem Imperatorem Photij, similiter ordinationem non admittit; quia ex Laico factus est Episcopus, & respondet ad exempla Nectarij & Ambrosij quæ Imperator obiecerat. In sexta Epistola loquitur cum Photio, eumque reprehendit, quod ex Laicali ordine sine Canonica approbatione ad Patriarchatus dignitatem, subitò transcendere contra Patrum promulgationes non recusarit; sed temerè atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere præsumpserit. Soluitque etiam ipsi obiecta de Nectario, Tharasio, & Ambrosio; quod Nectarius ob inopiam Clericorum illius Ecclesiæ Catholicorum, ex necessitate fuerit promotus; Tharasium verò ab Adriano reprehensum fuisse, & sub conditione restitutionis imaginum tandem admissum. Ambrosium demum miraculosè à Deo fuisse electum. In septimâ Epistola ad finem ipsius eodem redit, aitque; Scimus ex sacris Canonibus, quod non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela vitanda sit, & scimus quod paulatim crescens iam sua pestiferæ nequitiæ gramine multos inuaserit, adeo vt temeritas hæc tantùm excreuerit, vt iam minimè Clericis egeant, dum contra sacros Canones ex seipsis subitò tonsuratum quem voluerunt eligant, & ad labores Clericorum mentis oculos non inflectant; ac per hoc fit, vt alienus comedat ipsorum fructum laborum, & stipendia meritorum extraneus hostis insperatus surripiat. Itaut nihil proficiat Clericis in castris dominicis militasse, vel gradatim per singulos Ecclesiasticos ordines ascendisse, dum alter saltu hos omnes transcendit, & repentè principatur in eis, is, qui inter eos nec contra spiritales hostes arma sustulit, nec diuersis Ecclesiæ aduersarius pro veritate prælians aliquando restitit. Et ad confirmationem Osij dictum ex Concilio Sardicensi repetit.*

Spalat. Num. 19. *Non igitur*, inquit, *licuit nisi ex grauissima causa præsertim, vbi ex Clero persona apta non potuit haberi, & Laicus insignis virtutis suppeteret Laicũ in Episcopali sede non sine probatione præcedenti, facta ordinatione collocare. Sic enim in Concilio Sardicensi*

dicensi capite 13. Osius loquitur; Et hoc necessarium arbitror, vt diligentissimè tractetur; si fortè aut diues Laicus, aut Scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, vt non prius ordinetur, nisi antè & lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus, & ita per singulos gradus, si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt vtique prolixum tempus, probari; qua fide sit, qua modestia, qua grauitate & verecundia; & si dignus fuerit probatus, Diuino Sacerdotio illustretur; quia conueniens non est nec ratio vel disciplina patitur, vt temerè & leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est. Maximè cùm & Magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret denunciasse & prohibuisse videatur. Sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. Admittitur ergo Laicus: sed prius non ad ludibrium, vt nunc fit, sed verè & non exiguo tempore in inferioribus est ordinibus reipsa exercendus. Iam manus dat Spalatensis, ac fatetur *etiam Laicos admissos hac lege, tamen vt prius se seriò in Ecclesiasticis ordinibus exercerent, ac in his diligentissimè versarentur*, & quia etiamnum qui ex Laïcis renunciantur Episcopi, ordine quodam sacris initiantur, *non id serio, sed veluti per ludibrium fieri*, homo maledicentissimus cauillatur. Frena linguæ immodestissimæ laxet quantum volet, seriò omnino cupit Pontifex, imò iubet, edoceri ad munia Ecclesiastica, eos qui Episcopi renunciantur; Hæc illi mens est, hoc iubet, hoc imperat, si qui officio desint extra noxam est, quia per illum non stat. Sed ad alia festinandum est. Dist. 61. c. Osius.

Ita Siricius; Qui verò, inquit, iam ætate grandæuus, melioris propositi conuersatione pronocatus ex Laico, ad sacram militiam peruenire festinat, desiderij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur. Si tamen eum vnum vel habuisse, vel habere, & hanc virginem accepisse constet vxorem, qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum (si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit) prouehatur. Exinde iam, accessu temporum, Presbyterio vel Episcopatui, si eum Cleri ac plebis euocauerit electio, non immeritò societur. His cõsentientia, suis Decretalibus mandauit etiam Zozimus, vbi ait; Defensores etiam Ecclesiæ qui ex Laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur; si meruerunt esse in ordine Clericatus. Vt videlicet si sint ad Episcopatum promouendi, per omnes Clericatus gradus, cum ministeriorum exercitatione prouehantur. Spalat. Num. 20. Dist. 77. c. Quicũque. Dist. 77. c. In singulis.

Gelasius quoque idem docet; Ait enim; Si verò de Laicis quispiam Ecclesiasticis est aggregandus officijs, tanto solicitus in singulis quæ superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinari personam: quantum inter mundanam, religiosamque vitam constat esse discriminis; quia vtique conuenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda, tantoque magis, quod sacris aptum possit esse seruitijs, in eorum quærendum est institutus: quantum de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur: Vt morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius Diuini cultibus intulisse iudicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia: quorum promotionibus, super anni metas, sex menses nihilominus subrogamus: quoniam sicut dictum est, distare conuenit inter personam Diuino cultui deditam, & de Laicorum conuersatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, vt illis Ecclesiis, quibus infestatione bellorũ, vel nulla penitus, vel exigua Spalat. Num. 21. Gelas. ep. 6.

remanserunt ministeria renouentur, quatenus his, Deo propicio, restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis, Canonum Paternorum vetus forma seruetur, nec contra eos vlla ratione praualeat, quod pro accidentis defectus remedio, prouidetur; non aduersus scita maiorum, noua lege proponitur; cæteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis ordinationibus conuenit tenere sententiam: quo magis hac opportunitate commoniti, obseruantiam venerandorum Canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne per illicitos prorumpere moliantur excessus.

Spalat. Num.22. *Gregorius frequenter monet suos visitatores*, prosequitur Spalatensis, *quos electionibus Episcoporum assistere faciebat, ne vlla ratione Laïcos eligi sinerent. Habes hoc lib.2. Ind.10. Epistol.19. Benenato Episcopo. Et Epistol. 29. Ioanni Episcopo Scyllaceno, & lib.7. Ind.2. Epistol. 25. Fortunato Episcopo Neapolitano, & lib.11. Epist.16. Barbaro Episcopo, & Epist.17. proximè sequenti. Quia tamen ob inopiam personæ Ecclesiasticæ, aliquando Laïcus nomine opportunus fuit ei approbandus, ad regimen Ecclesiæ Aprutij: non censuit illum statim consecrandum; Sed hunc volumus, inquit, Epist.13. lib.10. ad Passiuum Episcopum; Vt fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuiant; tunc hortandus est, vt vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat, & post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoueri.* Hæc animaduersione non indigent, nec aliquid noui habent.

Dist.61.c. Obitum.

Dist.61.c. Bene nouit.

Spalat. Num.23. Postremò de extraneis & ignotis Clericis agit Spalatensis, ac de his ista pronunciat; *Sed circa eligendos*, inquit, *ad Episcopatus; Illud quoque maximi factum inuenio in Ecclesia, vt neque quicunque Clericus etiam bonus, & maximè idoneus eligatur, si sit extraneus, & in illa Ecclesia ignotus.* Rem autem exemplis probat & illustrat. *In persecutionibus Athanasij*, inquit, *subrogatus ei fuit in sede Alexandrina Gregorius quidam Cappadox, & de hoc etiam conqueritur Athanasius, dum ait; Eumque nemo in Episcopum postulauit, nisi soli Ariani, ac proinde vti mercenarius & extraneus, &c. Et Iulius Papa similiter de eadem promotione conquestus est dicens; Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primùm enim si verum dicendum est, non decebat cùm nos ad celebrandam Synodum litteras mitteremus aliquos præoccurare iudicium Synodi; Deinde non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci: Vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, vt in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio existente immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem; neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris aut Diaconis ciuitatis, non cum Ægypti Episcopis, sed cum militibus? Hæc enim dixere, & conquesti sunt qui huc venerunt. Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem noui Episcopi, ita illegaliter, & præter Canonem Ecclesiasticum fieri; sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacerdotali ordine; Atque ex ipso Clero eius Prouinciæ Episcopos constitui; Et nequaquam ex illis qui nunc Apostolicum Canones violant.*

Athanas. ad solita.

Apud Atha. Apolog.2.

Spalat. Num.24. *Et Gregorius Nazianzenus dicebat, nam & si paternis laboribus succedere dulce est, ac noto & familiari gregi præesse iucundius est, quàm externo & alieno; Addam etiam Deo carius (nisi me amor fallit, & mentem eripit consuetudo) non tamen*

Naz. orat. quando assum. est in concor. Patris.

tamen conducibilibus est, nec tutius, quàm vt volentes volentibus præsint, quandoquidem neminem vi duci vult lex nostra, ac coactè, & non spontè gubernari.

Cælestinus Papa Epistola sua prima; Alter, inquit, in alterius Prouincia nil præsumat; nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui benè de suorum ciuium merentur testimonio præponantur. Et Leo; Tyrannidem cuiusdam Hilarij Episcopi exprobrans inter cætera ait; Militaris manus, vt didicimus, per Prouincias sequitur Sacerdotem, & armatis præsumptione suffultum, ad inuadendas per tumultum, famulatur Ecclesias quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium his quibus præficiendi sunt, ciuitatibus ignoti. Vt enim notus qui fuerit probatus, per pacem petitur; ita per vim necesse est qui ignotus adducitur, imponatur. SPALAT. Num. 25. Dist. 61. c. 12. Leo ep. 93.

Ac propterea ne ignoti intrudantur illud Ecclesia, & seruauit, & sanxit, vt ex proprio tantùm Clero ipsius Ecclesiæ, cui Pastor quæritur, Pastor eligatur; & non nisi summa necessitate cogente, ex aliena. Habeat, inquit Cælestinus, vnusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem. Item. Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex Laïcis requirantur? Qui vacantes sæculo, & omnem Ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere. Igitur agnoscit dignitates omnes, etiam Episcopatum, deberi Clericis propriæ Ecclesiæ, & alienum honorem ambire Laïcos asserit, qui ad Episcopatum aspirant. Si itaque alienus est Laïcis honor Episcopatus, ideo quia is debetur illius Ecclesiæ Clericis alienus, igitur etiam erit Clericis alienis & exteris, qui & ipsi alienum honorem accipiunt, quoties in alienæ Ecclesiæ Præfecturam irrumpunt; Vt pluribus confirmabo lib. 9. cap. 10. Vbi agam de beneficijs Ecclesiasticis, nonnisi proprio Clero dandis. SPALAT. Num. 26. Cælest. ep. 1 Cælest. ep. 2

Leo quoque electiones ita moderatur: Vt omnium Clericorum, atque omnium ciuium voluntate discussa ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, addidit Vrbanus, & cum ipso Innocentius III. etiam Subdiaconos, optimus eligatur. Et ad Gennadium Constantinopolitanum scribit idem Leo: Enitere, frater charissime, vt spes Suffragatoribus ipsis adimatur, & Alexandrinis ex Clero suo Catholicus Episcopus secundum morem veterem per orthodoxos Episcopos consecretur. Atque hinc est quod Ambrosius, Paulinum hospitem in numerum Cleri sui Mediolanensis, cooptarit; vt posset nimirum post ipsius Ambrosij obitum, in Episcopum illius Ecclesiæ ei succedere. SPALAT. Num. 27. Leo ep. 88. Dist. 60. c. fin. De ætat. & qualit. ord. c. A multis. Leo ep. 100 Baro. to. 4. ann. 394. nu. 88.

Gregorius non semel commonet suos visitatores, vt nullum de altera eligi permittant Ecclesia; nisi fortè inter Clericos ipsius ciuitatis, nullus ad Episcopatum dignus, potuerit inueniri. Ita habet libro 2. Indic. 10. Epistola 19. & Epistola 26. & lib. 11. Epistola 16. Pelagius etiam idem monuerat & statuerat, vt de Clero ipso Catinensi Ecclesiæ prouideatur. Et sanè Aprutiensi Ecclesiæ Clericum nullum idoneum habenti, vt suprà vidimus, Gregorius maluit per Laïcum prouideri, qui erat loci originarius; quàm ei externum & incognitum dare Sacerdotem, ex aliena Ecclesia desumptum. Et Pelagius eadem de causa, Clericum proprium, etiam coniugatum, eligi satius esse duxit, quàm cælibem alienum. In historijs etiam Rauennatibus legimus; Rauennates restitisse Sixto III. dum eis, diuino monito instructus, Petrum Diaconum Ecclesiæ Forocorneliensis pro Episcopo sede illorum vacante offerebat; Resiste- SPALAT. Num. 28. Dist. 61. c. Obitum. Dist. 61. c. Catinensi. Dist. 28. c. De Syracusanæ. Ex Rubeo Baron. to. 5. an. 433. n. 23

bant autem reclamantes haud moris esse ex alterius Ecclesiæ Clero, assumi aliquem, in Ecclesiæ Rauennatis Episcopum. Neque acquieuerunt, donec de diuina inspiratione fuerunt redditi certiores. Ad ista omnia Spalatensis hoc solùm reponimus, ægrè aliquid certò hic statui posse, nisi pro variis temporis ac locorum similiumque rerum circonstantiis, cùm etiam à doctioribus politicarum rerum Scriptoribus in vtramque partem disputetur, *præstetne magistratum ex domesticis eligi, an ex externis.* Et quidem satis constat, initio nascentis Ecclesiæ peregrinæ nationis Episcopos Ecclesiis impositos, ac sæpè contigit iuxta verba Christi, *Vt Propheta in patria sua*, ciuibus suis non sit acceptus, aut gratus. Certè de Eusebio Vercellensi Episcopo hoc obseruat Ambrosius; *Hæc est*, inquit, *illa confessoris institutio, hæc iustorum soboles Patrum* (de Ecclesia Vercellensi laudatissima loquitur) *qui sanctum Eusebium quem nunquam ante cognouerant, post habitis ciuibus simul, vt viderunt & probauerunt, tantumque interfuit, vt probaretur, quantum vt videretur?* Vtique nec ipse Ambrosius ex Clero assumptus est Mediolanensi, vt mittam infinitos alios, qui ex alieno Clero Ecclesiis impositi rectores, summa cum laude Episcopatum gesserunt. Quamquam video sæpius delectos ex proprio Clero, vt quod ait Cælestinus *haberet vnusquisque Clericorum suæ fructum militiæ, & in aliena stipendia, alter minimè obreperet, & alij debitam vindicaret.* Sed vt dixi nil certi de ea re statui potest. Iulius quidam impij facinoris Eusebianos postulat, quod Georgium Capadocem hominem peregrinum & externum, Ecclesiæ Alexandrinæ præfecissent; sed alia labes fuit ordinationis huius Georgij, quòd pulso magno Athanasio legitimo Antistite, viuo ac superstite Episcopo orthodoxo, in eius veluti patrimonium inuaserit homo Arrianus; Reliqui verò Pontifices, quos profert Spalatensis equidem vrgent electionem domesticorum, sed perpetuam legem non sanciunt, ac omnino fieri potest, vt peregrinus ex alieno Clero assumptus, domestico aliquanto sit, & aptior, & vtilior. Et sanè quod de Petro Diacono Forocorneliensi affert, satis ostendit etiam diuino numini aliquando esse acceptas peregrinorum electiones. Sed hîc temperare sibi non potuit à linguæ contumeliis Spalatensis.

Amb. l. 3. Epist. ep. 25. — Cælest. ep. 1 — Apud Baro. to. 5. an. 433. nu. 23.

Quod si, inquit, *alterius Ecclesiæ Clericus, quantumuis vicinæ, eiusque Prouinciæ, linguæ, & nationis, vt extraneus ab Episcopali cura repellitur, quantò magis si fuerit alterius linguæ, & nationis est repellendus? Quomodo enim explebit id quod meritò Episcopis imponitur, Vt sermones & homilias Sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possunt secundum proprietatem linguæ prædicare studeant? Propterea sapienter ad Noruechorum Regem illa scripsit Gregorius VII. Notum autem vobis esse volumus, quoniam desiderium nostrum est, si quo modo possemus ad vos aliquos de fratribus mittere, qui fideles & docti essent ad erudiendum vos, in omni scientia & doctrina in Christo Iesu. Quod quia nobis, tum propter longinquitatem terrarum, & maximè propter ignotas linguas valde difficile est; rogamus vos, sicut & Regi Danorum denunciauimus, vt de iunioribus & nobilibus terræ vestræ ad Apostolicam aulam mittatis, quatenus sub alijs Apostolorum Petri & Pauli sacris, ac diuinis legibus diligenter edocti, Apostolicæ sedis ad vos mandata referre, non quasi ignoti, sed cogniti; & quæ Christianæ religionis ordo postulauerit apud vos, non quasi rudes aut ignari, sed lingua ac scientia, moribusque prudentes dignè Deo prædicare, & efficaciter, ipso adiuuante, excolere valeant.*

Spalat. Num. 29. — Conc. Rhe. c. 15. — Greg. 7. l. 6. ep. 13.

Nunc

Nunc verò ad ignotæ quoque linguæ homines ex Romana Curia interdum mittuntur Episcopi, & Pastores, quorum vocem oues non poßint audire, quique neque agnoscunt suas oues, neque oues ipsos: verè mercenarij, non Pastores; qui eò veniunt, vt perdant & mactent; vt lanam expilent, & lac exsorbeant, non vt pascant. Iam igitur habemus quinam sint eligendi in Pastores Ecclesiarum, vt Metropolitani hinc tutò poßint discutere electiones; Sciréque quas debeant vel approbare & confirmare, vel infirmare & reprobare. Nostri tamen summi Pontifices omnia sibi licere putantes, contra hæc adeo veneranda iura, & Laïcos, & alienos, & irregulares, & plurimos indignißimos promouent; non quidem ita neceßitate aliqua, aut Ecclesiarum vtilitate vrgente, sed prece vel precio suadentibus; ipsi viderint. Respondeo planè eos exoptandos Episcopos, qui linguam calleant, & populum ad pietatem possint edocere. Rectè enim Hieronymus, *Nec in Ecclesiis quamuis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi poßit docere quos pascit:* Et tamen certum est posse quoque eum qui linguam minimè calleat, doctorum hominum opera vti, qui id laboris sibi sumant. Quod verò addit *ignotæ linguæ homines, ex Romana Curia Episcopos in Prouincias mitti & Pastores, qui eò se conferant, vt mactent, perdant, & lanam expilent,* exulcerati ac exacerbati animi querela est, quamquam nonnullorum respectu iusta esse possit; est tamen calumniæ plena, siue Pontificis mens spectetur, siue de omnium qui mittuntur moribus agatur. Equidem mihi exploratum non est tales à Pontifice Ecclesiis imponi rectores, quamquam & falli possunt cùm creare contingat, qui præter mentem renunciantis & imponentis multa perperam faciant & admittant, tum in contumeliam sui ordinis, tum in perniciem sibi crediti gregis.

SPALAT. Num. 30. Ioan. 10.

Hier. in c. 4. ep. ad Eph.



DISCVSSIO
V. VI. VII. VIII. IX.
CAPITVM LIBRI TERTII.

CONSPECTVS CAPITVM.

Doctrina Ecclesiæ constans & perpetua: Disciplina verò mutationi obnoxia: Vetera aliqua instituta in ordinatione Episcoporum mutata, Pontificum, hoc est, ipsius Ecclesiæ authoritate: Assensus Pontificis in Episcoporum consecratione semper desideratus: Duo Spalatensis errores detecti ac refutati: Forma iuramenti Episcoporum, quo Pontifici obedientiam pollicentur: Improbè à Spalatensi vellicata: Episcopis non licere ad nutum sedes mutare: Pro necessitate tamen Ecclesiæ ab vna sede ad aliam transferri posse. Pelagij in hanc rem prolixus locus: Huius rei supremam potestatem supremumque ius penes Pontificem esse: Anagapeti egregium, ac verè palma dignum facinus in expellendo Constantinopoli Anthimo pseudo-Antistite: Pontifex Episcoporum Episcopus etiam Tertulliano: Cyprianus declaratus: Ad eum planè pertinet de reliquis Episcopis iudicare: Gregorius explicatus: Baronius & Binius defensi: Synodi Antiochenæ Canones spurij, quippe qui in odium magni Athanasij sint conflati: Nusquam ab omni æuo in Ecclesia fuisse receptos: In his recensendis deceptos Canonum collectores: Eam Synodum planè Arrianum fuisse: Obiectiones Spalatensis depulsæ: Eius in historia Athanasij lapsus: De appellandis Metropolitis: Canon Sardicẽsis.

SPALAT. Num. 1. EPISCOPOS, *non nisi ab Episcopis fieri, in præcedenti libro toties ostendimus, & hoc sanè ex ipsa Christi institutione: atque adeò iure diuino quemcunque Episcoporum posse à quocunque Episcopo ordinari, mitti,* Epiph. hær. 75. *& consecrari, iuxta illud Epiphanij; Episcoporum ordo Patrum generator est, Patres enim generat Ecclesiæ. Iure tamen humano Ecclesiastico ad scissuras, rixas & confusiones euitandas, non est cuique Episcopo ordinariè permissum, vt quemcunque possit Episcopum ordinare; sed diuisæ sunt, vt ostendimus, Prouinciæ iuxta seculares, & mũdanas, chorographicasque diuisiones, vt Episcopi vniuscuiusque Prouinciæ, suos eiusdem Prouinciæ Episcopos ordinarent: atque hæc cura potissimùm in Metropolitanũ Prouinciæ est coniecta, cuius prima & potissima institutio fuit, propter iã dictas ordinationes: Cùm igitur & factis, & exẽplis, & dictis, atque decretis, hoc Metropoliticum ius confirmauero, quod hoc cap. propono, erit absolutum. Nullæ ergo hîc disputationes, sed sola authoritatum erit collectio, & enumeratio, ex qua collectione, quicquid circa Episcoporum ordinationes, & consecrationes explicandũ esset, abundè & enucleatè habebitur. Nimirum facta legitima personæ electione, eaque discussa & approbata per Episcopos Comprouinciales, siue per Metropolitanum solum, in quẽ Episcopi, ne toties incõmoda conueniendi subeant, & Ecclesias suas derelinquãt, onus hoc transtulerunt; per eosdẽ, si conueniant; sin minus, per eundem Metropolitanum, duobus tamen saltẽ sibi adiunctis Coepiscopis, ex vicinioribus, electus plenè ordinetur, & consecretur. Si verò Metropolitanus est ordinandus, tunc similiter vel Comprouinciales Episcopi, omnes conuenientes, aut maxima eorum pars, aut ad minimum tres eorum illum ordinent: vel saltem Patriarcha, aut Primas; si commodius per ipsum id possit, fieri: Quæ omnia ex iam dicendis fient manifestissima.*

QVEMAD-


VEMADMODVM Philosophi mirabilem in cœlesti mundo obseruarunt constantiam, nec in eo vlla corruptionis indicia deprehenduntur, cùm tamen in inferiori, quia corruptibilibus constat corporibus, tam multiplex sit varietas, tam perennis mutatio, rebus aliis ortum, aliis interitum, subeuntibus: sic Theologi hoc discrimen agnoscunt inter doctrinam fidei, & morum disciplinam, quòd perpetua & constans sit fidei doctrina, nulli mutationi obnoxia: quare à Tertulliano *irreformabilis* dicitur: Disciplina verò varias subeat mutationes, ac pro temporum, personarum, & etiam locorum ratione mutet. Equidem viget, æternumque vigebit doctrina fidei à Christo sata, & ab Apostolis exculta, sed nihil prohibet ritus, cæremonias, adeoque ipsam rerum administrationem, & reliqua ad disciplinam pertinentia; dummodo id bono Ecclesiæ, & summorum pastorum authoritate fiat, mutari: Quare quòd hîc Spalatensis, de *immutatis veteribus institutis* nobis opponit, *telum est quod amictu*, vt ait ille, *vitamus:* Antiquo iure fatemur, penes Metropolitanos Episcopos erat potestas suos sibi subiectos Antistites initiandi, hocque illis relinquebatur, annuentibus scilicet Pontificibus, qui hoc illis ius illibatum seruarent, nunc verò iure nouo est ad vnum Pontificem ordinandorum Episcoporum potestas reuocata, vt, quibus tandem velit, eam demandet; nec nisi eius authoritate fiat. Et sunt pleraque eiusmodi de antiquo iure immutata, in quibus sese prodit Pontificum authoritas, penes quos sit harum rerum arbitrium. Prolixa igitur oratione opus non est, admittimus & Concilia, & Patres Metropolitis ordinandorum Episcoporum potestatem asserere, nec negamus colligi ex Constitutionibus, quas vocant, Apostolicis, ex primorum Pontificum Anacleti & Aniceti, quæ circumferuntur, Epistolis Decretalibus, & ipso Concilio Nicæno, ex Laodiceno, ex Antiocheno, Sardicensi, Carthaginensi secundo, Carthaginensi quarto, Taurinatensi, Regiensi, Chalcedonensi, Tarraconensi, Epaunensi, Aurelianensi quarto, Turonensi secundo, Parisiensi secundo, Toletano quarto, Pictauiensi II. sub Paschali secundo. Ex Ambrosio, Innocentio primo, Leone Magno, Hilaro Papa, Gelasio, Gregorio Magno, Nicolao primo, Leone nono, Alexandro secundo, Alexandro tertio, Lucio, Innocentio tertio, Iuone Carnotensi, & aliis plerisque, quos profert Spalatensis à numero secundo ad quadragesimum. Sed quod probandum incumbebat Spalatensi, erat, non potuisse Pontificem receptum morem intercipere, aut interuertere: cùm enim ista ad ius positiuum & externam politeiam, adeoque, vt monebamus, ad disciplinam Ecclesiæ pertineant, eorum penes est Pontificem arbitrium, quamquam video etiam ante immutata hæc iura, Pontificis assensum in ordinandis Episcopis semper desideratum fuisse, quod argumento est, in his supremam potestatem habuisse: imò verò, ipsorum Metropolitarum consecratio, & initiatio ab eo vno pendebat, eoque authore fiebat. Hoc probat locus Gregorij à Spalatensi inductus: sic enim ille ad Exarchum Italiæ de electi Mediolanensis consecratione. *Quia*, inquit, *quantum ex Cleri relatione didicimus in Constantio filio nostro, Diacono eiusdem Ecclesiæ omnium consistit electio; necesse fuit pro seruanda consuetudine, militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer conuenire cognouerit, à suis Episcopis sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu, faciat consecrari.* Et ad Ioannem Subdiaco-

SPALAT. Num. 2. 3. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

SPALAT. Num. 40. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 31.

Greg l. 2. ind. 11. ep. 30 num, quem huic negotio præficiebat. *Tunc*, inquit, *à proprijs Episcopis sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ authoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino, facias consecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa alijs sua iura non minuat.* Quod autem excipit Spalatensis, *ex recentiori consuetudine illum assensum Pontificis desideratum* falsum omnino est, nisi Gregorium ipsum mendacij postulemus, sic enim de consecratione Salonitani Episcopi: *Salonitanæ*, inquit, *ciuitatis Episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens ad eum præuaricatorem qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omninò Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à Serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis impositione mandaui.* Quæ de Honorio profert, & Stephano huius nominis Papa sexto Pontificis potestatem in sanciendis ordinationibus firmat, vt toto hoc capite nihil sit, quod ius nouum ab eo inuectum tollat; nam quod refractarios duos inducit, præponderare non debet, publico totius Ecclesiæ iudicio, quæ in hanc veteris iuris abolitionem consensit. Sed antequam illud claudamus; Notandi & obseruandi sunt duo, Spalatensis in ipso limine lapsus; prior est in loco Epiphanij, quem firmando errori suo ex ipsa Christi institutione, atque adeò iure diuino quemcunque Episcopum posse à quocunque Episcopo ordinari; affert, nec enim habet hoc Epiphanius, sed dumtaxat *Episcoporum ordinem, Patrum ordinem esse, & Patres dare Ecclesiæ*, non verò posse quemcunque Episcoporum à quocumque Episcopi consecrari. Alius lapsus est diuisas Ecclesiasticas prouincias, iuxta seculares & mundanas chorographicasque diuisiones, de quo priori capite huius libri. Ad calcem autem capitis multa garrit, vt Pontifici odium conflet, quasi is Sacramento adigat Episcopos ad iuramentum præstandum. *Quod sit iuramentum*, inquit, *Vasali erga Principem potius quàm Episcopi aduersus suum consecratorem.* Sed eum refellit, quod de iuramento Bonifacij Moguntini ipsemet refert. *Extat*, inquit, *integrum iuramentum Bonifacij Moguntini, quod sic se habet. In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, Imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno 7. post consulatum eius, sed & Constantini Magni Imperatoris eius filij anno 4. inchoato scilicet, indictione 6. Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus tibi B. Petre Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ & Successoribus eius, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis Christianorum salus esse, sine dubio comprobaui, nullo modo contra vnitatem communis, & vniuersalis Ecclesiæ, suadente quopiam consentire; sed, vt dixi, fidem & puritatem meam, atque concursum tibi, & vtilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo potestas ligandi, soluendique data est, & prædicto Vicario tuo, atque Successoribus eius per omnia exhibere. Sed & si cognouero Antistites contra instituta antiqua Sanctorum Patrum conuersari, cum eis nullam habere communionem, aut coniunctionem, sed magis si valuero prohibebo; sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renunciabo. Quod si, quod absit, contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere, quolibet modo aut ingenio, vel occasione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus proprijs fraudem facere præsumpserunt.*

Spalat. Num. 40. — Greg. l. 4. ind. 13. ep. 34. — Spalat. Num. 40. in fine, & 41. init. — Spalat. Num. 1. Epi. hær. 75. — Spalat. Num. 47. — Spalat. Num. 46. Apud Surium die 5. Iunij, & Baron. to. 9. an. 723. n. 4.

Hunc

Hunc etiam indiculum Sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratißimum corpus S. Petri, ita vt præscriptum est, Deo teste, & iudice feci Sacramentum, quod & seruare promitto. An aliquid habet ex Sacramenti forma, quod odiosius ad vsurpationem temporalis potestatis trahi possit? Ita perpetuò sycophantam agit Spalatensis. Capite sexto de mutationibus & translationibus agit Episcoporũ, & primùm quidem, vt omittamus quod de vaga Episcoporum potestate scribit, rectè monet ex Calixto primo, Antero, Concilio Sardicensi, Iulio primo, Theodoreto, Concilio Carthaginensi tertio, Carthaginensi quinto, liberum non esse Episcopis sedes pro arbitrio mutare, Ne scilicet quod habet Hieronymus, *de alia ad aliam Ecclesiam transferantur, ne virginalis pauperculæ societate contempta ditioris adulteræ quærant amplexus.*

Num. 1.

Hier. ad illa verba, oportet Episcopũ, &c.

Rectè etiam aduertit, necessitate vel vtilitate Ecclesiarum id postulante, posse ab aliis ad alias ciuitates transferri, quod Socratis testimonio confirmat, additque similia sensisse Pelagium secundum, & quidem Socratis verba sunt: *Mortuo Cyzicenorum,* inquit, *Episcopo, Sisinnius Proclum Cyzici Episcopum designat. Quem ad illam vrbem profecturum anteuertunt Cyziceni, Dalmatiumque Monachum Episcopum ordinant. Hoc ab illis factum est neglecta illa lege quæ iubet, ne quis Episcopus designetur, absque sententia & authoritate* Episcopi *Constantinopolis. Legem autem propterea neglexerunt, quod Attico soli (vt illi putabant) nominatim authoritatem illam concederet: proinde Proclus cùm suæ ipsius* Ecclesiæ *administrationem non obiret, in* Ecclesiis *Constantinopolis mansit: in quibus docendo per magnam laudem adeptus est.*

Num. Socrat. l. 7. c. 28. hist. Eccl.

Τῶν Κυζικηνῶν ἐπισκόπου τελευτήσαντος, ὁ Σισίννιος Πρόκλον ἐχειροτόνησε τῆς ἐπισκοπῆς τῆς Κυζίκου. μέλλοντος οὖν διάγειν ἐπ' αὐτήν, ἔφθασαν οἱ Κυζικηνοί, καὶ χειροτονοῦσιν ἄνδρα ἀσκητήν, ᾧ ὄνομα ἦν Δαλμάτιος. &c.

Pelagium verò sic contrahit Spalatensis: *Pelagius tamen alter,* inquit, *Socratem imitatus, fusiùs præceptum hoc de non transferendis* Episcopis *à sede in sedem tractat. Cuius disputationem non breuem de translationibus, quia explicat quando illæ liceant, & quando secus; & cuius authoritate fiant, contractiorem hic insero. Ait igitur ad Benignum Archiepiscopum; Exigit ergo dilectio tua consulta sedis Apostolicæ, si licitum foret* Episcopum *transire, aut mutare de ciuitate ad Ciuitatem. Quapropter scias, frater dilectißimè aliud esse causam necesßitatis, & vtilitatis; & aliud causam præsumptionis, & propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non causa auaritiæ aut dominationis aut propriæ voluntatis, vel suæ electionis migrat de ciuitate ad ciuitatem; sed causa necesßitatis aut vtilitatis mutatur. Nam plurimorum vtilitas, vnius vtilitati, aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari; sicut aliud est ministrare & aliud ministrari. Vnde Dominus in Euãgelio loquitur, dicens; Non veni ministrari, sed ministrare. Quod enim in Canonibus legitur; Non debere Episcopum de ciuitate ad ciuitatem transire, vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necesßitate coacti, aut authoritate maiorum hoc agunt, sed de iis qui auaritiæ ardore inflammati, sponte sua prosiliunt, & potius ambitioni quàm vtilitati Ecclesiæ seruire, & vt dominationem agant insistere cupiunt. Quis enim vnquam audet dicere S. Petrum Apostolorum Principem non benè egisse, quando mutauit sedem de Antiochia in Romam? Aut quis eum negat ob id sanctum non esse, aut dignitatem aut meritum vnquam Apostolatus tam in cœlis, quàm in terris, perdidisse? Aut quis negat Sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum Pontificatus perdidisse? Quorum nomina si cœperim enumerare, ante dies pertransiet, quàm hæc omnia perscribere possem; & prolixior erit epistola, quàm necesse sit. Aut quis vnquam potest*

Spal. c. 6. Num. 16.

Pelag. 2. ep. 2. & 7. q. 1. c. 35. 36.

Matth. 20.

approbare sanctum non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de altera ciuitate translatus est? Aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui in Nazianzo constitutus est? Aut S. Proclum qui de Cyzico translatus, & Constantinopoli inthronizatus est? Tales autem quæstiones magis ex inuidia, quàm ex vtilitate aut charitate nasci videntur. Cùm ipsa per se Veritas dicat; Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Huic ergo sententiæ nullus Catholicorum, vsquam contradicere potest, quæ non alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata, & firmata esse dignoscitur. Nam & ipse Dominus de loco ad locum secessit, id est transiuit, Iudæis illum quærentibus. Fugiens ille quærentes & persequentes se, dedit nobis exemplum fugere nos persequentes, & de ciuitate ad ciuitatem transire, dicens, Si vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam; & cætera his similia. Nam si fugere malum est, persequi multò deterius. Hic quidem ne moriatur, absconditur; hic autem persequitur vt occidat: & vt fugiatur præcipitur. Si ergo piissimus atque iustissimus Dauid, sciret peccatum esse persecutionem fugientes, & transeuntes de loco ad locum, & de ciuitate ad ciuitatem, tales nequaquam reciperet, nec secum teneret, nec in aliis ciuitatibus eos collocaret. Qui enim persequuntur Domini Episcopos, eosque de ciuitatibus ad ciuitates transire compellunt, non eos tantùm persequuntur, quantum Dominum nostrum Iesum Christum, cuius legatione funguntur. Nec ipsi in hoc peccant Episcopi, quoniam non spontè, sed coactè hoc agunt; sed illi à quibus persequuntur: nec ipsis Episcopis hoc imputari potest, sed illis qui eos agere cogunt. Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus, & necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia & veritas, & omnibus necessitatem patiētibus subuenire iubet. Pauca sunt frater quæ asserui: sed quanta ex his pedeant, tua prouidentia poteris æstimare. Quare hanc adnituntur Maleuoli irrumpere misericordiam? Cur illudere vanis intentionibus fœlicitatem? Excusationem iam non habet furor iste in credentibus: nec interest quibus itineribus ad mundi Principem currat, qui à beneuolentia fratrum descicit, aut necessitatem patientibus misericordiam negat: Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus diuinis mysteriis, & non habentibus proprium Episcopum, qui eos instruat, causa vtilitatis, atque necessitatis, ex alia ciuitate, licet minor sit, in eam quæ non habet Episcopum doctiorem vel vtiliorem, meliori consilio non spontè transeuntem, sed maiorum exhortatione mutare; aut Episcopum eiectum, & persecutionem patientem, causa vtilitatis, atque necessitatis, inthronizari non permittit. Apud veteres enim, sine vlla differentia, de vna ciuitate, ad alteram migrabat Episcopus, dum vtilitas aut necessitas euocaret: Pingues hostias litat Diabolo, qui his resistere nititur; aut misericordiam & vtilitatem Ecclesiæ iam dictis negat; id est, & Episcopis, & populis. Scio te non ignorare frater memoratas Canonum sententias; atque Euangelicas sanctiones nouas non esse, sed nostro eas assensui mancipari. Cur his contradicentes & emigrationes Episcoporum vtilitatis & necessitatis causa fieri prohibentes, vt sæpè dictum est, non auaritiæ aut temeritatis in perniciem Sacerdotum, ac populorum lædunt Sacerdotale Concilium? Cur lacerant sententiam in qua inspirante Christo, oracula superna patuerunt, & inter Deum & homines interpres extitit lingua Pontificum? Talium ergo dictiones, vel prohibitiones, indignæ etiam fiunt memoratu. Profunda est ergo nimis imperitia eorum, & sepulchrum patens guttur eorum, qui linguis suis dolosè agunt, non enim est in ore eorum rectum, interiora eorum insidiæ; densis cor eorum vepribus suffocatur; & interna vitia aliis certant ascribere. Hæc Pelagius, & sanè optimè, nam

Matth. 10.

& causas

& causas legitimas exposuit legitimæ translationis faciendæ; & illegitimas quibus non sit obsequendum aperuit; & in Metropolitani potestate ipsas translationes legitimas ponit. Similem satis fusam disputationem habet etiam Nicephorus Callistus; Niceph. li. 14.c.30.
& Stephanus sextus contra Basilium Imperatorem, negantem propterea Martinum Papam fuisse legitimum, quia alterius Ecclesiæ Episcopus erat, quando factus est Romanus Episcopus de eadem translatione disputauit: exempla quidem protulit, sed causam affuisse non ostendit. Apud Bar. tom 10. an. 885.n.14.

Alia demum exempla subiicit translatorum Episcoporum. Sed ad finem capitis semper sui similis Pontificiam æstimationē lædere conatur, immanemque blasphemiam Innocentio tertio affingit, quem se *Deum in terris* facere blaterat. Sed nos calumniam superiore libro refellimus, atque ostendimus Innocentium tertium moderatissimum Pontificem suæ mortalitatis apprimè conscium, se pro Deo nunquam venditasse, sed quod habet *se tanquam Deum separare Episcopum à priore sua Ecclesia*, intelligendum iuxta illud Apostoli, *Præcipio ego, non iam ego, sed Dominus:* hoc namque sibi vult se authoritate Christi, cuius Vicarius sit in terris, Episcopos locis & sedibus mutare. Quanquam autem ab aliis factas translationes Episcoporum doceat Spalatensis, id minimè prohibet harū rerum ius summum ad Pontificem pertinere, vt illius sit translationes huiusmodi inhibere, impedire, ac etiam irritas reddere si velit: Qua de re insigne extat exemplum apud Liberatum in breuiario, de Antimo Constantinopoli ab Agapeto pulso, in quam ille sedē relicto Trapesuntio inuolarat; Rem sic narrat Liberatus. Num. 22. Num. 23.
Petentibus Principibus, id est Iustiniano ac vxore Imperatrice, *vt Anthimum Papa in salutatione & communicatione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta verò clam promittente munera multa, & rursus Papa minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se sede pulsum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis fauore Menam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica sancta Mariæ. Fuit iste Menas præpositus Xenodochij maiorū, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Chalcedonensem Synodum.* Non existimo Pontificiæ authoritatis vllum in tota antiquitate illustrius aut potentius extare testimonium. Liberat. in breuiar. cap. 21.

Septimo Capite Metropolitanorum Episcoporum iura persequitur, de quibus litem illi non mouemus, nisi quod iure antiquo, quod varias subierit mutationes, hæc niti cēsemus. Sed in ipso Capitis limine impingit, cumque Pontificem *Episcoporum* esse *Episcopum* ostenderimus, in priore sententia perstat, fretus, vt existimat, authoritate Cypriani, cuius locum de solis Africanis Episcopis proculdubiò accipiendum ad Pontificem quoque flectit. Sed eum refellit Tertullianus Cypriani magister, qui Papam *Pontificem Maximum & Episcoporum Episcopum*, ad quem scilicet pertineat de Episcopis iudicare, eosque à iure communionis, si à fide exorbitarint, arcere possit; *Quacumque enim ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus*, inquit nostræ Gallicanæ Ecclesiæ lumen eximium, Albaspinus Aurelianensis Episcopus, *seriò vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse, de rebus fidei iudicia peremptoria ferre, & totius orbis Episcopos monere atque docere, quis non agnoscit? Eoque magis quod vnus Tertullianus iam hæresi implici-* Li 4.ep.9. De pud.c.1. Albasp in Tertul.lib.

tus de hac re cæterus Ecclesiæ Episcopis non reluctantibus conqueratur, *nam de iis rebus eum oppugnando*, *coniecturam facit*, *ea tempestate id iuris Romanis Episcopis concessum fuisse*, *eosque reuera hanc potestatem exercuisse.*

De pud.c.1. Cæterùm eius qui Episcoporum Episcopus sit, de cæteris Episcopis iudicare, eosque à iure communionis, si quid *alienum à fide senserint arcere*, ostendit de

Li.4. ep.9. quo iam agitur locus Cypriani. *Superest*, inquit, *vt de hac ipsâ re*, *quid singuli sentiamus*, *proferamus*, *neminem iudicantes aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit iudicantes*: *neque etiam quisquam nostrûm*, Episcopum *se esse* Episcoporum *constituit*, *aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit*. Et quidem quod summo vir iudicio aduertit aliud, est *Episcoporũ se Episcopum constituere*, *& tyrannico terrore collegas*, *ad obsequendi necessitatem adigere*, hoc posterius à Pontificis patria potestate, quæ tota *in pietate non atrocitate* posita sit, alienum omninò est, illud verò prius maximè eum decet, de quo dictũ sit à Christo, *Pasce oues meas*, *Pasce agnos meos*. Quare cùm Tertulliano, Eucherio, etiam Arnobio, ac Orthodoxis omnibus Pontifex *Episcopus* sit *Episcoporum*, & *Pastor Pastorum*, ad eum planè pertinet de reliquis iudicare; Quod Cyprianus ipse probè agnoscens cùm exauthorandum & loco mouendum censeret, Arelatensem Episcopum Nouatianum factum, ad Stephanum Pontificem confugiendum duxit, qui sententiam in eum ferret, ac dignitate exueret. Institu-

Num. 1. ta igitur Ecclesiæ proculcat Spalatensis, qui Episcopum *ex Pastore factum lupum*, *Canones conculcantem*, *& venenata pabula ouibus suis præbentem*, *iudicandum toti Ecclesiæ* tradit, cùm penes Pontificem ea semper resederit potestas. Nam vt Archiepiscopi Episcopos, Primates Archiepiscopos, Primates ipsos Patriarchæ, aliquando mulctarint, imò eorum plectendorum potestatem habeant, quod pluribus sectionibus ostendit Spalatensis; penes tamen vnum Pontificem est rerum istarum summum & extremum iudicium, adeò vt eum appellare possint qui factam sibi ab aliis Episcopis iniuriam arbitrantur. Improbè autem Spa-

Num.3. Greg.l.7. ind. 2.ep. 64. latensis illo dicto Gregorij; *Si qua culpa in* Episcopu *inuenitur*, *nescio quis sedi Apostolicæ* Episcopus *subiectus non sit*: *Cùm verò culpa non exigit*, *omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt*. Authoritatem Pontificis eneruari aut con-

Rom. 13. uelli existimat. Similis est locus apud Apostolum; *Principes non sunt timori boni operis*, *sed mali*: *vis autem non timorem potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa*. Hoc solùm igitur sibi vult Gregorius, non esse quod Episcopi, innocenter suam Prouinciam & suum munus obeuntes, à Pontifice aliquid formident, quod non nisi in sceleratos & immorigeros suam potestatem exerat, aut etiam exerere possit. Sed hæc vim authoritatis non infringunt; Rectè autem illud addit Gregorius, *Culpa non exigente*, *omnes* Episcopos *æquales esse*, *non quidem absolutè*, *sed* SECVNDVM RATIONEM HVMILITATIS Quo autem sensu à Cypriano dictum sit Episcopos Deo soli rationem reddituros, quod 8. Capite repetit Spalatensis, est superiore libro à nobis explicatum: & certè suum dogma ipse iugulat, cùm non obscurè Ecclesiam, vicinos Episcopos, Metropolitanos, Primates etiam & Patriarchas, iudices facit eorum qui piaculo ali-

Ca.8. nu.1. quo se contaminarint. *Vbi*, inquit, *Episcopos*, *aut in suis iudiciis*, *aut in suo regimine errare contingit*, *sicuti vicinorum Coëpiscorum correctioni substare debent*; *ita etiam Metropolitano*, *qui rerum locum tenet*, *consuetudine Ecclesiæ*, *& iure Canonico debent subesse*: *adeo vt ipsorum acta erga suos subditos*, *si à recta regula deuient*, *per eorum Metropolitanos sint corrigenda*. *Atque ita causæ subditorum suffra-*

suffraganeorum ante omnia ante Metropolitanos per appellationem deuoluuntur. Igitur etiam aliis quàm Deo, scilicet superioribus Episcopis rationem reddere tenentur. Sed hoc capite occasione appellationum, de quibus inter cæteras statuit Synodus Antiochena, Baronium & Binium vexat Spalatensis, qui *Canonem duodecimum, imò & reliquos huius Concilij eleuare, ac omnem eis fidem detrahere conati sint*, quod Arrianos aut Arrianorum fautores autores habuerint. Ille verò duodecimus cum plerisque aliis 14. & 15. in odium Athanasij sit conflatus; Opponit verò hos Canones *semper in Ecclesia receptos, Patribus Concilij Chalcedonensis probatos, ac à Gratiano ipso in decretum relatos*: atque negat vi duodecimi Canonis oppressum Chrysostomú. Sed quod ad primum attinet, nego atque pernego priscæ Ecclesiæ pro legitimis habitos Canones Antiochenos. Astipulatores habeo Latinos & Græcos, tum vetustiores tum recẽtiores. Ex antiquioribus Innocentius primus epistola ad Constantinopolitanos hæreticorũ Commentum Canonem contra Chrysostomum prolatum vocat; *Nos enim*, inquit Innocent. *quantum ad Canonum obseruantiam attinet illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt: quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere, Ecclesia Catholica debet. Si qui verò & alij quibusdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur, hi verò ab Episcopis Catholicis reiiciuntur. Hæreticorum enim commenta* (Antiochenos Canones intelligit) *Catholicis Canonibus assuere non licet: semper enim vel per contraria vel per illicita, labefactare voluntatem student Concilij Nicæni.* Sozomenus sic pro se contendentem inducit Chrysostomum, ac Canonis vim eleuantem: *Arriani*, inquit, *postquam calumniis circumuentum Athanasium Alexandrina Ecclesia eiecerunt, metu vicissitudinis rerum, Canonem istum condiderunt; id agentes vt ea, quæ aduersus illum fuerant machinati manerent indiscussa.* Palladius quoque in vita Chrysostomi ab Arrianis editos Canones Antiochenos docet, refertque Elpidium Laodiceæ Episcopum & Tranquillum, cùm illis Canonibus premeretur Chrysostomus Imperatori Arcadio significasse, nullius ponderis illos esse, quod ab Hæreticis essent conditi. Idemque Palladius Concilio Sardicensi abrogatos tradit, quibus premeretur Chrysostomus, quod etiam Balsamon testatur, & ipsi Protestantes agnoscunt; sic enim Ehingerus ad Canonem 4. *Hic Canon*, inquit, *in odium & detrimentum pij Athanasij factus esse videtur. Hic enim iussu Imperatoris Ecclesiam suam Alexandrinam, quæ ipsum cupidissimè expectabat, receperat; sine decreto alicuius Synodi.* Rursus ad Canonem vndecimum: *Et hic Canon*, inquit, *in sanctum Athanasium compositus est, Athanasius enim iniustè ab Arianis expulsus ad Imperatorem Constantinum iuniorem confugerat, & ab eo reditum ad Ecclesiam suam impetrauerat.* Item ad duodecimum. *Hic Canon*, inquit, *in substantia à priore non differt, nisi quod deterior est.* Ac postremò ad Canonem decimum quintum. *Et hic Canon*, inquit, *haud dubiè contra virum optimum Athanasium factus est: vt illi appellatio ad aliam Synodum adimeretur.* Quod ad secundum attinet, doctiores & in his magnus Cardinalis Peronius, aduertunt codicem Chalcedone in causa Bassiani & Stephani prolatũ, haud sincerum fuisse, sed deprauatũ adiectione peregrinorũ Canonum scilicet Antiochenorũ; quippe qui Cyrini Episc. Chalcedonẽsis olim Chrysostomi infensi hostis fuisset; Certũ est enim aduersarios Chrysost. hos Antiochenos Canones pro legitimis habuisse, & inter regulas Ecclesiasticas reposuisse. Sed id nõ

Inno. apud Sozom. l. 8. c. 27.

Cap. 20.

Ad Can. 14. & 15.

Ehing. ad can. 4.

Act. 11.

viderunt Patres Chalcedonenses, quod in codice, Synodorum, ex quibus deprompti essent Canones, nomina non essent expressa, cùm tamen in alio codice legitimo scilicet illo, cuius Concilij essent Canones qui legerentur, esset expressum. Sed in hoc verò codice Antiochenorum Canonum nulli apparent. Imposuit igitur Chalcedonensibus ex Cyrini Bibliotheca depromptus codex. Quod ad tertium attinet: Respondemus & Gratianum, & Iuonem, & Fulgentium Ferrandum, ac reliquos Collectores Canonum deceptos, specie nominis Concilij Antiocheni: nam cùm legissent in Actis Concilij Constantinopolitani primi probatum Patribus Concilium Antiochenum, existimarunt de Concilio Antiocheno in Encæniis celebrato loquutos Patres Concilij, cùm tamen de alio Concilio, haudquaquam sub Constantio, sed sub Iouiano celebrato sermo illis fuisset. Sed duo opponit Spalatensis, primùm *Canonem duodecimum, non solùm non esse illum, quo hostes Chrysostomi eum vexarent, verùm etiam hoc se tutatum fuisse Chrysostomum*; Et quia responderi poterat eo quidem aduersus priorem suam damnationem se defendisse, sed posteà, cùm nulla annuente Synodo ad sedem suam remeasset, seque in throno Constantinopolitano rursus collocasset ab eo abstinuisse, & Canonem, quo premeretur, ab Arrianis factum dixisse, nec Canonem illum 12. intellexisse, sed alium quemdam de quo Metaphrastes & Georgius Alexandrinus, quemque Palladius sub his verbis refert: *Si quis Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, iniustè siue iustè depositus, ex seipso absque Synodo in Ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habeat locum, sed omninò expellatur*. Aliò confugit, nec ad Synodum Antiochenam pertinere hunc Canonem dicit. Sed vt duodecimo Canoni Antiochenæ Synodi non respondeat ille à Palladio citatus, omninò cum quinto decimo, quo vltimo oppressum Chrysostomum existimamus cõspirat. Verba Synodi Antiochenæ sunt: [a] *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus, condemnatur ab omnibus Episcopis eiusdem Prouinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint: hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam concordantium Episcoporum Prouinciæ manere sententiam*. Ad quem Canonem collector Lutheranus; *Et hic Canon haud dubiè*, inquit, *contra virum optimum Athanasium factus est: vt illi appellatio ad aliam Synodum adimeretur*. Et certè posteriore illa Chrysostomi accusatione, id ei omninò impositum fuit, de quo est calumniam passus magnus Athanasius. De Chrysostomo quidem Socrates: b *Episcopi*, inquit, *qui aderant, non de alio nomine quæri, sed hoc solùm in iudiciū adduci oportere dixerunt, nimirum quod post abdicationem, absque Concilij sententia, se ipse in sede Episcopali collocauerat*. Ita verò de magno Athanasio idem Socrates: *Factio verò Eusebiana*, inquit, *ad Athanasium falsò accusandum operam suam ac studium potissimùm contulit: ac primùm, quod decretum, ab illis tum statutum violasset, scilicet quod absque consensu & sententia communis Concilij Episcoporum gradum Sacerdotij denuò suscepisset. Nam illum ab exilio redeuntem suo ipsius arbitrio ad Ecclesiam regendam præcipitem ruisse querebantur*. Neque nostræ sententiæ officit, quod obiicit Spalatensis; *à nullis suæ Prouinciæ Episcopis damnatum fuisse Chrysostomum*, namque & in Concilio à pluribus damnatum fuisse

Pallad. dial. de reb. gest. Chry. Num. 6.

[a] Conc. Antioch. Can. 15. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπί τισιν ἐγκλήμασι κατηγορηθεὶς, κριθεὶη ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, πάντες τε σύμφωνοι μίαν κατ' αὐτοῦ ἐξενέγκοιεν ψῆφον. τοῦτον μηκέτι παρ' ἑτέροις δικάζεσθαι, ἀλλὰ μένειν βεβαίαν τὴν σύμφωνον τῶν ἐπὶ τῆς ἐπαρχίας τῶν ἐπισκόπων ἀπόφασιν.

Ehingerus ad Can. 15. Conc. Ant.

[b] Socr. l. 6. ca. 16. Οἱ παρόντες ἐπίσκοποι ἄλλο μὲν ἀρτίως οὐδὲν ... μόνον δὲ τοῦτο δεῖν εἰς κρίσιν ἄγεσθαι ἔλεγον, ὅτι μετὰ τὴν καθαίρεσιν μὴ ψηφισαμένης τῆς συνόδου, ἑαυτὸν εἰς τὸν θρόνον εἰσεπήδησεν.

[c] Socrat. lib. 2. cap. 5. Οἱ περὶ Εὐσέβιον οὖν, ἔργον τίθενται περισπουδάστως Ἀθανάσιον διαβάλλειν, πρῶτον μὲν, ὡς παρὰ κανόνα πράξαντα, ὃν αὐτοὶ ὥρισαν τότε, ὅτι μὴ γνώμῃ κοινοῦ συνεδρίου τῶν ἐπισκόπων τὴν τάξιν, τῆς ἱερωσύνης ἀνέλαβεν. ἐπανελθὼν γὰρ ἀπὸ τῆς ἐξορίας ἑαυτὸν ἐπιρρίψας εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσεπήδησεν.

Leontius obiecit, & præterea duorum Conciliorum authoritate premebatur, vt legitimè eum condemnatum Imperator ipse censuerit; Sic enim de ea re Socrates; *Festo Paschatis appropinquante*, inquit, *Imperator Ioanni significat, ei non esse iam potestatem in Ecclesiam ingrediendi, quod duobus Cōciliis erat condemnatus. Proinde Ioannes ab Ecclesiastico munere deinceps vacauit, neque Ecclesiam adiit.* Scilicet hostibus Chrysostomi constitutum erat, eum perdere, proptereaque per fas & nefas exitium ei moliebantur, Canonésque cùm solùm in speciem proferrent, an singula ad eorum amussim exegissent parum attendebant; Sed secundò opponit Spalatensis eam Synodum, *quæ Antiochiæ in Encæniis habita sit, Arianorum non fuisse: nec Eusebianos, qui interfuerunt, Arianos fuisse: Synodum autem qua oppressus sit Athanasius planè Arianorum fuisse.* Sed hîc duplex est error, primus eam Synodum Arianorum non fuisses, alter Eusebianos Arianismo pollutos nō fuisse; vtrumque refellit Athanasius, qui homines propius nouerat; Sic enim de Episcopis, qui Antiochiæ conuenerunt post habitum aliud Hierosolymis conciliabulum, in quo Arium, Arianosque populos, in communionē admiserant, Ariumque ipsum reducendum censuerant. *Tale*, inquit, *Synodorum exordium fuit*, (de Hierosolymitana pseudo-Synodo loquitur,) *in quo quàm celerrimè sua studia quæ vlterius dissimulare nequibant, prodidere. Si quidem eo ipso, quod dicerent, depulsam esse omnē inuidiā, & quia post Athanasij exiliū scribebant Ariū cū suis recipiendū esse, satis indicarunt, sese non alia de causa Athanasio cæterisque Episcopis, quos sibi refragatores sentiebant, insidias struxisse quàm vt Ariū reducerent, & hæresim introducerent. Et quamquam omnem Arij dementiam in hac Synodo laudassent, & in communionē eos recipiēdos esse statuissent, idque iam pridē re præstitissent, tamē adhuc aliquid suæ voluntati deesse existimantes, Antiochiæ nouā Synodū per causam* Encæniorū *coëgerunt, & quia ab omnibus de hæresi malè audiebāt, variis modis, alia aliter scripserunt.* Socrates verò cum Eleuzius quidam Eleusiæ Episcopus Antiochenos illos laudasset, & fidem Patrum fidem Antiochiæ expositā appellasset, sic cum eo expostulat. *Quomodo*, inquit, *Eleusi, eos qui Antiochiæ conuenerunt, patres nominas: illorum autem maiores, Patres esse inficiaris? Nam qui fuêre Nicææ coacti, fideique Consubstantialis consenserunt, magis propriè Patres vocari poterunt, tum quòd tempore antecesserint: tum quod qui conuenerunt Antiochiæ, ab illis fuerint ad Sacerdotij dignitatem delecti. Quod si qui Antiochiæ erant congregati, suos ipsorum Patres è medio sustulerunt, isti illorum posteri parricidas imprudentes sequuntur.* Et *qua ratione, amabò, eorum delectum & ordinationem tanquam probam & spectatam amplectuntur, fidem autem tanquam parum sinceram & exploratam irritam faciunt?* En quales fuerint Belli isti Antiocheni Patres. Sanè Eusebium Nicomediensem, à quo *Eusebiani*, antesignanum fuisse Arianorum, historiæ loquuntur. Sed instat Spalatensis, *Palladium & Georgium Alexandrinum asserere Canonem illum, quo vexatus fuit Chrysostomus, à quadraginta Complicibus Arij editum, cùm tamen Concilium Antiochenum, nonaginta nouem Episcopos habuerit.* Addit verò Concilium Antiochenum in Encæniis celebratum fuisse Antiochiæ post damnatum ab Arianis Athanasium, sententiâque Iulij absolutum. Non igitur potuisse illo Canone damnari Athanasium, qui ipsius damnationem sit subsequutus. Quod ad primum attinet, propterea Palladius duntaxat quadraginta Episcopos numerat, quòd cùm plures essent, hi soli deplorati, atque omninò Arianorum factioni addicti, in Athanasium sententiā ferre, impudenti

Socr. li. 6. ca. 16.

Ἐγγιζούσης τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, δηλοῖ οὖν ὁ βασιλεὺς τῷ Ἰωάννῃ, μὴ δύνασθαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθεῖν, ὅτι δύο αὐτοῦ καταψηφίσαιντο σύνοδοι. ἤργει οὖν ὁ Ἰωάννης λοιπὸν, οὐδαμῶς τι εἰς τὴν ἐκκλησίαν κατήρχετο.

Sp. n. 7. c. 8.

Athan. de Syn. Arimini & Seleuciæ.

Αὕτη τῶν συνόδων αὐτῶν ἡ ἀρχὴ γέγονεν ἐν ᾗ καὶ τὴν προαίρεσιν ἑαυτῶν ταχέως ἐξήγγειλαν, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν κρύψαι. εἰρηκότες γὰρ ἐξηλάσθαι πάντα φθόνον, καὶ μετὰ τὸ ἐξορισθῆναι τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρείας ἀδιαστάτως γράφοντες δεῖν δεχθῆναι Ἄρειον, καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἔδειξαν, ὅτι διὰ τοῦτο αὐτῷ τι ἀδυνασίῳ ἐπεβούλευον. καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ἐπισκόποις τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς ἐπεβούλευσαν, ἵνα τοὺς περὶ Ἄρειον δέξωνται.

Lib. 2. c. 22.

Ἀπαιτήσοι δ' ἄν τις καὶ πρὸς τοῦτον, πῶς τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνελθόντας πατέρας ὀνομάζεις, Ἐλεύσιε, τοὺς δὲ ἐκείνων πατέρας ἀρνούμενος; οἱ γὰρ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες, καὶ τὸ ὁμοούσιον τῇ πίστει συμφωνήσαντες κυριώτερον ἂν πατέρες λέγοιντο, τῷ καὶ προαναβεβηκέναι τοῖς χρόνοις, &c.

Apud Ath. Apol. 2.

[a] De Syn. Arim. & Seleuciæ. Τὰ πάντων κατηγοροῦντο περὶ τῆς αἱρέσεως, γράφοντες διαφόρως, τὰ μὲν οὕτως, τὰ δὲ ἐκείνως.

[b] Athan. de Syn. Arim. & Seleuc. Ἦσαν δὲ οἱ συνελθόντες ἐν τοῖς ἐγκαινίοις ἐπίσκοποι ἐνενήκοντα. ὑπατείᾳ Μαρκελλίνου καὶ Προβίνου ἰνδικτιῶνος ιδ. ἐκεῖ ὄντος Κωνσταντίου τοῦ ἀσεβεστάτου.

[c] Soc. l. 2. c. 5 Συγκροτεῖται οὖν αὕτη ἡ σύνοδος ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ, παρουσίᾳ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως, ἐν ὑπατείᾳ Μαρκέλλου καὶ Προβίνου. ἦν δὲ πέμπτον ἔτος τοῦτο ἀπὸ τῆς τελευτῆς τοῦ τῶν Αὐγούστων πατρὸς Κωνσταντίνου. &c.

[d] Socr. ibid. cap. 7.

[e] Lib. 2. c. 8. Τούτων δὲ κινδύνων διαφυγὼν, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἀφίκετο.

[f] Li. cap. 11. Οἱ δὲ δεξάμενοι, ὕβριν ἐποιοῦντο τὴν ἐπίπληξιν· καὶ σύνοδον ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ κηρύξαντες, συνελθόντες ἐν αὐτῇ, γνώμῃ κοινῇ πρὸς ἐπιστολὴν ἀντιγράφουσι τῷ Ἰουλίῳ, δηλοῦντες μὴ δεῖν κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ, εἰ βούλοιντο ἐξελαύνειν τινὰς τῶν ἐκκλησιῶν.

audacia voluiſſent, nec hoc ſcelere contenti, reliquos in ſuã ſententiã vi quadam tyrannica licet inuitos pertraxiſſent: fauebat Conſtantius impiiſſimus Imperator Athanaſio, quem perditũ cuperet infenſiſſimus, imò Iulius triginta ſex tantũ numerat, qui in Athanaſij damnationẽ cõſenſiſſent, nimirũ erant hi aperti Arij fautores, totius verecundiæ expertes, cũ reliquos puderet tã infamis tragœdiæ; inuoluti tamen eodẽ crimine propterea quod ſe aſſenſores præbuiſſent in Arianorum numero ponũtur, totaq; Synodus Ariana habetur. [a] *Ab omnibus*, inquit Athanaſius, *de hæreſi malè audiebant, variis modis, alia aliter ſcripſerunt.* Porrò nonaginta fuiſſe Epiſcopos idẽ Athanaſius [b] prodit, qui & Cõſtantium interfuiſſe tradit, vt nemini dubiũ eſſe poſſit à conſcelerato & impio Imperatore, vim his qui reluctarẽtur illatam. Quod ad ſecundũ attinet, falſitatis & ignorationis plenũ eſt cõmentum, namque Athanaſius, vt vera habet hiſtoria, ante appellatũ Iulium, factione Euſebianorũ Antiochiæ, præſente Imperatore Cõſtantio, damnatus fuerat. Rem ſic tradit Socrates: [c] *Cogitur itaque*, inquit, *Cõcilium Antiochiæ, præſente Imperatore Cõſtantio, Marcello, & Probino Coſſ. Factio verò Euſebiana, ad Athanaſium falſò accuſandum operã ſuã ac ſtudium potiſſimùm contulit.* Statuerant verò Euſebiani Euſebiũ Emiſſenũ in eius locum ſufficere, ac Epiſcopum Alexandrinũ renuntiare, ſed cùm eſſet Antiochiæ delectus Epiſcopus Alexandriæ, populi furorẽ reueritus Alexandriã proficiſci auſus non eſt. Quare Gregoriũ quendã bipedũ nequiſſimũ delegerunt, ac Epiſcopatus gradum ei detulerunt, cumque is nefando conatu deducẽtibus eum militibus [d] Alexandriã ſe contuliſſet, Athanaſius ſalutẽ ſibi fuga quæſiuit, atque, vt loquitur Socrates, [e] *è periculis ereptus Romam properè contendit.* Iuliique Põtificis litteris nixus in Orientẽ remeauit, rurſus ſuã ſedem cõſecuturus, Antiochenos pupugerunt literę Iulij, quas etiã aculeatas fuiſſe tradit Socrates. Veluti igitur œſtro perciti, *vbi eas acceperũt*, addit Socrates, [f] *Iulij reprehenſionẽ contumeliæ loco ducunt, Conciliũque Antiochiæ cõuocant*, diuerſum ſcilicet ab eo quod in Encæniis dicitur, *ibique ſimul atque conuenerant, de cõmuni omniũ ſententia epiſtolã conſcribũt, per quã Iuliũ contra acrius inſimulant.* Hæc vera ſeries eſt rerum ab Antiochenis in Synodo geſtarũ. Cæterùm, quod etiam ſuprà monuimus, ipſe collector [f] Lutheranus Antiochenã Synodum factione Arianam agnoſcit. Cui ſimilia tradit Socrates; Sic enim poſt deſcriptã Gregorij illius electionem. [g] *Quare confecta*, inquit, *fidem commutare laborant: qui tametſi nihil eorum, quæ in Concilio Nicæno facta ſunt, reprehendere volebant: reuera tamen fidem Conſubſtantialis per crebra Concilia labefactare & euertere, & aliàs aliter de fide decidere aggreſſi ſunt, vti paulatim homines ad Arij opinionẽ impellerent.* Igitur quod Spalatenſis defendendam illã Synodũ aduerſum Baroniũ & Binium ſuſceperit, ex ignoratione eſt profectũ, ſed eſt hoc dignũ patella operculũ: de his rurſus agemus ad Caput X. IV. libri. Quod autem ex Concilio Sardicenſi profert Conſtitutũ fuiſſe 17. Canone, *vt Presbyteris & Diaconis à proprio Epiſcopo vexatis Metropolitam appellare liceret*, in regulis ponitur Eccleſiæ Catholicæ. Reliqua ad iuris [h] Canonici interpretes pertinent, vt quę nono capite de eorundem Metropolitarum poteſtate tradit, à quibus excutiendis propterea abſtinemus, vt de rebus ad noſtras controuerſias pertinentibus diſſeramus. Scilicet nos Patriarchæ appellant, vt de eorum origine diſputationem inſtituamus.

[g] Ehing. ad Can. 1. [h] Lib. 2. c. 7. Καὶ τοῦτο κατεργασάμενοι μετατιθοῦσι τὴν πίστιν, οὐδὲν μὲν τῶν ἐν Νικαίᾳ μεμψάμενοι· τῷ δὲ ἀληθεῖ, ἐπὶ καθαιρέσει καὶ περιτροπῇ τῆς ὁμοουσίου πίστεως, διὰ τῶν συνεχῶν ποιεῖσθαι συνόδους, καὶ ἄλλοτε ἄλλως ὑπαγορεύειν τὸν ὅρον τῆς πίστεως· ὥστε εἰς τὴν Ἀρειανὴν δόξαν περιτρέψαι. Spal. cap. 8. nu. 11. De 9. Capite.

DISCVSSIO



DISCVSSIO
DECIMI CAPITIS
LIBRI TERTII.

CONSPECTVS CAPITIS.

Patriarchæ veteribus agniti: A Petro Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ constituti: Additi postea Constantinopolitanus & Hierosolymitanus: Causa primùm cõcessi summis vrbibus honoris duplex, remota magnitudo vrbium, proxima Petrus: Qui Romæ, Antiochiæ & Alexandriæ sedes fixit, ad quas reliquæ Ecclesiæ de rebus ad pietatem spectantibus referrent: Antiochiæ, Alexandriæ & Romæ encomia splendor & magnitudo: Roma omniũ caput in spiritualibus, vt in tẽporalibus: Patriarchatus Occidentalis sedes etiã confessione Græcorũ: Basilij & Hieronymi de ea re sententia: Constantinopolitanorum ambitus à Pontificibus Romanis repressus: Innocentij primi, Leonis primi, Gregorij primi de sedibus Patriarchalibus iudiciũ: Nõ omnes Ecclesias ab Apostolis fundatas Patriarchales esse: Romanã κατ' ἐξοχὴν Apostolicam dici: Baronius defensus: Spalatensis nugæ de cõstitutis initio sedibus Patriarchalibus dispunctæ: Socrates emendatus & declaratus: Quinque Patriarchæ quinque humanis sensibus cõparati: Ius Metropoliticũ aliud à Patriarchico: Videri Apostolos Metropoleõn authores: Immanis error Spalatẽsis in explicatione sexti Canonis Niceni: Improbè ab eo Patriarchæ vexati: Tres causæ ob quas regias ciuitates præcipua quadã prærogatiua insignierit Petrus: Põtifex caput Patriarcharũ: Soluuntur obiectiones ex Patribus pro magnitudine vrbiũ: Gelasius defensus: Baronius immeritò à Spalatensi vexatus, defensus, & declaratus: Benedictus II. etiam defensus & explicatus: Patriarcharũ iura: Innocentij ac Siricij de ea re rescripta: Cyzicenorũ factũ expenditur: Cõstantinopolitanus Antistes iure Patriarchico quod vsurpasset vsus: Iuo declaratus Potestas Patriarcharũ in ordinandis Episcopis: In eis corrigendis, ac eorũ iudiciis retractandis: Canon Concilij Chalcedonensis explicatus de appellando Constantinopolitano vel Primate: Obiter de quatuor Episcoporũ gradibus: Improbè Pontificem in eundem ordinẽ cum reliquis Patriarchis cogit Spalatensis: Ineptè etiã vanos titulos Patriarchis affingit: De nomine summi Pontificis: Locus Cypriani diligentissimè expensus: Cõtrouersiarum tractatores defensi: Eruditissimi Albaspini ad hunc locum commentatio: Penes vnũ Pontificem fuisse potestatẽ Patriarchas ordinandi: Ad facta in speciem contraria respondetur: Cyrillus in Concilio Ephesino Pontificius Legatus: Qua ratione collatus Cyrillus cum Cælestino: Theophili Alexandrini Patriarchæ studiũ in euertendis Origenis dogmatibus, laus & encomia: Hieronymi de Patriarchis iudiciũ: Eius pro Pontifice testimonia: De nomine Oecumenici seu vniuersalis: Discrimen inter sedes Patriarchales ex Innocentio primo & Leone. Stultũ dogma de correctione Patriarcharũ à Spalatensi innectũ. Concilij Ephesini de ea re iudicium: Imperatorũ rescriptũ. Theodorus Studita explicatus: Penes Pontificẽ eius rei potestas: Ex Chrysostomo & Hieronymo ac Cyrillo: Conscelerati Episcopi Treuirensis & Coloniensis improbè à Spalatensi contra Nicolaũ I. defensi: Scriptorum eius temporis de illa re iudiciũ: Etiã Syluanect. Synodi cui interfuerit Hincmarus: Impia Spalatensis vota à Deo non exaudiuntur: Schismaticus ad Schismaticũ Photium à quo præsidiũ ducere nõ possit: Rursus Romani Pontificis potestas expenditur: Bernardi elegans de ea re dictum: Ad Orientem se fundit: Priuilegium Cypriorum explicatum. Indicas & Aethiopicas Ecclesias subiici Alexand. Patriarchæ. De mutatione Patriarchaliũ Sedium: Bulgaria olim in Diœcesi Pontificis: Patriarchæ immeritò vexati: Spalatensis in Pontificem cõtumeliæ refelluntur: De Patriarcharũ ordinatoribus: Ambitiosi Alexandrini patriarchæ conatus: Anatolij quoque Patriarchæ Constantinopolitani: Leo petulanter traductus à Spalatensi in eius causa.

Spalat. Num. 1.

NON fuit nobis admodum difficile, primam Metropolitanorũ Episcoporum institutionem, eorumque officium & potestatẽ in Ecclesiastica Hierarchia inuenire; Primatum autem & potissimũ Patriarcharũ in Ecclesia & institutionem & potestatem statuere, difficilioris erit negotij. Sanè Patriarchales primas, & antiquissimas sedes tres duntaxat in tota Christi Ecclesia antiquitas numerauit: Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, quibus postea subsequentibus temporibus additæ sunt duæ; Constantinopolitana & Hierosolymitana; vt nimirũ ad illarum trium priuilegia & prærogatiuas, hæ quoque statuto Ecclesiastico pertingerent, sed vndenam illæ tres Ecclesiæ primùm habuerint, vt suprà cæteras eminerent, & in quo hæc illarum eminentia consisteret clarè explicatũ non inuenio: vt propterea mihi sit in hoc nonnihil laborandũ.

SI veterum Patrum vestigia premere, & ad claros illos Septentriones oculos conuertere voluisset Spalatensis, tam facilè Patriarcharum, quos prisca semper venerata est Ecclesia dignitatem, & potestatis amplitudinem vestigasset, quam citra laborem sibi visus est Metropolitarũ iura deprehendisse. Sed homo inconstantissimus pessundata hac disputatione, antiquorum Patrum doctrina, rem toti orbi manifestissimam iam in dubiũ reuocat, & quos à Petro Apostolorũ Principe initio surgentis Ecclesiæ celebrioribus orbis terrarũ Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ Ecclesiis Rectores impositos; qui maiores Diœceses, hoc est multarũ Prouinciarum tractus moderarentur, & minorum gentium Antistitibus ius dicerent, tota credidit antiquitas, non Petri, sed ciuilis potentiæ fœtum pronunciat. Ostendamus vanitatẽ dogmatis, ac priscã fidem firmemus, iisque Patrum locis quibus eam conuellere nititur. Nolim verò in expendendis dubiæ fidei Scriptoribus diutius immorari;

Spalat. Num. 2.

Fateor, tribuuntur ista Anacleto prioris ęui Pontifici: *Vt propterea*, inquit, *illæ tres emineant suprà cæteras, quia Petrum habuerint fundatorem; sic enim in ea epistola scriptũ inuenimus; Episcoporũ ordo vnus est, licet sint Primates illi qui primas ciuitates tenent; qui & in quibusdã locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autẽ qui in Metropoli à B. Petro Apostolo ordinante Domino, & à prædecessore nostro S. Clemente seu à nobis constituti sunt; non omnes Primates vel Patriarchæ esse possunt, sed illæ vrbes, quæ præfatis & priscis temporibus Primatũ tenuere Episcoporũ, Patriarcharum & Primatum nomine fruantur. Reliquæ verò Metropoles Archiepiscoporũ aut Metropolitanorũ, & non Patriarcharũ aut Primatũ vtantur nominibus; quia hæc eadẽ & leges sæculi in suis cõtinent Principibus; aliæ autẽ ciuitates, quas vobis cõscriptas in quodã tomo mittimus à sanctis Apostolis, & à B. Clemente siue à nobis Primates prædicatores acceperunt. Hæc verò sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatũ obtinuit, & eminentiã potestatis super vniuersas Ecclesias; ac totũ Christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c. Adhibita est etiã societas in eadẽ Romana vrbe, Beatissimi Apostoli Pauli Vasis electionis; qui vno die, vno quoque tempore, gloriosa morte, cum Petro, sub Principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo Sanctã Romanam Ecclesiam consecrarunt; aliisque omnibus vrbibus in vniuerso mundo, eam sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ; quam vt memoratum est beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma quæ prius erat Cacodæmonis artificio omnium errorum mater & altrix; excussis tenebris & vanis superstitionũ ritibus abiectis, filiorum Dei exorto sole iustitiæ facta est copiosa propagatrix. Secunda autem sedes*

Dist. 22. ca. Sacrosãcta.

apud

apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius discipulo, atque Euangelista consecrata est: quia ipse & in Aegypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicauit; & gloriosum suscepit martyrium; cui venerabilis successit Abilius. Tertia autem sedes apud Antiochiam; eiusdem B. Petri Apostoli nomine habetur honorabilis; quia illic priusquam Romam veniret, habitauit; & Ignatium Episcopum constituit; & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortũ est. Reliquas verò, vt prædiximus, in quodam tomo prolixitatem vitantes Epistolæ vobis conscriptas direximus. Inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset; quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio; & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis & Cephas, id est caput & principium teneret Apostolatus; qui & eandem formam suis successoribus & reliqui Apostoli Episcopis tenendam tradiderunt. Sensus igitur huius conflicti Anacleti est harum sedium prærogatiuas, ad ius quodammodo diuinum, Christique institutionem esse reducendas, vt quemadmodũ Petrus inter alios Apostolos habuerit præeminentiam; ita sedes ab eo institutæ eandem super alias ab aliis Apostolis fundatas sedes obtinerent.
Sed quanquam hæc vera sint, haudquaquam tamen animus est nutantibus istis testimoniis rem firmioribus fundamentis nixam, fulcire. Dico igitur rectè omninò obseruasse Spalatensem initiò tres omninò sedes Patriarchales, in tota Christi Ecclesia antiquitatem numerasse, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, atque nonnisi post aliquot sæcula Constantinopolitanam & Hierosolymitanam, ad hoc honoris Ecclesiastici fastigium euectas fuisse, causam autem tributi Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ istius honoris aio fuisse, non vrbium huiusmodi potentiam, aut magnitudinem, sed Apostolorum Principis sanctionẽ, qui accepta à Christo potestate pascendæ ac dirigẽdæ totius Ecclesiæ opportunum duxerit huius suæ authoritatis primarias sedes nobilissimas vrbes constituere, à quorum Antistitibus reliquis Ecclesiis ius diceretur, & inferioris ordinis Episcopi in officio continerentur. Sed hic in assignanda causa concessi summis vrbibus honoris, distinguendum nobis est inter *causam proximam, quam præcisam & formalem* vocant, & *causam remotam*, quam *obiectiuam* & *impellentem* dicunt. Siquidem enim causa *obiectiua* & *impellens* spectetur, non abnuo magnitudinem & amplitudinem vrbium Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ Petrũ permouisse, vt in his totius Ecclesiasticæ potestatis veluti cardinem appenderet. Si verò *causæ præcisæ* ac *formalis*, hoc est *proximæ* ratio habeatur, nego ac pernego hanc fuisse vrbium amplitudinem aut dignitatem: Intulit enim Petrus in potentissimas illas vrbes Ecclesiasticas dignitates, non verò ab earum amplitudine illas est mutuatus. Hæc sunt à nobis aliquantò fusiùs explicanda. Nostra igitur sententia est Petrum cùm constituendæ & formandæ disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem à Christo nactus esset, commodum duxisse in florentissimis Imperij Romani, quod tunc penè vbiuis gentium obtineret, vrbibus præcipuas veluti Religionis Christianæ sedes figere curasse, ad quas reliquæ Ecclesiæ de rebus ad pietatem spectantibus referrent, & quarum legibus tenerentur, vt hac ratione omnis schismatum occasio amputaretur. Illo autem sæculo eminebant Antiochia in Oriente, Alexandria in Ægypto, ac conterminis regionibus, & in Occidente Roma arx & sedes Imperij. Nam quod attinet primùm ad Antiochiam, à Seleuco Antiochi filio conditam hanc Asiæ & Orientis potentissimã vrbem fuisse nemini in historia versato est incognitum, quippè quæ olim

Chr.ho.5. ad pop. Antioch.

dicta sit ἡ μητρόπολις τῆς ἕω, ἡ μεγίστη τῆς ἕω. qua ratione à Chrysostomo nuncupatur, τῶν ὑπὸ τὴν ἕω κειμένων κεφαλὴ καὶ μήτηρ. Cumque vigente Imperio Seleucidarum Orientis Asiatici caput esset eo à Romanis in Prouincias redacto, perseuerauit sedes esse eorũ, qui nomine populi Romani Syriã administrarent. Cùm igitur Petrus Apostolorum princeps initio in Palæstina versaretur, in eaque ac circumuicinis regionibus Euangelium disseminaret, in nobilissima vrbe, nobilissimam præfecturam Ecclesiasticam constituit eius Episcopatus per septenniũ cura suscepta; Hoc veteres passim docent, Eusebius in Canonibus Chronicis, Πέτρος ὁ κορυφαῖος, inquit, ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν εἰς Ῥώμην ἄπεισι κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον. Hieronymus de viris illustribus: *Simon Petrus*, inquit, *filius Ioannis Prouinciæ Galilææ, vico Bethsaida frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibique viginti quinque annis Cathedrã Sacerdotalẽ tenuit.* Chrysostomus. *Præcipua Deo huiusce ciuitatis* (de Antiochia loquitur) *cura fuit*, inquit, *id, quòd & reipsa planè declarauit. Siquidem toti orbi terrarum eum quem præfecit, Petrum, cui claues cælorũ dedit, cuius arbitrio & potestati cuncta permisit, hunc ibi longo tempore iussit commorari.* Itaque in potentissima Orientis vrbe suæ dignitatis nobilissimam sedem esse voluit Apostolorum Princeps, quo propterea auspice Patriarchalis Ecclesiæ titulo est exornata. Qua de re sic Innocentius primus: *Quæ* (sedes Antiochena) *vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptũ apud se consummatumque gaudet.* Cæterùm vtcumque magnitudinem vrbis spectarit Petrus, vt locũ deligeret propagandæ religioni commodissimum, tamen verissimè ostendit idem Innocentius vni Petro eam Ecclesiasticam prærogatiuã acceptam deberi, non vrbis splendori aut dignitati. *Reuoluentes itaque*, inquit, *authoritatẽ Nicænæ Synodi, quæ vna omniũ per orbem terrarũ explicat mentẽ Sacerdotũ, quæ censuit ab Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus ne dixerim Sacerdotibus, esse necessariũ custodire, qua super Diœcesim suam prædictam Ecclesiã, non super aliquã Prouinciã, recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributũ, quàm quod prima primi Apostoli sedes esse mõstretur, vbi & nomen acceperit religio Christiana.* Quod ad Alexandriam Alexandri magni opus attinet, omnibus quoque exploratũ est potentissimã vrbem fuisse, adeoque vni Romæ cessisse, à qua in vniuerso orbe secunda audiret, essetque, vt loquitur Dion Chrysostomus, δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, quã propterea Stephanus πόλιν κατ' ἐξοχὴν dictam refert, quare deuicta Ægypto, ac Ptolomeidarum imperio euerso, præfecturam Augustalis sedes cõstituta est, in qua degerent qui nomine populi Romani totũ illũ Prouinciarũ tractum moderarentur. *Alexandria*, inquit Theodoritus, *vrbs est amplissima, & maxima hominũ multitudine frequentata, quæ non Aegypti solùm, verùm etiam Thebaidis & Libyæ, quæ Aegypto adiacent principatum obtinet.* Hanc igitur alteram supremæ potestatis Ecclesiasticæ sedem ac tribunal esse voluit Petrus, qui eo dilectum discipulũ, ac in Christo filium Marcum Euangelistã amandauit, qui eius potentiæ suo nomine fundamẽta iaceret, qua ratione etsi nullũ habuerit Apostolũ doctorem, tamen inter Apostolicas sedes propter scilicet Petrũ primarium fundatorem numerata est. Ita Iulius I. causam Athanasij aduersum Oriẽtales propugnans, *Episcopi*, inquit, *erant*, Athanasiũ & Marcellũ intelligit, *& non vulgares Ecclesiæ qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidẽ instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandri-*

Hieron. de script. Ecc.

Chrys. ho in B. Ignat. Πολλὴν τῆς πόλεως ταύτης τῷ Θεῷ λόγον, ὡς καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐδήλωσε. τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάτην ἁπάσης Πέτρον, ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον διατρίβειν ἐκέλευσεν.

Innoc. ad Alex. Episc. Ant. ep. 18. Ibid.

Dio. Chry. orat. 32.

Lib. 1. c. 2. Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων, καὶ Λιβύων τῶν ὁμόρων Αἰγύπτῳ τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένη.

Apud Ath. Apol. 2.

xandrina ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis hanc cōſuetudinē eſſe, vt primū nobis ſcribatur. Et hac quidē ratione in Cōcilio Cōſtantinopolitano ſub Menna Theophanes, & Pelagius Eccleſiæ Alexandrinæ legati, *à ſede Apoſtolica* miſſi dicuntur, *Aſſiſtentibus autē ipſis, & coaudientibus, & Theophane ac Pelagio Deo amantiſſimis Diaconis Apoſtolicæ ſedis.* Scilicet miſſionē Marci ad Petrū retulit antiquitas, eique acceptam habuit Alexandrinæ Eccleſiæ inſtitutionem. Hieronymus Pammachio & Marcellæ; *Quod totus Oriens*, inquit, *miratur & prædicat, læto ſinu Roma ſuſcipiat. Prædicationem quoque Cathedræ Marci Euangeliſtæ, Cathedra Petri Apoſtoli ſua prædicatione confirmet.* Idem Theophilo. *Sed tu ſcito nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare, nec Patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.* Leo item Papa: *Nihil Antiochenæ ſedis*, inquit, *eius quam per ſanctum Marcum Euangeliſtam beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis.* Hac igitur ratione Alexandrina Eccleſia inter Patriarchales, & quidem à Romana, ſecunda habita eſt, vt ſcilicet præfecturarum ordo ſeruaretur. Reſtat igitur Roma Regina vrbium, quæ inter cæteras *tantum caput extulit vrbes, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Hanc igitur potiſſimam dignitatis Eccleſiaſticæ ſedem eſſe voluit Petrus, ac vrbis vſus commoditate, quemadmodum Occidentis ac præterea adiunctorum imperiorum Ægypti, & Orientis in rebus ciuilibus caput illa cenſebatur, ita in Eccleſiaſticis toti Occidenti authoritati Patriarchali, ac demum vniuerſis quoque per Orientem Eccleſiis *potentiori illa* quam celebrat Irenæus *principalitate* præeſſe voluit. De Patriarchali dignitate hic nobis eſt ſermo. Igitur Patriarchalem ſedem Romam fuiſſe, quæ toti Occidenti moderaretur, ac leges eius tractus Eccleſiis poneret, nequidem ipſi Græci diri Romani nominis hoſtes negare ſuſtinent. Sic Zonaras. *Quemadmodum*, inquit, *& Eccleſiæ Romanæ Præſes in Occidentales Prouincias principatum diuturna conſuetudine obtinet.* Et Balſamon ad eundem locum: *Rom[illegible] Epiſcopus*, inquit, *præeſt Occidentalibus Prouinciis.* De aliis locis videbimus [illegible]ſerius. Sed *timeo Danaos, & dona ferentes*; Idcirco enim Occidenti ceſſiſſe videntur, vt intra eius fines cohibito Pontifice ipſi toto Oriente potirentur. Malim igitur à Baſilio Magno, & Hieronymo præſidium ducere. Baſilius de Occidentalibus loquens Pontificem Romanum, *αὐτῶν τὸν κορυφαῖον* indigitat, quem tamen etiam capitis totius Eccleſiæ loco venerari non dedignatur alia Epiſtola, vt iam pudere debeat nouitios iſtos Græcos apoſtaſiæ ſuæ, ac defectionis à ſede Apoſtolica, cui primas ſemper ſui maiores tribuerint. Hieronymus verò etiam Occidentem iure ſcilicet Patriarchatus Pontifici Romano addicit, *Si eis placet*, inquit, *hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo Petroque condemnent.* Et alibi: *Vulgatum eſt beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem feruore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foueis ſuis hæreticos perſecutum; eiuſque literæ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt.* Nec tamen deſinit idem Hieronymus Pontificem totius Eccleſiæ caput cum Baſilio venerari, *Beatitudini tuæ*, inquit, *id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior; ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Igitur ius Patriarchatus ſpectabat priori loco, poſteriori verò ampliſſimam dignitatem capitis totius Eccleſiæ venerabatur; Attributum autem Pontifici Occidentem etiam Africam cōplexum

Zonar. ad Concil. Conſt. ſub Mēna act. 1.
Συμπαρόντων δὲ αὐτῷ καὶ συνακροωμένων, καὶ Θεοφάνους καὶ Πελαγίου, τῶν θεοφιλεστάτων διακόνων τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας.
Hier. Pam. & Marcel. ep. 87.
Id. Theop. ep. 68.
Leo Pap. ad Anat. ep. 53.
Zonar. ad c. 6. Conc. Nicæn.
Καθὼς καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντι τῶν Ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησε.
Balſam. ad eund. Can.
Ὁ ἐπίσκοπος τῆς Ῥώμης προέχει τῶν Ἑσπερίων ἐπαρχιῶν.
Ep. 10.
Ep. 77.
Hier. Mar. Presb. Cel. ep. 77.
Id. ep. 79.
Hier. Dam. ep. 57.

fuisse, doctiores non fugit, quippe quibus sit exploratum eius tractus accessionem ante Petri tempora Romano Occidentis imperio factam fuisse Carthagine expugnata, ac tota deuicta Africa. Quippe cùm Petrus ad politiæ Romanæ amussim suos Patriarchatus exegerit, quæ veteri Romæ pareret in ciuilibus, eidem quoque in Ecclesiasticis fasces summittere iussa est.

Accusat Carthago Deos, iam plena pudoris,
Nunc quoque si cedat Romam vix passa priorem,

dixit eximius Poëta de Carthagine Constantinopoli, nedum Romæ colla supponere coacta, sed hæc ad ciuilem dignitatem spectant. Reuertamur ad institutam de præfecturis Ecclesiasticis disputationem. Habemus igitur primarias sedes Patriarchales, bono Ecclesiarum per totum orbem sapientissimè à Petro in Europa, Asia, & Africa constitutas, in quarum serie Romana emineret, ad quam *propter potentiorem principalitatem*, vt ex Irenæo monebamus, omnes Ecclesiæ conuenirent. Horum Patriarchatuum numerum firmarunt Nicæni Concilij Patres, quorum vestigiis insistentes magni Pontifices Leo & Gregorius, vix ac ne vix quidem passi sunt Constantinopolitanum Episcopum illarum in sedium quasi patrimonium inuadere, sed quantum in ipsis fuit ipsius conatus repressecrunt. Sic Leo ad Marcianum Augustum Anatolio impensius fauentem: *Habeat*, inquit, *sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum secularium, alia diuinarum: nec præter illam Petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit satis sit, quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.* Propterea etiam Gregorius reiectum à sede Apostolica Canonem Constantinopolitanũ, qui eum locũ assereret Constantinopolitano, docet, qua de re nos alibi. Sed lubet Leonis & Gregorij proferre testimonia, quibus ternarius ille Patriarchatuum numerus confirmatur. *Doleo*, inquit Leo, *in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit. Quum multi sint Apostoli*, inquit Gregorius, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in quam Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis quamuis discessurus sedit. Quum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid boni de vobis audio mihi imputo.* Non placent tamen ista Spalatensi, & quamquam tres initio toto orbe habitos Patriarchas concedit, negat tamen amplissimæ dignitatis splendorem à Petro esse, atque adeo inficiatur Pontificibus in hac causa fidem deberi; *Hæc tamen*, inquit Spalatensis, *cùm in propria causa à Romanis Pontificibus suas fimbrias libenter dilatantibus exaggerentur, si ipsa per se, & ex se, aut aliundè fidem non conciliant, ex dicentium sola authoritate fidem non merentur, sed redduntur suspectissima*. Itaque Spalatensis iudicio Imperatoribus de

Leo ep. 54. ad Marcian. August.

Greg. Mag. l.6. ind. 15. ep. 31.

Leo 1. ep. 53. ad Anatol.

Greg. l.6. ep. 37.

SPALAT. Num. 4.

de Imperij maiestate, Regibus de Regio fulgore, Episcopis de suarum infularum dignitate, quantumuis simplici ac vera narratione differentibus omnis neganda fides? Quis igitur toto vel Occidente, vel Oriente, Episcopus, Primas aut Patriarcha ista asserentibus Pontificibus se opposuit vnquam, ac mendacij eos postulauit? Certè si mentiti fuissent, aut vana dixissent in proximo erat, vt à Constantinopolitano Episcopo, qui in hoc vnum incumberet, vt huius ordinis seriem interturbaret, arguerentur, ac imposturæ damnarentur. At verò cùm rem toti orbi manifestissimam, & ipsarum Ecclesiarum consensione, ac confessione receptam docerent, non fuit qui contra niteretur, aut eis se opponeret, ne communi orbis terrarum iudicio retunderetur, ac refelleretur. Certè plus Leoni & Gregorio doctis, ac me herclè sapientibus ac piis Pontificibus, quàm mille sectariis tribuendum, nullus paulò æquior rerum æstimator, inficiatus fuerit. Neque verò tanti inter illos nobis est Spalatensis, vt eius authoritate omnem eis fidem abrogari patiamur. Sed duplici argumento nos premit; *Hæc*, inquit, *in se ruinosa sunt, & facilè reprobanda. Nam primùm ijs opponitur, summa inter Apostolos etiam cum Petro æqualitas, quam primo huius operis libro iam probauimus. Deinde quia solas tres Ecclesias iam memoratas Petrus non fundauit, sed plurimas alias, si præsertim eas etiam accipiamus, quas ipse non per se, sed per suos Discipulos fundauit. Certè Rauennatem per Apollinarem idem fundauit Petrus, & in Gallijs Arelatensem per Trophimum, & in Dalmatia meam Salonitanam per Domnium, & sic de cæteris; non minus quàm Alexandrinam per Marcum. Si verò cupis scire quas alias Ecclesias Petrus fundauerit, consule Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum, ex eo enim hæc audies de Petro; Sydone Berythi, Bibli, Episcopos ex ijs qui eum comitabantur, duos ordinauit; apud Tripolim Phœniciæ, Marcum hospitem suum Antiochiæ, Antaradi, Acadi, Balneis & Peltæ, Gazaræ & Laodiciæ: Martianum in Syracusa Siciliæ; Brancatium, Tauromenij: Thianum Cappadociæ, Ancyræ Galatiæ, vbi & suscitat mortuum: In Ponto Sinope Mystico Hellespontis, Canyræ Paphlagonum; Chandeopoli, Honoriadis Nicomediæ, Bithyniæ, Nicææ. Nicomediæ Prochorum præfecit in Episcopum: Tum demum Romam peruenit, &c.* Ad primum respondemus dogma *de æqualitate Apostolorum*, in regenda & administranda Ecclesia à nobis profligatum, & abundè confutatum priore libro; Ad secundum respondemus, etsi Petrus infinitas propemodum Ecclesias fundarit, nulli tamen nisi primoribus istis Romanæ, Alexãdrinæ, & Antiochenæ Patriarchalem dignitatem asseruisse, quod in his spectarit amplitudinem, & in rebus ciuilibus potentiam, quæ propagandæ religioni obseruiret; quæ & ratio quoque illi fuit, vt Alexandrinam Antiochenæ præferret, quippe cui Romanarum rerum arbitri, secundum ab vrbe locum attribuissent. Neque contra facit quod vrget Spalatensis, omnes scriptores *Petrum per se, & immediatum primum Episcopum Antiochenum facere, asserereque in ea Ecclesia septennio resedisse*: Nam cùm Antiochiæ sedem non fixerit, nec in ea diem vltimum obierit, primos honores, quod obseruauit Gregorius, non est consecuta, & liberum fuit Petro in gratiam amantissimi discipuli Euangelistæ titulo exornati Alexandrinæ Ecclesiæ, quam ille fundasset hanc honoris prærogatiuam impertiri, ad id etiam vrbis dignitate eum inuitante ac sollicitante.

Spalat. Num.4.

Martyr. die 13. Iulij. Baro. to. 6. an. 450. n. 53 Acta S. Domnij quæ habentur in Ecclesia Spal. Sophr. de labor. & peregri. Pet. Biblio: SS. PP. to. 7.

Nugæ verò sunt quas sectione sequenti refellendas sumpsit aduersarius. Nemo enim cordatus indiscriminatim eas Patriarchales sedes dixit, *quæ ab Apostolis fundatæ Apostolicarum Ecclesiarum nomen sibi vendicarent*; Siquidem res

in immensum abiret, si ei rationi staretur, cùm verissimè dictum sit ab Augu-
Aug. cont. lit. Pet. l. 2. c. 51. stino, *multas Ecclesias Apostolico labore fundatas in toto orbe inueniri*, & prisci Pa-
tres, in his Tertullianus, infinitas propemodum enumerant, quibus hic honos
Tertul. de præscript. obtigisset, nec tamen Patriarchales dici possint, quare in his non immorabi-
mur. Sed & falsus est iudicij in assignanda causa tributi Antiochenæ Ecclesiæ à Theodoreto tituli *Primatus Apostolici*; Proculdubio enim non Paulum & Barnabam, quamquam in ea Ecclesia excolenda bonam operam posuerint, sed Petrum intelligit huius Primatus authorem. Neque enim homo ei tribunali ratione sui Cyrensis Episcopatus suppositus, ignorare potuit Antiochenam Ecclesiam se Petri sobolem dicere solitam. Itaque quod de Ioanne illo scribit, sæpè ad Primatum Apostolicum suffragiis eum delectum de Patriarchatu Antiocheno à Petro fundato, omnino intelligendum est, vt quod alibi de Leontio
Lib. 2. c. 24. dicit eum Primatum capessisse; Λέοντος, inquit, τὴν προεδρίαν ἐδέξατο. Sic enim
Cõc. Chal. act. 7. hunc primatum ipsi Antiocheni Patriarchæ interpretantur: *Maximinus reuerendissimus Episcopus Antiochiæ Syriæ dixit*, inquit Synodus Chalcedonensis, *Placuit mihi & reuerendissimo Episcopo Iuuenali, post multam contentionem, per consensum vt sedes quidem Antiochensium maximæ ciuitatis beati Petri habeat duas Phœnicias & Arabiam; sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palæstinas.*

ὥστε τὸν μὲν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως, τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου, ἔχειν δύο Φοινίκας καὶ Ἀραβίαν.

Hic verò immerito Baronium vexat, quod sedem Romanam κατ᾽ ἐξοχὴν, sedem Apostolicam veteribus dictam contendat. Cùm, inquit, *planum sit sedes*
Spalat. Num. 7. *Apostolicas esse multas, non minus tali dignas titulo, quàm sit Romana, monendus hoc loco mihi lector es, ne vana Baronij obseruatione decipiaris: is enim sæpius contendit.*
Baro. to. 7. an. 534. n. 43. *Cùm absque certi nominis expressione sedes Apostolica nominatur, ob sui excellentiam, Romanam Ecclesiam esse intelligendam. Profertque exempla ex Epistolis Iustiniani ad Hormisdam, & ad Agapetum. Scias verò ex materia, & negotijs quæ tractari soleant; aut ex personis, aut alijs circonstantijs, absolutum Apostolicæ sedis nomen, certam sedem solere designare, quod non modo Romanæ solet contingere, vt illa tali absoluto nomine designetur; sed etiam reliquis. Exempla verò non pauca possem obseruare & proferre: duo tamen dumtaxat profero. Hieronymus Vigilantij errorem, qui non nisi coniugatos ad sacros ordines volebat assumi reprehendens, obijcit ei sic:*
Hier. adu. Vigil. *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti & sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes. Ecclesias intelligit Alexandrinæ sedi, aut certæ sedi Apostolicæ, quæ sit in Oriente, subiectas. Theodoretus verò.*
Theod. l. 3. c. 13. *Ioannes, inquit, qui longo tempore Presbyteris Antiochiæ præfuit, & sæpè ad Primatum Apostolicum suffragijs delectus, semper illum honoris gradum recusauit. Quis non videt hic per Primatum Apostolicum, absolutè prolatum, intelligi sedem ipsam Antiochenam? Cùm tamen in toto Occidente, vnica sit sedes propriè Apostolica ipsa Romana; quid mirum si vbi sermo est in Occidente, vel de Occidente, nomine sedis Apostolicæ, Romana sola significetur.* Sed infelicissimè ac ineptissimè in Hieronymi testimonio ludit. Eo enim ipso loco, quem profert Hieronymus sedem Apo-
Hier. adu. Iouin. stolicam, Romanam intelligit. *Quid*, inquit, *facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti & sedis Apostolicæ; Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes.* Vt enim Vigilantium obruat, celeberrimarum toto orbe Ecclesiarum authoritate eum premit, atque Orientis Ecclesias Antiochiam & Antiochiæ subiectas Ecclesias intelligit, Ægypti verò nomine sedem Alexandrinam cum adiunctis coloniis ac vrbibus, ac postremo sedem Apostolicam, Romam ipsam Occidentis magnam Metropolim, adeoque orbis caput. Sic aduersus Ruffinum Romanam

nam Ecclesiam, rursus sedem Apostolicam indigitat: *Miror*, inquit, *quomodo* Adu. Ruffi.
probauerit Italia, quod Roma contempsit: Episcopi susceperint, quod sedes Apostoli- l.c.5.
ca condemnauit. Quod attinet ad locum Theodoreti, cùm sermo illi esset de Antiochena sede, nec alio flecti posset eius sententia, Apostolicam sedem eam vocauit, non κατ' ἐξοχὴν, sed communi illo nomine quo Patriarchales sedes Apostolicarum titulum sibi vendicarent. Neque verò Baronius vnquàm inficiatus est in eam partem honoris admissas alias Patriarchales sedes, vt cum Romana Apostolicæ censerentur, quamquam non eodem iure, sed hoc sibi voluit, cùm Apostolica sedes citra vllius vrbis designationem effertur, Romanam (certè vt plurimùm) veluti per excellentiam intelligi solitam; Exempla extant quam plurima. Sic apud Augustinum sedes Apostolica sexcentis locis Ecclesia est Romana: Sic etiam Constantinopoli Menas sedem Apostolicam Romanam indigitat. Nimirum in Ecclesia Romana semper viguit ECCLESIÆ CATHOLICÆ PRINCIPATVS. Aug. ep. 91. 92. Concil. Const. sub Mena. Aug. 162.

Quod verò addit Spalatensis; *Non defuisse qui Patriarchalium sedium prærogatiuam, ad initia fidei, & primam Euangelicorum Ministrorum missionem reducant: Vt illa Ecclesia Patriarchale ius habeat in alias, quæ illis initia fidei dederit, & vnde ad illas Euangelium proximè, missione legitima peruenerit. Ita video Dioscorum Antiochenum Diaconum, qui postea factus eiusdem sedis Episcopus, Ecclesiam Catholicam satis turbauit; Petri Fullonis, imo Nebulonis sui Episcopi, ambitiosos spiritus fouentem, vehementius Constantinopoli institisse, vt Cypri Ecclesiæ omnino Antiocheno Patriarchæ subderentur; Quoniam verbum Dei, aiebat, ab vrbe Antiochia ad Cyprum Insulam manauit. Et si hæc probasset, vt historicus innuit, vicisset. Sed Anthemius Salaminæ Episcopus, cùm id negasset, nouoque illius temporis miraculo, inuentionis corporis Barnabæ Apostoli in Insula Cypri confirmasset, Euangelium eo delatum per hunc Apostolum immediatè, & non per missionem Antiochenam, Antiochenam effugit subiectionem. Eandem tamen effugisset, si solam contrariam consuetudinem protulisset; vt factum fuit in Concilio Oecumenico primo Ephesino. Nam neque missio facit Patriarchas, cùm Episcopus omnis possit mittere nouos Euangelij ministros in proximas regiones, in quibus Euangelium non sit prædicatum, vt docui lib. 2. præced. cap. 8. Et Apostolicæ sedes soleant etiam subijci alij sedi, quæ non sit Apostolica; Sicut in Nicæno Concilio Hierosolymitana subiecta Cæsareensi Metropoli esse definitur: Et tamen si spectes hoc argumentum missionis, sola Hierosolymitana esse deberet Patriarchatus vnicus totius mundi; ex ea enim in vniuersam terram est emissum Euangelium, quia de Sion exiuit lex: & verbum Domini de Hierusalem. Eritis mihi testes, inquit Christus, in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad extremum terræ. Ab Hierusalem igitur in vniuersam terram est effusum Euangelium. Et de Hierosolymitana Ecclesia dicam aliquid sequenti lib. cap. 3. Qui autem Petrum faciunt Patriarchalium sedium, sola ipsius voluntate institutorem, quia sic ipse statuerit & decreuerit: illas tres nimirum, & non alias debere esse Patriarchales, propria narrant somnia, dicuntque id quod nullo pacto probare possunt, ne ex Apocryphis quidem.* Atqui fide digniores sunt Leo & Gregor. quam vt hæc illis nota inuri debeat, & vana sunt quæ de Hierosolymitana Ecclesia prædicat, de qua nos etiam suo loco. Est verò bene à Baronio obseruatum, Apostolicas etiam sedes à quibus fidei traducem, & doctrinæ semina, vt loquitur Tertullianus, aliæ Ecclesiæ mutuatæ essent fasces illis ipsis, quibus suam operam impertiissent, summittere iussas. De Cypriorum immunitatibus, Canone

SPALAT. Num. 8. Apud Sur. die 11. Iun. Et Baron. to. 6. an. 485 nu. 6. Theo. lect. Collect. l. 2. Acta Conc. Eph. appen. 1. to. 2. c. 4. edit. penul. Conc. Nic. c. 7. & Hier. ep. 61. Isa. 2. Act. 1. Baron. to. 1. an 39. nu. 16 & Bella. de Rom. Pon. l. 2. c. 12.

Concilij Nicæni firmatis, vt & de Hierosolymitanæ Ecclesiæ prærogatiuis disputabitur alio loco.

SPALAT. Num. 9.

Sequenti sectione suum profert iudicium de constitutis initio Ecclesiæ sedibus Patriarchalibus. *Tota,* inquit, *occasio Patriarchales sedes super alias efferendi alia non fuit, meo iudicio, nisi communissima illa necessitas ordinationũ Episcopalium, citra confusionem peragendarum; Hæc enim potissimùm, vt suprà ad initium secundi, & quinti capitis exposui, peperit Metropolitanos: Patriarchæ verò ipsi sunt primi, quando Ecclesia pusilla erat, & in infantia constituta Metropolitani, siue Archiepiscopi: Sic enim sæpè obseruabis, & Romanum, & Alexandrinum, & Antiochenum nomine Archiepiscoporum insigniri: quos Clerus & Episcopi Ægyptij ad* [Post Conc. Chalced.] *Leonem Imperatorem, summos vocant Archiepiscopos: & è contra alios Metropolitanos postea natos, & multiplicatos Patriarchas, hoc est Patrum seu Episcoporum suæ Prouinciæ Principes & Primarios, inuenies vocitari. Nam Socrates in Concilio Constantinopolitano I. scribit varios Patriarchatus, varijs fuisse Episcopis assignatos; ponitque Patriarchatus, præter Constantinopolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum, etiam Cæsareæ in Cappadocia & Melitinæ in Armenia; & Iconij* [9. q. 3. cap. Cõquestus.] *in Asia, & Antiochia Pisidiæ. Et Nicolaus Primates Galliæ etiam Patriarchas nominat, & ius Metropoliticum ius vocat Patriarchatus. Et Athalaricus Rex Me-* [Apud Baro to. 7. an. 573 nu. 37.] *tropolitanos alloquens ait; Vos autem qui Patriarcharum honore, reliquis præsidetis Ecclesiis, &c. Ex quo satis vana redditur coniectura Baronij, dum Patriarchæ* [SPALAT. Num. 10.] *nomen, ab Aquilegiensi primùm in schismate vsurpatum autumat; & inde abusu,* [Baro. to. 7. an. 570 n. 10.] *non paucos alios Archiepiscopos nomen hoc vsurpasse; quod olim, inquit, Apostolicarum tantùm sedium consueuit esse nomen amplissimæ dignitatis. Nam neque omnes Apostolicæ sedes, vt monui, sunt Patriarchales, & Patriarchæ nomen idem re ipsa significat, quod nomen Archiepiscopi, vt nunc ex Socrate probaui, siue Metropolitani, & nomine Patriarchatus, longè ante Histriensium schisma, vt nunc dicebam, sedes communes & ordinariæ Metropolitanæ in Concilio etiam Oecu-* [Sirmondus l. 2. Prop.] *menico secundo significatæ sunt.* Hic verò sunt quædam animaduersione digna. Primùm enim planum est; quod doctissimus Sirmondus aduertit falli omnino Socratem, qui Episcopos, quorum, vt pote orthodoxorum, communionem Theodosius, Imp. l. 111. Cod. Theod. de fide Catholica cæteris per singulas Diœceses Episcopis amplectendam proposuerat, ad Synodi Decretum temerè transtulerit, perinde ac si tum primùm Episcopi designati, Diœcesibusque illis præpositi à Synodo fuissent, cùm à Synodi instituto alienum id fuisse perspicuum sit. Ac rursus certò certiùs est alias quoque fuisse causas erigendarum earum summarum Sedium, vt nimirum in vniuersum paci Ecclesiæ consuleretur, & schismatum occasiones omnes amputarentur. Quod attinet verò ad nomen Archiepiscoporum, haud inuitus admiserim, sic dictos olim Patriarchas;

[Act. 3.] Memini nãque in Concilio Chalcedonensi ipsum sanctissimum Leonem Pontificem Romanum, hoc nomine ab Archimandritis insignitum; Sic enim in libellis Leoni, & magnæ Synodo à Theodoro Diacono, ab Ischyrione itidem Diacono, ab Athanasio Presbyterio Alexandrino, à Sophronio, ac aliis exhibitis habetur, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι, &c. Atque adeò passim à Patribus in præstantissimæ Epistolæ encomiis Archiepiscopus celebratur, quamquam etiam sæpissimè *Papa* dicitur, nomine apud Græcos venerationis pleno, licet olim à Latinis vniuersis Episcopis tributo. Quod attinet ad inferioris ordinis Metropolitas Patriarchas

quoque

quoque dictos, nihil certius quàm minorum Gentium,& inferiorum subsellio-rum Patriarchas (melius Primates) fuisse, qui coacto totius Ecclesiæ Senatu in ordinem Episcoporum cogerentur, nec inter Augustiores illos Patriarchas censerentur; Nam Græci ipsi quinque tantùm agnoscunt; *Sextus & septimus Canon,* inquit Balsamon, *statuunt quattuor Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochensem, & Hierosolymitanum (de Constantinopolitano enim in aliis Canonibus tractabimus) ex antiquis moribus honorari. Iustitiæ sol,* inquit Metrophanes, *qui est magnum & verum ac diuinum principaleque lumen, quique sol est infinitæ potentiæ Dominus, Deus noster, qui dixit: Fiant luminaria in firmamento cæli ad illuminationem terræ, fecit duo magna luminaria, luminare quidem maius in principio diei, minus autem in principio noctis, & posuit ea in firmamento cæli, vt præsint diei ac nocti, & tanquam quædam magna luminaria, videlicet quinque Patriarchalia capita in illuminationem totius terræ quo præsint diei ac nocti, & separent inter lumen & tenebras, id est inter eos, qui agunt opera lucis, hoc est diuinæ iustitiæ, & inter eos qui agunt tenebrarum, id est iniustitiæ, &c.* Cùm Christus, inquit Anastasius, *in corpore suo quod est Ecclesia tot Patriarchales sedes, quot in cuiusque mortali corpore sensus locauerit, profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes vnius fuerint voluntatis.* Iustinianus præterea quinque omnino Patriarchas fuisse docet, tum vbique passim, tum disertè Nouella CXXIII. *Iubemus,* inquit, *vt beatissimi Archiepiscopi & Patriarchæ, hoc est, senioris Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Theopolis, & Hierosolymorum in ordinatione sua ea solùm præbeant, quæ præberi mos est.* Ex horum itaque albo expungendi veniunt, quos ex Socrate & aliis authoribus Patriarchas indigitat Spalatensis. Quãquam igitur fatemur fuso vocabulo dictos Patriarchas multos, qui in eo ordine non essent; Sic enim vt eos qui à Socrate referuntur, de quibus est à nobis prius dictum, prætereamus, Aquileiensis ac Gradensis Præsules Patriarchæ vocantur, Aquileiensis quidem ab ipsis summis Pontificibus. Sic in nostra Gallia Primas Lugdunensis, Primas quoque Bituricensis Patriarchæ nuncupantur. In Hispania Toletanus etiam Patriarcha audit, in Anglia Cantuariensis; Nego tamen stricto vocabulo, & pressiore significato dictos vnquam Patriarchas, aut pro veri nominis Patriarchis in Oecumenicis Episcoporum Synodis habitos.

Balsam. ad Can. 6. Nic. Ὁ παρὼν κανὼν καὶ ὁ ζ. διορίζονται τοὺς δ΄. πατριάρχας δηλαδὴ τὸν Ῥώμης, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων (περὶ γὰρ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐν ἑτέροις κανόσι διαγνωσθήσεται.) κατὰ τὰ παλαιὰ ἔθη τιμᾶσθαι.

Metrop. in Syn. 8. act. 6. sub Adr. 2

Anast. Bibl. in ep. quam Syn. 8. præfixit ad Adr. Pap. 2.

Iust. Nou. 123. Κελεύομεν τοὺς μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας, τουτέστι τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Ἀλεξανδρείας, καὶ Θεουπόλεως, καὶ Ἱεροσολύμων, ἐν τῇ αὐτῶν χειροτονίᾳ ταῦτα μόνον παρέχειν, ἃ ἐφ᾽ ἃ συνήθεια γίνεται.

Itaque quod coniicit Baronius in schismate vsurpatũ ab Aquileiensi Episcopo Patriarchæ nomen, vt solidum non sit (qua de re non disputamus) certum est Patriarcham illum fuisse titulo tenus, & honoris gradu non potestatis dignitate: quod ipse fatetur Spalatensis, vt pote cuius ad calcem istius sectionis, hæc sint verba de Romano, Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis; *Vocentur,* inquit, *quicunque Episcopi Metropolitani nomine Patriarchæ, nihil plus sunt quàm Archiepiscopi & Metropolitani. Veri Patriarchæ priuilegiati non sunt, nisi tres, toties nominati: & si quos illis tribus adiunxit Ecclesia, & eorum priuilegiis non solo nomine exornauit, vt factum est Constantinopolitano & Hierosolymitano.*

Ep. Step. ad ad Gualb.

SPALAT. Num. 10. ad fin.

Persequitur Spalatensis; *Consuetudine itaque,* inquit, *valde prisca ante Concilium Nicænum, iam exposui in Ecclesiam inductam esse Prouinciarum diuisionem, & Metropolitanorum institutionem, vt loco omnium Comprouincialium Episcoporum, totiusque Synodi Prouinciæ & ordinationes facerent, & Episcopos errantes corrigerent, & commonerent. Eos verò non electione, non ætate, non promotionis tempore, non alia simili vaga & incerta causa constitui voluit Ecclesia; sed stabili ac*

SPALAT. Num. 11.

perpetua loci sede eos determinauit, vt quæ ciuitas esset in tota Prouincia sæcularis Metropolis, & maximè insignis, illius ciuitatis Episcopus esset totius Prouinciæ Archiepiscopus seu Metropolitanus. Sed hæc quoque animaduersione indigent; Malè enim omnino, vt suprà monuimus, ius Metropoliticum cum Patriarchico confundit; Neque verò etiam citra fraudem Spalatensis, hîc Petri nomen sibi dissimulandum duxit. Dolet illi scilicet facere ad Petri potestatem fulciendam, quod erectionis supremarum sedium author censeatur. Sed velit nolit iudicio antiquitatis, hunc honorem iure optimo sibi vendicat Apostolorum Princeps ac Coryphæus.

SPALAT. Num. 12. Pergit. *Cùm itaque*, inquit, *initio nascentis Ecclesiæ Prouinciæ essent maximæ & latissimè patentes, ob paucitatem tum Apostolorum & virorum Apostolicorum, & consequenter Episcoporum; tum fidelium qui in multis ciuitatibus tot non erant, vt operæ precium esset eis paucissimis Episcopos proprios assignare & deputare: integras & magnas regiones oportuit in vnaquaque Prouincia existere; atque ita nonnisi Regiæ ciuitates suos habebant Metropolitanos, qui totius illius regionis Episcopos consecrarent. Et ita in tota Italia diu vnicus fuit Metropolitanus Romanus. Roma enim erat vera totius Italiæ, imo & totius Romani Imperij Regia. Tota similiter Ægyptus vnicum habuit Metropolitanum Alexandrinum; Reliquus verò totus Oriens Antiochenum. Totius enim Orientis Metropolis, ait Hieronymus, ex Concilio Nicæno est Antiochia.* Hier. ep. 61. *Quamquam etiam Palæstina iam seorsim, eiusdem Concilij tempore, suum haberet in Cæsareensi sede Metropolitanum.* Et hæc etiam suos næuos habent; quod enim scribit initio nascentis Ecclesiæ, non fuisse alios Metropolitanos Episcopos quàm Patriarchas; valde est incertum cùm plures Metropoles habeant vetustiora Ecclesiæ monumenta, quarum credere par sit Apostolos authores fuisse: quippe rationi consentaneum sit existimare eius administrationis, quam in Ecclesia retinendam duceret Spiritus sanctus, veluti Archetypum delineasse illos, ac posteris tradidisse, vt huic ordini staretur. Certè non nemo aduertit Apostolum Paulum, cùm Titum reliquit Cretæ, vt per oppida crearet Episcopos, Metropolitarum velut imaginem delineasse. Ipsi Cyprij in acri illa contra Antiochenum Patriarcham contentione Metropolim suam Constantiam ab Apostolis, priuilegiis suis, & immunitatibus auctam & ornatam defenderunt. Et ex Concilio Nicæno apparet toto orbe multas fuisse Ecclesiasticas Metropoles priori illo æuo. Quod ad Italiam attinet, etsi nonnisi Constantinianis temporibus plures apparent Metropoles, existimo tamen & ante illud sæculum extitisse alias. Sed est grauius proxima sectione à Spalatensi erratum.

SPALAT. Num. 13. *Hinc igitur est*, inquit, *quod idem magnum Concilium Nicænum, iam certum de aliquorum tyrannidè Patriarcharum, ac præsertim Alexandrini, libenter suum Primatum ad alienas etiam Prouincias extendentis; & Episcoporum alienorum ordinationes sibi arrogantis, vt tales excessus compesceret, antiqua nixum consuetudine, cuique suos limites denuò assignauit: Alexandrino nimirum Ægyptum, Libyam &* Conc. Nic. ca. 6. *Pentapolim; ita vt Antiocheno quoque sua remaneret intacta Prouincia, seque intra suos limites continerent; sicut Romanus se suis continebat, qui magnas circa Romam regiones, tunc pro sua speciali habebat Prouincia, earumque Episcopos ordinabat. Assignatis verò suis Alexandrino limitibus, decretoque, vt sicut se Romanus ad alienas Ecclesias non extendebat, ita neque Alexandrinus, neque Antiochenus se extenderet; statim subdit; illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sen-*

tentiam Metropolitani fuerit factus Episcopus; hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere. Vt hinc habeamus Metropolitanorum institutionem esse potissimùm ad Episcoporum ordinationem; & hos ipsos quos iam Patriarchas vocamus Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, esse inter illos de quibus Concilium loquebatur Metropolitanos: & consequenter priuilegia harum sedium propria Ecclesiastica, esse priuilegia Metropolitica circa suorum Episcoporum ordinationes. Et quoniam iam multiplicatis Ecclesiis & Episcopis, magnæ regiones horum trium Patriarcharum subdiuisæ sunt in alias Prouincias partiales, eodem Canone habemus, ita suas proprias dumtaxat ordinare debere hos tres Patriarchas Prouincias, vt aliæ Prouinciæ iam à suis illis magnis separatæ, siquidem alios proprios sint sortitæ Metropolitanos, proprijs etiam vtantur priuilegijs, circa suorum Episcoporum ordinationes. Neque eos ipsi Patriarchæ turbent, neque se in eorum ingerant Prouincias. Similiter autem, inquit, Concilium, & apud Antiochiam, cæterasque Prouincias, suis priuilegia seruentur Ecclesiis. Hæc proculdubio Patriarchis illis primis intimantur, & potissimùm Alexandrino, qui se caput totius Orientis faciebat, vt posteà videbimus. Immanis primùm error est, & ignorationis plenum, quod scribit Tyrannidem Patriarcharum causam extitisse condendi Nicæni Canonis: Seditiosorum Episcoporum potius accusandæ fuerunt molitiones, & aduersum Patriarchas factæ ab vsurpatoribus coniurationes. Ita igitur res habet, Meletius Licopolitanus Episcopus indignissimè ferens se multis criminibus conuictum, potissimùm verò quod idolis sacrificasset à Petro Alexandrino Patriarcha, & Martyre in frequenti Episcoporum Synodo ab Episcopatu deturbatum, non solùm Petrum ipsum, eiusque successores Achillam & Alexandrum fœdissimis probris, & criminibus lacerauit, sed etiam tota ferè bacchatus Ægypto, & multis per ciuitates Diaconis, Presbyteris, & Episcopis creatis pernicioso schismate Ecclesias Ægypti discindere est conatus. Ad Nicænum Concilium res delata est; Ipse Miletius damnatus & Patriarchæ Alexandrino sua asserta dignitas, & in omnes Ægyptiacas Ecclesias firmata authoritas. Extat de ea re Epistola Concilij Nicæni ad Alexandrinam Ecclesiam, quæ totam in Meletium culpam confert. Verba eius sunt post notatam illam pestem. C*oncilium clementius aliquanto in Meletium animatum (nam si accuratè in eum inquisitum fuisset, nihil certè commeruisset veniæ) decreuit vt in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamque habeat potestatem, vel cuipiam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi, vel in aliquam regionem ac ciuitatem eius rei gratia commeandi; sed vt solùm dignitatis & officij nomen retineat; illi autem qui ab eo Presbyteri designati sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis, & ministerij gradum habeant illi quidem, sed tamen omnibus Presbyteris in singulis Prouincijs & Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, & collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores, quin etiam vt nulla illis potestas sit, eos ministros Ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio: neque nominationem penes se habeant eorum, qui sunt ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi: neque quidquam absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omnino transigant.* Vides Marce Antoni; Non ambitionem aut tyrannidem Patriarchæ Alexandrini, sed impias molitiones inuasoris ac vsurpatoris Meletij coërcitas Canone Concilij Nicæni. In gratiam

Epi. Conc. Nic. Eccl. Alex. &c. Ἢ ὅλως ποιεῖν τὶ χωρὶς τῆς γνώμης τῶν τῆς καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τῶν ὑπὸ Ἀλέξανδρον.

itaque Patriarchæ est editus Canon, quo cauetur, *vt citra eius suffragium nullus Episcopus in tota Ægypto, ac Apostolicis & Catholicis Ecclesiis sedi Alexandrinæ subiectis, tum Diaconus, tum Presbyter, aut Episcopus initietur, aut ordinetur.*

Conc. Nic. c. 6.

Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον.

Quàm igitur imperitus es rerum Ecclesiasticarum, qui hæc aliò torqueas, & inflectas? Quod attinet verò ad illa postrema verba Canonis; *Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere*, malè sunt à te assumpta, vt ius Patriarchicum cum Metropolitico confunderes. Certum enim omnino est, vtcunque Metropolitanorum consensum deposcerent piissimi Patres, tamen quoque voluisse ad Patriarcham rem deferri. Siquidem quamquam *per se & immediatè*, vt loquuntur, ordinationes Episcoporum non sanciret, vt tamen ratæ essent calculum quoque suum Metropolitæ rogatu addebat. Certè nullus dubito etiam tempore Concilij Nicæni, plures extitisse in Ægypto Metropoles, ab Alexandrina sciunctas, quamquam & subiectas: Quorsum enim de aliis quoque Metropolibus censuissent Patres, si nullæ toto terrarum orbe extabant Metropoles, præter illas tres supremas de quibus abundè erat ab eis constitutum? Scio quoque, licet ad posteriora tempora istud pertineat, Theodosium Alexandrino Patriarchæ Dioscoro scripsisse, vt decem suis Metropolitanis comitatus Ephesum se reciperet ad pseudo Synodum ineundam. *Tua sanctitas, sumptis secũ decẽ reuerendissimis Metropolitis Episcopis, qui sub tua degunt Diœcesi, &c. proximis Calendis Augusti Ephesim Metropolim Asiæ conuenire absque vlla dilatione festinet*, inquiunt Imperatores Theodosius & Valentinianus. Sed & Antiochia plures habebat Metropoles, in his ipsam Ephesum, de qua in Epistola Imperatorum facta mentio, & celebratam Hieronymo Cæsaream. Neque ostendere potest Spalatensis, à Concilij Nicæni celebratione has, aut erectas, aut constitutas, atque omnino verisimile est singulas quasque Prouincias suos ab initio Metropolitas habuisse, quamquam non negamus crescente Ecclesiarum numero, nouas subinde toto orbe excitatas Metropoles, quas Ecclesia ad amussim priorum exegerit, vt non malè Spalatensis obseruat. Falsum igitur illud, atque falsissimum Patriarchales sedes initiò sub se nullas Metropolitanas Ecclesias habuisse, quod tamen sequenti sectione assumit. Quod autem vt coactum in ordinem ostendat Alexandrinum Episcopum, addit Spalatensis *eum se totius Orientis caput fecisse*, ad sanctionem Nicænam non pertinet, vt suo loco docebitur.

Theo. Imp. ep. ad Dios. in Conc. Chalc. act. 1

Σὴ τοιγαροῦν ὁσιότης παραλαβοῦσα σὺν ἑαυτῇ δέκα εὐλαβεστάτους ἐπισκόπους τῶν ὑπὸ τὴν αὐτῆς διοίκησιν μητροπολίτας.

Sed iam Sectariorum somnium venditat, atque *magnitudinem vrbium* Romę, Alexandriæ, & Antiochiæ, quam ex Egesippo iuniore repetit, causam fuisse tribuendarum eis supremarum dignitatum omnino contendit. Egimus ea de re in superioribus abundè, atque ostendimus causam fuisse *remotam* & *impellentem*, non *proximam* aut *præcisam*, sed Petri authoritatem, qui summas Imperij ciuitates ad fastigium supremæ dignitatis Ecclesiasticæ euexerit. Quod verò vrget tres *omnino fuisse regias ciuitates, ac proinde plures initio Metropolitas non fuisse, qui Patriarchæ audirent*, friuolũ est. Quandoquidẽ enim ad amussim politiæ ciuilis, exigendam duxit politiam Ecclesiasticam, meminisse eum oportuit, vtcunque illæ eminerent, tamen fuisse quoque alias nobiles ciuitates in quibus agerent, suaque tribunalia haberent ciuiles Magistratus, ac propterea in his constitutos inferioris ordinis Metropolitas, qui illarum rectoribus proportione responderent, quẽadmodum nos statuimus Patriarchas proportione respondisse suis præfectis, siue aliis Romæ, Ægypti, & Orientis moderatoribus. Cæterùm tres omnino Petro

Spalat. Num. 12.

causas

causas fuisse video, ob quas regias ciuitates præcipua quadã honoris, ac potestatis prærogatiua ornandas duceret. Primùm enim quod annotauit Optatus; *Non in religione est Respublica, sed in Republica Religio*: quare Reipublicæ sibi formam sequendam, & imitandam existimauit, vt in iisdem vrbibus, in quibus præcipuæ Imperij sedes essent constitutæ, in iisdem collocarentur throni Ecclesiastici, vt passim in Conciliis vocantur. Præterea ad illas Imperij sedes, quòd in his Magistratuum tribunalia essent, ex aliis vrbibus & Prouinciis confluebant homines, quos mitissimus Ecclesiastici regiminis author noluit maiori incommodo affici, vt aliam petere vrbem cogerentur, si qua de re conueniendus fuerat Patriarcha. Hoc in reliquis Metropolibus fundandis obseruatum, licet ex Canone nono pseudo-Synodi Antiochenæ colligere; *Episcopos*, inquit, *qui sunt in vnaquaque Prouincia scire oportet, Episcopum qui præest Metropoli etiam curam suscipere totius Prouinciæ: & quod in Metropolim vndequaque concurrunt omnes qui habent negotia.* Tertiò id quoque per commodum fore ipsis Ecclesiarum præfectis vidit, qui non infrequenter ad refractarios in gyrum rationis reuocandos ciuilium Magistratuum ope indigerent. Vide de his locupletissimè disserentem doctissimum Aleandrum. De Constantinopolitana sede, cui multis post sæculis Græci Patriarchatus honorem asserere moliti sunt, agetur suo loco, ac quid de eo senserit Gregorius disputabitur. Posteriores Græci, quinque vt suprà monui, numerant Patriarchas: de quibus libet Theodori Studitæ, quem citat Spalatensis, proferre iudicium. *Quinam hi verò*, inquit, *quibus id mandatum est? Apostoli, & horum successores. Quinam ergo successores? Qui Romanæ Ecclesiæ primam sedem nunc obtinet; qui Constantinopolis secundam; qui Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum. Hoc quinque vertices habens imperium Ecclesiæ. Apud hos diuinorum dogmatum est iudicium.* Vtcumque igitur quod attinet ad procurationem, quam vocant, *immediatam*, quamque ipse per se subiret Pontifex intra Occidentis fines, quibus sua Patriarchalis sedes clauderetur se contineret, tamen quod caput etiam Patriarcharum, & totius Ecclesiæ esset, vbi id res deposcerent, adnitentibus etiam aliarum sedium Patriarchis, orbis terrarum curam, in rebus Ecclesiasticis suscipere solitus fuit. Quo tempore autem Ecclesia Constantinopolitana maiores spiritus sibi sumpserit, ac eius Antistes *Oecumenicus* audire voluerit, expandetur suo loco, Onuphriique coniecturæ examini subiicientur. Cæterùm Gregorium non solùm dignitate & ordine, sed etiam authoritate & potestate superiorem fecisse Pontificem reliquis Patriarchis, tam est apertum, vt cæcutire in meridie mihi videatur Spalatensis, qui id negat. Sed de tota ea re alio loco, ad quem etiam nos ipse remittit.

Optatus.

Conc. Ant. Can. 9.
Τοὺς καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας. διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας.

Differ. 2. de suburb. c. 1.

Theo. Studita ep. 129.
Τίνες δὲ οὗτοι οἱ ἐντεταλμένοι; ἀπόστολοι, καὶ οἱ τούτων διάδοχοι; τίνες οὖν οἱ διάδοχοι; ὁ τῆς Ῥωμαίων τανῦν πρωτόθρονος· ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως δευτέρων· Ἀλεξανδρείας τε καὶ Ἀντιοχείας, καὶ ὁ Ἱεροσολύμων. τοῦτο τὸ πεντακόρυφον κράτος τῆς ἐκκλησίας. παρὰ τούτοις τὸ τῶν θείων δογμάτων κριτήριον.

Sed iam illud suum de magnitudine vrbium commentum, à nobis toties explosum rursus ostentat. *Primas itaque sedes, inquit, tres Patriarchales, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, vt primæ essent Metropolitanæ in Romano Imperio, supposita necessitate diuidendi Prouincias ad commodius Ecclesiasticum regimen, & in singulis, vnum Episcoporum, quasi Præsidem & Primatem supra cæteros instituendi, cuius esset potissimùm suæ Prouinciæ Episcopos consecrare: nihil aliud effecit, neque vlla alia ratio potest assignari, nisi sola qualitas, dignitas & eminentia ciuitatum sæcularũ: quia vt vidimus ex Hegesippo, illæ tres ciuitates in toto Imperio Romano, primas tulerunt: fueruntque typo sæculari omnium maximè insignes; quod*

Spalat. Num. 17.

Relat. Syn. Chalc. ad Leonem parte 3.

Ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τῶν ρν'. ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθέντων ἐπὶ τοῦ τῆς εὐσεβοῦς μνήμης τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου κανόνα, τὸν διαγορεύοντα μετὰ τὸν ὑμέτερον ἁγιώτατον, καὶ ἀποστολικὸν, τὰ πρεσβεῖα τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν. πεπεισμένοι, ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίας, συνήθως κηδόμενοι, πολλάκις ταύτην ἡπλώσατε, διὰ τὸ ἄφθονον ὑπάρχειν ὑμῖν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν τοῖς γνησίοις μεταδοῦναι.

authoritate fundatas; in quibus ad hoc honoris fastigium euehendis rationem habuisse summorum tribunalium Ciuilium, vt eas ad illorum amussim exigeret, nusquam negauit harum rerum peritissimus Cardinalis, vt proinde immeritò vapulet. Addo verò & Constantinopolitanos & Chalcedonenses Patres, haud ad solam vrbis Constantinopolitanæ regiam dignitatem respexisse, cùm illum suum Canonem inter suppositios Conciliorum partus, ab ipsis olim summis Pontificibus Leone & Gregorio repositum cuderent. Disertè enim Chalcedonenses Epistola ad Leonem, qua hunc honorem deferri Constantinopoli summis precibus contendunt, dissimulata vrbis dignitate, alias causas afferunt. *Confirmauimus autem & centum quinquaginta sanctorum Patrum regulam, qui in Constantinopoli congregati sunt sub pia memoria maiore Theodosio, quæ præcepit, post vestram sanctißimam & Apostolicam sedem honorem habere Constantinopolitanam, (quæ secunda est ordinata;) confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam, consuetè gubernando, illum spargentes hunc sæpius expanditis, eo quod absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.* Itaque hoc primùm fundamento nitebantur, quod Constantinopolitana Ecclesia soboles esset Romanæ, quippe ad quam incolendam delecti fuissent, & eo missi ex Clero tum ex Senatu ciues Romani, qui secum Constantinopolim partem dignitatis veteris Romæ deportasse, à Græcis hominibus vanissimis iactabantur. Quare cùm veterem Romam regia dignitate æquaret, huic quoque Ecclesiasticam potestatem parem cum veteri Roma concedi iustum duxerant, atque vt eo honore potiretur ambitiosiùs contenderant, & per summam iniuriam Alexandrinæ & Antiochenæ factam, peruicerunt; sed de his vberius postea. Immeritò autem carpit Baronium Spalatensis, quòd Patres Constantinopolitanos recensitos, qui propter vrbis dignitatem Romæ primas detulissent, intellexerit Nicænos, de quibus Spalatensis cogitasse eos, negat, atque *ad priores quosdam ac Concilio anteriores respexisse*; Certò enim certius est Constantinopolitanos, hunc qui nomine Concilij Constantinopolitani I. præfertur Canonem, ad normam Nicæni decreti exigere voluisse, ac propterea si putet ad alios Patres respexisse hos igitur proferat, nomenque illorum subiiciat; Verba Canonis sunt: *Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma.* Suprà verò edixerant, *Secundum regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus, ea quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet, Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant, seruatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur: Sed & Asianæ diœcesis Episcopi, ea quæ sunt in Asia, & quę ad Asiam tantummodo diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticę tantùm diœcesis habeant curam: Thraciæ verò ipsius tantummodo Thraciæ.* Quis igitur non videat affectasse eos Nicænorum Patrum imitationem, verùm hæc minimi sunt ponderis. Sed nimirum Romanæ Ecclesiæ propter Imperium ciuitatis, priuilegia non leguntur tribuisse Nicæni Patres. Hoc scilicet est, in quo fidem Græcorum labascere Baronius, ac eorum asse hoc commétum, vt suum Patriarchatum Constantinopolitanum per fas & nefas parturirent, contendit. Sed nondum est mirationum finis; *Habemus igitur vnde miremur*, inquit, *dictum Benedicti II. dum ait: Sancta Romana* Ecclesia, *quę disponente Domino, super omnes alias potestatis ordinariæ obtinent principatum à Deo; vt pote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra; quatuor Patriarchales sedes instituit;*

Cóc. Cóst. Can. 3.

Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

Can. 2.

Κατὰ τοὺς κανόνας τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν, &c.

Eod. nu. 4.

Extr. sancta Roman. de elect. in com.

institiuit; inter quas, post ipsam Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, & Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere; ipsasque multis prærogatiuis & honoribus ac priuilegiis decorauit. Reseruatque Rom. Pont. electiones horum Patriarcharum, quandiu ciuitates ipsæ schismaticorum aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni. Bone Deus quàm exorbitans dictum, quàm arrogans assertio Romanam Ecclesiam quatuor Patriarchales Ecclesias instituisse; & ineptiæ huiusmodi nobis pro sanctis oraculis obtruduntur. Respondeo Benedictum in harum sedium priuilegiis excutiendis, tum Petri qui Alexandriam & Antiochiam ad eum gloriæ apicem euexerit, tum successoris Petri Pontificis Romani, citra cuius arbitrium & voluntatem, nec Constantinopolis, nec Hierosolyma supremo illo honore potiri potuerint, rationem habuisse, ac proinde meritò Romanæ Ecclesiæ quicquid honoris & dignitatis illæ consecutæ essent, tribuisse. Non est igitur quod inclamet Spalatensis, *exorbitans eius dictum;* sed à modestia exorbitat homo irarũ plenus, & paulò in Pontifices iniquior; Parum etiam sincerè de Patriarchatus potestate censet, ac statuit proxima sectione.

Quæres, inquit, *quid habent hi quinque Patriarchæ potestatis & iurisdictionis Ecclesiasticæ, plusquam alij simplices Archiepiscopi & Metropolitani; præter hoc nudum nomen & dignitatis solius, ex antiquitate sedis, cum iure Metropolitico excellentiam? Respondeo sicut prima & illorũ & consequenter aliorum post illos Metropolitanorum institutio fuit, tum propter Episcoporum ordinationes; tum propter eorundem, si errarent correptiones; ita partim consuetudine, etsi non vniuersali, partim commissione Synodorum Regionalium, partim earundem conniuentia, partim Patriarcharum vsurpatione, Patriarchæ ante omnia Metropolitanorum sui Patriarchatus ordinationem habuerunt; vt, vel ipsimet illos ordinarent, vel alij de ipsorum tamen commissione. In Canone sanè paulò antè citato Concilij Chalcedonensis; vbi Constantinopolitanam sedem fecit Patriarchalem, statim ei primum Patriarchale ius explicauit; vt in iis quæ in Ponto sunt, & in Asia, & in Thracia Diœcesibus, Metropolitanos solos; rursus autem & qui inter barbaros sunt Episcopos præfatarũ Diœcesium, à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima Ecclesia ordinetur. Et in Romana Ecclesia eandem fuisse consuetudinem, ex Gregorio vidimus superius ca. 5. num. 4. Id tamen non fuisse perpetuum, & constans ius omnium Patriarcharum, facilè ostenditur: tum ex iure antiquo & communi, quo Metropolitani ab omnibus suis Episcopis Comprouincialibus debent, vt docui suprà cap. 5. consecrari: tum ex Gregorij assertione, qui veterem morem esse fatetur, vt Mediolanensis Metropolitanus, ab Episcopis suæ Prouinciæ consecretur: solum tamen suum ad id requiri ait assensum: quod iam cap. 5. nu. 40. explicaui. Tum demum quia hanc potestatem vniuersalem non tribuit Octaua Synodus generalis, Patriarchis. De quo infrà.* Citra ambages & contumelias dici debuit, hanc Patriarcharum fuisse ab initio prærogatiuam, vt suæ Diœcesis (est enim Diœcesis multarum Prouinciarum complexio) Antistites ad Synodos Patriarchales Prouincialibus longè augustiores vocarent, res in Prouincialibus Synodis tractatas retractarent, vt de inferiorum Episcoporum iudicio statuerent, ac iudicarent, vt Metropolitis ipsis ius dicerent, qui nonnisi præsentibus illis vel consentiẽtibus ordinari possent. Vt enim verum sit à Synodo Prouinciali olim ordinari solitos Metropolitas, tamen nullus negauerit constanti atque perpetua Ecclesiæ lege obseruatum, vt Patriarchæ quoque consensus accederet, vt scilicet vnitate quam tantopere commen-

Spalat. Num. 22.

Greg. lib. 2. Ind. 11. ep. 31.

Oct. Syn. gen. Can. 17

darunt Patres, abundè esset prospectum. Id ipse non abnuit, sed veritate coactus fatetur, atque in eam rem profert placitum Concilij Chalcedonensis, quod statim à delato Patriarchali honore Antistiti Constantinopolitano, sic de eo statuendum duxerit.

Conc. Cha. Act. 15. can. 28. Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, καὶ τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ρν΄. θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν, καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης.

Sanctorum Patrum decreta vbique sequentes & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, & statuimus de priuilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centũ quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, rectè iudicantes vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima regina Roma priuilegiis fruatur, etiã in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illã existentem: vt & Pontica, & Asiana, & Thraciæ Diœcesis Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum Diœcesum, quæ sunt inter barbaros à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur: vnoquoque scilicet prædictarum Diœcesum Metropolitano cum Prouinciæ Episcopis, Prouinciæ Episcopos ordinante, quemadmodum diuinis Canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, prædictarum Diœcesum Metropolitanos à Constantinopolitano Archiepiscopo, conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis. Hoc ipsum probabat locus

Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 31.

Gregorij à Spalatensi citatus. Verba eius sunt, *Qui veterem morem esse fatetur, vt Mediolanensis Metropolitanus, ab Episcopis suæ Prouincię consecretur; solùm tamen suum ad id requiri ait assensum.* Nimirum vt concedat ius esse Episcopis Prouinciæ Mediolanensis, suum Archiepiscopum consecrandi, vult tamen id accedente consensu Pontificis Romani præstari. Sed & in inferiorum Episcoporum ordinationibus partes suas habuisse Patriarchas, hoc est fas non fuisse Metropolitis eos ordinare, citra assensum Patriarcharum ostendunt, tum Innocentij, tum Siricij de ea re rescripta. Hæc sunt eorum apud Spalatensem testimonia

Spalat. Num. 23. Inn. 1. ep. 20. ad Alex. Episcop. Antioch.

ab ipso inaniter refutata, *Itaque arbitramur,* inquit Innocentius, *frater charissimè, vt sicut Metropolitanos authoritate ordinas singulari, sic & cæteros, non sine permissu conscientiaque tua, sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè seruabis, vt longè positos literis datis, ordinari censeas, ab his qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire. Quorum enim te maxima exspectat cura præcipuè tuum debent*

Siric. ep. 4.

mereri iudicium. Siricius verò, *Nemo extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est Primatis, audeat ordinare Episcopum.* Certè æquis rerum æstimatoribus omnibus pluris erit hoc duorum sanctissimorum Pontificum iudicium, quam paulò

Spalat. Num. 24. Socr. l. 7. cap. 28.

audacior censura Spalatensis. Pergit verò: *Hanc certè necessitatem requirendi assensum Patriarchæ in ordinariis Episcoporum ordinationibus, qui non sint proprij ipsius Suffraganei, nulla lege reperies, aut consuetudine prisca stabilitam. Fuit aliquando in Oriente lex, seu potius priuilegium, Ne quis Episcopus designetur absque sententia & authoritate Episcopi Constantinopolitani: qua fultus Sisinius voluit Cyzicenis Episcopum dare Proclum; illi tamen ea contempta anteuertunt, & Dalmatium Monachum ordinant Episcopum. Legem autem, inquit Socrates, propterea neglexerunt, quod Attico soli, vt illi putabant, nominatim authoritatem illam concederet.*

Ibid. c. 39.

Proclus itaque prorsus exclusus à Cyzicenis, postea fuit factus Episcopus Constantinopolitanus: Factum verò Cyzicenorum meritò obtinuit firmitatem; quia & Canones & consuetudo Ecclesiastica vniuersalis erat: vt Episcopi in propria

Prouincia

Prouincia fierent: & Patriarchæ aliorum Metropolitanorum authoritatem in ordinatione Episcoporũ non turbarent, & sola ambitio Constantinopolitani, qui ad Primatum Orientis fuerat euectus, illud extorquere tentauerat, & vsurpare, sicut noster extorsit, & vsurpauit. Sed hîc suas messes incendit Spalatensis: Non enim hoc idcircò factum à Cyzicenis memorat Socrates, quod Patriarchis id iuris esse inficiarentur, sed quod non sedi Constantinopolitanæ, aut in vniuersum omnibus eius Ecclesiæ Episcopis, sed vni Attico eam prærogatiuam lege Imperatoris Theodosij concessam existimarent. Scilicet Constantinopolitanum Antistitem pro Patriarcha non habebant, ac proinde decretum Concilij Constantinopolitani quo esset eius honos contra placita Synodi Nicænę assertus, minimè probabant. Certè Chalcedonensis Synodus, triginta à concesso Attico huiusmodi priuilegio post annos, Cyzicum Hellesponti vrbem Constantinopolitano Patriarchæ subiecit, concessis ei Thraciæ, Asiæ, & Ponti Prouinciis, ac constat à recepto Canone citra Patriarchæ Constantinopolitani assensum, minimè fuisse ordinatos earum Prouinciarum Metropolitas, à Prouincialibus Antistitibus. Sed vt argumentum in aduersarium retorqueamus, Constantinopolitanus Antistes lege Imperiali sibi firmatum ius Patriarchæ ratus, illicò Episcoporum Prouincialium ordinationem ad se pertinere arbitratus est: ergo hoc eodem iure gaudebant Patriarchæ. Non enim existimo, dicet aduersarius, illis initiis insolentem ludũ lusisse eum, aut nouitate vsurpationis turbare voluisse Ecclesias; Cùm potius credendum sit, tanquam scopulum fugisse omnem nouitatis suspicionem, ne scilicet odiosior esset recens illi delatus honos. Id ergo sibi licere existimauit, quod secundos honores, post Romanum Pontificem beneficio Constantinopolitanorũ Patrum, & Imperatoris iudicio consequutus cum eius iuris quo potiretur Pontifex, participem se crederet, quare ne ille ordinandorum Episcoporum potestatẽ pro iure Patriarchæ sibi vendicaret, eam quoque in se deriuatam duxit, ac confestim de ordinandis in Prouinciis Episcopis cogitauit. Fuit igitur ea non vsurpatio potestatis in Episcopos, sed ius Patriarchatus, quem cùm immeritò sibi assereret Antistes Constantinopolitanus, iniustè Episcoporum ordinationes ad se rapere moliebatur.

Sed factum Iuonis nobis opponit Spalatensis, qui Archiepiscopum Lugdunensem, quanquam Legatum Apostolicum, Episcopi Prouincialis nempè Aurelianensis ordinationem, ad se rapere molientem non tulerit. Verba Iuonis sunt, SPALAT. Num. 25. Iuo ep. 59. aliàs 64. *Quod verò mihi scripsistis propter officium legationis vobis iniunctæ, prius hoc ad notitiam vestram fuisse referendum, vt tunc eum (Aurelianensem) consecraremus, cùm quod vobis benè placeret agnosceremus, quoniam sic præcepit Leo Papa Anastasio Thessalonicensi Episcopo Legato suo, personale hoc fuisse intelligimus priuilegium, non generale decretũ.* At ni fallor ista Patriarchas de quibus agimus, inter quos Lugdunensis non censetur, minimè lædunt. Et quod attinet ad ius legationis, benè est obseruatum ab Iuone eadem epistola, Pontificios Legatos non eadem semper esse authoritate, ac proinde ex Anastasij Thessalonicensis prærogatiua minus rectè colligi omnium legatorum priuilegia. *Personale*, inquit, *hoc fuisse intelligimus priuilegium, non generale decretum.* Itaque si existimasset Iuo Pontificem ea potestate Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem Legatum suum impertiisse, proculdubiò de ea litem ei non mouisset.

Et quidem ea ipsa epistola Electi Senonensis, vt loquitur, confirmationẽ petiisse à Legato Episcopos Senonensis Metropolitæ subiectos, in quorum numero Eod. n. 25.

ipse esset, clarissimè innuit; *Cuius electio*, inquit, *si iusta vobis videbitur, vt nullas moras innectatis: si iniusta qua lege differenda sit, vel cassanda, me, & consuffraganeos meos, sic literis vestris instruatis, vt nec vni, nec alteri; sed omnibus hoc onus imponatis.* Nugæ igitur sunt & fabulæ, quæ de damnato ex more ab Iuone tricatur Spalatensis. Ipsum verò Iuonem tanquam merum hypocritam traducit, quippe qui eius sententia vt legato Pontificis gratificaretur, nescio quas argutiolas cõmentus sit, quibus ei in speciem ius Metropolitæ assereret, nec tamen Metropolitæ iniuriam faceret. Sed sunt ista libero Iuonis ingenio parum consentanea. Igitur vt semel finiamus, certò certiùs existimamus Patriarchæ semper licuisse Episcoporum etiam Prouincialium ordinationibus se immiscere, quod Innocentij & Siricij epistolæ satis innuunt, ac non obscurè ex potestate Patriarcharum colligitur, vtpotè qui in Metropolitanos quoque ius haberent, eorumque etiam ordinationes, si quid esset in illis ab eis peccatum corrigerent; Veruntamen ne cui iniuriam facerent, nisi id rerum necessitas deposceret, ab eis abstinuisse, & inferioribus Metropolitis, qui tamen ad eos de singulis referrent hanc Prouinciam intactam reliquisse. Sanè cum damnato Meletio qui tota bacchatus Ægypto, non solũ Diaconos & Presbyteros, sed etiã Episcopos ordinasset, pronunciauit Synodus Nicæna penes vnum Alexandrinum Antistitem id iuris esse, vt ex Cõcilij epistola & sexto Canone colligitur, quo nos docuit nullius Prouincialis Episcopi initiationem ratam haberi potuisse, quam ille suo calculo & suffragio non probasset. Itaque vt semper ordinationibus Prouincialium non interfuerit, aut per se aut per legatum Patriarcha, nihilominus saltem accedere debuit eius assensus, tacitus scilicet aut expressus, vt loquuntur. Igitur assensum Patriarchæ postulatum legimus, nec solùm *vnionis, charitatis, & communicationis gratia*, vt arbitratur Spalatensis, id factum existimare debemus, sed intuitu authoritatis qua cæteris potiores, quod de Romano scripsit Ethnicus author, essent summi illi Antistites. Videamus sequentia.

SPALAT. Num. 26. *Altera causa instituendi Metropolitanos*, inquit, *fuit correptio Episcoporum, vt non confusè ea fieret à quocunque, sed ex officio ab vno, & non semper Synodus in hoc grauaretur. Sicut igitur Metropolitanus Episcopos suos suffraganeos errantes corripere, & corrigere debet & emendare; ita si Metropolitanus erret, siue in moribus, siue in iudiciis & actis suis, ne etiam in hoc Synodus semper cum incommodo cõueniat à Patriarchis, voluit Ecclesiastica consuetudo & lex, Metropolitanos emendari; nisi tam grauis sit causa & publica præsertim fidei, vt totius regionis Synodus, imò & Oecumenica debeat conuenire. Ita in Concilio Chalcedonensi ca. 9. statutum est;* (11. q. 1. c. Si clericus.) *vt si aduersus Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ; & apud ipsum iudicetur. Ita quoque Bonifacius & Iustinianus.* (6. q. 4. Si inter Nouel. 123. c. 22.) *Et in octaua Synodo generali Canon expressus ponitur de potestate Patriarcharum & Metropolitanorum, sub his verbis: Sancta & vniuersalis Nicæna prior Synodus antiquam consuetudinem iubet seruari per Aegyptum & Prouincias quæ sub ipsa sunt: ita vt* (Oct. Syn. gen. can. 17.) *horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens, quia & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos praualuit. Qua pro causa & hæc sancta & magna Synodus, tam in seniori & noua Roma, quàm in sede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari; ita vt eorum præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promouentur, siue per manus impositionem, siue per pallij dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt,*

accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad conuocandum eos vrgente necessitate ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coërcendum illos, & corrigendum cum fama eos super quibusdam delictis forsan accusauerit. Tum verò idem Canon addit Patriarchis potestatem Synodum sui Patriarchatus conuocandi; & Metropolitanos obligat ad conueniendum, aliam potestatem in Patriarchis, non agnoscit specialem. Atqui hæc nobis non aduersantur, sed potiùs nostram sententiam firmant; quis enim non videat, si Patriarchis potestas fuerit in Metropolitas, si eorum iudicia retractarint, si in ipsos quoque animaduerterint, ac Patriarchatus sui, hoc est omnium priuatarum prouinciarum Episcopos in Concilium ex officio coëgerint, *mediatam* saltem, vt vocant, in eosdem inferiores Episcopos authoritatem habuisse. Pergamus.

Scias porrò, inquit, *Primates & Patriarchas aliquando idem significasse: nempè primos illos tres aut quinque: Postea verò quia hi quinque nimis amplas habuerunt sub se regiones, & plura regna amplissima, & à sua sede distantissima: in singulis regnis Primates sunt instituti: qui plures adhuc sub se haberent Metropolitanos: quamuis ipsi deinde suo quisque Patriarchæ, alicui ex illis quinque subesse deberet. Sicut igitur Iacobum Hierosolymitanum primum Episcopum, Clemens in illis ipsi attributis Epistolis ad eundem vocat Episcopum Episcoporum, nimirum suæ Prouinciæ: illum enim suæ regionis supponit esse Patriarcham (quod non erat verum tempore Clementis.) Ita in Concilio Carthaginensi tertio Aurelius Carthaginensis, quia totius Africæ Primas erat: Ego ait cunctarum Ecclesiarum (nimirum Africanarum) dignatione Dei, vt scitis fratres, sollicitudines sustineo. Et in Concilio Matisconensi totius Regni Galliæ generali, Lugdunensis Episcopus Briscus vocatur Patriarcha; erat enim omnium Primas; sub Romano tamen Patriarcha: quamuis alij Arelatensi hanc tribuant dignitatem. Sed certè in prædicto Concilio, etiam Arelatensis interfuit, & nihilominus Lugdunensis præcedit. & Patriarchæ nomine insignitus est, vbi omnes aderant totius Regni Metropolitani. Et Iuo, Lugdunensem esse primæ Sedis Episcopum non diffitetur. Pari modo Bituricensis & Aquileiensis, Gradensisque Patriarchæ vocantur; & Gualbertum Cumanum Archiepiscopum; Stephanus vocat Patriarcham. Ephesina quoque Ecclesia Patriarchatum habuisse memoratur. Innocentius III. in toto regno Suetiæ Lundensem Episcopum Primatem facit; cui subsint alij eiusdem Regni Metropolitani. Alia exempla non desunt plurima, huiusmodi Primatum in Ecclesia; quamuis etiam tali nomine celebres aliqui Metropolitani, quorum Metropolis latissimè se extendat, soleant insigniri, vt Mediolanensis, & Aquileiensis, licèt sub se nullos habeant Metropolitanos. Imo verò Basilius ad Ambrosium scribens, gratulatur ei quod à Iudicibus terræ, ad primam Apostolorum sedem sit translatus. Neque intelligo cur Mediolanensem Ecclesiam primam vocet sedem Apostolorum, nisi velit per Apostolos Petrum & Paulum, post Romanam, Mediolanensem primam, vti præcipuam in Italia fuisse constitutam. Ita in Africa, quamuis vnicus esset, vt monui superius, supremus Primas Carthaginensis; Numidiæ tamen Metropolitanum Augustinus vocat Primatem Episcoporum in Numidia; vt iam facilè confundantur ista nomina Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, & Metropolitanus.* Vt hæc vera sint, nostram sententiam non labefactant. Monuimus suprà plures esse Patriarchas minorum gentium, sed cum summis illis numero quinario comprehensis minimè conferendos. Potiantur igitur Lugdunensis, Bituricensis, Aquileiensis, Gradensis, Ephesinus & Lundensis Archiepiscopis, &c. titulo. Patriarcharum, vaga luxaque erit nominis vsurpatio, nec

Spalat. Num. 27. Steph. 1. ep. 2. & Fœlix 2. ep. 1. c. 12.

Leo 9. ep. 3. 4. Conc. Char. 3. ca. 45.

Iuo ep. 236. 237. 9. q. 3. c. Cõquestus Dist. 32. ca Erubescăt. 9. q. 3. cap. Nũc verò. Euagr. l. 3. cap. 6. Innoc. 3. L. 1. ep. 419. Basil. ep. 55.

Aug. Breu. coll. diei 3. c. 4. & de for. comp. ca. Sanè.

ad summorum Patriarcharum dignitatem & authoritatem accedet, in quos solos Patriarchæ nomen strictiùs sumptum conueniat. De reliquis videro infrà. Persequitur Spalatensis.

Spalat. Num. 18.

Habent igitur Patriarchæ, inquit, *propriè dicti illud priuilegium ex Concilio Chalcedonensi, vt Metropolitanos iudicent; & liberum sit grauatis à Metropolitano, siue ad Primatem Regni, siue ad Patriarcham, supremum illius regionis confugere. Et valdè ridiculum est (vt aliàs pleniùs considerabo) quòd maxima cum violentia conatur, Nicolaus I. vt per Primatem Prouinciæ in decreto Chalcedonensi Romanus Pontifex intelligatur. Cùm tamen Gregorius IV. id de proprio Primate cuiusque Prouinciæ intellexerit. Suis etiā locis agam similiter de quinque Patriarcharum authoritate & priuilegiis in Conciliis congregandis: statutis Ecclesiasticis condendis, iisdemque custodiendis, in rebus fidei decidendis, in Ecclesiis omnibus protegendis & vniendis: communionéque per ipsas Patriarchales sedes, quasi per communem nodum consociandis: & similibus.* Potuisset abstinuisse Spalatensis à contumeliis in doctissimum Pontificē, quanquam, non desint etiam ex orthodoxis, quibus Canonis Chalcedonensis interpretatio à Nicolao adducta non probetur. *Probare non possum*, inquit non nemo, *Nicolai I. P. R. interpretationem, qui in epistola ad Michaëlem Imperatorem Bisantium citat hunc canonem, & Primatem Diæceseos exponit Pontificem Romanum, Diæcesim verò numero vnitatis pro vniuersa Christi Ecclesia, quam regendam Pontifex Romanus suscipit, ex collatione locorum scripturæ vsurpari debere, contendit, sed parum congruere multa docent*, Canon sic habet: *Si aduersus eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat aut Primatem Diæceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur.* Quidam igitur ita canonem interpretantur, vt nomine Primatis intellectum velint eximium aliquem Metropolitam, qualis est apud nos Archiepiscopus Lugdunensis, Patriarchis quidem inferiorem, sed alijs Metropolitis superiorem, ad quem proinde appellare posset clericus vel Episcopus à suo Metropolita vexatus, nisi fortè satiùs duceret, ad Patriarcham Constantinopolitanum totum negotium referri. Inclinant in hanc sententiam Archidiaconus, & de Turrecremata quos sequitur doctissimus Aleander, qui etiam Cesareensem, Ephesinum & Hieraclinensem Antistites in horum Primatum numero ponit, de quibus Curopalates. Alij existimant nomine Primatis Diœceseôs Patriarcham intelligendum, atque illis verbis Canonis, adeat vel *Exarchum seu Primatem regni Patriarcham*, id est, *Patriarcham Constantinopolitanum, vel supremum regionis illius*, facultatem fieri Episcopo vel Clerico cum Metropolitano suo contendentibus, aut apud Patriarchā Diœcesis, in qua constituti sint iuris experiundi, aut apud Patriarchā sedis Constantinopolitanæ, quia Cōcilio Sardicensi quoque sancitū fuerat vt prouocādi licentia daretur ad Romanū Pontificē, cui parem in rebus Ecclesiasticis facere Cōstantinopolitanū Episcopū Græci moliuntur; Alij per Primatē Diœceseos ipsum Pōtificem intelligunt, in his Nicolaus primus qui assensorem habet Illustrissimum Bellarminū & plerosque alios longè Spalatensi doctiores; sed de hac cōtrouersia videro aliàs, & proculdubio prior sententia & verior & probabilior. Cæterū negandū non est Primatis nomen, cum Metropolitani nomine plerumque confundi, & in Conciliis & in priscis Ecclesiæ scriptoribus, siquidem & apud Siricium, & apud Innocentium Primas appellatur Metropolitanus Episcopus, cuius ex Concilio Niceno consensus requiritur in ordinando eiusdem Prouinciæ aliquo Episcopo. Et in Africa non solùm Archiepiscopus Cartha-

De off. Iud. ord. c. Domino.

2. q. 6. cap. Decreto.

Sozom. l. 7. c. 9 & The. Stud. apud Bar. tom. 9. an. 811. nu. 38.

Filesacus de sacra Episc. potestate c. 9. §. 9.

Conc Cha. Can. 9. Act. 15. p. 327.

Εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην, ἐπίσκοπος, ἢ κληρικὸς, ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐν αὐτῷ δικαζέσθω.

Syr. ep. 4. Innoc. ep. 2. ad infer.

Carthaginem cùi omnium Ecclesiarum Africanarum cura & sollicitudo incumberet, sed & reliqui quoque Episcopi Prouinciarum vt Numidiæ, Mauritaniæ, &c. Primates dicebantur, vt Primas Numidiæ, &c. quanquam apud eos nullus esset Patriarcha. Sed maioris lucis gratia docti viri quatuor gradus Episcoporum faciunt, Episcopos, Metropolitas, Exarchos Diœceseωn, & qui suprà omnes erant Patriarchæ. Exarchos autem, ne quis nouitate nominis turbetur, intelligunt eos qui Diœceses singulas, integras regebant, quales erant Cæsariensis in Pontica, Ephesinus in Asiana, & Heracliensis in Thracica, quos solos, tanquam honoratiores, Diœceseon ἐξάρχους διοικήσεων, ex omnibus sedi Constantinopolitanæ subditis Metropolitis, Græci vocarunt, vt pluribus persequitur eloquentissimus & eruditissimus Sirmondus. Sed de his alibi fusiùs. Sirmond. Propem. li.2.p. 175.

Hîc iam compendio nobis Patriarchæ munus & officiũ tradit ex Basilio Macedone Orientis Imperatore, *Patriarcha*, inquit, *est imago Christi viua & animata, operibus & verbis, in seipsa veritatem exprimens. Scopus Patriarchæ propositus est primùm quidem, vt quos à Deo accepit, in pietate ac honestate vitæ conseruet. Deinde & omnes hæreticos pro virili sua conuertat, ad rectam veritatis sententiam, & vnitatem Ecclesiæ: Vocantur autem hæretici tam legibus quàm Canonibus, qui Catholicæ Ecclesiæ societate non continentur. Præterea, vt infideles quoque claris & illustrissimis, & admirabilibus factis suis stupefaciens, imitatores fidei reddat. Finis Patriarchæ creditarum sibi animarum salus; & Christo quidem viuere, mundo verò crucifixum esse; Propria Patriarchæ facultate, docendi pollere, atque erga vniuersos tam sublimes quàm humiles æqualiter absque animi contradictione, semet gerere: ac mansuetum esse erga omnes se conuenientes: Etiam in docendo & redarguendis contumacibus aërem, pro veritate æqui iustique conseruatione, proque pietate coram Imperatore loqui non erubescere. Cum respublica ex partibus & membris ad similitudinem corporis humani constet, amplissimæ huius maximéque necessariæ partes sunt. Imperator & Patriarcha: Ideoque subditorum pax & fælicitas tam animi ratione, quàm corporis est Imperij, atque Pontificatus, in omni vnanimitate consensus. Vbi videmus*, ait Spalatensis, *generalem illã superintendentiam Papæ Romani, & reliquorum Compatriarcharum, super vniuersas Ecclesias, inde bona ex parte pendere: quia cùm ad pacem & tranquillitatem omnium Ecclesiarum maximè opera sit necessaria Imperatoris, Patriarchæ verò in Imperialibus ciuitatibus sedeant; in quibus aut Imperator ipse, aut Curia eius, aut præcipui quique & cum maxima potestate Proconsules atque ministri adsunt, facilè patet aditus, ad opem tuendis Ecclesiis necessariã impetrandam: Atque hinc etiam ipsis Patriarchis vniuersalis imminet cura Ecclesiarum. Ita tamen vt interim, quæ iurisdictionis sunt, siue in ordinandis, siue in iudicandis Episcopis Metropolitanis, quisque ipsorũ, intra proprios limites sui Patriarchatus coerceatur: ea enim lex æquè omnibus Patriarchis præscribitur in Concilio Nicæno, vt nullus ipsorum in alienam irrumpat prouinciam; imò vt ne propriis quidem præiudicium faciant Metropolitanis.* Sed hîc quoque peccat Spalatensis: vt enim commodum duxerit Petrus, quod suprà monebamus, in primariis vrbibus constitui summos Ecclesiæ Hierarchas, vt præsto esset, Imperatoris vel præfectorum authoritas quam implorarent, rebus Ecclesiæ id deposcentibus, hæc tamen vera ratio non fuit constituendorum Patriarchatuum. Ineptissimè verò Romanum Pontificem in eundem cum reliquis ordinem cogit, nec per somnium de ea re cogitasse Nicænos Patres, qui ei nullos limites præscripserint, suo loco docebitur.

Spalat. Num. 29. Bar. to.10. an. 886.nu. 10.

Eod. n. 29. Ad inanes titulos iam reuocat Patriarcharum dignitatem; *Satis*, inquit, *esse debet vnicuique Patriarchæ, vt sit primus & supremus in sua ditione; indeque quilibet eorum possit, vt olim fuit in vsu, summus Pontifex appellari. Sic de Alexandrino loquens Leo, aduersus Timotheum Aelurum; Vnde, inquit, cùm in omni Ecclesiæ membro & integra fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur; quanto magis in summo Pontifice debent vtraque præcellere?*

Spalat. Num. 30. Siric. ep. 1. c. 15. Apud Bar. to. 6. an. 450. nu. 51. Bar. to. 10. an. 970. n. 1. Apud Bar. to. 9. an. 817. nu. 13. *Siricius Metropolitanos omnes vocat summos Prouinciarum Antistites. Et Episcopi Arelatensis Prouinciæ Leoni Papæ significant Rauennium eorum nouum Archiepiscopum, ad summum Pontificium prouectum esse. De Antiochena Ecclesia scribit Cedrenus, Postquam illa aliquandiu summo Pontifice caruisset; Theodorum quendam Monachum, fuisse ad illam sedem promotum; Et Theodorus Studita, Alexandrinum Patriarcham vocat Papam Beatissimum, Patrem Patrum, & lumen luminum, & verticem Apostolicum. Ineptè verò Baronius lumen luminum, interpretatur quod Romanus Pontifex sit supremum lumen: cæteri verò Patriarchæ non supremum lumen, sed lumen luminum; neque videt Alexandrinum hoc loco dici lumen luminum, non lumen luminis, nec de lumine; Ipse enim in sua Prouincia, hoc est in tota Aegypto, est lumen aliorum luminum suorum Episcoporum, qui ab eo sunt erudiendi: sicut & Romanus est lumen luminum suorum scilicet Episcoporum. Vtinam verò nostrum hoc lumen, non sit iam adeo intensum, vt nimio suo fulgore, vel potius fulgure, minora lumina absorbeat, ac penitus extinguat.*

Spalat. Num. 31. Verùm omnem sese offerendi ansam illis præripit; *Ac*, inquit, *ne nimium glorientur soli Patriarchæ, præsertim noster Romanus de titulo summi Pontificis, sciant hunc olim titulum etiam Episcopis simplicibus, qui ne Metropolitani quidem essent conuenisse. Ita Epistola quæ dicitur*

Pont. ep. 1. *Pontiniani monet: Si peccauerint Sacerdotes à reliquis arguendos esse Sacerdotibus; & à summis Pontificibus constringendos.*

Dam. ep. 5. *Damasus quoque numerat quædam* Episcoporum *propria munia, vt per hæc summos Pontifices separet à Chorepiscopis. Et Zosimus epist. 1. gradus numerat, quibus ad*

Dist. 59. c. Si officia. & dist. 77. c. In singulis. Leo ep. 92. Dist. 21. c. 1. *locum summi Pontificis, id est Episcopi: & ad summum Pontificatum, id est Episcopatum, possit Clericus peruenire. Leo dum & ipse separat Episcopos à Chorepiscopis, narrat officia quæ solus summus Pontificibus debeantur. Et in Concilio Agathensi cap. 35. Metropolitani commemoratur potestas in conuocandis suffraganeis, ad ordinandum summum* Pontificem; *hoc est Episcopum. Isidorus Episcopum dicit Pontificem Maximum nuncupari. Bonifacius Mogunt. scribit Ecberto Archiepiscopo summi* Pontificatus *infula prædito. Aliqua testimonia colligit etiam Baronius, eundem titulum summi* Pontificis *simplicibus etiam* Episcopis *confirmantia. Quanquam hunc titulum Patres Concilij tertij Carthaginensis, ex suis Ecclesiis Africanis expunxerint: vetuerintque ne vllus Primas eo vteretur.*

Apud Bar. to. 9. an. 731. nu. 47. Bar. tom. 5. an. 397. nu. 61. Conc. Cha. 3. c. 26. Ad hæc tam multa respondeo paucis, *summum Pontificem* olim vocari solitum quemlibet Episcopum, qua ratione à viris doctissimis dictum accepimus, Christũ duos ordines in Sacerdotibus constituisse; vnũ summũ Pontificũ, hoc est Episcoporum, alterum presbyterorũ.

Epist. ad Euagr. Atque Hieronymus significat successisse E*piscopos in locum summi Sacerdotis Aaronis, Presbyteros verò & Diaconos in locum Leuitarum.* Propterea Patres Tole-

Tolet. 8. c. 4. c. 7. tani Episcopalem dignitatem, *Eminentissimæ dignitatis apicem, & culmen* Ponti*ficale* meritissimè vocant. Κατ' ἐξοχὴν autem ipsis primùm in vniuersum Patriarchis cùm eorum authoritas vigeret, est tributum hoc nomen: Inclinante autẽ eorum fide, ad vnum Pontificem summæ dignitatis titulus rediit, vt iam cùm *summum Pontificem* dicimus, Romanum intelligamus.

Cæterùm

Cæterùm cùm etiam eo titulo gauderent Patriarchæ, non proinde Pontifici Romano pares censebantur, sed fasces non inuiti ei summittebant, vt suo loco ostendemus. Propterea quicquid sit de mente Studitæ, benè Baronius comparatione totius Ecclesiæ vnum Pontificẽ Romanũ *lumen luminum* dixit; quippe quaqua versum suam lucem fundat, Patriarchis intra suarum Diœceseon limites, & terminos suæ iurisdictionis radios cohibere iussis. Vno verbo absolui potest tota ista de *summi Pontificis* titulo controuersia, ac dici reliquos à Pontifice Romano Episcopos, nonnunquã *summos Pontifices* dictos, sed comparatè, hoc est, cum inferioris ordinis Presbyteris collatos ac comparatos, Pontificem verò absolutè, nec solùm Presbyterorum, verùm etiam omnium Antistitum comparatione & respectu; Addo verò neminem Episcoporum hoc nomen sibi vnquam arrogasse, aut edictis inscripsisse; quod tamen fecisse Romanum Præsulem, testis nobis locupletissimus Tertullianus, quanquam fanaticis Paracleti seu Montani opinionibus imbutus, Pontificis decretum lacessat, ac insectetur. Verba eius sunt: *Pontifex scilicet maximus*, inquit, *Episcopus Episcoporum dicit*: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Id verò de Romano Pontifice dictum, quanquam abnuat Iunius, concedunt reliqui Sectarij omnes, ac denique ex sequentibus omninò apparet Petri successorem incessere Tertullianum, Zephyrinum scilicet peremptorij edicti, quo de admittendis ac recipiendis in Ecclesia adulteris pœnitentia functis, post longas controuersias lis dirimeretur, eisque post prolixam diuque tractam pœnitentiam Ecclesiæ fores recluderentur. Sed & Cyprianus Tertulliani popularis ac *patria creatus eadem*, Romanum Pontificem Max. dictum, pulcherrimo loco à nobis iam versando tradit; Sic enim de Decio hunc honorẽ Cornelio æmulante, ac inuidente: *Cùm multò*, inquit, *patientius & tolerabilius audiret leuari aduersum se æmulum principem, quam constitui Romæ æmulum Sacerdotem. Quod enim diui Cypriani verba*, inquit eruditiss. Albaspinus, *de ea æmulatione, non verò de Nouatiano, vt bonus explicat Pamelius, sint accipienda, sequentia de Cornelio ostendunt; Tyrannum bello & armis postmodum victum, prior Sacerdotio suo vicit, significans beatum Corneliũ Sacerdotio vicisse Decium, quia de Pontificatu maximo, cùm inter eos esset certamen, victoriam Cornelius reportasse videtur, qui in eadem potestate superstes restiterit.* Hæc eruditissimus Antistes Aurelianensis, sed immeritò vir nostri amantissimus ad hunc locum Cypriani controuersiarum tractatores cum interpretibus vexat; Sic enim ille eum locum versans: *Quod cuiusmodi sit*, inquit, *non miror, ab Interpretibus ignorari; sed eos qui omnia vndique argumenta ad summi Pontificis probandam authoritatem colligunt, hoc tam præclarum eius summæ authoritatis, & potestatis testimonium prætermisisse.* De interpretibus ipse viderit. Sed quod attinet ad harum controuersiarum tractatores, non erat quod huius prætermissionis aut prætergressionis eos postularet, nec enim istud silentio prætererunt. Nos ipsi qui his permixti sumus responsione nostra ad Plessæi Mysterium Iniquitatis, repudiata Pamelij de Nouatiano opinione, de Decio intelligendum locum aperuimus; sed & Magnus Cardinalis Perronius, in cuius manes, *è quibus* etiamnum *nascuntur violæ*, pium se ac religiosum vbique prodit, eò quoque verba Cypriani retulit admirando illo suo ad serenissimum Angliæ Regem responso, vt sensum Cypriani ante hanc diem assecutos videas tractatores controuersiarum. Sed vt ad locum redeam, est sanè ille perillustris, ac obseruatu dignissimus, in Controuersia de summi Pontificis authoritate. Quid

Li. 1. de pudic. cap. 1.

Cap. 21.

Ep. ad Antonianum.

Obseru. 23. in fine.

Obseru. 23.

In Exam. Myst. Iniq. pag. 86. in marg.

Respons. ad Reg. Angl. p. 99.

enim præclarius aut illustrius fingi animo possit, quàm etiam prioribus illis seculis tantum Pontificiæ dignitatis fulgorem fuisse, vt eius gloria offensi summi Imperatores eam illi inuiderint, ac tantam potentiam vt illorum in eum æmulationem conciuerit, ac concitarit; æmulationem inquam riualitati simillimum, quod quæ Pontifices Christianorum haberent, non solùm sibi cuperent, sed cum quadam inuidia atque ambitione, & quasi certamine cum ipsis

Li.1.obser. 23. de his contenderent. *Qua enim ratione æmuli esse potuissent*, addit Albaspinus, *nisi de summa authoritate inter eos aliqua fuisset contentio? vel saltem existimassent Cæsares tantùm sibi detrahi, quantum ab omnibus Christianis obsequij, & obedientiæ summis Pontificibus præstaretur. Quod verò maior pars militũ, ciuitatum, curiæ, vrbis denique, & orbis, esset Christiana: quod nullis minis nullisve suppliciis, ab hac secta & religione possent deterreri Christiani: quod tanta inter se essent animorum & voluntatum societate coniuncti, quod ij omnes non solùm vnius summi Pontificis Romani dicto audientes essent, sed etiam eius nutu, quocunque iuberet, ferri possent; quantùm Imperatoribus negotium mouisse, & in Romanos Episcopos inuidiam excitasse putatis?*

Idem ibid. *Accedebat etiam*, pergit ille, *quod ab Augusto omnes Imperatores Pontificatus Maximi atque Tribunatus plebis potestatem, & nomen vnà cum Imperio retinuerant. Satis enim illis ad Imperium tuendum, eiusque integram sibi authoritatem conseruandam, nudum Imperatoris nomen validum non videbatur, ni etiam cæteræ potestates, quæ olim apud populum alicuius fuerant momenti accederent. Suetonius in Augusto ca. 3. Postquam Pontificatum maximum, quem nunquam viuo lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit. Dio lib. 53. in August. Quod autẽ omnibus Sacerdotiis inaugurati sunt, ac plerosque in ea collegia adsciscunt, semperque vnus eorum, si quidem duo vel tres simul Imperatores sunt, summum Pontificatum gerit: eò fit, vt omnes religiones, & sacrificia in sua habeant manu. De Macrino etiam fertur à Senatu Pontificem Maximum salutatum, quâ appellatione electio militum comprobatur. Apud Zosimum lib. 4. legimus. Simul enim atque summũ Imperium quisque consequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Max. titulus ei tribuebatur: ac cæteri quidem Principes vniuersi libentissimis animis hunc honorẽ accepisse, & hoc vsi titulo videntur, adeóque Constantinus etiam, potitus Imperio, licet is à rectâ sacris in rebus viâ deflexerit, & fidem Christianorum amplexus sit: itemque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus & Valens. Cùm ergo Pontifices, ex more, talem Gratiano amictum attulissent, auersatus est id, quod poterant, ratus non esse fas illiusmodi habitu Christianum vti. Cumque stola Flaminibus reddita fuisset, aiunt eum qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex admodum breui Pontifex Maximus fiet. Omnes igitur Imperatores veteribus institutis, & religionibus erant consecrati, & rerum sacrarum Præsides, & Pontifices Maximi appellabantur, nullamque aliam ob causam in Romanos Episcopos incitabantur, nisi quod honores & titulos sibi debitos adsumerent, & de eadem quasi dignitate contenderent. Gratianus verò quod esset Christianus, Pontificem Maximum se appellari passus non est, ne aduersus religionem suam quicquam moliri videretur. Vnde licet colligere hoc Pontificis Maximi nomen, nominisque authoritatem & potestatem penes Romanos Episcopos semper fuisse. Nam quorsum Gratianus eam vel cum vitæ discrimine recusasset, in rem contrariam Christianorum institutis sibi visus esse facere? Decius quoque qua ratione in Cornelium tanto impetu inuectus fuisset in hunc honorem, simul cum potestate sibi ereptum, & ad Romanos Pontifices translatum iri indignatus esset?*

Resistit

Resistit Spalatensis; *Quod si,* inquit, *Patriarchæ quinque illi celebres inter se comparentur, nullam prorsus inter ipsos inuenies, præter solùm ordinem dignitatis & præcedentiæ, subordinationem; aut in potestate erga suos subditos disparitatem. Quamuis in iure se inter se ordinandi, sint interdum, sed frustra digladiati; vt ostendam inferius: pares tamen esse omnes in Patriarchali potestate, facile est demonstrare: Certè iure diuino iam probatum est, omnes prorsus Episcopos esse inter se æquales; & has dignitates, ac Prælationes inter ipsos, solo iure Ecclesiastico, esse institutas: & Ecclesiam Aristocraticè non Monarchicè gubernari: iure verò Ecclesiastico constat Patriarchas vnumquemque proprijs limitibus esse coërcitos: neque posse quemquam ipsorum, in alterius Parochiam, seu Patriarchatum irrepere, aut irrumpere; & vnumquemque esse summum in suo Patriarchatu, primamque sedem obtinere: & quinque eos numerari: paribusque perpetuò priuilegijs ornari, ac paribus legibus constringi: sed lib. 4. horum radicem exactius considerabo. Nunc subdo facta & exempla ac dicta sanctorum, æqualitatem hanc inter Patriarchas confirmantia.* Pontificem Romanum omnibus Patriarchis superiorem tota venerata est antiquitas, & ineptiarum plena sunt, quæ vt Episcopos esse inter se æquales probaret, adduxit Spalatensis: quæ verò sunt ab eo pro stabilienda illa sua Aristocratia, seu potiùs Anarchia allata, à nobis sunt omnino in superioribus confutata. Certè penes Pontificem Romanum semper fuisse potestatem, de reliquis Patriarchis statuendi, vel vnius Socratis & Sozomeni locus abundè probat, & ostendit. Locus ita habet apud Sozomenum; *Athanasius fugiens Alexandriam,* inquit, *Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus forte illo accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus; qui cùm doctrinæ Arianæ aduersaretur, in crimen vocatus est ab Arianis quibusdam, quod altare euerterit, & fuerit propterea abdicatus. Cuius locum in Ecclesia Gazæ administranda obtinuit Quintianus. Idemque Lucius Episcopus Adrianopolis, ab alijs accusatus, sua quam regebat Ecclesia spoliatus, Romæ autem degit. Quorum criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicani consentientes reperisset, in communionem recepit. Ac cùm propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit; scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusauit, quod inconsultò de hisce viris iudicassent, Ecclesiasque perturbassent, cùm decretis Concilij Nicani stare nollent. Deditque mandatum, vt quidam illorum omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam iustamque esse. Quinetiam minatus est sede reliquo non passurum eos inultos esse, nisi nouis rebus studere desisterent. Ista quidem scripsit Iulius.* An non igitur ad omnes etiam Orientis Ecclesias sese fundebat Pontificis Romani potestas? Scio morem gerere noluisse, nec literis Iulij paruisse Orientales, sed inter Arrianorum furores meritò censetur hæc eorum proteruitas ac petulantia; neque verò cùm adeo furerent, negare vnquam ausi sunt *Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre.* Verba sunt Græci Scriptoris, vt pote quæ *Apostolorum schola, & pietatis Metropolis,* iam inde ab initio fuisset. De his plura in sequentibus, sufficit iudicio hominis Græci *propter sedis dignitatem,* curam omnium ad Pontificem spectasse, ac singulis, etiam ipsi Patriarchæ Alexandrino, Athanasio suas sedes restituisse; *Quoniam Ecclesia Romana,* ait Socrates, *priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberius perscriptu, illorum partes tueri studet; in Orientem literas mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicauerant grauiter reprehen-*

Spalat. Num.32.

Sozom. Lib.3.c.7. Ἀθανάσιος δὲ φυγὼν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας εἰς Ῥώμην ἀφίκετο. κατ' αὐτὸ δὲ συνέβη, καὶ Παῦλον τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον συνδραμεῖν, καὶ Μάρκελλον τὸν Ἀγκύρας, καὶ Ἀσκληπᾶν τὸν Γάζης, ὃς ἐναντίος ὢν τοῖς Ἀρείου, χαριεὶ ὑπομνήσας τοῖς ἑτεροδόξου τινῶν ὡς θυσιαστήριον ἀνατρέψας καθῃρέθη. &c.

Soc.l.2.c.11 Ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης, παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτούς, καὶ ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν ἐπέστειλε, τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδοὺς, &c.

Theodor. histor. Ecc. lib. 2. c. 4.
Ὁ δὲ τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, καὶ αὐτοὺς καταλαβεῖν τὴν Ῥώμην ἐκέλευσε, &c.

deret. Illi decedunt Roma: literisque Iulij Episcopi confisi, ad suas ipsorum Ecclesias redeunt; literas, ad quos scripta erant mittunt. Similia habet Theodoretus: *Athanasius intellectis eorum* (Arianorum) *insidiis, clàm se subduxit Alexandria, & rectà in Occidentem contendit. Etenim Iulium Episcopum, qui tum Romanam rexit Ecclesiam, Eusebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanasium confinxerit, per literas certiorem fecerant. Ille Ecclesiæ canonem secutus, & eos iussit Romam venire: & diuinum Athanasium, quò pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Qui vt primùm fuit accersitus, eò maturè contendit. Tragœdiæ autem authores Romam ideò non sunt profecti, quòd intellexerunt sua mendacia manifestò fore deprehensa. Qui vbi oues gregis Alexandrini pastore destitutas vident, quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris, substituunt.* Sed iam factis & exemplis, vt loquitur, contrarium suadere conatur Spalatensis.

Spalat. Num. 33. Syn. Const. cont. Anth. act. 1 to. 2. Baro. to. 7. an. 518. n. 17

Meritò, inquit, *igitur in Concilio Constantinopolitano contra Anthimum celebrato; Quartum capitulum in libello Monachorum fuit propositum; vt Leonis Romani nomen in Diptychis prædicetur, sicut Cyrilli Alexandrini nomen prædicabatur; Quia, inquiunt, æqualiter (in Chalcedonensi Synodo) pro statu orthodoxæ fidei honorati sunt. Hic iam de more somniat Baronius, de legatione Cyrilli, sed ineptè comparatur Episcopus Romanus cum Legato Episcopi Romani. Sermo est de duobus Patriarchis, & vtroque supremo; altero in Occidente, altero in Oriente: ac vtroque pro fide egregiè laborante: ideoque ex vtroque capite æqualiter honorantur. Sic Hieronymus quoque aliquando considerans duas has supremas sedes, in Occidente alteram, alteram in Oriente, eorumque Episcopos æquè contra Origenis errores insurgentes, & eos condemnantes, Anastasium & Theophilum; æquè vtrumque extollit: Duos, inquit, Orientis, atque Occidentis Tropæophoros, alacri sequamur incessu. Vides vt eos pares facit, & duces æquè ac victores de damnatis Origenis erroribus trophæa ferentes.* Respondeo nonnisi per summam impudentiam negari posse, egisse Cyrillum in Concilio Ephesino Cælestini legatum, ac eius vice Concilio moderatum fuisse. Probatur ab Euagrio, Prospero, Liberato, & aliis; Euagrius sic habet: *Cyrillo,* inquit, *locum Cælestini Episcopatum antiquæ Romæ, vt suprà docui, gerentis obtinente, accersunt Nestorium, hortanturque vt criminibus ipsi obiectis respondeat.* Liberatus verò; *Cælestinus Papa,* inquit, *Romanus scripsit Nestorio, insinuans ei dedisse vicem suam in Concilio Cyrillo per Epistolam suam.* Et rursus: *Concilio euocato ducentorum Episcoporum Nestorium vocauerunt. At ille venire noluit, differens vsque ad præsentiam Ioannis Antiocheni.* Quare Sanctus Prosper in Chron. ait *Nestorio præcipuè restitisse Cyrilli industriam, & Cælestini authoritatem*, sine dubio illam, quā per Epistolam multò antè quā Legati mitterentur, Pontifex illi delegauerat. Verba autē Cælestini vices suas Cyrillo demandantis sunt; *Quamobrem,* inquit, *nostræ sedis authoritate ascita, nostraque vice & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris, &c.* Certè quàm se esse infra Romanum Episcopum Alexandrinum agnosceret, ex eo quoque clarum fit quod Cyrillus Nestorium ob violatam matris Dei Mariæ dignitatem æterno anathemate dignum, nonnisi ex præscripto Cælestini damnarit, ac sacris ei interdixerit; *Nisi,* inquit, *iuxta tempus in literis Cælestini sacratissimi reuerendissimique fratris, & comministri nostri Romanorum Episcopi expressum præfinitumque præstiteris, certò scias nullam tibi deinceps cum Episcopis & Sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique inter eos*

Hiero. adu. Ruff. Apol. 3.
Euag. l. 1. c. 4.
Κυρίλλου τοῦ θεσπεσίου διέποντος, καὶ τὸν Κελεστίνου τόπον τῆς ἐπισκοπῆς, ὡς εἴρηται, τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης προεστῶτος.
Liberat. c. 5
Prosp. in Chron.
Ep. Cælest. ad Cyrill.
Conc. Eph. p. 1. exemp. ep. Cyrilli Episcopi ad Nest. ep. 26

locum futurum esse. At, inquit Spalatensis, *ineptè comparatur Episcopus Romanus cum Legato Romani Pontificis*: vtique si de potestate & authoritate instituatur comparatio; secùs verò si studium, ac zelus fidei in ea comparatione spectetur. Certè haud soli Patriarchæ, sed etiam inferioris ordinis Episcopi, vnà cum illis adeoque cum ipso Pontifice, tanquam eiusdem communionis Catholicæ proceres recensebantur. Etsi igitur in Concilio Constantinopolitano, contra Anthimum celebrato, in libello illo suo simplici postularunt Monachi, vt Leonis Romani nomen in Diptychis prædicaretur, sicut Cyrilli prædicabatur, haudquaquam tamen pares fuisse somniarunt, quod attinet ad authoritatis & potestatis prærogatiuas, sed par in eis fidei robur spectarunt, atque quod vterque eorum religionem Catholicam egregiè propugnasset, hunc non secùs ac illum ornandum duxerunt. Simile est quod ex Hieronymo refert Spalatensis; Magni siquidem Origenis exagitator sic Apologia 2. in Ruffinum hominem impensius Origeni fauentem, ad saniorem mentem reuocare conatur; *Omittamus*, inquit, *hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem feruore quo Origenem olim laudauimus, nunc toto orbe damnemus. Iungamus dextras, animos copulemus, & duos Orientis & Occidentis* σεϑπαιοφόρους, Anastasium Romanum, & Theophilum Alexandrinum intelligit, *alacres sequamur*. Hos enim authoritate pares non facit, sed vtriusque studium in profligandis Origenis erroribus laudat: nisi fortè existimet Spalatensis, idcirco duos σεϑπαιοφόρους dictos Hieronymo, quod illis verbis potestatis æqualitas significetur. Sed ad rem. Theophilus pro ratione loci quo in Oriente potiebatur, egregiam operam nauauit in extirpandis Origenis dogmatibus, remque præstitit Alexandrino Patriarcha dignissimam, quamquam tamen vnus in Oriente rerum non potiebatur, cùm potestatis iisdem in partibus consortem haberet Antiochenum; Sed Anastasius in Origene damnando, caput egit vniuersæ Ecclesiæ, indixitque tum Orienti, tum Occidenti, ne cui liceret hominis à sede Apostolica damnati, impia dogmata, veluti orco sepulta denuò excitare. Qua de re præclarè Hieronymus ipse ad Demetriadem; *Dum esses paruula*, inquit, *& sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæua tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est polluere & labefactare conata est: sed vir ditissimæ paupertatis & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora cōpescuit*. Certè ea ipsa Epistola, qua molliùs ac leniùs cum Origenistis agentem arguit Theophilum, hæc habet; *Scito nobis nihil esse antiquius*, inquit, *quàm Christi iura seruare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam; cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur*. Quibus verbis sedem Romanam Alexandrinæ præfert, qua itidem ratione quòd in Oriente perfecerat Theophilus, à sede Apostolica confirmari summoperè cuperet. *Prædicationem*, inquit, *Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet*. Quod verò Gregorius Pontifici Romano pares non habuerit reliquos Patriarchas, patet ex Epistola ad Ioannem Constantinopolitanum, Oecumenici, seu vniuersalis titulum nimio fastu sibi arrogantem; Sic enim ad eum; *Qui indignum te esse fatebaris*, inquit, *vt Episcopus dici potuisses: ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta trans-*

Orig Apol. 2. in Ruffin.

Hieron. ad Demet. ep. 8. l. 2.

Id. to. 2. ep. 68.

Id. ep. 78.

Greg. Mag. l. 4. ind. 13. ep. 38. c. 82.

missa sunt. In quibus Synodi quæ apud vos de fratris quondam, & Consacerdotis nostri Gregorij causa congregata est; propter nefandum electionis vocabulum, acta dissoluit; & Archidiaconum quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat; Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. Post eius verò obitum cùm indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum: & ante per alios responsales meos: & nunc per communem filium meum Sabinianum Diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt à tali se præsumptione compesceret; non equidem scripto, sed nudo sermone curaui. Et si emendari nollet; eum Missarum solemnia cum fraternitate vestra celebrare prohibui; vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentia pulsarem: quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecundè non posset, tunc ad ea debuisset quæ sunt districta atque canonica perueniri.

Spalat. Num.34. Sed subit mirari, quî in mentem venerit Spalatensi, vt Gregorium acerrimum dignitatis Pontificiæ vindicem, testem proferret creditæ olim inter Patriarchas æqualitatis; *Et quis*, inquit, *melius atque ardentius puritatem hanc inter Patriarchas defendit, quàm Gregorius Patriarcha Romanus? Is non potest ferre,* Greg.l.4. ind.13.ep. 30. *vt Constantinopolitanus se Patriarcham vniuersalem vocet: Quia si vnus, inquit, Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Excitatque Alexandrinum & Antiochenum, vt cum ipso resistant, & simul proprium honorem tueantur: ne vnus supra cæteros elatus, cæteris Patriarchatum eripiat. Cernebat enim Patriarcham non posse esse illum qui supra se alium Patriarcham haberet: & consequenter vnumquemque Patriarcham esse in sua regione ita supremum, vt nulli prorsus Episcopo cuiuscunque tituli & eminentiæ subiaceat. Rursumque ad Alexandrinum scribens paritatem hanc, vel maximè profitetur.* Id.l.5.ind. 14.ep.60. *Est aliquid, inquit, quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, & in eius amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Quid verò hoc? An primatus supra ipsam, & dominium vniuersale? Nam sicut omnibus, inquit, liquet, quia B. Euangelista Marcus à S. Petro Apostolo Magistro suo Alexandriam sit transmissus, huius nos Magistri & Discipuli vnitate constringimur, vt & ego sedi Discipuli præsidere videar propter Magistrum, & vos sedi Magistri propter Discipulum, &c.* Primùm vt hominem totum obruamus testimoniis Gregorij, lubet selectiora quædam proferre, quibus eius vanitas retundatur. Si pares omnino existimauit Patriarchas, nec Pontifice inferiores, quorsum igitur Epistola ad Ioannem Syracusarum Antistitem, Ecclesiæ Romanæ in Ecclesiam Constantinopolitanam potestatem tantoperè extollit, & prædicat? Greg.l.7. ind.2.ep.63 *Quis dubitet*, inquit, *eam* (de Ecclesia Constantinopolitana loquitur) *sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus, assiduè profitentur. Tamen si quid boni, vel ipsa, vel altera Ecclesia habet; ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bonis imitari paratus sum.* Quorsum eam caput fidei facit? Id.l.11. ind. 6.ep.42. *Apostolicæ sedis grata beneuolentia prouocati*, inquit, *fraternitati tuæ quam Panormitanæ Ecclesiæ speculatoris constat suscepisse officium, Pallij vsum præuidimus concedendum; illis videlicet temporibus, atque eo ordine, vt alios quoque in Insula Siciliæ Sacerdotes, vel decessores tuos esse vsos non ambigis. Illud autem admonemus, vt Apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status mẽbrorum integer manet; si* CAPVT FIDEI *nulla pulset iniuria, & canonum manet incolumis, atque intemerata semper authoritas; vt sicut à nobis huiuscemodi decoris vsum ad Sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita*

etiam

etiam morum atque actuum probitate susceptum adornare contendas officium. Quorsum suæ censuræ subiectos alios Patriarchas, significat Epistola ad Natalem Salonitanum Episcopum; *Quod si quilibet,* inquit, *ex quatuor Patriarchis fecisset,* Id. l.2. ind. *sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamen post-* 10.ep.37. *quam fraternitas vestra ad suum ordinem rediit, nec ego meæ, nec decessoris mei iniuriæ memor sum.* Et contra Ioannem defensorem euntem ad Hispaniam. *Contra* Id. l.11.ind. *hæc,* inquit, *si dictum fuerit, quod nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham; di-* 6.ep.54. *cendum est quia à sede Apostolica (quæ omnium Ecclesiarum caput est) causa audienda, ac dirimenda fuerat; sicut & prædictus Episcopus petiisse dignoscitur, qui Episcopos alieni Concilij habuit omnino suspectos.* Possem & alia proferre, quibus luce meridiana clarius fit, non solùm hanc sibi tribuisse supra reliquos Patriarchas potestatem, sed & ea vbi res postularet vsum fuisse, nec semel Constantinopolitani sententiam, ac iudicium retractasse, ac rescidisse; Sic Epist. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum; *Nos itaque facto Concilio,* inquit, *(sicut ge-* Id.l.5.ind. *storum apud nos habitorum tenor ostendit) cuncta quæ erant necessaria subtiliter* 14.ep.15. *perscrutantes, ac tractantes; quoniam in nullo antedictum Presbyterum, reum inuenire potuimus, præcipuè quia libellus quem delegatis à vobis iudicibus obtulit; rectæ fidei per omnia sinceritati concordat, ea propter eorumdem iudicium reprobantes sententiam, nostra eum definitione Catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri, misericordia & gratia reuelante denunciamus.* Item Epistola Mariano Episcopo Rauennæ. *Nunquid non ipse nosti,* inquit, *quia* Id.ep.24. *in causa quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem, & Coepiscopum nostrum orta est; secundum Canones ad sedem Apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa ciuitate vbi Princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est; quanto magis negotium quod contra vos est, hîc est veritate cognita terminandũ.* Insuper Epist. ad Athanasium Presbyterũ de Isauria. *Atque ideo,* inquit, *dum tibi Athanasio Presbytero Monasterij sancti mile, cui* Id.ep.64. *est vocabulum Tannaco, quod in Lycaonia est Prouincia constitutum; contraria integræ fidei fuisset orta suspicio, & professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad Apostolicam sedem cui præsidemus, elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum aliqua iniustè, ac violenter fecisse. At,* inquit Spalatensis; *Is non po-* Spalat. *test ferre, vt Constantinopolitanus se Patriarcham vniuersalem vocet; Quia si vnus,* Num.34. *inquit, Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur: Ex-* Greg.l.4. ind.13.ep.36 *citatque Alexandrinum & Antiochenum, vt cum ipso resistant, & simul proprium honorem tueantur, ne vnus supra cæteros elatus cæteris Patriarchatum eripiat.* Respondeo omnino apparere ex locis à nobis allatis, Gregorium neutiquam potestatem Pontificis Romani suprà reliquos, aut afflixisse, aut damnasse, quippe quam ipse exercere non dubitarit, ac factis ostendere, sed in titulo *Episcopi vniuersalis* aliud subodoratus est, quàm quod præcepit Spalatensis; Cùm enim *vniuersalis Episcopus,* si vis nominis spectetur, eum significet qui solus sit Episcopus, cuius proinde reliqui nonnisi Vicarij haberi possint, huiusmodi titulum non solùm in Constantinopolitano Antistite damnauit, sed vt eius ambitionem omnino frangeret, etiam à se ablegauit, vt nec ipse Romanus Pontifex *vniuersalis* diceretur, quamquam enim etiam *vniuersalis Episcopus* fuso vocabulo, & metaphoricωs sumpto, is censeri potest, qui omnium Episcoporum caput est, quo sensu agnoscit Gregorius delatum Pontifici Romano in Concilio Chalcedonensi, Oecumenici ac *vniuersalis* Episcopi titulum; tamen quod periculum

esset, ne pro sua illa proteruitate ac lasciuia, Constantinopolitani Antistites nominis homonymia abuterentur, totos neruos intendit, ac omnem lapidem mouit, vt hæc ei opprimendarum Ecclesiarum Dei, ac intolerandæ Tyrannidis, inducendæ ac stabiliendæ, quæ omnes Antistites sua dignitate spoliaret, via præcluderetur. Hoc verò sensu Oecumenici, aut *vniuersalis* nomen damnasse Gregorium intorta, in Constantinopolitanum vsurpatorem iacula satis produnt:

Id. l. 4. ind. 13. ep. 36. Sic enim Epist. ad Sebastianum Episcopum Serimensem ait; *Si vnus*, inquit, *Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere, ex quantulacumque parte videatur. Cùm ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quàm ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra, in suis Epistolis neminem vnquam vniuersalem nominet; ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert in-*

Ib. ep. 69. *debitum.* Ac rursus Epistola ad Eusebium Thessalonicensem. *Si vnus*, inquit, *(vt putat) vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis: Præterea peruenit ad nos: quod fraternitas vestra ad vrbem Constantinopolim sit conuocata.* Igitur omnibus locis à Spalatensi citatis hoc sibi vult Gregorius, nullum Episcopum censeri debere vniuersalem, prærepto veri Episcopi titulo, reliquis collegis, sed proinde non negat esse inter veri nominis Episcopos vnum summum, ad quem totius Ecclesiæ cura, ac sollicitudo pertineat. Itaque discrimen ille ponit inter principem esse Episcoporum, & vniuersalem esse Episcopum, atque Principatum quidem vnius agnoscit, *vniuersalitatem* verò damnat, ac execratur. Sic enim Epistola ad Mauricium Augustum de Ioanne Episcopo Constantinopolitano scri-

Id. l. 4. ind. 13. ep. 32. bit: *Cura ei* (Petro) *totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus Consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ac dicere; O tempora, ô mores, &c.* Et infrà. *Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisque arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur; dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consensit; nedum priuatum aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo quod nos huius vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus; & alter sibi hanc arripere, etiam non oblatam præsumit?* Vitiosè autem, ex eo quod Gregorius sedium Patriarchalium vnitatem commendet, propter vnum Petrum, quem authorem habeant suæ dignitatis, argumentatur Spalatensis; *proinde parem esse omnium potestatem*, hoc enim est ab eo quod *quadamtenus* dicitur, ad id quod *simpliciter*, est argumentari, nam quod illæ sedes vnum habeant authorem, vnitatem simpliciter inter illas non inducit, quippe inter etiam eiusdem causæ effectus intercedere potest *discrimen essentiale*, quo vnum dici prohibeantur. Itaque licet quidem sic argumentari; Sedes Alexandrina, Antiochena, & Romana, vnum habent authorem, & fundatorem Petrum; ergo quadamtenus (secundum quid dicunt) vnicum sunt; sed sic argumentari non licet, habent vnum authorem, er-

Inno. ep. 18. ad Alexand. Episcop. go simpliciter vnum sunt. Discrimen agnoscit Innocentius de Antiochena sede loquens; *Reuoluentes itaque*, inquit, *authoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna om-*

nium

nium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Prouinciam recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quàm quod prima primi Apostoli sedes esse mõstretur, vbi & nomen accepit religio Christiana, & quæ conuẽtum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in trãsitu meruit, ista susceptũ apud se, consummatũque gaudet. Amplificat verò Leo Romam alloquens, ac beneficia à summis Apostolis Petro & Paulo in eã collata recensens; *Isti sunt qui te ad hãc gloriam prouexerunt*, inquit, *vt gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra marique protuleris; minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.* Addo verò Gregorium virum modestissimũ, qui etiam omnes Sacerdotes, *Dominos suos* vocaret præ summa humilitate ad aliorum etiam pedes se abiecisse, atque ad vocem Imperij sibi tributi exhorruisse, non quod magistratum suum imminutum vellet, sed quod Christi Pontificibus pluris faciendam esse animi moderationem, quam v[illegible] typhum sæculi iudicaret. Hæc certè legitimum imperium non tollunt, sed ab omni tyrannidis fastu animos Pontificum auocant. Expendamus sequentia.

Leo Pap. Serm. 1. in nat. Apost. Pet. & Pau.

Greg. l. 7. ind. 1. ep. 30

Quid, addit Spalatensis, *si aliquis Patriarcharum, inquies, erret, à quo corrigetur, si omnes inter se pares sunt? Respondeo ita esse pares, vt tamen errantes à non errantibus corripi debeant, nam solo iure humano supra alios Episcopos eminent; iure verò diuino, non modò Patriarcha Patriarcham; sed quilibet Episcopus, quemlibet etiam Patriarcham, corripere potest, & debet, vt iam exposui: ac potissimùm Synodus propria & corripere potest; & etiam deponere Patriarcham, vt ostendam lib. 8. Interim tamen decentissimum visum est Ecclesiæ, vt Patriarcha errans ab alio Patriarcha corripiatur. Theodori Studitæ dictum est; vt si aberret vnus è Patriarchis, à cæteris eiusdem ordinis, inquit, quemadmodum diuinus Dionysius tradit, correctionem admittat. Non enim in Ecclesia exactæ sunt more sæculari iurisdictiones; sed omnes Ecclesiæ Rectores vnicum constituunt (vt iam sæpius est à me declaratum in præcedentibus) corpus Sacerdotum: in quo corpore singula membra de altero membro sunt sollicita; Ita vt non modò manus, & pedes seruiant capiti; sed etiam caput, & oculi pedi vel manui seruiant ægrotanti: quamuis inter Episcopos, nonnisi iure humano alij sint alijs eminentiores: nam iure diuino omnes æquè sunt, siue oculi, siue manus, vt vis, ministerijs à Christo applicati: vt lib. 1. cap. 1. nu. 4. explicaui.* Si olim Alexandrinis tam prudens Consiliarius contigisset, magna se itinerum molestia liberassent, nec cùm apud eos sui Patriarchæ Dionysij nutaret fides, eius accusandi causa Romam profecti fuissent, cùm præsto illis esset Antiochenus Antistites, (is erat Fabius vir orthodoxus) ad cuius eum tribunal deducerent. *Et tamen*, inquit Athanasius, *Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulem accusauerunt.* Fabulæ igitur sunt, quas aggerit Spalat. Veteri certè cõsuetudine receptum fuit, vt ad Pontificem Romanum aliorum Patriarcharum causæ deferrentur. Testatur imprimis Iulius in causa Alexandrini; sic enim pro Athanasio Alexandrino Episcopo ad Orientales; *Episcopi erant*, inquit, *& non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandria ciuitate, nihil nobis scribere voluistis? An*

SPALAT. Num 35.

Apud Baro. to. 9. an. 813 nu. 15.

Athan. de sent. Dion. cont. Aria. Ἀνῆλθον πρὸς τὴν Ῥώμην καὶ κατηγόρησαν αὐτοῦ, παρὰ τῷ ὁμωνύμῳ αὐτοῦ Διονυσίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης.

Iulius apud Ath. Apol. 2 Ἠγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ

οὕτως ἔθος ἦν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια· εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἦν ὑποπτευθὲν εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὴν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι. &c.

ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri posset? Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum cõcepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Quod attinet ad Antiochenam sedem, omnino apparet ex Concilio Ephesino eam sedi Apostolicæ semper paruisse; sic enim Iuuenalis Solymorum Episcopus, aduersus Ioannem Episcopum Antiochenum, ad celeberrimum Patrum conuentum præfatur; *Oportebat quidem*, inquit, *Ioannem reuerendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sancta, & magna, & Oecumenica Synodo considerata, confestim accurrere, vt de ijs quæ illi obijciuntur, se purgaret, & ad Apostolicam sedem magnæ Romæ nobiscum considentem, & obedientiam ac honorem deferre Apostolico sanctæ Dei Ecclesiæ, apud quem maximè mos est ex Apostolico ordine & traditione, vt ipsa sedes Antiochena dirigatur, & apud eum iudicetur.* De Constantinopolitana sede dubitare nos non sinunt Imperatores; sic enim Valentinianus in Epist. præambul. Conc. Chalcedonensis; *Debemus*, inquit, *cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare; quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare, Domine sanctissime Pater, & Venerabilis Imperator. Huius enim rei gratia secundum solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus, eum per libellos appellauit, propter contentionem quæ orta est de Fide.* De omnibus in vniuersum sic pronunciant illi ipsi Imperatores: *Certum est, & nobis*, inquiunt, *& imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore, ad quem promerendum præcipuè Christiana fides, & veneranda nobis religio suffragatur. Cùm igitur sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitatis ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem sedis istius inlicitum præsumere nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas.* Sed hæc alio loco fusiùs expendentur.

Conc. Eph. par. 2. act. 4

Παρ' ᾧ μάλιστα ἔθος αὐτὸν τὸν Ἀντιοχέων θρόνον κατὰ ἀποστολικὴν ἀκολουθίαν, καὶ παράδοσιν, ἰθύνεσθαι, καὶ παρ' αὐτῷ δικάζεσθαι.

In Epist. præambul. ep. 25.

Ὦ τὴν ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέσχε χώραν, καὶ εὐπορίαν ἔχειν περὶ τῆς πίστεως, καὶ ἱερέων κρίνειν, δέσποτα ἁγιώτατε πάτερ, καὶ σεβάσμιε βασιλεῦ. τούτου γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων, καὶ ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπεκαλέσατο διὰ λιβέλλου, ἕνεκα τῆς ἀνακυψάσης φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως.

Imp. Theo. & Valent. tit. 24.

Quod verò ex Studita affert Spalatensis, de correctione fraterna omnino intelligendum est, & falsum falsissimum est, quod scribit Spalatensis, posse *via iuris*, vt loquuntur, à quouis Episcopo corripi, & etiam deponi Patriarcham. Audi Chrysostomum aduersum etiam Patriarcham Alexandrinum, & Ægypti Episcopos suam causam agentem. *Neque enim congruum est*, inquit, *vt hi qui in Ægypto sunt, iudicent eos qui in Thracia, & præsertim ille, qui ipse reus est, inimicus & hostis. Cùm autem contestaremur, paratos nos ad diluendum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam coram centum & mille Episcopis non assensit: sed licet absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & iudicium inquireremus: & non adiutorium, sed manifestas inimicitias fugeremus: ipse tamen accusatores suscepit, meos excommunicauit, & de illis qui nondum se de suis purgauerant criminibus, libellos collegit: quæ omnia legibus, & Canonibus prohibita sunt.* Ita & Hieronymus: *Tu*, inquit, *qui regulas quæris Ecclesiasticas; & Niceni Concilij Canonibus vteris ad alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris vsurpare; Responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, vt Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras; cui spreta communione tua, communicare nos noueras, aut si procul expetendum iudicium erat Antiochiam potius literæ dirigendæ. Sed noui*

In Epist. Chrysost. Inno. Episc.

Hier. ep. 61. ad Pamma. adu. erro. Ioan. Hier.

cur

cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid fugeres, quid vitares. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere. Abſtinuit propterea à Neſtorio damnando initio Cyrillus, nec niſi facultate ſibi à Cæleſtino Romano Pontifice facta in eum animaduertit. *En ipſo præſidente*, inquit, *ne dicam interea ab ipſo ſententiam proferente, anathemate ferimur. Neque enim Dorotheus, præter ſententiã Neſtorij hæc in Eccleſia dixiſſet. Cùm ergo nos ipſi, qui etiamnum in vita manemus, cæterique terrarum orbis Epiſcopi, tum Patres quoque noſtri, qui hinc iam olim ad Deum profecti ſunt, anathemate ab illo percuſſi ſimus: quid vetabat, & nos quoque vocibus illius contraria ſcribere, ac dicere, Anathema ſi quis Mariam Deiparam eſſe negauerit? Verùm id hactenus propter illum facere nolui, ne ſint qui Epiſcopum Alexandrinum, Ægyptiamve Synodum anathematis ſententiam in Neſtorium tuliſſe dicant.* Et alia Epiſtola; *Quoniam Deus*, inquit, *hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt eiuſmodi res ſanctitati tuæ communicentur, non poſſunt equidem quod apertum eſt (nempe Satanam, peſſimam illam infrænemque beſtiam, quæ ab impietatis ſtudio nunquam deſiſtit, in præſentia omnia miſcere, contraque Dei Eccleſias magna vi inſanire, necnon in omnium vbique populorum, qui in rectæ fidei ſemita ambulabant, ſubuerſionem ſtudioſè eniti) ad pietatem tuam non perſcribere.* Et rurſus: *Qui itaque verbi miniſterium*, inquit, *fideique cuſtodiam, quaſi depoſitam ſuſcipimus, quid in die iudicij dicturi ſumus, ſi nunc contra iſthæc obticuerimus? At quamuis res ita ſe habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus.* Ipſe Cæleſtinus ad Cyrillum: *Quamobrem*, inquit, *noſtræ ſedis authoritate adſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris; nempe, vt niſi decem dierum interuallo ab huius noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & tuæ ſanctitatis Eccleſia, & vniuerſa deniq; religio Chriſtiana prædicat, illico ſanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat.* Itaque quod aliquando Patriarchæ Patriarchas commonuerunt, ab errore in viam etiam reduxerũt, charitatis officium non poteſtatis indicium fuit, niſi cùm ſummus Pontifex Patriarcharũ, vt loquitur Studita, caput, in aliquem animaduertit: Quod verò addit Spalatenſis, *inter Epiſcopos nonniſi iure humano eſſe alios alijs èminentiores*, eſt centies à nobis refutatum. Perſtat ergo & perdurat in Occidente antiqua conſuetudo, & more veteri in vno Pontifice poſitum eſt perfugium Epiſcoporum, qui tamen ſolus de rebus ſummi ponderis non ſtatuit, ſed in Concilium adhibet doctiſſimos quoſque, & probatiſſimos ex purpuratorum Patrum Illuſtriſſimo collegio, vt proinde immeritò eiulans, & mœrens de rerum in Occidente ſtatu conqueratur Spalatenſis: Manet tamen alta mente repoſtum, illius ſanctæ ſedis iudicium.

Epiſt. Cyr. ca. 10. in Conc. Eph. part. 1.

Ἀλλ' οὐ πεπίστευται, ... (Greek marginal text) &c.

Id. Cyr. alia ep. c. 14.

Ibid.

Τά μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη ... &c.

Ibid.

In ead. ep.

Οἱ τοίνυν ... &c.

Ep. Cæleſt. PP. ad Cyr. c. 15.

Συναφθείσης ... &c.

Vt autem imperitis fucum faciat, præſidium à ſui ſimilibus, refractariis ſcilicet, ac petulantibus Antiſtitibus petit; *Contigit aliquando*, inquit, *vt Colonienſis, & Treuirenſis Archiepiſcopi, nimium à Papa oppreſſi, quantum in ipſis fuit, ei in faciem reſtiterint; & vt ſe melius ab iniurijs tuerentur, ad Conſtantinopolitanum, & ad reliquos Orientis Patriarchas, per literas cõfugerint. Rem narrat vetus Chronicon Francorum à Pithæo editum. Cùm enim duo Primates cum pluribus alijs Epiſcopis in Metenſi Synodo, Lothario Regi, iuſtis de cauſis, veriſne an fictis? In matrimonij vnius ſolutionem, & alterius contractionem conſenſiſſent; fuerunt à Papa Ni-*

SPALAT. Num. 35.

SPALAT. Num. 36.

Apud Baro. tom. 10. an. 863. nu. 31. & seqq.

colao I. excõmunicati: & iudicio præcipiti, etiam depositi. Insurrexerunt illi primùm in Papam illis verbis, Nicolao Pontifici, Guntharius atque Teutgaudus (hi erant Coloniensis & Treuirensis Episcopi) Patres Episcopi, & Fratres Coepiscopi ad te nos direxerunt, & nos sponte iuimus, consulere videlicet expleta generali legatione tuum Magisterium, super his specialiter quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adijcientibus notũ esse potuit iudicauimus, authoritates rationesque quas secuti fuimus scriptis ostendentes: vt tua sapientia perscrutatis omnibus, quid inde sentires, & quid velles, nobis paterno demonstrares affectu, nosque fraterna charitate procurares: Et si melius illud tua sanctitas inueniret, vt nos instrueres & doceres suppliciter obsecrauimus: parati quicquid rectius & probabilius esset libenter amplecti. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectãtes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ, nobis expressisti. Tantum quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere, & innocentes, iuxta assertiones nostri libelli. Ad vltimum autem nos euocati, ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil aduersitatis suspicantes. Ibique obseratis ostijs, facta, more latrocinali, conspiratione; ex Clericis & Laïcis turba collecta, & permixta, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris Clericis & Laïcis separatos: atque sine Synodo, atque sine Canonico *examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente; vel authoritate, vel probatione conuincente, absque nostri oris confessione, absentibus alijs Metropolitanis, & Diœcesanis, & Episcopis, &* Compatribus *nostris: extra omnium omnino consensum tui solius arbitrio, & tyrannico furore, nosmet damnare voluisti; subitò quadam sibi chartula & improuisè porrecta, lectoris officium assumens, aßistente lateri tuo Anastasio olim Presbytero, ambitus damnato, & deposito, & anathematizato; cuius scelerato ministerio, tuus præcipitatur furor. Ergo tuam prauam sentẽtiam à zelo rectitudinis alienam, iniustam, & irrationabilem, canonicis regulis contrariam, nequaquam recipimus. Imo cũ omni ritu fraterno, quasi nefas, atque maledictum frustra prolatum, contemnimus atque abijcimus: tibique anathematizatorũ, & religionis sacræ abiectorum, & contemptorum fautori, & cõmunicatori, reuera communicare nolumus; contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate; quam tu arroganter te superexaltãs despicis: teque ab ea elationis tumore indignum faciens, segregas. Igitur ex tuæ leuitatis temeritate, propria tibimet sententia, anathematis plagam inflixisti, exclamans: Qui præcepta Apostolica non seruat, anathema sit: quæ multipliciter violare, & violasse dignosceris, Diuinas leges, simul & sacros* Canones *calcans: & quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum vestigia sequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam tuam, & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque Potentatum agnoscimus, nihil tibi, tuæque superbiæ cedimus; quia nos ad vota nostrorum, quibus fauces inimicorum obruere festinabas, sentientes nos non tuos esse, vt retractas & extollis* Clericos; *quos vt Fratres &* Coepiscopos *recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi, nostri ordinis non inscij, nimirum tua improbitate compulsi respondemus; non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati; sed contra tuam iniquitatem, Ecclesiastico zelo accensi; nec nostræ vtilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.* Hæc sunt veneni plena, sed antidotum parauerat Baronius, in quem phrenetici instar insurgit Spalatensis ostenderat: Illustrissimus Cardinalis, infames ac sceleratos Episcopos furoris oestro percitos, *ea molitos quæ vix ac ne vix quidem, vt eadem perpetrarent in animum induxissent ipsi Iudæi, Pagani, Hæretici, Schismatici diri Christiani nominis hostes.*

Excipit

Excipit verò; *Non oportuisse iusto dolori causam præbuisse Pontificem*, quem propterea tyrannidis postulat, & neglecti in vexandis collegis pudoris; Quis ad hæc non obstupescat? Audiamus igitur illius sæculi Scriptores, qui totam tragœdiam diligentissimè & accuratissimè concinnarunt: Anastasius quidem de ea re sic scribit; *Lotharius Rex, relicta Theutberga Regina, & Vvaldrada concubina in matrimonium sumpta, licet carnaliter super his Romanam sedem eundemque pium consuluisset Pontificem, in putredine luxuriæ carnisque petulantia voluebatur. Cumque hoc summus Pontifex malum qualiter ab Ecclesia Dei depelleret, ne alios huius morbi peste Rex ille pollueret, intra se cogitaret, diutissimè cœpit affligi, & intimo corde dolens, valde super istis gemebat erroribus. Præsertim cùm Theutgandum Treuerensem, & Guntherum Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopos, cum Haganone Bergomensi & cæteris Episcopis, talem eidem Regi authoritatem dedisse audierit, vt Theutbergam liberius posset reijcere, & Vvaldradam concubinam in matrimonium legitimè copulare. Et quos debuerat ante Dominum adiutores habere atque ductores, ipsos habere, Præsul beatissimus compererat hanc dando pro authoritate perpetuo igni, traditores. Vnde sine mora continuò missos suos in Franciam destinauit, præcipiens & monens, vt in Metensium vrbe aggregato Synodali conuentu requirerent, cur idem Rex Theutbergam reijceret, aut Vvaldradam sibi in coniugium copularet quo requisito & inuento legitimum finem imponerent. Sed peruenientes illuc sedis Apostolicæ Legati, scrutari cœperunt huiuscemodi causam, id ab Lothario inter cætera audierunt. Quicquid ego feci, istorum Episcoporum consilio vsus feci. Erant autem hi præcipui prædicti Theutgandus, & Guntherius Archiepiscopi, quos authores in tanto scelere sanctus iam Papa compererat, astruentes & dicentes legitimum illud fuisse connubium, quod de Vvaldrada concubina Rex construxit Lotharius, & quæ dicebant, coram Domino eximio Papa venientes, se defendere posse spondebant. Cumque Legati Apostolicæ sedis, licet in multis seducti Romam iter regrediendo reflecterent, quæ à Rege, ac à Theutgando & Gunthario Archiepiscopis audierant, & cognouerant summo retulerunt Pontifici. Pijssimus autem Præsul aduentum Archiepiscoporum dum præstolaretur ipsorum, ecce superna dirigente clementia idem Theutgandus, & Guntharius Archiepiscopi Romanam vrbem adeuntes, vestigijs huius Præsules se sacris præsentari petierunt. Quibus benignè Præsule à præstantissimo susceptis libellum ei obtulerunt dicentes, se nihil plus vel minus egisse, nisi sicut libellus ipse cantabat. Quo diligentissimè scrutato, non pauca in eo reperta sunt, profani, & multi inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ Episcopalem excedentes ordinem, ipsos sicut phreneticos ligauerunt Archiepiscopos. Denique conuocata Synodo in Lateranensi post hæc Palatio sub Apostolis, inuenti sunt ijdem, vt dictum est Archiepiscopi, vnde damnationis notam incurrerent. Præcipuè quia Auctores se tanti diuortij fuisse clamabant, & sententiam (quam in Ingiltrudin vxorem Bosonis Papa tulerat, quæ eundem virum suum Bosonem, per septenne tempus reliquerat, atque excommucata etiam & à summæ sedis Pio Papa legata, & anathematizata extiterat, & ad eum reuerti curauerant communicantes, ac conuersantes cum ea, imo loquentes) dissoluisse se non negabant, sed altisonè publicabant, & Epistol. Pij Pontificis, sicut in illis malè compositis gestis in scrinio huius sedis repositis declaratur, ad libitum falsauerãt. Tunc iudicante, & eodem sancto Præsule cum Synodo decernente, Sacerdotali honore priuati sunt. Et depositionis censuram meritò incurrerunt. In hac quidem Synodo benignus Presul Metensem Synodũ, vbi gesta illa contra voluntatẽ Dei, & suam digesta fuerãt, illico cassauit, & quædam necessaria in sancta Ecclesia capitula promulgauit.*

Spalat. Num. 37.

Anast. in vita Nico. 1.

His ita peractis vnà cū iam dicto Haganone Episcopo, qui, sicut quidam Episcoporum eidem Coangelico Præsuli scribebant, ob sermones imperitos, qui in prænominatis profanis gestis à Theutgādo, & Gunthario oblatis sonabāt, Heliu nominatus est, eo quod ipse Hagano auctor illorum præfuerit, & talia cum eisdem Archiepiscopis inconuenientibus mendacibusque loquelis cōposuerit, Ioanne de cuius superiùs memoria textus eloquitur, ascito Archiepiscopo cū Gregorio germano fratre illius, qui multarum præuaricationum iuramenti, quod præstauerant, obliti, obnoxij habebantur: ijdem depositi pœnitentiæ lamēta non requirentes, & tantum facinus, quod in vxorem Lotharij Regis gesserant, adhuc non condolentes, cum eisdem Haganone scilicet & Ioanne Rauennate Episcopo, atque Gregorio fratre eius, contra sedem Romanam, immo specialiter contra summum Pontificem, & populum illi subditum, & à Domino Iesu Christo per beatum Petrum Apostolum regnique cælorum clauigerum commendatum, multa nefanda, multa contraria, multaque sacrilega, & Christianitatis modum excedentia palam, & clam fraudulenter atque procaciter operari cœperunt, ita vt eorum nequitia montes transiret, & maria. Et in cælum os suum ponentes populum Domini crudeliter discerperent, & innocentes animas viperea factione deciperent. Et quibus non sufficiebant mala præterita, noua & inaudita alia deteriora prioribus, diabolo suadente facere non recusabant. Quia & quod sigillatim vtrisque prohibitum, & Synodicè secundum qualitatem sceleris interdictum fuerat, audacter contingere præsumpserunt, & quæ tentanda nemini, Deo contempto, eheu prô dolor, peregerunt. Hæc Anastasius. *Lotharius*, inquit Rhegino, *Rex cœpit occasiones quærere, qualiter Thietbergam reginam à suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter Vvaldradam, quæ eius fuerat concubina, cùm adhuc adolescens esset in domo paterna: hanc siquidem, diabolo inflammante, nimio diligebat amore. Guntherium itaque Coloniensis vrbis Pontificem, qui eo tempore erat Archicapellanus, Rex primò per subintroductos missos, deinde per semetipsum super huiuscemodi dissidio omni arte aggreditur, & vt facilius assensum præberet, promisit se eiusdem Episcopi neptem in matrimonium accepturum, tantùm vt prædictam Thietbergam, eius aliorumque Episcoporum authoritate, & licentia repudiare quacunque ratione potuisset, qui vt erat leuis animo, ac inconsideratus actione, protinus omni intentione, introducitur, vana spe, vt postea claruit, seductus. Rursus idem Guntherius Thietgandum Archiepiscopum Treuirensem, hac de causa alloquitur, sciens esse virum simplicem, nec adeo in diuinis scripturis eruditum, canonicisque sanctionibus exercitatum. Ex vtriusque testamenti paginis quasdem sententias profert, quas aliter quàm Ecclesiastica regula docet edisserens, virum improuidum secum in foueam trahit, cæcus cæco ducatum præstans. Quid plura? Facta sunt omnia quæ huic commento videbantur esse necessaria. Concilium Metis conuocat, Reginam quasi canonicè euocatam in medio statuunt, testes producunt vnà cum scriptis, qui valde grauia crimina imponebant: Inter alia protestati sunt, quod eadem Thietberga confessa fuisset semetipsam fratris germani incestuoso concubitu esse pollutam. Continuò statuta Patrum de incestuosis recitantur, & non solùm à legitimo viro separatur, verùm etiam omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia iuxta modum culpæ indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata voluntas regis adimpletur. Non multò pòst interiecto tempore iterum conuentum Synodalem Aquisgrani coadunant, vbi Rex libellum suæ proclamationis obtulit: vbi continebatur qualiter in quadam fœmina Thietberga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus: imò non mediocriter repetiuit, quod iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset.*

Rheg. l. 2. ad an. 864.

Quæ

Quæ si esset idonea coniugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non fuisset, nec viuæ vocis confessione publicè condemnata, sponte eam retineret: porrò se incontinentem esse professus est, & sine copula iuuenalis ætatis ardorē ferre non posse. Allatis itaque diuersorum Conciliorum voluminibus, multa de incestuosis replicata sunt. quibus recitatis hanc diffinitiuam sententiam protulerunt: Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam coniugem, neque adeo præparatam esse vxorem, quæ publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso principi nostro pro sua in diuino cultu deuotissima assertione, atque victoriosissima regni tuitione, cui non solùm nos, verùm etiam Canonica authoritas interdixit incestuosum coniugium, legitimū matrimoniū à Deo illi concessum nō denegamus, iuxta indulgentiam dicentis Apostoli; Melius est nubere quàm vri. His ita patratis, VValdrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisque regia aula resultat VValdradam reginam esse. Guntherij Episcopi neptis ad regem accersitur, ac semel, vt aiunt, ab eo constupratur, atque cum cachinno & omnium derisione ad auunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietbergæ reginæ, hæc omnia ad notitiam Nicolai Papæ deferuntur, qui eo tempore Romanæ præsidebat Ecclesiæ. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXV. *missi sunt Hagano & Rodoaldus Apostolicæ Sedis Legati in Galliam, ad discutiendum, vtrum res ita se habet, sicut summo Pontifici nuntiata fuerat. Qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis fauerunt iniquitati quàm æquitati. Tamen ad regem peruenientes, cùm ei declarassent legationis suæ causas, tale responsum ab eo acceperunt: se nihil aliud egisse, nisi quod Episcopi ipsius regni in generali Synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem ijdem Legati consilium Regi, vt Episcopos qui illi Synodo præfuerant ad Sedem Apostolicam destinaret, qui verbis ac scriptis vniuersali Papæ satisfacerent. Legati immensis ditati opibus, Romam regressi sunt, nuntiaueruntque Præsuli quæ in Galliis viderant, & audierant, adiicientes se nullum sapientem Episcopum in regno Lotharij inuenisse, qui ad liquidum Canonicis esset institutus disciplinis. Interea Thietgandus & Guntherius Archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intentione, vt Regem innoxiū in suprà dicto facto demonstrarent, & se cum cæteris Coēpiscopis Ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decreta: stultitiæ quidē elogio denotandi, qui illam Petri Sedē aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquā falli potuit. Itaque cùm in præsentiā Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebātur gesta Synodalia, quæ in Mediomatrico vrbe & Aquis ab eis gesta fuerant. Qui cùm à notario coram omnibus recitatus esset, interrogauit Pontifex, si hæc scripta verbis confirmarent? Responderunt inconueniens videri, vt quod propriis manibus roborauerant, verbis infirmare vellent. Et sic nec repulsa, nec admissa eorum assertione iussi sunt ire ad hospitia sua, quousque reuocarentur. Paucis interpositis diebus ad Synodum quam Papa congregauerat, sunt accersiti, vbi eorum damnata & anathematizata sunt scripta, & ipsi omnibus adiuuantibus Episcopis, Presbyteris, Diaconis sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati.* Quis igitur non videat dignos omninò fuisse sceleratos istos Antistites, legitimi connubij diremptores, ac scorti defensores, quos plecteret æquissimus harum rerum arbiter Pontifex? Annon apertè & veluti vi facta, Euangelij sanctissimas leges conuellere moliti erant? An erat in hac eorum contumacia, proteruia, ac petulantia, relictus illis aliquis indulgetiæ locus? Nonne non modo conscij & fautores, sed & authores erant detestandi facinoris, quod nisi vindicasset Pontifex, futurum erat, vt in omnium bonorum odia in-

curreret? Certè cùm in Galliis rumor percrebuisset dedisse illum manus, ac regiæ turpitudini consensisse, antistites Galli in quibus Hincmarus toties à Sectariis laudatus, habito Syluanecti Concilio, Synodicam ad Nicolaum acerbissimam scripserunt, quâ ad Palinodiam eum sunt hortati, obnixéque rogarunt, vt sententiam mutaret, & Oecumenicum Concilium indiceret, cuius authoritate inflictum Ecclesiæ vulnus sanaretur: Sed Pontifex factæ sibi iniuriæ impatiens, hæc ad illos rescripsit; *Porrò*, inquit, *quid de Lotharij vxoribus censuerimus, quando & de hoc nostro scripsistis præsulatu, in epistolarum nostrarum, quas per fratres & Coepiscopos nostros Rhodoaldum & Ioannem in Galliam misimus, poteritis exemplaribus reperire: Quæ videlicet exemplaria, vna cum commonitorio, quod præfatis fratribus nostris pro hac eadem causa ad Lotharium Regem missis dedimus, per fratrem & Coëpiscopum nostrum Odonem vestræ sanctitati transmisimus. In quibus patenter animaduertere atque scire potestis, nobis omnino non opus esse, vt sententiam quemadmodum nos hortari voluistis, commutemus. Quoniam diuina fauente gratia, tantum cupimus huiusmodi scelus, secundum creditum nobis cælitus ministerium, ab Ecclesiæ facie radicitùs amputare, vt si hac vice idem Lotharius monitis salubribus ac diffinitionibus nostris, Prælatis, & Epistolis nostris regulariter sibi missis noluerit obedire, nec ad pœnitentiam, competenti satisfactione præmissa, quantocyus repedare, à nobis atque totius Ecclesiæ corpore Canonica atque Apostolica sententia efficietur, vna cum omnibus fautoribus & communicatoribus suis, penitus alienus. Præcipuè quoad eam quam perhibetis die Natalis Domini super adulteros benedictionem, quæ maledictio potius credenda est, petiuisse. Ne verò supplices quod adulteris aliquatenus cesserimus, falsò nos opinentur, non congruè nostri super hoc animi votum omnibus fratribus & Coëpiscopis nostris intimantes, & concionando in Ecclesiis vestris, publicè cunctis id ad liquidum subditis exponite. De vocandis autem ex singulis Prouinciis pro congreganda Synodo Episcopis vnde scripsistis, sciat Sanctitas vestra misisse nos duos à latere in Galliam fratres & Coepiscopos nostros, quorum superius memoriam fecimus, qui Synodum pro examinanda causa Theibergæ, & VValdradæ fœminarum conuocarent, vbi & binos ex vobis Præsules, sicut de aliis regnis adesse præcipimus. Qui nisi antea reuersi fuerint, & quæ egerint, nouerimus, nequaquam de Concilio faciendo aliquid deliberare concitè possumus. Licet postquam à nobis sunt separati, audiuimus Lotharium à sede Apostolica petitum, non expectasse consultum, nimirum quod præuiderat suo detestando minimè pariturum piaculo. Postquàm verò præfati fratres nostri reuersi fuerint, & nobis quæ gesserint, enarrauerint, Legatos idoneos ad Concilium quod petitis conuocandum, mittere ad locum designatum Deo opitulante curabimus.* Vides igitur, vt innocentissimè hanc causam egerit sanctissimus Pontifex, melioribus propterea elogiis ornandus. Sed hîc Classicum canit, ciereque se posse putat Illustrissimos Imperij Electores, vt refractarios illos suos decessores imitati, fræna linguæ laxent, in Pôtificem inuehantur, eius suaue iugum excutiant, & defectionis à Romana Sede aliis quoque authores sint. Et vt quadrigam instruat, Ioannem Rauennatem, & Haganonem Bergomatem duos turbines illius tempestatis aduocat, Deumque precatur *vt suscitet aliquot tales ad suæ Ecclesiæ liberationem & exaltationem*. Sed impias hominis voces non exaudit Deus Optimus Maximus. Contrà instar Iudæ, fit scelerati desertoris *oratio ipsi in peccatum*. Neque vnquam hanc mentem dederit Christianæ pietatis studiosissimis Germaniarum Archipræsulibus, qui pro propenso illo suo studio in Petri Sedem potius sint totum

Nicol. 1. ep. 32.

Psal. 108.

tum sanguinem pro eius dignitate asserenda fusuri, quàm vt ei aliquid suorum iurium decidat passuri. Mordeat igitur quantum volet labra Spalatensis, indignetur, furere ac bacchari pergat, non habet scelesto dicto audientes proceres illos Germanos. At enim profligatissimi nebulones *Cupientes*, inquit Spalatensis, *vt alij Patriarchæ Orientis errorem agnoscerent, & reprehenderent Patriarchæ eorum collegæ in Occidente: Et suas querimonias Synodicè & exemplar harum literarum, quas Nicolao exhibuerant, transmittunt ad Photium Constantinopolitanum, qui partim ipse ab eodem Nicolao ictus, partim his querimoniis duorum maximorum in Germania Archiepiscoporum motus, tractare cœpit cum aliis Orientis Patriarchis, de congreganda Synodo Orientali, ad tot turbas Occidentalis Papæ, sedandas & comprimendas; deditque* Encyclicam, *in qua, quod spectat ad duos prædictos Archiepiscopos hæc habet. Ex partibus enim Italiæ*, addit Spalatensis, *Synodica quædam Epistola ad nos allata est, sexcenta continens mala & delicta, quæ aduersus proprium ipsorũ Episcopum, illi qui Italiam incolunt conqueruntur: sexcentas etiam obtestationes, cũ magna ira Dei comminatione, nobis adhibent; ne ipsos prætermittamus, ita miserè perditos & tanta & adeò graui tyrannidè oppressos: Sacerdotales præterea leges & omnes Ecclesiasticas regulas conculcatas narrant; quæ iamdiu quidem à Monachis & Presbyteris inde aufugientibus, ad omnium aures deuenerunt; inter quos Basilius fuit, & Zosimus & Metrophanes, & cum ipsis alij multi qui huiusmodi tyrannidem deplorabant, & ad Ecclesiarum defensionem nos vocabant multis cum lachrymis. Nunc verò, vt superiùs dixi, diuersæ literæ diuersorum inde venerunt, huiusmodi tragœdiæ sexcentorum malorum plenæ, quarum exempla iuxta eorum preces & obtestationes, (ad vniuersas enim Patriarchales sedes illas dari, cum horrendis obtestationibus nos rogarunt, vt ipsæmet literæ, cùm legentur, manifestum vobis facient) his nostris literis adiecimus; vt de his rebus etiam S. vniuersali Synodo, in Domino congregata, quæ placuerint Deo, communi sententia confirmentur; & magna pax Ecclesiæ Christi restituatur: Nec enim solam vestram Beatitudinem ad hoc aduocamus, verùm etiam ad alias Patriarchales, & Apostolicas sedes, ex quibus quidem alij iam adsunt, alij verò breui affuturi expectantur. Atque hic facto ipso verum esse vides id, quod dictum Studitæ continebat: vt Patriarchæ errantes, ab aliis Patriarchis corripi debeant, moneri, & emendari.* Nimirum inuenerunt suas labra lactucas. Quid enim attinet de Photo dicere? Sæua ille fax fuit, quæ Orientem totum incendit. Turbo præterea ac tempestas pacis Ecclesiæ quam diro, ac ni Deus omen auertat, æternùm duraturo schismate afflixit: Dignum est igitur hoc patella operculum, neque mirum cuiquam esse debet perditorem nominis Episcopalis lasciuientibus & Romano Pontifici insultantibus duobus Occidentis portentis manus porrexisse auxiliatrices; vt negatæ sibi amplissimæ dignitatis iniuriam vel per summum scelus vlcisceretur. Non ergo magis Spalatensem iuuant, quàm olim miseros illos errones iuuerint: siquidem ambo diutissimè exules, vagi & profugi, suisque infulis spoliati, modò huc, modò illuc oberrantes, atrocissimi sceleris pœnas dederunt iustissimas, nisi quod Günthario Treuerensi aliquanto fœliciorem Theutgaudum Coloniensem faciunt, quippe quem furoris pœnituerit, cùm Guntharius crimen ex crimine nectens resipere, ac ad mentis sanitatem redire obstinatissimè detrectarit. Cæterùm vt finem faciamus, ponderandum omninò fuit, ac seriò cogitandum, nec illa duo Episcoporum portenta, nec Ioannem Rauennatem, nec Haganonem de Nicolao conqueri meritò potuisse, quippè quos nec indicta causa, nec

Eod.nu.37.

Spalat. Num. 38. Baron. ibid. nu. 46.

solus,sed coacto Episcoporum Concilio,partibusque auditis, legitimè omnino damnarit. Hæc nimirum forma est iudicij Ecclesiastici, cuius ab initio retinentissimi semper fuerunt Pontifices Romani. Neque verò pluris quàm Farfari folia facimus,quæ ab inuasore Sedis Constantinopolitanæ , reliquisque Orientis prædonibus sunt contrà tentata. Videamus sequentia.

Spalat. Num.38. *Quæret quispiam,* inquit Spalatensis , *num Hierarchia hæc Ecclesiastica ita tandem terminetur in illos quinque* Patriarchas, *vt nulla prorsus sit Ecclesia , præsertim Metropolitana & Primatialis; quæ vni ex his quinque non subsit , iure Patriarchali, Patriarchis? Respondeo posse ex actis potissimùm* Concilij *generalis Ephesini, huius quæsiti peti solutionem; quod Nicani magni tantæque in Ecclesia authoritatis* Concilij *,mentem optimè est assecutum & interpretatum. In Nicano enim habemus, neminem ex Patriarchis,posse in alterius,non modò Patriarchæ, sed ne Metropolitani quidem Prouinciæ,quicquam suæ potestatis exercere : sed vnamquamque Metropolim,etiamsi non sit Patriarchalis, suis debere frui priuilegiis; vt cap.12.infrà explicabo. Si qua igitur Metropolis erat tempore* Concilij *Nicani, in quam nullus Patriarcha ius haberet, ea proculdubio nulli suberit* Patriarchæ *: sed ille Metropolitanus supremus erit absolutè , non minus quàm quilibet Patriarcha. Ita, inquam,*

Acta Conc. Ephes. append. 1. to. 2. c. 4. edit. penult. *Concilium Ephesinum declarauit. Primas enim Constantiensis Cypri de Antiocheno Patriarcha conquestus, quod vellet Cypri Ecclesias, suo Patriarchatui subiicere : cùm probasset Antiochenum nunquam quicquam iuris habuisse in Cypri Ecclesias , liber ab ipso Antiocheno, & consequenter ab omni alio* Patriarcha *declaratus est ; ita vt ipsius ordinationem soli peragerent Cypri Episcopi, ipsius suffraganei. Atque hæc ei libertas inde maximè est confirmata , quod Nicænus Canon vnumquemque Metropolitanum liberum esse velit à* Patriarcharum *oppreßione, qui ad eorum non spectet ordinationem , & extra eorum* Patriarchatum *sit collocatus. Quod igitur de Cypri Ecclesiis in hoc Concilio statutum est, vt nulli subsint Patriarchæ; nisi suo proprio Primati* Ecclesiæ *Constantiensis Episcopi: Idem de cæteris quoque iudicium esse debet , quæcunque olim nulli ex his subfuerint* Patriarchis. *Tales verò erunt Metropoles omnes, quæ neque sunt ex primis magnis trium illarum* Patriarchalium *primarum sedium* Prouinciis *auulsæ : neque earum mißionibus fundatæ : Sic Aethiopicas Ecclesias nulli horum Patriarcharum subiectas inuenio, sed proprio tantùm Patriarchæ: Sic Persidis, sic Indicas, & alias extra Romanum Imperium à viris Apostolicis & Episcopis, priuata eorundem opera, aut priuatorum Episcoporum mißione, Christo acquisitas, erectas & constitutas. Talis fuit aliquando etiam Bulgaria ; vt propterea tam acris, tamque molesta , nec breuis fuerit concertatio inter Romanum pro ipsa , & Constantinopolitanum* Patriarchas. *Cùm enim nuper fidem Christi acceperit, & non ex vllius Patriarchæ mißione, ad neutrum spectare debebat. Quia tamen eguit Episcopis eorum ordinatoribus, iis subiici debuit : siue ij Romani fuerint, siue Græci: de qua consentione aliquid inferius ; & postea aliis locis.* Sed solemne suum seruat, lectoremque fallere pergit. Primùm enim sic de Patriarchis sermonem instituit, quasi in horum numero non esset, qui reliquos dignitate anteiret, & à quo reliquæ Ecclesiæ penderent. Vbi ergo illud Irenæi de Cathedra

Iren. cōtra hær. l. 3. c. 3. Romana; *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique , conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Nullam scilicet Ecclesiam

Cyp. ep. 55. post med. excepit Martyr Irenæus, quæ ad Romanam conuenire non debeat; Vbi quoque illud Cypriani, *Nauigare audēt, & ad Petri Cathedrā atque ad Ecclesiā principalē,*

vnde

vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi & pseudo-Episcopum contra Episcopos factum nunciandi? Aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant; aut si displicet & recedunt, sciunt quò reuertantur. Vbi illud Hieronymi. *Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Vbi illud, *In Ecclesia Romana semper,* inquit Augustinus, *Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Possem sexcenta huiusmodi loca proferre, quibus euincitur omnes omnino Ecclesias, tum in Oriente, tum in Occidente positas, semper Romanum Pontificem caput agnouisse, eique paruisse, & addere possem ex Bernardo, *Orbe exeundum ei qui fortè volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt, non aliquas regiones, sed ipsum debellaturi orbem. Ite in orbem vniuersum, dictum est illis, &c. Ita tu hæres, & orbis hæreditas. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id sobria consideratione pensandum.* Quod verò addit Spalatensis, *ex Concilio Nicæno haberi neminem ex Patriarchis posse in alterius non modò Patriarchæ, sed ne Metropolitani quidem Prouinciæ quicquam suæ potestatis exercere, sed vnamquamque Metropolim, etiamsi non sit Patriarchalis, suis debere frui priuilegiis,* (quænam essent huiusmodi priuilegia, postea expendemus,) id quidem verum est de reliquis Patriarchis, atque etiam de ipso Romano quâ Patriarcha, sed de Pontifice Romano quâ Ecclesiæ & Patriarcharum caput est, falsum falsissimum, absurdum absurdissimum. Namque vt antè est à nobis demonstratum, atque postea vberius ostendetur, semper Romano Pontifici licuit aliis Ecclesiis iura sancire, vt habet Sozomenus; sic enim Alexandrini Dionysium suum Patriarcham ad Dionysij Pontificis tribunal vocarunt. Sic Iulius Athanasio Alexandrino Patriarchæ, Paulo Episcopo Constantinopolis, Asclepæ Gazæ, Marcello Ancyræ vrbis minoris Galatiæ, & Lucio Adrianopolis, diuersorum criminũ insimulatis, & Ecclesiis suis eiectis, Romæ omnium *ciuitatum facilè principis, versantibus suas Ecclesias in Oriente restituit. Ille verò quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad* Episcopos *Orientis liberiùs perscriptis illorum partes tueri studet: In Orientem literas mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicauerant, grauiter reprehenderet.* Sed expendamus Canonem Nicænum, quo se tuebantur Cyprij aduersum Antiochenum Patriarcham. Verba Canonis sunt; *Similiter & apud Antiochenam cæterasque Prouincias, suis priuilegia seruentur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit, Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabiliter & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum.* Sensum igitur Canonis non est assecutus Spalatensis, siquidem minimè subduxère Patres Cyprios suo Patriarchæ, sed quod Cyprus cæteræque Orientis regiones, quæ longa locorum intercapedine essent à sua sede Patriarchali dissitæ, citra magnam itinerũ molestiam suorum Metropolitarum ordinationes à Patriarcha Antiocheno petere non possent, earum Antistites hoc labore leuandos duxerunt, potestatemque eis fecerunt suos Antistites consecrandi. Itaque de sola consecratione Metropolitæ & Episcoporum agitur, qui tamen vbi res Ecclesiæ id postula-

Hier. Dam. ep. 57.

Aug. epist. 162.

Bern. l. 3. de consid. c. 1.

SPALAT. Num. 39.

Athan. de sent. Di.

Sozom. lib. 3. c. 7.

Socra. hist. Ecc. l. 2. c. 11

Οἱ δ' ἅτε πρεσβεῖα τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης, παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὀχυρώσας αὐτοὺς, ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν ἀπέστειλε, τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδοὺς, &c.

Conc. Nic. Can. 6.

Ὁμοίως καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον, &c.

rent, ad Concilium Patriarchale vocati, eidem omnes interesse tenerentur. Neque verò ex nostro cerebro fingimus Metropolitas & Episcopos, quibus esset indultum, vt per se suas consecrationes perficerent, debuisse, in reliquis quæ ad ius Patriarchicum pertinerent, se suis Patriarchis morigeros ac obedientes præstare. Certè Balsamon, cui tanquam schismatico fidem negare non potest Spalatensis, testatur *Iberiæ Episcopum honorasse Antiochenæ Synodi dispositionem. Dicitur enim*, iquit, *quod tempore sanctissimi Patriarchæ magnæ Antiochiæ, Domini Petri, fuit Synodica ordinatio, qua statutum est liberam esse ac principalem & per se caput, Ecclesiam Iberiæ, sed tamen Antiocheno Patriarchæ subiectam.* Itaque constat plures fuisse Prouincias, quæ cùm suorum Metropolitarum ordinationes à Patriarcha non mutuarentur, tamen eius potestati subessent, ac cùm Synodi Patriarchales celebrarentur, suos Antistites mittere tenerentur, qui ad præcipuam sedem de Ecclesiarum suarum statu referrent. Et quidem de sola ordinatione Episcoporum & potissimùm Metropolitæ, video contendisse cum Antiocheno Patriarcha Cyprios Episcopos, eoque dumtaxat Canonem Nicænum retulisse; Sed & sententia Patrum Ephesinorum id probat, *Cypri Episcopos creandi ius*, inquit Zonara, *Antiochenæ sibi Ecclesiæ Antistes vindicabat, eã fortè rationẽ secutus, quod in Antiocheni Ducis ditione (nam ab illo in Cyprũ Imperator destinabatur) ea insula priscis temporibus fuisse videretur. Sed eius rei querelã Cyprij quidam Episcopi ad Synodũ detulere, neque id vnquam Antiocheno Patriarchæ iuris fuisse, vt ab eo Cypriarum vrbium Episcopi dicerentur, tum scriptis in eam sententiã codicillis, tum viua ipsimet oratione docuere.* Neque verò Indicas, Æthiopicas, & huiusmodi Ecclesias rectè Spalatensis Autocephalas, vt loquitur facit: Paruisse enim eas Alexãdrino Patriarchę testes nobis in primis Gelasius Cizicenus, in enumeratione Episcoporum, quibus à Patribus Nicænis demandatum, vt sancitas in sanctissima Synodo leges Ecclesiis traderent, ac consignarent. Sic enim ille de Alexandrino, *Alexander Alexandrię cum Athanasio tunc Archidiacono,* Ecclesiis *per totam Aegyptum, Libyam & Pentapolim, & regiones finitimas, vsque ad Indiæ Prouincias.* Testis quoque nobis Leo sapiens in vita Chrysostomi. Siquidem refert Imperatorem Arcadium Alexandria Constantinopolim euocasse, ac accersisse Theophilũ Patriarcham Alexandrinũ, σὺν Ἰνδικοῖς ἐπισκόποις καὶ Αἰγυπτίοις, quos proinde Alexandrinæ sedi paruisse par est credere, neque verò etiam nostro hoc sæculo inficiantur Æthiopicæ Ecclesiæ se iam inde à suarum Ecclesiarum fundatione ei subiectas fuisse; Sed hæc alterius sunt instituti. De Bulgaris videro infrà.

Balsam. ad can. 2. Cõc. Nicæn. 2. Τὸν Ἰβηρίας ἐπίσκοπον διέγνωσις τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνόδου. λέγεται γὰρ ὅτι ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας, κυροῦ Πέτρου, γέγονεν οἰκονομία συνοδική, ἐλευθέραν εἶναι, καὶ αὐτοκέφαλον, τὴν ἐκκλησίαν τῆς Ἰβηρίας, ὑποκειμένην τότε τῷ Πατριάρχῃ Ἀντιοχείας.

Zonar. ad Can. 7. Conc. Eph. Ὁ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἀρχιερεὺς ὑφ' ἑαυτὸν εἷλκε τὰς τῶν Κυπρίων ἐπισκόπων χειροτονίας, ὡς τάχα τῆς Κύπρου τὸ παλαιὸν τελούσης ὑπὸ τὸν δοῦκα Ἀντιοχείας, παρὰ γὰρ τοῦ δουκὸς Ἀντιοχείας ἐστέλλετο ἐκεῖ στρατηγός, &c.

Gelasij Cyzicen. cõm. Act. Conc. Nicæni l. 2. Catal. SS. Episcop. Ἀλέξανδρος Ἀλεξανδρείας σὺν Ἀθανασίῳ τότε ἀρχιδιακόνῳ ὄντι, ταῖς κατ' Αἴγυπτον πάσαις καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, καὶ τοῖς ὁμόροις τούτοις ἕως τῆς Ἰνδίας ἐπαρχιῶν.

Proxima sectione nititur ostendere Spalatensis, *Prouincias seu Ecclesias, quæ iure aliquo Patriarchali iam suo subiectæ sunt aliquo modo Patriarchæ, facilè & citra schisma, ab vno Patriarcha ad alium desciuisse interdum aut deflexisse.* Cùm enim, inquit, *subiectio hæc tota sit puri iuris humani positiui, vt iam est explicatum, dummodo non fiat schisma, sed vnitas Catholica cum tota Ecclesia vniuersali conseruetur, nihil interest sub vno ne, an sub alio Catholico tamen Patriarcha, seu Primate, aut Metropolitano, & in vnione totius Catholicæ Ecclesiæ, perseuerante aliqua Prouincia seu Ecclesia consistat: vbi præsertim aliqua non irrationabilis adsit causa, vel emergat occasio. Ita Episcopi, imò & plebes ac Cleri Ecclesiarum, sub Aquilegiensi Metropoli positarum, defectionem à dicta Metropoli minãtur, si in illa difficultates aliquas circa Episcoporum ordinationem reperiant. Sic enim ad Imperatorem Mauritium scribunt; Suggerimus pie dominator, quia tempore ordinationis nostræ*

Spalat. Num. 40. Apud Bar. tom. 8. an. 590. nu. 42.

nostræ, vnusquisque Sacerdos, in sancta Sede Aquilegiensi cautionem scriptis emittimus studiosè, de fide ordinatoris nostri nos fidem integram sanctæ Reipub. seruaturos: quod ipse nouit Dominus, nos fideliter toto corde & seruasse, & huc vsque iugiter conseruare. Si conturbatio ista & compulsio, piis iussionibus vestris remota non fuerit, si quem de nobis, qui nunc esse videmur, defungi contingeret, nullus plebium nostrarum ad ordinationem Aquilegiensis Ecclesiæ, posthac pateretur accedere. Sed quia Galliarum Archiepiscopi vicini sunt, ad ipsorum sine dubio ordinationem accurrent; & dissoluetur Metropolitana Aquilegiensis Ecclesia sub vestro Imperio constituta, per quam Deo propitio Ecclesias in gentibus possidet; vt quòd ante annos iam fieri cœperat, & in tribus Ecclesiis nostri Conciliij, id est Bremensi, Tiburiensi & Augustana, Galliarum Episcopi constituerant Sacerdotes; & nisi eiusdem tunc diuæ memoriæ Iustiniani Principis iussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus penè omnes Ecclesias ad Aquilegiensem Synodum pertinentes, Galliarum Sacerdotes peruaserant. Hæc de mutatione Metropolis. Orditur à Metropolitis ac Aquileiensium exemplo docet liberum esse Ecclesiis Metropolitas mutare. Sed de eo haud magnoperè laboramus, maneat modò sarta tectaque capitis Ecclesiæ dignitas quæ sola diuino iure nititur. Haud inficiamur eius authoritate Metropoles, in quibus solum ius positiuum spectatur, mutari, & eis suppositas Ecclesias in alterius potestatem venire, sed expendendæ sunt causæ quæritantium sibi iniuriam à Metropolita factam, nec ad seditiosorum quorundam postulationem debet Ecclesiarum status perturbari: neque verò horum Aquileiensium Episcoporũ magna ratio habenda est, quippe qui schismate laborarint, & de tribus capitulis illo tempore tantopere iactatis malè senserint, quos etiam ad erroris agnitionem vocabat Gregorius, sed callum obduruerant, & vt se tribunali Ecclesiæ subducerent, Imperatorem appellarant.

Sequitur de mutatione Patriarcharum. *De mutatione verò Patriarchæ*, inquit Spalatensis, *exemplum habemus, non modò in Bulgaria, pro qua tantoperè certatum est, vt patebit inferius: sed etiam in mea Dalmatia; quæ tempore Ioannis VIII. posthabito Romano Pontifice, Constantinopolitano adhæserat Patriarchæ. Quia nimirum Græcorum Imperium Dalmatiam quoque tunc obtinebat. Hinc illæ humiles fermè preces, quibus Ioannes Papa Nonensem electum enixè, imò & submissè rogat vt ab ipso, & non ab alio, hoc est non à Constantinopolitano accipiat consecrationem. Et ad reliquos Dalmatiæ Præsules & Ciuitates scribens monet; Vt more, inquit, præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri Apostoli reuerti studeatis; quatenus inde summi honorem Sacerdotij, & totius institutionis Ecclesiasticæ formam sumatis, vnde parentes ac præcessores vestros, melliflua sanctæ prædicationis & doctrinæ Apostolicæ potasse fluenta recolitis. Reminisci namque debetis, quanta eosdem præcessores vestros prospera euidentissimè comitabantur, quando ad limina Petri cælestis Regni clauigeri, deuoto pectore, quasi proprij filij confluebant; & quanta postmodum hucusque sustinueritis aduersa, cùm ab ea vos, quasi alienos separare non dubitastis. Quapropter vos plurimùm diligentes, non ea quæ vestra, sed vos quærentes, paterna benignitate monemus atque hortamur, vt sicut diximus ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ, redire ouanter attendatis; vt electus à vobis Canonicè Archiepiscopus, vnà cum vestro omnium consensu, & voluntate ad nos veniens, gra-*

Spalat. Num. 41.

Ioan. 8. ep. 183.

Id. ep. 190.

tiam Episcopalis consecrationis, sacrumque pallium à nobis, more pristino, incunctanter percipiat; vt gratiam & benedictionem sancti Petri, ac nostram habentes, à malis omnibus liberi, & bonis vniuersis repleti, & hîc in præsente sæculo gaudeatis, & in futuro cum Domino sine fine proculdubio exultetis. Porrò si aliquid de parte Græcorum, vel Sclauorum, super vestra ad nos reuersione, vel consecratione, aut de pallij perceptione dubitatis, scitote pro certo, quoniam nos secundum sanctorum Patrum decessorumque nostrorum Pontificum statuta, vos iuuare authoritate curabimus. Sanè in disputatione legatorum Romanæ Ecclesiæ, cum Vicariis Orientalium Patriarcharum pro Bulgaria, potissima ratio Romanorum, quæ secundo loco ponitur, est: Quia, inquiunt, Bulgares qui iure gentili sibi Patriam subiugantes, eam per tot annos retinent, quod cæperunt sedis Apostolicæ semet patrocinio, ordinationique specialiter committentes, nobis debent, nec immeritò subiici, quos vltronea voluntate magistros elegere. Audis in potestate ipsius nationis fuisse, se cui magis placuerit Patriarchæ subiicere. Hac ratione multæ Ecclesiæ Orientales, vt Dardaniæ & Illyrici, quæ citra controuersiam Constantinopolitano suberant Patriarchæ, occasione hæresum seu schismatum, illo derelicto, Romano se subiecerunt. De quibus Hormisda ad Auitum Viennensem sic scribit; vt autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere, plures Thracum, licet persequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt; scientes fieri fidem per aduersa clariorem. Dardania & Illyricus vicinia Pannoniæ à nobis, quod iam fecimus vbi necessarium fuit, vt sibi Episcopi ordinarentur expetiit. In tantum se à consortio perditorum separare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodo commune cum transgressoribus nil haberent. Communionem tantùm cum Ecclesia Romana quærere & obtinere, non est se ei subiicere; sed tantùm cum illa coniungi, & illi in vnitate Catholica vniri & sociari. At verò etiam ordinationem ab illa expetere, est prorsus ei se iure primatiali seu Patriarchali supponere: iam enim ostendi primam & maximam Patriarcharum potestatem esse circa ordinationes. Nota Papam approbare, si proprius Patriarcha ex causa purioris fidei deseratur.

Anastas. in Hadria. 2.

Hormisd. epist. 10.

Respondeo primùm minorũ gentium Patriarchas esse, quos profert Spalatensis; Nec enim aut Dalmatia aut Bulgaria primi ordinis Patriarchas, de quibus est nobis sermo, vnquam habuerunt, & facilior fuit rerũ conuersio in minoribus illis sedibus, quàm in aliis maioribus. Sed quod attinet ad Dalmatas à Pótifice ad Constantinopolitanũ deficientes, vis ea maior fuit, quod scilicet, vt ipse aduertit Spalatensis, *tunc Græci in Dalmatia rerum potirentur.* Cæterùm antiquo iure pertinebant illæ Ecclesiæ ad specialem, vt loquuntur, Pontificis Diœcesim, quod verba Ioannis clarissimè ostendunt; *Vt more*, inquit, *præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri Apostoli reuerti studeatis; quatenus inde summi honorem Sacerdotij, & totius institutionis Ecclesiasticæ formam sumatis, vnde parentes, ac præcessores vestros, melliflua, sanctæ prædicationis & doctrinæ Apostolicæ potasse fluenta recolitis.* Vtcunque autem preces Pontificis suggillet Spalatensis tanquam demissius conceptas, nemo tamen non videt merum amorem spirare eas, ac communi parente dignissimas esse, qui etiam dignitatis minimè oblitus ferocem ac superbam gentem, nisi obsequatur frenaturum se ac in eam animaduersurum minatur. De Bulgaria sic statuimus.

Ioan. ep. 190.

mus. Cùm primùm sunt ad fidem conuersi Bulgari, liberum illis fuit, vel Pontificem, vel Patriarcham Constantinopolitanum optare, cui iure Patriarchico subessent; sed liberum eis non fuit capitis Ecclesiæ administrationi se subducere, ac proinde vtcunque Constantinopolitanum sibi delegissent, Pontificem tamen agnoscere tenebantur totius Ecclesiæ moderatorem. Itaque ratio Romanorum pro Bulgaria contendentium, de speciali Diœcesi Romana loquitur; nimirum optarant Bulgari, vt soli Pontifici nullius alterius Patriarchæ interuentu, & *immediatè* vt loquuntur, subessent, sed præter specialem illam Diœcesim, quæ ab initio totum Occidentem complexa est, omnium orbis terrarum Ecclesiarum est caput à Christo renunciatus. De eadem speciali Diœcesi loquitur Hormisdas ad Auitum Viennensem. Orientales enim illæ Ecclesiæ quod verba Pontificis indicant, nimirum Dardaniæ & Illyrici antequam in specialem Diœcesim Antistitis Constantinopolitani concederent, (fuerunt verò, vt Leo sapiens testatur, ab Occidentis Patriarchatu, ad Constantinopolitanum ornandum auulsæ) in communione erant Ecclesiæ Romanæ, eamque vt religionis arcem & caput venerabantur, quanquam Constantinopolitano Patriarchæ proximè subessent.

Quod autem Spalatensis notandum ducit ad verba Hormisdæ, *Papam approbare si proprius Patriarcha ex causa purioris fidei deseratur*, quanquam successorem Petri, cui dictum sit, *Ego rogaui pro te, &c.* non lædat, quippe quem purioris fidei intuitu nullus deserere possit, tamen non dubitamus idcircò obseruatum, vt sceleratæ defectionis à Pontifice inuidiam, quæsito hoc colore minuat. Cæterùm in illam suam hæresim, de institutis solò iure humano omnibus & singulis Patriarchis, nequidem Romano excepto, relabitur, sed nos Pontificem iure diuino orbis vniuersi Ecclesiis moderari suprà ostendimus, ac multò vberius sumus id argumenti postea tractaturi. Et si igitur *iure* tantùm *positiuo* Antiochenus & Alexandrinus rerum Ecclesiasticarum in suis Diœcesibus positi sunt, summis illis vrbibus à Petro ad Patriarchatus fastigium euectis, tamen Pontifex Romanus in cuius sinum, traditam sibi à Christo dignitatem & potestatem coniecit Petrus iure diuino, & Orientis & Occidentis Ecclesiarum procurationem accepit.

Sed summorum Patriarcharum institutioni duo opponit Spalatensis; *Vidit*, inquit, *profectò ipsa sancta Ecclesia hanc primorum & supremorum Patriarcharum paucitatem & incommodam esse ipsimet Ecclesiastico regimini, & etiam perniciosam; incommodam quidem, quia in nimis magnis, nimiumque patentibus regionibus, & à se remotißimis, vnus Patriarcha, in iis quæ ad Patriarchalem spectant superintendentiam, commodè non potest satisfacere, ideóque sicut initiò in ipsa infantia conualescentis Ecclesia, non vnum, sed tres, vt vidimus, sunt instituti: ita subsequentibus temporibus additi sunt duo, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Perniciosam verò quia illi inter se de primatu digladiari cœperunt, vt se ad Monarchiam reducerent, quam semper & Christus à sua Ecclesia, vt iam docui, amouit: & ipsa Ecclesia est abominata: ac propterea adeò laborauit, tum in Concilio Nicæno, tum etiam in primo Constantinopolitano, vt Patriarchas ipsos ad suos limites reuocaret, & intra eos eosdem contineret.* Ad primum respondeo, sub vnoquoque Patriarcha esse illos Primates & Metropolitas, Spalat. Num. 41.

qui ex officio in priuatis Prouinciis ſartam tectamque ſeruare Eccleſiaſticam vnitatem teneantur; ſed concordiæ inter ipſos Metropolitas ſanciendæ, neceſſaria fuit Patriarcharum creatio, ad quos de ſuis controuerſiis referrent, vt authoritate Patriarchalis Synodi, vel ipſius Patriarchæ adhibitis in Concilium finitimis Epiſcopis dirimerentur. Neque ea moleſtia magis liberari debuit, aut Oriens, aut Ægyptus & conterminæ regiones, quàm orbis vniuerſus neceſſitate in Concilium Oecumenicum conueniendi, vbi res Eccleſiarum id depoſcerent.

Ad ſecundum dico, hanc labem eſſe hominum ambitioſorum, qui benè inſtituto Imperio abutantur; Nec enim aut Conſtantinopolitano regiæ vrbis fulgore dementato, aut cuiuis alteri Patriarchæ licuit, Petri priuilegia conuulſiſſe, ac in eius patrimonium inuaſiſſe, atque Conſtantinopolitano inuaſori ea proteruia exitij cauſa fuit, namque qui tyrannidem in Orientis Eccleſias molitus eſt, Orientis tyranno iam parere cogitur, adeò verum eſt illud Leonis magni, *Propria perdit, qui indebita concupiſcit*: Propterea ſcilicet idem magnus Pontifex, ſapientiſſimis verbis Anatolij inſolentiam caſtigauit; *Si charitas*, inquit, *non quærit propria, quantum peccat qui concupiſcit aliena? A quibus volo, vt te prorſus abſtineas, memorque ſis eius ſententiæ quæ dicit: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Laſciuit verò infœlix ſenex, & petulantius in Pontificem inuehitur, Tyrannidis eum poſtulat, & perturbatarum toto Occidente rerum diuinarum & humanarum reum facere conatur. Maledicentiſſimi hominis petulantiâ dicta facile eſſet diluere, ſed pluris quàm farfari folia non facimus, & in his refellendis tempus terere in inſaniæ parte poneremus. Sed quis ferat hominem ſine ſede, ſine lare, eo temeritatis prouectum, vt orbis terrarum limites mouendos ſibi duxerit? De ſummis Eccleſiæ magiſtratibus aut tollendis, aut mutandis ſententiam dixerit, ac ex ſuo cerebro nouos nobis Metropolitas & Primates procuderit? *Sic*, inquit, *commodè admodum, & opportunè poſſet tota Eccleſia Gallicana ſuum Primatem Lugdunenſem, aliumve, plenè Patriarcham ſummum agnoſcere: Sic Hiſpania Toletanum; Sic Anglia, Scotia, & Hibernia Cantuarienſem: Sic Germania Moguntinum vel alium: Sic Hungaria, Croatia, Sclauonia, Boſſina, Strigonienſem; Sic Polonia, Liuonia, Ruſſia, &c. Vilnenſem ſiue alium; Sic Dalmatia & Hiſtria, Venetum; Sic Venetorum ditio in Italia Aquileienſem: Sic Ducatus Mediolanenſis & Pedemontana regio, ac Rhetij Mediolanenſem; Reliqua & Sicilia, Corſica, atque Sardinia Romanum: & ſic de aliis.* At mi homo *non mouenda ne moueris*; Limites nobis poſuerunt Patres noſtri te multò ſapientiores; Nimirum hæc eò tendunt, vt ſublato capite, Eccleſiæ ſchiſmatum colluuionibus iter aperiatur. Palpat verò Proteſtantes, quos Reformatores vocat, ac ſe eis perſuaſurum putat, vt aſſignatis ſibi à nouo menſore limitibus ſint contenti, atque creatis à ſe magiſtratibus non inuiti obſequantur, ac morem gerant. Præterea è re eſſe Rerumpublicarum & Regnorum, vt huic diuiſioni ſtetur clamitat, homo inficetiſſimus, cui illud magnorum Imperatorum opponimus; *Cùm*, inquiunt, *Sedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas*

Leo ep. 54. Id. ep. 53. Spalat. Num. 43. in fin. Impp. Theod. & Valent. tit. 24.

tas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem sedis istius inlicitum præsumptio adtemperare nitatur.

Valeant igitur quæ sunt ab Aduersario contrà disputata. De Patriarcharum ordinatoribus nobis iam agendum, in qua re explicanda, nescio cur se torserit Spalatensis, siquidem morem fuisse vt à Metropolitanis potissimùm Episcopis consecrarentur Alexandrinus & Antiochenus nemini dubium est. Romanum ab Ostiensi ordinari solitum tradit Augustinus, vigétque vsque in hanc diem mos antiquus. Sic Constantinopolitanũ olim cõsecrabat Heracleensis, ad cuius ille aliquando Metropolim pertinuerat; hæc recepta consuetudine niti non inficiamur, & variatum aliquando in harum rerum obseruatione minimè dubitamus. Sed video minùs diligenter hæc à Spalatensi tractata: Sciendum enim omninò est ordinario iure quidem ad Metropolitas, vel ad ipsam Synodum Episcoporum pertinuisse Patriarchæ ordinationem, verùm extraordinario iure ad Pontificem quoque spectasse, nemini potest esse obscurum, qui modò historias Ecclesiasticas triuerit, qua de re videro aliàs. Quod verò subiicit aduersarius, *ad eos ipsos qui Patriarcham consecrârent* (Synodum Episcoporũ intelligit) *pertinuisse ius eius abdicandi*, explicatione indiget. Enimverò vt Synodi aliquando Patriarchas abdicarint, liberum illis semper fuit Pontificem appellare, ad quem vltimum harum rerum iudicium pertineret: & quidem de Constantinopolitano res est apertissima, Enim verò Flauianus à prædatoria Synodo Ephesina dignitate nudatus, ad Pontificem prouocauit, quod etiam antè fecisse Chrysostomum ex eius ad Innocentium epistolis abundè colligitur. De Alexandrino & Antiocheno, suo loco probabitur. Sed pertinent ista ad caput de Appellationibus. De Alexio Patriarcha Constantinopolitano hæc habet ex Baronio Spalatensis; *Alexij Patriarchæ Constantinopolitani, qui Metropolitanis ad ipsius depositionem coniurantibus, non negauit eos hanc habere potestatem: sed callidè ab hac eos dimouit cogitatione, obiectans prius esse abdicandos multos ex ipsis quos ipse consecrarat; & Imperatores quos coronauerat anathematizandos, si ipse fuerit in eam sedem intrusus.* De ambitioso conatu Alexandrini Patriarchæ, vt sibi ordinationem Constantinopolitani Antistitis suæ sedi assereret, nil statuo; sed nescio cur ambiti Primatus Orientis à Spalatensi postuletur, nec enim mihi exploratum est in patrimonium Antiocheni inuolasse, ad quem tamen pertinuisse Orientis procurationem, nemo est paulò doctior, qui nesciat. Et quod attinet ad vsurpatam ordinationem Constantinopolitani Antistitis, ita res habet; Cùm Constantinopoli ad tumultum & seditionem omnes inclinarent, propter Paulinum Antiochenum Patriarcham à Lucifero Calaritano renunciatũ, cuius partibus studeret Gregorius Nazianzenus, recidit tota tragœdia in ipsum sanctissimum virum, cui etiam lis mota est de Episcopatu Constantinopolitano, cuius ille habenas regendas authoritate primùm Petri Alexandrini Patriarchæ, (qui tamen posteà mutata sententia in Maximum Cynicum inclinauit,) ac posteà accedente etiam suffragio Antiocheni Patriarchæ, non ita pridem suscepisset; Cùm igitur hæc inter, Constantinopolim se recipiens Timotheus Petri in Alexandrina sede successor, vna cum suis & aliquot Macedonibus Episcopis, omniaque perturbatissima inuenisset, indignatus, neque sui, neque suorum habitam rationem in promouendo Nazianzeno eius ordinationem tanquam pa-

Spalat. Num. 44.

Spalat. Num. 45. Apud Bar. to. 11. an. 10. num. 4.

rum legitimè factam arguere cœpit, ac pro iure suo contendens ad sedem Alexandrinam, non Antiochenā ius ordinandi Episcopi Constantinopolitani, pertinere causatus est, vt eum de dignitate deiiceret; Siquidē Episcopus Alexandrinus, quod primæ sedis post Romanam gubernacula tractaret, id ad se spectare, contendebat. Namque ante Petrus Timothei decessor, hoc sibi ius arrogarat in ordinando Maximo, atque non multò pòst in Chrysostomi ordinatione Theophili successoris Timothei est adhibitus consensus. Itaque cùm eò recidissent res Gregorij, vt Orientis Antistites ob negatum Flauiano suffragium, cui in Episcopatu Antiocheno anteferendum duxisset Paulinum virum eximia pietate, & iam senio confectum, haberet aduersarios, ac de occupata sede Constantinopolitana negotium ei facesserent Ægyptij & Macedones Episcopi, vir sanctissimus & mitissimus regiæ vrbis Episcopatu se abdicauit, facultatéque ægrè sibi à Theodosio facta, magno fidelis populi mœrore, ad suos Cappadoces est reuersus. Non nego hîc peccatum à Petro Timotheo, adeoque ab ipso Theophilo, quorum illi duo priores Gregorium Nazianzenum, hic posterior Chrysostomum immerentem vexarint, verùm potuisse Patriarchas, si modò legitimi Patriarchæ erant, extraordinario iure Episcopos renunciare, est mihi omninò constitutum. Cùm enim in certum aliquem non consentirent inferioris ordinis Episcopi, ad Patriarcham ius ipsum deuoluebatur, ne quid intereà detrimenti res Ecclesiæ obtumultuantes Episcopos acciperent.

Cæterùm quod de Anatolio Constantinopolitano ius reliquorum Patriarcharum ordinandorum vsurpante affertur, alio indiget examine. Audiamus Spalatensem: *Constantinopolitanus*, inquit, *Antiocheni ordinationem sibi arrogare interdum non dubitauit. Quid enim, & quàm malè attentarit Anatolius, habemus ex Leone, acriter factum arguente. Sic enim ad eumdem scribit Anatolium: Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia (quia à Dioscoro hæretico in locum Flauiani perperàm depositi suffectus est) post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum Canonum constitutiones conareris infringere, &c. Statimque in priuilegium nuper Constantinopolitanæ sedi, in Concilio Chalcedonensi authore, vt putat ipse Anatolio confirmati, quo Romanæ sedi Constantinopolitana æquatur, vehementiori declamatione Leo digreditur. Succensebat enim satis iusto vehementiùs, quod ipse Constantinopolitanus Anatolius Antiochenum ordinasset, quia videlicet tali ordinatione putabat Anatolium suum Primatum nuper confirmatum voluisse exercere. Replicat easdem querelas ad Martianum Imperatorem, & ad finem de hac ordinatione Antiocheni hæc habet. Consulat paci (Anatolius) neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenum sine vllo exemplo, contra statuta Canonum Episcopum ordinare præsumpsit. Non erat tamen cur ex hac ordinatione semel tantùm, & incidenter, ex occasione ferè necessaria facta, Leo tantoperè excandesceret. Ordinare enim Patriarcham, non supponit necessariò in ordinatore superioritatem, ac prælationem; nam & Heracleensis ordinat, seu consecrat nomine Synodi, vt dixi virgula, Constantinopolitanum; & Ostiensis Romanum; neque in hoc Nicæni, aut vlli alij Canones violantur; modò ordinator non subiiciat sibi ordinatum: neque per actum ordinationis, ordinator prætendat Ecclesiam illam esse suæ Diœcesi subiectam. At nullus Patriarcha, alium Patriarcham consecrando, prætendit,*

Spalat. Num. 47. Leo ep. 56. Liberat. Breu. c. 22. & Euagr. li. 1. cap. 10. Leo ep. 57.

prætendit illum expatriarchare, & sibi subijcere; neque vnquam Constantinopolitanus Patriarcha in animo habuit, suo Patriarchatu alios destruere & absorbere; sed ad priuilegia Patriarchalia aspirauit, Romanæ Ecclesiæ priuilegijs persimillima. Quæ verò illa sint, Theodorus Balsamon explicat, producto edicto donationis Constantini; & sunt purè humana, non propriè Ecclesiastica; vt lib. 4. explicabo; (in quo de Cardinalibus quoque commodiùs erit agendum; Sinit enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ Clerus; ne mireris igitur quod ipsis in Hierarchia Ecclesiastica locum peculiarem non dederint; Soli enim Episcopi eam quam hoc libro consideraui Hierarchiam conficiunt, vt est ostensum.) Solo quoque loco Constantinopolitanus, & dignitate ac præcedentia, non dominio, aut iurisdictione in alios, post Romanum supra Patriarchas Orientales, vt collocaretur obtinuit. Hoc verò non est alienam Parochiam inuadere; sed ad parem honorem euehi; saluo tamen aliarum sedium proprio honore. Et in hoc non tam Patriarchæ ipsi Antiocheno, eiusque iuribus Patriarchalibus, quàm Episcopis illius Prouinciæ facta fuit aliqua iniuria, quos Nicæni Canones faciunt ordinarios sui Primatis ordinatores; alieni verò Episcopi non debent alienæ Prouinciæ Episcopum ordinare, nisi vocati id faciant, & rogati. De euersione Cathedræ Constantinopolitanæ ad priuilegia Patriarchalia, agam pluribus, lib. 4. cap. 4. Sed petulanter satis, Leonem traducit, & proculdubio quæ de Anatolio profert, Pontificis Romani ab ipsis incunabulis Ecclesiæ firmatam, in cæteros Patriarchas authoritatem omnino euincunt; Quod enim Constantinopolitanæ Synodi spurio decreto sibi parem cum Pontifice Romano potestatem attributam existimaret (hic enim perperà est ab eo, & reliquis eius factionis Antistitibus in Concilio Chalcedonensi explicatus, & confirmatus Canon Constantinopolitanus) ius sibi esse putauit ordinandi Episcopi Antiocheni, vbi turbæ inter Episcopos exortæ, vt id facerent, non paterentur. Itaque quod Leoni Spalatensis opponit, *ordinare Patriarcham non supponere necessariò in ordinatore superioritatem*, verum quidem est de lege communi, non verò de extraordinario iure. Ordinario enim iure ad Metropolitanos Diœceseos, vel ad Synodum ipsam, ea res pertinebat, sed extraordinario iure, id sibi sumebat Pontifex, tanquam Patriarcharum caput, propmereaque Anatolius; Cùm sibi Pontificis Romani potestatem concessam existimaret, Antiochiæ turbatis rebus, ad se quoque Antiocheni Patriarchæ consecrationem trahere est molitus. Quâ ratione lasciuientem eum non tulit, sed in circum rationis reuocare totis neruis contendit Leo, ac causam Alexandrini & Antiocheni vehementissimè egit, subodoratus scilicet futurum, vt Constantinopolitanus Antistes Regiæ vrbis dignitate, & Imperatorum authoritate fretus maiora moliretur, & quod paulò pòst accidit, conculcata collegarum dignitate, SE OECVMENICVM PATRIARCHAM inscriberet, ac profiteretur. Falsum igitur falsissimum illum *alios Patriarchatus*, vt loquitur Spalatensis, *destruere & absorbere noluisse*, siquidem vt rectè aduertit Gregorius, à Spalatensi etiam hac in parte laudatus; *Si vnus*, inquit, *Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Sed de his plura in sequentibus. Tantummodò monuerim Spalatensem à Balsamone homine Græco, adeoque schismatico, iura Ecclesiæ Romanæ non esse petenda. Nituntur certè non authoritate Christi, donatione Constantini, quod ille falsò somniauit.

Balsam. in Nomocan. Phot. tit. 8. c. 1.

Idem ibid.

Greg. l. 4. ind. 13. ep. 36.

Vt igitur hoc caput claudamus, concedimus Spalatensi ius ordinarium consecrandi Patriarchæ, ad Synodum Diœceseos & Metropolitas Episcopos pertinuisse, sed extraordinario iure id quoque sibi sumere potuisse Pontificem omnino defendimus, & exemplis ex historia Ecclesiastica desumptis abundè probamus. Itaque omnino sincerè Innocentius III. summus Pontifex sic de ea re statuit. *Volentes igitur*, inquit, *tibi super grauaminibus prouidere prædictis, & consultationibus tuis, quod Canones sanciunt respondere; cùm sit in Canonibus definitum, Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum Canones sacri concedunt, & prisca consuetudo illis contulit ab antiquo; ita vt secundum Nicænas regulas sua priuilegia seruentur Ecclesiis, præterquam si Apostolica sedes aliquam Ecclesiam vel rectorem ipsius, quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare; de fratrum nostrorum consilio respondemus; quod quamdiu Clerici tui coram te voluerint stare iuri, compellendi non debent iudicium eiusdem Patriarchæ subire: nisi causa forsitan per appellationem ad eius audientiam præferatur; aut (quod non credimus) aliquid ei à sede Apostolica sit indultum.* Hæc sapientissimè magnus Pontifex, qui seruato suo iure Metropolitis, Pontificiam dignitatem commendat, ac eius ornamenta explicat.

SPALAT. Num. vlt. Innoc. 3. l. 1. ep. 516.

DISCVSSIO



DISCVSSIO
VNDECIMI CAPITIS LIBRI TERTII.
DE VSV PALLII.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatensis de Pallio Archiepiscoporum improbè sentit: De hoc ornamento instituta tractatio: De ficta donatione Constantini, ac de Corona à Constantino Syluestro data: Obiter de Coronis Sacerdotum cum Baronio: De Phrygio ac de eo Balsamonis sententia: Anthimi exauctoratio, ac de eius Pallio imperatoribus tradito: Priuilegium Rauennatis Episcopi de ferendo Pallio Imperatoris munus non fuisse: Isidori Pelusiota & Amalarij Fortunati loci explicati: De Pallio sancti Marci in Alexandrina Ecclesia. Eius concedendi arbitrium penes Pontificem esse: De formatis à Primate Prouinciæ impetrandis: Arelatensis Archiepiscopus sanctæ Sedis Vicarius, quo se funderet eius delegatio: Pro Pallio Gregorij I. testimonia: Gregorius II. illo Bonifacium Moguntinum donat: Quare concedatur ex Nicolao I. & alijs: Leo IX. defensus. De statu Ecclesiarum Africanarum à vastata Africa ad Augustini tempora: Gregorius VII. quoque defensus: Improbè Gregorius & Paschalis traducti à Spalatensi: Eorum innocentia defensa: Quo iure institutum sit Pallium, cùm antiquus sit eius vsus. Ad quid & quibus Episcopis, quibusque modis, quibusque conditionibus, & à quo daretur: Nugæ Spalatensis his de rebus refutatæ.



OTESTAS tota Ecclesiastica, quæcunque in Rectoribus Ecclesiæ Christi Ministris inuenitur; alia tandem non est, nisi potestas Apostolica & Episcopalis, siue simplicem Episcopum accipias, siue Metropolitanum, siue Primatem, siue demum Patriarcham. Hos enim gradus solo iure Ecclesiastico distinximus. Nam exercitium potestatis Episcopalis, quæ de se est vniuersalis, nulli certo loco, nulli certo gregi alligata, ad vitandam confusionem in Ecclesia per eandem Ecclesiam restrictum est, & varijs modis regulatum. Primum enim exercitium hoc quoad Presbyterales aliquas potestates, Presbyteris est restrictum, & plenius datum est Episcopis; deinde restrictum in Episcopis, vt non nisi certo loco, & in certo grege, ac populo Episcopalia gerant munera; tum verò quoad ordinationes & correctiones Episcoporum restricta est potestas in singulis, ita tamen vt maneat in Comprouincialibus vniuersis: & ab his in vnicum coniecta est Metropolitanum; aliqua tamen, sed valdè pauca Primatibus & Patriarchis sunt reseruata, vt est à me iam planè explicatum, & vlterius lib. 4. explicabitur. Cùm verò potestas ipsa Episcopalis à Deo sit vniuersa, & non ab homine, nisi ministerialiter, quatenus ab homine fit electio & deputatio personarum, planum est ista Pallia nihil potestatis tribuere Metropolitanis; qui in sua legitima ordinatione, etiam sine Pallio, totam

SPALAT. Num. 1.

quam habet consequuntur à Deo potestatem. Si quid ergo operatur Pallium, id signum tantum erit legitimæ ordinationis, & ritè factæ deputationis ac missionis; solaque humana inuentione peculiare hoc Pallij indumentum est Metropolitanis attributum; soloque iure humano Ecclesiastico, Pallium si quid dat, dat potius exercitium legitimum potestatis; quàm potestatem: eodemque solo iure Ecclesiastico impediri videtur Metropolitanis, & vetari exercitium suorum propriorum munerum Metropoliticorum, saltem aliquorum, nisi prius Pallium sint consecuti.



EMORIÆ proditum est hunc olim apud Persas morem inoleuisse, vt si quid belli Duces præter ordinis decorem, aut admisissent, aut peccassent, seruatis reorum corporibus paludamenta illorum, veluti in dominorum opprobrium vexarentur. Supplicij genus in innocentes vertit Spalatensis, atque cùm minus processisse se aduerteret in conuellenda Antistitum Ecclesiæ dignitate, vestimenta affligenda sibi sumpsit. Igitur hoc capite in Pallium Metropolitarum, ac Archiepiscoporum inuehitur, ac *spectrum potius quàm dignitatis insigne esse contendit, ac propterea Pontificem in Imperatorum iura inuasisse, ac tradendi eius ornamenti potestatem ad se vnum traxisse, cùm ad illos pertineret,* contendit; Non immoramur autem in confutanda illa sua anacephalæosi, qua profligatos à nobis errores retexit. Sed de Pallio, de quo toto hoc capite disserit, agendum existimamus.

SPALAT. Num. 2. *Quando, verò, à quo, & quomodo, & cur hic vsus Pallij cæperit, fatetur se reperire non potuisse,* quod argumento est eius concedendi morem esse antiquissimum, cùm potissimum ante mille, & ducentos annos eius vsum in Ecclesia receptum fuisse, ex indubitatis Gregorij Epistolis abundè colligatur. Non erat autem quod à ficta illa Donatione Constantini ordiretur, vt inania argumenta duceret, sed vt Imperatoribus eius tradendi potestatem assereret, vt que eius honoris Constantino accessionem acceptam ferrent Ecclesiæ Antistites, repudiatam ac reiectam à doctis omnibus fabulam, accersendam atque quasi postliminiò in monumenta Ecclesiarum reuocandam duxit. *Si decretum illud Donationis Constantini quod circumfertur, fide certa subsisteret, Pallij Episcopalis originem facilè à Constantini dono incæpisse probaremus. In eo enim decreto, sic legimus: Ad hæc autem decreuimus, vt ipse etiam pius, ac religiosus sanctus Pater noster Syluester magnus Episcopus, & omnes eius successores Episcopi ferant diadema seu coronam, quam ei tradidimus, ex capite nostro, ex auro puro, & margaritis inæstimabilibus; & vt ea vtantur in capitibus suis ad laudem Dei, & honorem sancti & Principis Apostoli. Ipse autem B. Papa Syluester, suprà coronam seu tonsuram quam habuit ad honorem Dei & sancti Petri, noluit ferre coronam ex auro, vel margaritis: Nos autem, quia sanctus Syluester noluit ex auro coronam, splendidissimum Phrygium lorum, quod sanctam Resurrectionem significat, eius sancto capiti, proprijs manibus imposuimus: Et tenentes frænum equi eius, propter venerationem, & reuerentiam sancti Petri, stratoris officio functi sumus; decernentes, vt omnes eius successores, Phrygio vtantur loro in processionibus ad imitationem Imperij. Siue vt alia lectio habet; Beato Syluestro Patri nostro de præsenti contradimus Palatium Imperij nostri Lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri; simulque Phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum quod Imperiale circumdare assolet collum. Quæ sanè est plena fermè descriptio Pallij Archiepiscopalis, sub Phrygij seu*

Ep. ad Aug. Item l. 4. ind. 13. ep. 55 & alibi passim. Vide dist. 100. c. 2.

Eod. nu. 2.

Apud Balf. in Nomocan. Photij tit. 8. c. 1.

Dist. 96. ca. Constant.

Lori

Lori nomine. Quod primùm in commentitio illo Constantini edicto de corona aurea, margaritis distincta, Syluestro ab Imperatore dono data, scribit vtcumque nutet, scio tamen Episcopos Regum, ac ducum instar olim in capite solitos gestare coronas, defendere Baronium, qui de ea re occasione Iacobi Hierosolymorum Episcopi sic scribit: *Ad Episcopalis dignitatis ornamentum*, inquit, *Iacobum gestare in capite consueuisse laminam seu bracteam auream, Epiphanius, Hieronymus, ac cæteri penè omnes Ecclesiastici Scriptores testantur. Rationem autem eius rei hanc affert Epiphanius, dicens: Folium siue bracteam in capite gestare ipsi licebat, quemadmodum relati fide digni viri Clemens, & Eusebius in suis commentarijs testati sunt. Sacerdos itaque est (velut dixi) Iesus Christus in æternum, secundum ordinem Melchisedec, simulque Rex iuxta ordinem ex supernis, vt transferat Sacerdotium simul cum lege: ex semine verò Dauid propter Mariam sedens in throno in æternum, & regni eius non erit finis. Oportebat enim ipsum nunc transferre ordinem, tum Sacerdotij, tum regni.* Et paulò post: *Largius est autem sub se constitutis regnum, vt ne diceretur à paruis ad maiora procedere. Manet enim thronus ipsius, & regni eius non erit finis: & sedit super thronum Dauid, ita vt regnum Dauid vnà cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis, hoc est, Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ. Hæc Epiphanius, cum pluribus superiùs monstrasset, tum Sacerdotium, tum thronum Dauid, ipsam regiam dignitatem vna cum Pontificio in Ecclesiam suam, ac successores Pontifices in æternum permansuram transtulisse. In signum igitur regalis Sacerdotij (sic enim appellat Petrus) eiusmodi capitis ornamentum gestare consueuisse Christianæ legis Pontifices, satis ex his quæ idem scribit declaratum videtur. Cæterùm non Iacobum tantùm eiusmodi regiæ dignitatis insignibus vti consueuisse, sed & cæteros Apostolos par est credere: nam etsi hæc de singulis non scribantur; satis tamen ad rei veritatem demonstrandam esse videtur, quod non modò Iacobus, quem diximus, sed & Ioannes Euangelista eo vsus capitis ornamento perhibetur: testatur enim id Polycrates Ephesiorum Episcopus, in ea quam ad Victorem Romanum Pontificem scripsit Epistola, in qua inter alia hæc leguntur: His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, qui Sacerdos fuit, qui laminam auream gestauit, qui Martyr & Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit, &c. recitant eadem ex eodem authore Eusebius ac Hieronymus: Erat autem eiusmodi capitis ornamentum, tum Sacerdotibus, antiquæ legis à Deo olim cōcessum: quod in amplius & perfectius Christianæ legis Sacerdotium translatum est.* Baro. to. 1. an. 34. nu. 8.

Addo meminisse Marcellinum coronæ Sacerdotalis Imperatori Valentiniano redditæ à barbaro Principe, qui eam bello intercepisset Imperatori Valētiniano restitutæ. *Præmissis*, inquit, *muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanū perrexerat ducem, equo insidens apto ad ancipites casus: cūque propè venisset, fulgore signorum & terribili vultu Theodosij perstrictus iumento desilijt, curuataque ceruice humi penè affixus, temeritatem suam flebiliter accusabat, pacem obsecrando cum venia. Susceptusque cum osculo, quoniam id Reipublicæ conducebat bonæ spei iam plenus sufficientia præbuit alimenta: & quibusdam propinquis suis ad obsidum vicem relictis, abcessit, captiuos vt spoponderat redditurus, quos primis turbarum exordijs rapuit, biduoque post Icosium oppidum, cuius suprà docuimus conditores militaria signa, & coronam Sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, vt præceptum est.* Ammianus Marcell. l. 29. Certè constat prioribus seculis Tiaris vsos Pontifices, quibus postea coronæ honoris gratia accesserint, quamquam eas improbè traducunt hostes Ecclesiæ quos Pontificis gratia offendit. Sed persequamur reliqua.

De Phrygio quidem loro ac ſuperhumerali, extat Balſamonis & recentium Græcorum de ea re iudicium ad Edictum Conſtantini, tanquam ſiquidem rem certam tendunt ex regia iuſſione Conſtantini, inde ius habere Pontificē Romanum Imperatoriis priuilegiis fruendi, præter ſolam coronam, & ideo in omnibus quæ vbique fiunt proceſſionibus, & diuinis eorum myſteriis regio loco caput eius tegi, indui etiam veris veſtimentis, & vero Imperatoris more equitare. Sed vereor ne hoc ſit Græculorum commentum. Addit tamen Balſamon Patriarcham Alexandrinum ex eodem edicto ius habere, vt cum Phrygio celebret, atque conceſſi Alexandrino Patriarchæ huius honoris hanc cauſam fuiſſe ſcribit; *Habuit autem hanc facultatem*, inquit, *ſanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Celeſtino, quando fuit Epheſina Synodus aduerſus Neſtorium. Cùm non poſſet Celeſtinus adeſſe Epheſi, & iudicare Neſtorium, viſum eſt vt ſancto Cyrillo à Celeſtino permitteretur huic Synodo præſidere. Vt itaque conſtaret eum habere ius & authoritatem Papæ, ſedit cum Phrygio, & condemnauit Neſtorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio ſacrificant, & procedunt Patriarchæ Alexandrini, & non verentur reprehendi. Lege etiam S. Celeſtini de ea re Epiſtolam ſitam in actis iij. Synodi.* Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius Phrygij nomine Pallium intelligendum putat, quod Phrygionum opere crucibus contexi ſoleret; Sed Græci in his Nicephorus, & Balſamon Phrygium capitis ornamentum faciunt, vt non malè obſeruat Spalatenſis.

Balſ.tit.8. de Parochiis pa.89. Εἰς γοῦν παράστασιν τοῦ ἔχειν αὐτὸν τὸ δίκαιον τοῦ Πάπα Ῥώμης Κελεστίνου, ἐκάθισε μετὰ λώρου, καὶ κατεδίκασε τὸν Νεστόριον. ἐκ τότε οὖν μετὰ τοῦ αὐτοῦ λώρου ἱερουργοῦσι, καὶ προοδεύουσιν οἱ πατριάρχαι Ἀλεξανδρείας, καὶ αἰτίασιν οὐχ ὑποπτεύουσιν.

Video verò apud Græcos eximiis quibuſdam Metropolitis, quales erant Cæſarienſis, Cappadox, Epheſinus, Theſſalonicenſis, & Corinthius ius fuiſſe Patriarchale Pallium gerendi, quod πολυσταύριον ab eo ſcilicet, quod multis crucibus inſignitum & intertextum eſſet diceretur. Sic enim de iis Zonaras; Οἷς λέγεται διὰ τοῦτο ἐξ προνόμιον δοθῆναι πολυσταύρια φορεῖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις αὐτῶν. Vtrum verò Phrygium dictum ſit πολυσταύριον, quod opere Phrygionum in eo cruces contexerentur, vt Baronius exiſtimat, mihi non liquet, ac præterea hæc recentiora ſunt, quàm vt pro antiquitate Pallij proferri poſſint. Cæterùm vt à munificentia Imperatoria profectum doceret, locum affert ex Liberato ad id probandum, meo quidem iudicio minus commodum. Narrat ille Anthimum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vt ſe ſede *ſua pulſum vidit, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidiſſe.* Putat igitur Spalatenſis, hinc *colligi poſſe illud Imperiale munus fuiſſe.* Anthimus ſiquidem Epiſcopus Trapezuntius Eutychianæ hæreſis occultus ſectator portentum in vltimas terras deportandum, nullo Eccleſiaſtico iure renunciatus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ac ei ſedi per vim & Tyrannidem Imperatricis Theodoræ Iuſtiniani coniugis inertia abutentis impoſitus Rector, quia ſolo Principum fauore nixus ea dignitate potitus erat, non potuit à Pontifice abdicatus, eique propterea infenſus, Imperatoribus Pallium ſuum reddidit, quod ab illis præter fas & ius accepiſſet, nimirum Pontifici non tradidit, ne ei videretur obſequi, à quo ſede pelleretur. Non exiſtimo verò cordato viro propterea in mentem venire potuiſſe, ius tradendi Pallij penes Imperatores fuiſſe, cùm quicquid illi in promouendo Anthimo moliti eſſent, Tyrannicum ac contra Eccleſiaſticos ritus vſurpatum eſſet. Nihil etiam hanc Imperatorum in tradendo Pallio cauſam iuuat edictum Conſtantinianum, quod arte Pelaſga à Græcis in commentarios Eccleſiaſticos relatum, vident omnes qui meridie ſolem conſpicuum habent; Et nos ſuprà quæ in hoc edicto ad Pallium facere videntur expendimus. A Marco verò Syluestri ſucceſſore

Zonar. in Concil. Chalc. 17.

cessore ius gerendi Pallij Episcopo Ostiensi Pontificis consecratori concessum, quod *tradit Liber de Romanis Pontificibus* in Marco, cur neget non video; Vt enim sint in eo libro multa commentitia, quorsum quod attinet ad hoc Marci factum non potuerit author vera narrasse, vt ipse quoque Spalatensis suprà pro edicto Constantini disputabat? *Quamuis*, inquit, *decretum illud quoad multa sit fabulosum, vt libro sexto ostendam; quod tamen spectat ad quædam donaria & ornamenta, non videtur omnino contemnendum. Sanè in Anthimi Constantinopolitani depositione legimus illum; Vt vidit se sede pulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidisse. Ex quo videtur posse colligi illud Imperiale munus fuisse. Et Gregorius ab Imperatore petit, vt Anastasium Patriarcham Antiochenum sibi hospitem concedat; permittatque vt idem Missarum solemnia, cum vsu Pallij, possit simul cum ipso celebrare: Præterea indico, inquit, suggestionem me apud piissimos Dominos summis precibus plenam fecisse, vt virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu Pallij, ad Beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum solemnia Missarum, transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minimè reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret. Potest ergo etiam Primas & Patriarcha, qui ex iniusta persecutione, aliave legitima causa, suam relinquit Ecclesiam, apud alios in honore suo viuere.* Itidem de libro illo dici potest, quo posito perantiquus Pallij vsus habetur, nec morosius de eâ re disputat Spalatensis. Sic enim ille.

Eod. nu. 2. in fin. — Libe. Breu. c. 22. — Greg. l. 1. ep. 27.

Pariter etiam, inquit, *si Liber de Romanis Pontificibus sæpius fide non nutaret, Pallij vsum, adhuc viuente Constantino, vt iam consuetum haberemus; Is enim de Marco primo habet: Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Vrbis, tunc Pallio vteretur, & ab eodem Vrbis Episcopo consecraretur. Fertur etiam de Celestino eum ad Cyrillum Alexandrinum misisse Phrygium, quod Pallium fuisse Baronius explicat. Sed Nicephorus hanc fuisse mitram asserit.* De Phrygio à Pontifice Cyrillo Alexandrino concesso, diximus etiam suprà, & fatendum omnino est huius rei fidem penes Græcos esse.

Spalat. Num. 3.

Sed vt rursus Imperatoribus Pallij largiorem concessionem asserat, Rauennatis Ecclesiæ priuilegium quoddam iudicio Baronij spurium, ac diri schismatis, quod Rauennatem Ecclesiam à communi Parente Romana diu diuisum tenuit temporibus conflatum, propugnandum suscipit. Adeat lector Baronium, qui etiam Rauennates ex Gregorio inducit, confitentes ius Pallij gestandi sibi à summis Pontificibus concessum. Non igitur Valentinianus Imperator, quod habet commentitium ac fictitium priuilegium, Rauennati Antistiti hoc amplissimæ dignitatis Ecclesiasticæ insigne vnquam tribuit; sed Pontificis Romani illud beneficium fuit, nisi mentitum Gregorium velit Spalatensis.

Spalat. Num. 4. — Apud Baro. to. 5. an. 432 nu. 91.

Quod attinet ad locum Isidori Pelusiotæ à Baronio prolatum, & à Spalatensi retextum, proculdubio si de Pallio Archiepiscopali sit accipiendus omninò per *Sacerdotes*, antonomasticos Patriarchas & Metropolitas insigniores intelligit eruditus Ægyptius. Verba eius sunt; *Id autem*, inquit, *amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Si verò coniecturæ locus sit, potest non ineptè de communi Episcoporum amictu intelligi, sed qui cum Baronio sentiunt no-

Spalat. Num. 5. — Isid. Pelus. l. ep. 136. — Τὸ δὲ τοῦ ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρίων ὄν, ἀλλ' οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει.

mine Sacerdotum eximios Sacerdotes, Patriarchas scilicet, & Metropolitas Isidorum intellexisse omnino obseruare coguntur.

Amal. de Eccl. offic. l.2.c.23. Amalarius verò Fortunatus proculdubio quod eius verba indicant, de Pallio Archiepiscopali loquitur, & piis allegoriis ludit, quæ cùm cuiuscumque ordinis, aut Episcopos, aut etiam Presbyteros attingant; Pertinent tamen maximè ad maiorum gentium illorum Antistites Patriarchas & Metropolitas; *Pallium*, inquit, *Archiepiscoporum super omnia indumenta est, vt lamina in fronte solius Pontificis. Illo discernitur Archiepiscopus à cæteris Episcopis. Pallium significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere. Quo dono admonentur cæteri ad legitimum certamen, quod habet duas lineas, à summo vsque deorsum, antè & retrò: Significat enim summa doctrinæ decorem, per disciplinam mandatorum Domini acceptabilem. Circulus circa collum, disciplina est Domini circa sermonem prædicationis: vt non sit alter sermo prædicationis, & aliud opus, dicente Paulo; Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Quod ita Ambrosius in tractatu Epistolæ ad Corinthios: Vituperatur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis vt fierent, exempla non darent. Mandata veteris Testamenti à principio Geneseos, vsque in finem, in humerali linea, operando & docendo, portet Pontifex in pectorali: Noui à primitiua Ecclesia, vsque in finem. De torque dicebat Salomon in Parabolis, Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Quod ita Beda in eodem. Mos apud veteres fuit, vt legitimè certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent: Et nobis ergo si disciplinam conditoris nostri, si gratiæ matris scita custodimus, maior inde virtutum spiritalium claritas augetur. Additur gratia capiti, cùm charitas quæ principale mentis ornabat, ardentius inflammatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur: Ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione ducitur. Sed & ijs qui Mosaïcæ legis decreta Domino veniente seruabant, addita est gratia noui Testamenti, cum spe regni cælestis: cuius splendor eximius ad exemplum coronæ vel torquis, nullo vnquam fine claudetur.*

Spalat. Num. 6.

Spalat. Num. 7. Apud Suriū die 6. Apr. In Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani Pallio, nihil mutandum ducimus. *De Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani miraculosa electione, habetur,* inquit, *historia seu Legenda, in qua illud legimus: Precibus ac manu, & diuinis ac venerandis oraculis consecratur; sancto inungitur spiritu, vel potius sanctificatus ipse, vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat: ouis errantis typum super humeros tollit, in sedem sublimem ascendit, &c.*

Spalat. Num. 8. Libe. Breu. c. 20. Pallium quoque sancti Marci, quo amiciretur recens creatus Episcopus, integrum Alexandrino Episcopo relinquimus; De eo sic *Liberatus Diaconus* scribit; *Consuetudinem Alexandriæ esse, illum Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias supra defuncti corpus agere: manumque dexteram eius capiti suo imponere, & sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci Pallium, & tunc legitimè sedere.* Is enim mos inoleuerat in Patriarchali illa Ecclesia, & fortasse à Marco Petri discipulo erat.

Spalat. Num. 9. Quæ sequuntur ad sect. 14. vsque, mirificè eorum sententiam probant, qui penes vnum Pontificem ius esse concedendi Pallij contendunt; Ipsissima Spalat.

Nouel. 131. c. 3. verba sunt. *Iustinianus Imperator*, inquit, *primam suam Iustinianam erexerat in Metropolim, ac proinde eo petente, Vigilius Papa decernit, vt eius Episcopus Pallio*

Lib. 4. ind. 13. ep. 15. *ornaretur. Et de Pallio huius Episcopi testimonium habemus etiam apud Gregorium.*

Ergo

Ergo etiam Bulgariæ Archiepiſcopus à Papa Pallium accipit, adnitente Orientis Imperatore. *Sepaudo Arelatenſi*, inquit, *Pelagius concedit Pallium*: *Vſum quoque Pallij tibi alacriter, inquit, affectuoſeque concedimus; pariter etiam Pallium dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris: ſciturus omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, ſine formata tuæ charitatis, ex quacunque Galliarum parte, longiores petere regiones; ne prohibita præſumentes, ipſi ſe proprio priuare videantur officio. Mira Pallij poteſtas, vt Eccleſiaſtici totius regni ad longinqua non poßint, abſque formatis illius Epiſcopi, qui hoc Pallio decoratur, commeare.* Ergo & Galliarum Archiepiſcopos hoc honore impertiit, à tot annorum centenis Pontifex Romanus? Miratur verò Spalatenſis hanc Pallij poteſtatem tantam eſſe, vt Eccleſiaſtici totius regni ad longinqua non poſſint abſque *formatis* illius Epiſcopi, qui hoc Pallio decoratur, commeare. Sed ludit in re ſeria, nec aduertit à Pallio non eſſe, ſed ab ampliſſima Vicarij Apoſtolici dignitate eam adeundi Arelatenſis ordinis obligationem Eccleſiaſticis impoſitam, ad *formatas*, vt vocāt literas, accipiendas. Audiat igitur Magnum Pontificem vices ſuas Arelatenſi demandantem. *Dilectiſsimo fratri Sapaudo Pelagius. Maiorum noſtrorum*, inquit, *operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigijs, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari; Charitati tuæ per vniuerſam Galliam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Eccleſiæ Romanæ teſtantur ſcrinia à ſanctis Patribus, & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum; vt illius ſtabilis Petræ ſempiterna ſoliditas, ſupra quam Dominus Saluator noſter propriam fundauit Eccleſiam, à ſolis ortu vſque ad occaſum primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum authoritate, tam per ſe quàm per Vicarios ſuos firmiter obtineret, &c. Hinc eſt quod & nos fraternitati tuæ huiuſmodi curas iniungimus, vt ſedis noſtræ Vicarius inſtitutus ad inſtar noſtrûm in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis, & ſedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes, talemque te in cuſtodiendis Canonibus ſancta conuerſatione demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe Vicarium.* Cùm itaque Pallium tantæ dignitatis Arelatenſi conceſſæ inſigne eſſet, poſt eius gerendi ius illi conceſſum, ſubiicit Pontifex quo in honore apud reliquos Eccleſiaſticos eum eſſe velit; Sed haud mirum eſt addictos Galliarum Epiſcopos & Clericos, vt ab vno Arelatenſi *formatas* acciperent; ſiquidem Concilij Carthaginenſis Canone edicitur, vt à Primate Prouinciæ Clerici longo itineri ſe commiſſuri *formatas* quoque accipere imprimis curent.

[Margin: Spalat. Num. 10. Apud Baro. to. 7. an. 556 nu. 19. — Pelag. Pap. ep. ad Sap. Epiſc. Arel. — Conc. Afr. c. 73.]

Obſeruandum verò quod non vidit Spalatenſis, neutiquam vniuerſam Galliam vnius Arelatenſis Primatis delegationi fuiſſe ſubiectam, namque quod Hincmarus quoque notauit, erant & alij Primates in Gallia Pallij gerendi ius habentes, à quibus ſuarum Prouinciarum Clerici proculdubio *formatas* acciperent. Adeat qui velit notitiam Imperij, & libellum Prouinciarum Galliæ. Pergamus.

[Margin: Ep. 6. c. 6.]

Gregorius verò, inquit Spalatenſis, *& antiquum eſſe Pallij vſum in Archiepiſcopis; & eo poteſtatem tribui, tantam affirmat, vt legati à latere locum habere non poßint, ſuæ poteſtatis exercendæ, vbi Epiſcopus adſit Pallio decoratus, ita enim Auguſtino ſuo Legato reſcribit; In Galliarum Epiſcopos nullam tibi authoritatem*

[Margin: Spalat. Num. 11. — 15. 72. ca. In Galliarum.]

tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus; Pallium Arelatensis Episcopus accepit; quem nos priuare authoritate præcepta minimè debemus, &c.

Dist. 100. c. 2. *Idem, Prisca consuetudo, inquit, obtinuit, vt honor Pallij nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat. Idem verò frequens est in concedendo Pallio, non modò suis Metropolitanis Occidentalibus, vt habes distinct.* 110. *cap.* 5.

Greg. l. 4. ind. 13. ep. 55 6. 8. 9. 10. 11. *sed etiam Episcopo Corinthiorum: Pallium, inquit, sicut per Epistolam vestram, quam per Andream & Coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus, quo ita vos, vt necesse est, sicut prædecessores vestri vsi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbantur.* Cui & illud addit; *Nouit autem fraternitas vestra, quia prius Pallium, nisi dato commodo non dabatur, quod quoniam incongruum erat, facto Concilio, ante corpus B. Petri Apostolorum Principis, tam de hoc, quàm de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus.*

Dist. 74. ca. Honoratus. *Et Salonitano minatur Pallij ablationem, à sua sede Apostolica concessi.* Igitur tempore Gregorij indubitata res fuit, penes Pontificem Romanum ius fuisse concedendi Pallij, etiam remotissimarum partium Antistitibus.

Spalat. Num. 12. Beda hist. Anglor. l. 2. c. 8. & to. 2. Epi. decret. Rom. Põt. Ib. c. 17. Ib. c. 18.

Bonifacius quintus, addit Spalatensis, *Iusto Episcopo Pallium mittit; Concedentes, inquit, tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate, Domini præueniente misericordia celebrare. Et Honorius primus duo mittit in Angliam Pallia Honorio & Paulino; Vt dum quis eorum, inquit, de hoc sæculo ad authorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum Episcopum, ex hac nostra authoritate debeat subrogare. Et hic dicitur præcipuus Pallij effectus, vt qui illum accipit, ordinationes iam possit facere Episcoporum. Et rursus idem Honorius, ad eundem Honorium scribens, ait; Authoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari, is qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni Pallia, pro eadem ordinatione celebranda direximus. Vbi adhuc magis patet eo potissimùm Pallium concedi, vt possint Episcopi ordinari. Addit verò Honorius: Quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum, marisque interualla, quæ inter nos & vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coëgerunt; vt nulla possit Ecclesiarum vestrarum iactura, per cuiuslibet occasionis obtentum, quoquomodo peruenire; sed potius commissi vobis populi deuotionem plenius propagare. Innuit igitur ad se, tanquam ad vnicum in toto Occidente Patriarcham, spectare omnes ordinationes, vbi ab antiquo non sint Metropolitani. Se tamen illis concedere potestatem ordinariam Metropolitanorum, eamque Pallij concessione firmare. Conon quoque in Antiochia, seu potius in Antiparia, Episcopum*

Anast. in Conone. *constituit; sed & Pallio, vt scribit Anastasius, ad caballicandum vti, licentiam ei concessit.* Prosequitur Spalatensis.

Spalat. Num. 13. Tom. 2. Ep. decr. Rom. Pont.

Gregorius secundus, inquit, *Bonifacio Moguntino Pallium & ipse mittit: ad hoc vt possit Episcopos per Germaniam ordinare: Tibi, inquit, sacri Pallij direximus munus, quod B. Petri Apostoli authoritate suscipiens induaris: atque inter Archiepiscopos, vnus, Deo authore, præcipimus vt censearis, ita vt dum Missarum solemnia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo vtaris, vt iuxta sacrorum Canonum statuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis, debeas ordinare Episcopos.* Hæc quoque pro nobis faciunt, nisi quod nudam Patriarchæ dignitatem in Pontifice spectat Spalatensis, cùm tamen eum constet pro authoritate capitis Ecclesiæ, in omnibus terrarum orbis Partibus, Episcopis Pallij gerendi ius tribuisse, vt posteà ostendetur.

Addit

Addit Spalatensis decretum Concilij Octaui. *Octaui Concilij generalis*, inquit, *Canon vltimus talis est: Sancimus, vt designati homophoria Episcopi, ea certis statisque temporibus, & locis gestent; ne huiusmodi cultu per fastum & superbiam abutantur, aut quouis tempore diuini sacrificij, aut quacunque Ecclesiastica functione ferant. Sed qui vitam solitariam religiosè sunt sectati, & ad Episcopatus honorem sunt euecti, vt religiosam vestem suam, habitumque seruent statuimus; nullusque homophorion per superbiam arrogantiamque sumere audeat; ne suas inde quas ipse sibi scripsit leges, violet. Quod si quis Episcopus præter designata sibi, seu scripto, seu sine scripto, tempore, homophoria tulerit, religiosamque vestem abiecerit, aut corrigatur, aut exautoretur. Hoc quod hic de homophorijs præcipitur, videtur omnino de Pallijs intelligendum; nam & modernæ leges Pallij vsum, ad certa tempora, certaque loca, & certas functiones Pontificales, contrahunt.* Nescio verò an quod existimat Spalatensis, huiusmodi homophoria, siue superhumeralia, Pallia de quibus agitur intelligi debeant, sed quicquid sit de ea re Concilium Oecumenicum fuit, cui Legati Apostolici præfuerunt, & in quo Pontificis Romani primæ partes fuerunt. Redeamus ad Pontifices, & Spalatensis vestigia premamus.

SPALAT. Num. 14. Oct. Syn. gen. c. vlt. — De elect. c. Quod sicut §. super eo.

Nicolaus primus, inquit, *ipse quoque vsum Pallij præcipuum ponit ad Episcopos ordinandos: Patriarcha, inquit, vel Archiepiscopus, accepta licentia, & Pallij vsu, ordinat ipse sibi deinceps Episcopos; qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius quàm à Pontifice sedis B. Petri, à quo & Episcopatus, & Apostolatus sumpsit initium, nunc ordinari valetis: in quo hic est ordo seruandus; vt videlicet à sedis Apostolicæ Præsule, sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui si Christi plebs ipso præstante crescit Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat, & ita demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant; & propter longitudinem itineris non iam huc consecrandus qui electus est veniat; Sed hunc Episcopi qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant; sanè interim in throno non sedentem, & præter Corpus Christi, non consecrantem, priusquam Pallium à sede Romana percipiat; sicut Galliarum omnes & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* At hîc quod morderet inuenit Spalatensis. *Qui Nicolaum audit*, inquit, *Archiepiscopus ante Pallium habitũ Suffraganeos suos consecrare non potest, qui verò audit Alexandrum tertium, licet per se id præstare Archiepiscopus, qui nondum Pallium habuit, non possit; potest tamen vni ex Suffraganeis potestatem hanc consecrandi tradere, & committere. In quo mihi lusum quendam videor cernere vt possit quis per alium, quod per se non possit; & possit quis dare quod non habet. Cùm possit itaque alijs committere, potest etiam per se exercere. Et conditio hæc Pallij & potestas, est inuentum Romanum, in Ecclesia vniuersali ignotum.* At istæ sunt Spalatensis strophæ, non Pontificum lusus. Negat Nicolaus eum Archiepiscopum, qui necdum sit Pallium à sancta sede consecutus, debere suos Suffraganeos consecrare, quod recepto vsu Ecclesiæ Pallium, vt ipse Spalatensis aduertit, ad ordinationes Episcoporum faciendas potissimùm concedatur, quare illi expectandum docet donec acceperit; ne tamen res Ecclesiastica aliquid detrimenti accipiat, liberum illi facit alicui ex Comprouincialibus eam consecrationem demandandi. Itaque hîc solemnitatem ordinationis, non

SPALAT. Num. 15. Nicol. ad Consult. Bulg. c. 73. — De elect. c. Suffragan.

ipsam ordinandi potestatem spectat. Quorsum verò ista de Pallij honore à Pontifice præstolando facta sanctio? Nimirum quòd præterquam amplissimæ dignitatis insigne habeatur, est quoque communionis Ecclesiasticæ veluti insigne, Pontifice eius vsum, nonnisi orthodoxis Archiepiscopis concedere solito; Quare ne Pallio nondum ornatus Archiepiscopus in suspicionem schismatis veniret, iussus est tantisper ab ordinationibus faciendis abstinere, potestasque facta alicui Suffraganeorum eam Prouinciam suscipiendi. Videamus sequentia.

SPALAT. Num.16. Rorger. apud Suriũ die 11. Oct.

Agapetus secundus, inquit Spalatensis, *Brunoni Coloniensi misit Pallium, iugum Domini suaue, & onus leue, cum priuilegio sedis Apostolicæ, quo eodem Pallio, præter consuetudinem, Sacerdos Domini quoties vellet, indui permissus esset.* Hîc nihil est quod nos moretur.

SPALAT. Num.17. Leo 9. ep.4 tom.3.

Leo nonus, pergit Spalatensis, *ad Episcopos Africanos scribens, ait; Insuper rectè contra Gummitanum Episcopum dignitatem Carthaginensis Ecclesiæ defenditis; quia sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, & totius Africæ Maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere priuilegium, semel susceptum, à sancta Romana & Apostolica sede. Nec quicunque ille sit Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi Episcopos, vel deponendi, seu Prouinciale Concilium conuocandi habet, sine consensu Carthaginensis Archiepiscopi, qui solus in Africa Pallium ab Apostolica sede habere solet. Vnde & Episcopos consecrandi principale, & antiquum ius retinet, &c. Igitur quia solus Carthaginensis Episcopus in tota Africa vsum Pallij habet; solus etiam consecrat Episcopos; Pallium enim, vt vides, ad Episcopos consecrandos datur.* Hîc verò diem Leoni noni dicit Spalatensis. *Solum*, inquit, *in tota Africa ordinatorem Episcoporum fuisse Carthaginensem; & solum Pallij vsum habuisse, non possum Leoni assentiri; quia erant Primates, alij putà Numidiæ & Mauritaniæ, & fortè alij. Ac certè Numidiæ Primas Megalius Calamensis Augustinum ordinauit Episcopum Hipponensem. An verò Pallij vsum haberet, nescio: effectum Pallij video; etsi Pallium fuit necessarium, certè etiam Pallium habuit Calamensis: Sed neque illud habuisse, neque tunc necessarium fuisse arbitror.* Respondeo intercessisse multa inter Augustini, & Leonis IX. seculum, quorum ignoratione fallitur Spalatensis. Enim verò ad vnum Carthaginensem reuocatum, ius ordinandi Episcopos in illa Africanorum Ecclesiarum perturbatione, quæ tempora Augustini excepit, nulli mirum esse debet, cùm vnitatis Ecclesiasticæ sanciendæ causa, soleant leges pro temporum ratione retractari. Ius igitur nouum non antiquum illud spectauit Leo nonus.

Possidon. in vita Aug. c.8.

SPALAT. Num.18. Apud Baro. tom.11. ann. 1047. nu.12.

Clemens II. persequitur Spalatensis, *his verbis Salernitano Archiepiscopo concedit Pallium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Archiepiscopali Pallio, nostra Apostolica manu dilectionem vestram insigniuimus; quo vtaris toties in anno, quoties prædecessores tuos eo vsos fuisse constat. In quo quia de vellere ouis est, intellige te ouium pastorem. Et quia circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & vndique circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando quod absit contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare; & pristinæ societati coadunare. Quod verò ante, & retrò Crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere; Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro Archiepiscopatum* Sa-

Gal.6.

Salernitanum, cum omnibus adiacentibus Parochiis suis: & insuper licentiam damus & potestatem ordinandi & consecrandi Episcopos, in his subiectis vobis locis, hoc est, Pestanensem Episcopatum cum Parochiis & adiacentiis suis, & Episcopatū Consanum, & Episcopatum Nolanum, & Episcopatum Maluitanum, necnon & Episcopatum Acerentinum; simulque & Episcopatum Byssinianensem, atque Archiepiscopatum Cusentiæ, cum omnibus Parochiis & adiacentiis eorum. Pro pallio verò quod suprà diximus post discessum quidem tuum, successores tui perueniant ad Apostolicam sedem, & vsum Pallij, consecrationémque decretaliter recipiant; Et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis Apostolica authoritate concessimus, deinceps Episcopos consecrare; quemadmodum vobis concessum est. Sunt ista omnia pietatis plena, neque vir impius inuenerit in tota illa Pontificis oratione quod mordere possit.

Sed malè habet Spalatensis, quod suscipiendi à sede Apostolica Pallij Archiepiscopalis recens consecratis, Metropolitis necessitatem imponat Pontifex, cùm tamen penes illum, quippe qui caput sit Ecclesiæ, eam esse potestatem fateantur omnes orthodoxi, vt de huiusmodi rebus leges figere possit, quas nullus Apostata citra scelus refixerit. Quàm verò antiquior sit lex de pallio à Pontifice accipiendo, sæculo Clementis II. ex superioribus patet, ostendemusque infrà vberius. Sed iam est nobis acrius certamen ineundum. SPALAT. Num. 19.

Quicunque, inquit Spalatensis, *hactenus à sede Apostolica Romana pallium petierunt, ij sanè per literas, aut suos nuncios id petierunt; & ad eos transmissum est pallium. Hildebrandus verò adhuc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus ad Papalem fastum altiùs euehendum, primus illud adinuenit, vt qui vellent pallium, ipsimet Romam venirent, & consequenter munera ferrent, & Dominum adorarent. Lanfrancus enim Cantuariensis Episcopus à nostro orbe diuisus, cùm per Legatos suos pallium ab Alexandro II. petiisset, rescriptum huiusmodi ab Hildebrando retulit; verba Legatorum vestrorum gnauiter accepimus, sed quod voluntati vestræ, in mittendo absenti personæ vestræ priuilegio, vt illi petebant, ritè non potuimus satisfacere, valdè doluimus, neque id ægrè ferat vestra prudentia, quoniam si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus absenti hoc concessum fuisse vidissemus, profectò religioni vestræ promptissima charitate honorem hunc, absque vestra fatigatione impenderemus. Vnde necessarium nobis videtur vos Apostolorum limina visitare, quatenus de hoc & cæteris, vnà vobiscum efficaciùs quod oportuerit consulere valeamus, atque statuere. Eandem obligationem Innocentius quoque tertius posteà replicauit.* Quod attinet ad Gregorium VII. virum innocentissimum, video illum propter suscepta aduersum Henricum IV. Imperatorem susque deque in Ecclesia miscentem bella, in omnium sectariorum Sycophantias incurrisse: sed quod attinet ad impositam Lanfranco Cantuariensi Antistiti doctissimo necessitatem, limina Apostolorum adeundi, vt pallium acciperet, non video cur in Gregorio culpetur, cùm ex rescripto, cuius meminit Baronius, quodque retexuit Spalatensis, id non in more positum fuisse omninò constet; Si nescis mi Spalatensis, SPALAT. Num. 20. Apud Bar. tom. 11. an. 1070. n. 17. Innoc. 3. li. 2. ep. 561.

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Nullus hîc fastus, nullus typhus sæculi.

Sed pergit esse contumeliosus. *Hildebrandi*, inquit, *hoc est Gregorij VII. alumnus & discipulus, & in sede, post duos, successor, Paschalis II. vt de more aliorum, suæ sedi splendorem adderet, & mundanum fastum, voluit, & edicto confirmauit, vt qui pallium essent à sancta sede accepturi, iuramento fidelitatis se Romano* SPALAT. Num. 21.

Pontifici obstringerent, vt sic summi quique Episcopi, aliorum Episcoporum Patres *& Duces, in plenam* Papæ *transirent clientelam; & ipse esset eorum Princeps & Dominus, ipsi verò illius subditi, cum plena seruili penè subiectione.* Et *quamuis in hoc non exiguam sentiret repugnantiam, & audiret murmurationem, vicit tamen, hodieque tali iuramento subiiciuntur* Papæ, *quicumque ab eo pallium accipiunt.* Paschalis *edictum, in quadam ipsius decretali, ad Episcopum* Panormitanum, *continetur: quod sic habet: Significasti Reges & Regni maiores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisariis nostris, tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum quod à nobis scriptum detulerant, exhiberes. Et inferius de causa huius faciendi decreti: Nonne malum est ab Ecclesiæ vnitate & sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? Quod multi etiam, post Sacramentum præstitum præsumpserunt:* Et infrà: *Hoc nimirum malo, ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere. Aiunt in* Conciliis *statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ* Concilia *vlla, legem præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem & facta sint, & authoritatem, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas. Et infrà: Cùm igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à B.* Petri *tantum corpore assumuntur, iustum est, vt vos quoque sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum B.* Petro, *tanquam membra de membro habere, & Catholici capitis vnitatem seruare declarent. Hæc ex* Paschalis *rescripto.*

De elect. ca. 4.

Eadem repetit, prosequitur, *& fusiùs Archiepiscopo* Polonorum, *vt ex Codice Vaticano nobis communicauit Baronius,* Placétque *ex maiori parte illam epistolam hic referre. Significasti, inquit, frater charißime, regem & regni maioris, admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum quod à nobis scriptum detulerant iurares. In pallio frater plenitudo conceditur* Pontificalis *officij, quia iuxta sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum pallium Metropolitanis minimè licet, aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare; Mirentur in hac causa & Dominum Iesum Christum: Cùm enim Dominus Iesus Christus, vt omnium ouium suarum curam Simoni Petro committeret, conditionē posuit, dicens: Diligis me Simon Petre? Pasce oues meas. Si conscientiarum factor & conditor conditione hac vsus est, nec semel tantùm, sed & secundò, & vsque ad contristationem, qua nos sollicitudine, qua prouisione oportet tantam Ecclesiæ prælationem, tantam Christi ouium curam fratribus imponere, quorum conscientias non vidimus, illis maximè quos nullo vsu nouimus, quorum dilectionem penitùs ignoramus? Nonne prædecessor tuus, præter Romani Pontificis conscientiam damnauit Episcopum? Quibus hoc Canonibus, quibus Conciliis legitur esse permissum? Quid super* Episcoporum *translationibus loquar, quæ apud vos, non authoritate Apostolica, sed nutu regis præsumuntur? Propter hæc mala & alia euitanda huiusmodi iuramentum eligitur. Aiunt in* Conciliis *statutum non inueniri: quasi Romanæ Ecclesiæ legem* Concilia *vlla præfixerint; Cùm omnia* Concilia *per Ecclesiæ Romanæ authoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romana patenter authoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonensis Concilij actione* 16. *statutum est, Ante omnia quidem primatus honorem præcipuum, secundum* Canones *antiquæ Romæ Reuerendißimo Archiepiscopo conseruari? Itaque quod censuerunt Rex & Magnates à supradicta Sacramenti conditione te quiescere, videturne vobis indicium Euangelicum? Videturne Primatus nostri honor*

Spalat. Num. 22. Apud Bar. tom. 12. an. 102.

Ioan. 21.

honor præcipuus? Nunquid animo cecidit illa sententia Domini; Non est discipulus super magistrum? Nunquid Hungarico Principi dictum est; Et tu conuersus confirma fratres tuos? Nunquid hac nos commodi nostri profectione requirimus, & non vnitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam sedem contemnere; possunt aduersum nos calcaneum eleuare; datum à Deo priuilegium euertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est, Tu es Petrus, &c. Quibus tamen quatuor Conciliorum *decretis, dandi* Pallij *modus præfixus est, & professionis vel obedientiæ ordo sancitus est. Cùm igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à B. tantùm Petri corpore assumuntur, iustum est, vt vos quoque sedi Apostolicæ, subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro hærere, &* Catholici *capitis vnitatem seruare declarent. In quibus à prædecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, vt nihil iniuriosum, nihil difficile sit appositum, quod non etiam præter exactionem nostram ab omnibus debeat Episcopis obseruari, qui sub Apostolorum Principum Petri & Pauli obedientia decreuerunt, & vnitate persistere. Nunquid non vltra vos Saxones, Danique consistunt? Et tamen eorum Metropolitani, & idem iuramentum afferunt, & Legatos Apostolicæ sedis honorificè tractant; & in suis necessitatibus adiuuant; & Apostolorum limina, per Legatos suos, non tantùm per triennium, sed annis singulis visitant. Ita te, frater charissime, fruamur in Domino, vt non per te in Ecclesiis substractionis & dissidij (quod absit) oriatur occasio. Hactenus Paschalis.* Cui illius sæculi turbæ ignotæ non sunt, ei satis est exploratum Paschali eius legis ferendæ iustissimam causam fuisse; sed de his videro aliàs. Præterire verò non possum, quin acerbissimam & insolentissimam hominis orationem, qua immeritò Pontifices hoc nomine exagitat, quod se Ecclesiasticarum sanctionum acres vindices præbuerint, hîc subiiciam.

Matth. 10.
Luc. 22.

Sic igitur in Gregorium & Paschalem debacchatur. *Hoc pacto*, inquit, *sibi ipsis nostri Papæ substernunt bases, easque in altum sustollunt, vt idolum abominationis tantò eminentius super illas collocetur. Pallij profectò ornamentum, vt dixi, & ostendi, res vetus est in Ecclesia, sed compara, obsecro Lector, superiores superiorum Pontificum longè modestiorum modestas* Pallij *concessiones: Cum hoc typho Heldebrandico & Paschalino, quas posteriores sunt subsecuti.* Et *videbis nihil fermè esse in Ecclesia tam sanctè institutum, quod non tandem Roma, siue ad Auaritiæ, siue ad Ambitionis, terrenique fastus peruerterit insaniam. Considera abusum sacræ scripturæ, in hac Paschalina monitione; & vide, num hæc conditio iuramenti fidelitatis & subiectionis propter Pallium, sit magis similis conditioni illi, sub qua Christus cõmittebat curam pastoralem Petro, si illum diligebat; an illi, sub qua insignis tentator pollicebatur omnia regna mundi, & gloriam eorum Christo, si procidens adoraret illum, & quid subiectioni* Episcoporum *Monarchiæque vnius* Episcopi *supra cæteros ob solum fastum temporalem, cum* Ecclesiæ *vnitate?* Ecclesiæ *vnitas est, vt omnes* Episcopi *nullo excepto, tanquam vera membra in vnico suo capite Christo vniantur:* Et *vnitas non est, vbi vnus conseruus super alios vsurpat tyrannidem, eosque verberibus malè accipit, factus ex seruo suorum conseruorum Dominus. Nihil dico de maximo* Conciliorum *contemptu; erit suus suo loco sermo. Vbi verò, vbi quæso sancte* Pater *Paschalis, quatuor Concilia modum decreuerunt dandi Pallij, vbi professionis obedientiæ faciendę verbum vllum in dictis Conciliis? Translationes* Episcoporum *à Metropolitanis & Synodis, sine Romano* Papa *fieri legitimè, vbi adsit legitima causa, suprà cap. 3. iam probaui. In Concilio Nicano, & Chal-*

SPALAT. Num. 23.
Ioan. 21.
Matth. 4.
Matth. 24.

cedonensi, de solo Primatu Romano aespectu suæ propriæ Prouinciæ agi, ostendam lib. sequenti. De aliis vsurpationibus suis locis tractabo. Quod os ei esse oporteat, quem putidissimarum harum calumniarum non pudeat? Pallij ornamentum rem esse in Ecclesia antiquam fatetur, eius concedendi potestatem penes vnum Pontificem, à tot retrò sæculis fuisse inficiari non potest; interim tamen tanquam duo portenta & Ecclesiæ ludibria, Gregorium & Paschalem traducit, quod eius gerendi potestatem ab vno Pontifice Metropolitis concedi posse edixerint? O portentum in vltimas terras deportandum. Sed Paschalem nominatim mordet, eumque pessundatæ scripturæ postulat, quasi pro Pallij vsu locum Ioannis, *Pasce oues meas*, adduxerit. O frontem! Imò locum citauit, vt ostenderet sibi hanc curam esse debere, vt nonnisi probi & periti ad pastorale fastigium eueherentur, & quod de Pallio addit, facit quia Pallij gerendi concessio summæ dignitatis in Ecclesia sit insigne; quare censet haudquaquam debere passim id genus ornamenti omnibus concedi, sed iis dumtaxat quos con-

Ex nu. 21. stet administrandæ summæ dignitati pares esse: Verba eius sunt, *Cùm Dominus Iesus Christus, vt omnium ouium suarum curam Simoni Petro committeret, conditionem posuit dicens; Diligis me Simon Petre; Pasce oues meas*, vt suprà. Potuitne aliquid sanctius, & ab omni iustiore censura remotius proferri? Quæ verò pro Romanæ sedis dignitate affert Paschalis, suo loco examini subiicientur, & à calumniis aduersariorum defendentur. Certè vnitatem corporis Ecclesiæ, capitis vnitate niti, ac citra eam consistere non posse, est suprà à nobis demonstratum, ampliúsque demonstrabitur aliis libris. Iuramentum verò præstandum sanctæ Sedi, propterea recentiores illi Pontifices edixerunt, quod turbarum plena essent omnia, nec infrequenter ipsi Antistites à Pontificibus & Ecclesia deficerent, vt Principibus parasitarentur; Sanè Gregorius primus modestissimus Pontifex, etiam iuramentum ab iis Episcopis, qui ab hæresi reuerterentur, exigendum

Greg. li. 10. ind. 5. ep. 31. ex Registr. duxit; & extat eius forma in ipsius epistolis. *Promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorũ principi, atque eius Vicario beatissimo Gregorio, vel Successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocunque alio modo ad schisma: de quo Redemptoris nostri misericordiam liberante ereptus sum, reuersurum: sed semper me in vnitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansurum. Vnde iurans dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & salutem gentium atque illustrium dominorum nostrorum rempublicam gubernantium me in vnitate (sicut dixi) Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis, semper & sine dubio permanere. Quod si (quod absit) aliqua excusatione, vel argumento ab hac me vnitate diuisero: periurij reatum incurrens: æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Hanc autem confessionem promissionisque meæ chartulam notario meo cum consensu Presbyterorum & Diaconorum, atque Clericorum, qui me in hac vnitate obligantes in supra scriptis omnibus prona simul voluntate secuti, atque propriis manibus subscripturi sunt, scribendam dictaui: & propria manu subscribens tibi tradidi.* Certè ab his conuiciorum plaustris in Pontifi-

Ad Episc. Panorm. in decret. de elect. c. 4. cem exonerandis, reuocare Spalatensem debuerunt innocentissima ista Paschalis verba; *Cùm à sede Apostolica*, inquit, *vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore assumuntur, iustum est, vt vos quoque Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum beato Petro tanquam membra de membro habere, & Catholici capitis vnitatem seruare declarent.* Sed qui semel modestiæ fines

fines transilierit eum oportet gnauiter esse impudentem.

Sed iam mollius loquentem audiamus Spalatensem; *Prisca sanè*, inquit, *consuetudo fuit, vt accipientes Pallium à suo Patriarcha, fidem suam ei explicarent, & profiterentur; vt inde constaret illos in fide Catholica, cum Catholica Ecclesia conuenire, vt patet ex verbis Pelagij, reprehendentis eos Metropolitanos, qui fidem suam secundum priscam consuetudinem, sanctæ sedi Apostolicæ exponere detrectantes vsum Pallij, neque expetebant, neque ipsum percipiebant. Vbi etiam decernit; vt quisquis Metropolitanus, vltra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ad Apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate. Et Ioannes Octauus Agrippinensi Episcopo, optatum pallium noluit conferre, quia fidei tuæ, inquit, paginam minus quàm oporteat, continere reperimus, cùm videlicet in ea nullam sanctarum vniuersalium Synodorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur; nec Decretalium Pontificum Romanorum Constitutionum, secundum morem feceris mentionem; sed nec illam propria subscriptione munieris; nec aliquem qui hanc iureiurando firmaret miseris. Hæc de fidei dogmaticæ professione, ad iuramentum fidelitatis, hoc est obsequij & subiectionis temporalis flexerunt posteriores: Cùm tamen consuetudo Ecclesiastica, solam fidei Catholicæ, iuxta Symbola ab Ecclesia definita, professionem etiam iuramento firmatam requisierit; vt suprà explicaui huius libri capite quinto.* Quod scribit id iuris penes Patriarcham fuisse, ægrè probauerit, nisi eius concedendi potestatem illi à Pontifice factam esse fateatur. Sed de ea re videro. Quod verò addit olim doctrinæ solùm in iuramento præstando habitam rationem, iam verò *ad fidelitatem*, hoc est ad obsequium temporale torqueri, immanis est ex duplici capite calumnia: Nam primùm, dogma est fidei omnes omninò Episcopos Pontifici esse subiectos, ac eius sollicitudini commissos, illis verbis, *Pasce oues meas:* siquidem in numero eos esse ouium Christi, nullus negauerit, quare cùm id ab eis exigitur, dogmatum fidei proculdubiò ratio habetur. Demùm falsitate ipsa falsius est ad temporale obsequium flexisse Pontifices iuramentum ab Episcopis exigi solitum; Spirant enim omnia iuramenti verba merum illud obedientiæ genus, quod in rebus Ecclesiasticis, & ad religionem pertinentibus, Pontifices ab Antistitibus reposcere omninò iure suo possunt. Disseruit appositissimè de istis qui oppugnatur Pontifex Paschalis II. quanquam eum insectatur & mordacibus conuiciis petit Spalatensis. *Significasti*, inquit, *frater Charissime Regem & Regni maiores, admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum quod à nobis scriptum detulerant iurares. In Pallio frater plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia iuxta sedis Apostolicæ & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minimè licet aut Episcopos consecrare, aut Synodum celebrare: Mirentur in hac causa & Dominum Iesum Christum: Cùm enim Dominus Iesus Christus, vt omnium ouium suarum curam Simoni Petro committeret conditionem posuit dicens; Diligis me Simon Petre? Pasce oues meas. Si conscientiarum factor & conditor, conditione qua vsus est, ne semel tantùm, sed & secundò, & vsque ad contristationẽ, qua nos sollicitudine, qua prouisione oportet tantam Ecclesiæ prælationem, tantam Christi ouium curam fratribus imponere, quorum conscientias non vidimus illis maximè, quos nullo vsu nouimus, quorum dilectionem penitus ignoramus? Nonne prædecessor tuus præter Romani Pontificis con-*

Spalat. Num. 24. Dist. 100. cap. 1. Ead. c. Optatum. De iur. iur. c. Ego N. Spalat. Num. 22. Apud Bar. tom. 12. an. 1102.

ſcientiam damnauit Epiſcopum? Quibus hoc Canonibus,quibus Conciliis *legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non authoritate Apoſtolica,ſed nutu Regis præſumuntur?* Propter *hæc mala, & alia euitanda huiuſmodi iuramentum eligitur. Aiunt in* Conciliis *ſtatutum non inueniri; quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint; cùm omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ authoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana patenter authoritas excipiatur. Nonne in* Chalcedonen*ſis* Concilij *actione* 16. *ſtatutum eſt; Ante omnia quidem primatus honorem præcipuum,ſecundùm* Canones *antiquæ Romæ Reuerendiſsimo Archiepiſcopo conſeruari? Itaque quod cenſuerunt Rex & Magnates à ſupradicta Sacramenti conditione te quieſcere, videturne vobis iudicium Euangelicum? Videturne Primatus noſtri honor præcipuus? Nunquid animo cecidit illa ſententia Domini: Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum? Nunquid Hungarico principi dictum eſt;* Et *tu conuerſus confirma fratres tuos? Nunquid hæc nos commodi noſtri profectione requirimus, & non vnitatis* Catholicæ *ſtatuimus firmamentum?* P*oſſunt Apoſtolicam ſedem contemnere; poſſunt aduerſum nos calcaneum eleuare; datum à Deo priuilegium euertere,vel auferre non poſſunt,quo* Petro *dictum eſt, Tu es* Petrus,*&c. Quibus tandem quatuor* Conciliorum *decretis dandi Pallij modus præfixus eſt, & profeſsionis vel obedientiæ ordo ſancitus eſt. Cùm igitur à ſede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis,quæ à B. tantùm Petri corpore aſſumuntur,iuſtum eſt, vt vos quoque ſedi Apoſtolicæ,ſubiectionis debitæ ſigna ſoluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro hærere,&* Catholici *capitis vnitatem ſeruare declarent. In quibus à prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, vt nihil iniurioſum,nihil difficile ſit appoſitum,quod non etiam præter exactionem noſtram ab omnibus debeat Epiſcopis obſeruari,qui ſub Apoſtolorum Principum Petri & Pauli obedientia decreuerunt, & vnitate perſiſtere. Nunquid non vltra vos Saxones, Danique conſiſtunt? Et tamen eorum Metropolitani, & idem iuramentum aſſerunt, & Legatos Apoſtolicæ ſedis honorificè tractant; & in ſuis neceſsitatibus adiuuant; & Apoſtolorum limina, per Legatos ſuos, non tantùm per triennium, ſed annis ſingulis viſitant. Ita te, frater chariſsime, fruamur in Domino, vt non per te in Eccleſiis ſubſtractionis & diſſidij (quod abſit) oriatur occaſio.* Sed in Paſchalem inuehitur, ac abuſum eum ſcriptura ſacra, & perperam Concilia citaſſe cauillatur; quaſi teſtimonia Scripturæ & Conciliorum decreta induxerit, vt probaret nominatim, & Scripturam & Concilia ius illi conferendi Pallij tribuiſſe; cùm tamen hoc vnum ſibi velit, ſummam poteſtatem Petro, Petrique Succeſſoribus à Chriſto collatam, & à ſummis Conciliis cultam & obſeruatam, vt inde probet *ex conſequenti* ſcilicet ius concedendi Pallij penes Pontificem eſſe, quod dignitatis Eccleſiaſticæ, cuius ille Princeps, inſigne ſit. Nihil igitur ad illas contumelias reponemus, verùm de his iam egimus, ac nugas Spalatenſis refellimus, propugnatâ magni Pontificis ſententiâ, in qua nullius temporalis ſubiectionis mentio ſit. De Conciliis dicemus ſuo loco, præcipuè de Chalcedonenſi, cuius Decretum retulit Paſchalis.

SPALAT. Num. 25. Iam aggreditur explicare, *quo iure ſit inſtitutum Pallium, quàm antiquus ſit Pallij vſus, ad quid, & quibus Epiſcopis, quibuſque modis ſeu conditionibus daretur; ac demùm à quo pallium dari debeat*; Sed in ipſo limine offendit. P*allium ſanè*

ſanè, inquit, *ante omnia ſatis apparet, fuiſſe initio aliquod veſtimenti genus, quod Imperatores ſimile alicui Imperiali ornamento, præcipuis* Epiſcopis, *putà Romano & Conſtantinopolitano conceſſerint, vt habes ſuprà num.* 2. *Cui poſtea cruces illæ ſint additæ, vt penitus Eccleſiaſticum fieret ornamentum. Hoc verò ornamentum ad omnes* Epiſcopos *in Oriente tranſiiſſe, & factum fuiſſe commune omnium Epiſcoporum indumentum ſacrum, in rebus ſacris peragendis, ſatis conſtat ex num.* 5. & 6. Sed præter quàm quod hoc commentum ſuprà diſpunximus, mendacē oportuit fuiſſe memorem; ſuprà contendebat ad ordinationes potiſſimùm faciendas fuiſſe eius gerendi poteſtatem Epiſcopis factam. Oſtendat igitur his ſe aliquando immiſcuiſſe Imperatores? An illos tuliſſet Eccleſia? Apage has falellas. Ergo cruces quibus diſtingui ſoleret, ſatis oſtendunt merum fuiſſe ornamentum Eccleſiaſticum, proinde à Pontificibus non ab Imperatoribus concedendum. Quod verò addit omnium Epiſcoporum fuiſſe illum amictum, eſt ſuprà à nobis exploſum & profligatum. Sed pergit Spalatenſis ſua ſomnia nobis narrare. *Romani* Pontifices, inquit, *hinc etiam ſuæ, & elationis ſupra alios, & vtilitatis occaſionem arripuerunt; & quia in Occidente non erat fortaſſè cōmunis pallij vſus, ſicut in Oriente, ipſi ad ſolos Archiepiſcopos iſtud reſtrinxerunt; ſeque ſolos, illius largitores non ſine pingui lucro, vt teſtatur Gregorius ſup. n.* 11. *effecerunt; & tali pallio ſibi Metropolitanos omnes totius Occidentis ſubiugare voluerunt. Et tandem apertè ſuos vaſallos Archiepiſcopos omnes, talis pallij conceſſione, declararunt. Vt quæ paulò antè produximus, oſtendunt manifeſtè. Itaque non vlla lege vllove iure, ne Eccleſiaſtico quidē, pallij neceſſitas eſt inducta; ſed donum Imperiale factum* Epiſcopo Romano *ex Eccleſiaſtica conſuetudine ſola, vt fatetur Gregorius, cœpit ab aliis quoque ambiri & enixè poſtulari; inde verò Romani* Pontifices *etiam neceſſitatem induxerunt, & ſibi iuriſdictionem compararunt, vetueruntque ne ſine pallio Archiepiſcopus ſuam poſſit authoritatem Archiepiſcopalem exercere.* Laſciuit proteruus deſertor, præque inuidia non aduertit primum pallij vſum in Occidente fuiſſe, ac ſiquid monumentis Eccleſiaſticis ſit credendum, primos eius cōcedendi authores fuiſſe Pontifices Romanos, non vt Occidentis Epiſcopos ſibi ſubiicerent, ſed vt ſummam Metropolitarum dignitatem hoc honore auctam, ab aliis inferioris notæ diſtinguerent. Fatemur verò non extare vllam legem ſcriptam de pallio Metropolitarum concedendo, ſed patiatur Spalatenſis illud Tertulliani de corona ſibi recini. *Hanc ſi nulla Scriptura*, inquit, *determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit.* Et rurſus. *Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi leges expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei, patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces.* Hoc nimirum ſibi volunt verba Gregorij, *Priſca conſuetudo obtinuit*, inquit, *vt honor pallij, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat.* Vides vt eius vſum & conceſſionem ad antiquum morem reuocet. Quod attinet ad *pingue* illud *lucrum* quod traducit Spalatenſis, oſtendit Gregorij locus ab eo adductus hanc labem abſterſiſſe, ac nundinatione illa omninò abſtinuiſſe Pontifices rei indignitate permotos. Sed nondum eſt rixarum finis.

[Margin: Eod. nu. 25. — Greg. li. 4. Ind. 13. ep. 55. — Diſt. 100. c. 2. — Tert. de Corona militis. — Ibid. — Greg. diſt. 100. c. 2. — Spalat. Num. 26. — De priuil. c. Antiqua.]

Hinc iam eſt, ait Spalatenſis, *vt Romanæ Monarchiæ aſſertores contendant à ſolo Papa Romano pallium eſſe petendum & concedendum; & ex Papa conceſſione Patriarchas reliquos quatuor Orietales, poſtquā ipſi à Papa Romano palliū obtinuerint, poſſe ſibi ſubiectis Metropolitanis pallium concedere. Ita definit Innocentius ter-*

tius in Concilio generali: Qui negare non potuit cuiusque Patriarchæ esse, palliũ suis concedere Metropolitanis; & consequenter actum concedendi pallium, esse actum iurisdictionis & superioritatis erga illum, cui conceditur pallium: illumque qui accipit hoc ipso, quandam subiectionem fateri ad concedentem. Sed quatuor Patriarchas Orientales habere hanc subiectionem ad Romanum, ab eoque teneri pallium postulare, & accipere, vt Innocentius in propria causa, inauditis partibus, definiuit; mihi videtur falsissimum. Cùm præsertim, vt dixi, pallium in Græca Ecclesia, sit iam ordinarium omnium Episcoporum, non Metropolitanorum dumtaxat, sacrum indumentũ, quod in Occidente ad summũ potest esse signum tantummodo legitimæ alicuius Metropolitani ordinationis: & iure solo positiuo, imò non nisi Romano, inductum videtur, vt ligata censeatur potestas Metropolitica in ordinato iam Metropolitano, vsuque ipsius ei inhibitus, quo vsque pallio exornetur. Pallium itaque etiam si stemus Romanis legibus, non dat potestatem Ecclesiasticam, *sed ordinatio, vt toto penè libro secundo probaui: ligatam potestatem dumtaxat soluit, & vsum inhibitũ liberum facit. Sicut itaque sola Ecclesiæ consuetudine Metropolitanus, & non alij* Episcopi, *ordinãt Episcopum simplicem; & Episcopi totius Prouinciæ, & non alij externi, ordinant Metropolitanum, &* Primatum & Patriarcham; *ita eorundem esse deberet & ligare potestatem Metropoliticam in nouo Metropolitano ordinato, & eam concessione pallij soluere: aut* Patriarchis *concedere deberet Synodus plenior, vt ipsi per pallij iam dicti concessionem, vsum liberum iam acceptæ in ordinatione potestatis, nuper ordinato Metropolitano relaxarent.* Respondeo meritò Iuris Canonici interpretes, ius concedendi pallij vni Pontifici asserere, quippe cùm insigne sit summæ dignitatis Ecclesiasticæ, ad Principẽ & caput Ecclesiæ omninò spectare debuit eius concedendi prærogatiua, quod præterquàm Innocentius III. in celeberrimo orbis terrarum conuentu, scilicet in Concilio Oecumenico *Lugdunensi*, sanxit, etiam ex his colligere licet, quæ à Græco Patriarcha Constantinopolitano pro eo iure suæ Ecclesiæ conciliando, per fraudem & improbas artes gesta sunt; Sic enim de his Luithprandus in narratione suæ legationis Constantinopolitanæ ad Nicephorum Imperatorem: *Nicephorus cùm omnibus Ecclesiis homo sit impius, liuore, quo in vos abundat Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, vt Hydruntinam Ecclesiam in Archiepiscopatus honorem dilatet, nec permittat in omni Apulia seu Calabria Latinè amplius, sed Græcè diuina mysteria celebrari.* &c. *Scripsit itaque Polieuctus Constantinopolitanus Patriarcha priuilegium Hydruntino Episcopo, quatenus sua auctoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentila, Turcico, Grauina, Maceria, Tricario, qui ad consecrationem Domini Apostolici pertinere videntur. Sed quid hoc memorem, cùm ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ Sanctæ Catholicæ atq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ meritò subiecta sit? Scimus, imò videmus Constantinopolitanum Episcopum pallio non vti, nisi Sancti Patris nostri permissu.* Fatemur verò non conferre Pallium potestatem Ecclesiasticam *in actu signato*, vt vocant, sed dare in *actu exercito*, non tanquam causam, sed tanquam insigne ex recepto Ecclesiæ vsu contendimus. Quod de iuribus Patriarcharum retexit Spalatensis, est suprà à nobis profligatum; neque verò ius Patriarcharum in Pontifice spectauit Innocentius I. sed ad dignitatem capitis Ecclesiæ respexit, qua reliquos non solùm ordine, sed & authoritate anteuertit Romanus.

Bar. to. 10. an. 968.

Cæterùm hæc tam clara sunt, vt qui offundere tenebras nititur Spalatensis, proximis sectionibus perplexè admodum de eo à quo sit palliũ accipiendũ statuat, modò enim *Synodũ*, modò *Patriarchã* respicit, nec in quo acquiescat videt: Tandem

Tandem eò relabitur, vt *Patriarcharum hanc esse potestatem comparatione Metropolitarum affirmet; ipsos verò Patriarchas censet debere, nullo alio manum admouẽte, hoc est per se inducere, quod nulli alteri subiiciantur*; Sed vt est flaccidum argumentum, & proculdubiò Patriarchæ orthodoxi Pontificem pro capite semper sunt venerati, ita illa ineptiarũ moles ei superstructa ruit, ac concidit per se tota. Certè Cyrillũ Alexandrinum Patriarchã honoris insignia sibi à Pontifice missa, in amplioris potestatis argumentũ sibi concessæ traxisse, ipsi Græci quamquam ambitiosius pro suorum Patriarcharũ honoribus pugnent, non inuiti fatentur; quod etiam suprà ex Balsamone & Nicephoro probabat Spalatensis: Nihil ergo huic nostræ assertioni officit, quod ex Liberato adducitur, *solitum olim recens creatum Patriarcham Alexandrinum, ductus ad sepulchrum nuper defuncti excubiis, pallium beati Marci de collo demortui suis manibus detrahere, ac suis humeris imponere*; siquidem (credo) ordinarium illud fuit Antistitis Alexandrini amiculum, non ornamentum illud & insigne summæ dignitatis, quo ius initiandi Metropolitas veluti conciliatur: vel si nobilissimum illud insigne fuit citra cõsensum Pontificis Romani, haudquaquã illud sibi vindicabant Alexandrini Patriarchæ; quippe constat eos illo sæculo de misso à Celestino ad Cyrillum Phrygio gloriari solitos. Stramineum verò est argumentum à Pontifice, qui à nemine pallium accipiat, ad cæteros Patriarchas ductum, quasi pares essent, ac proinde eodem iure potirentur. Pares namque Pontifici illos nunquam habuit Catholica Ecclesia, & iure Capitis in aliorum Prouinciis suam potestatem exercuisse, tam certum est, quàm est indubitatum aliò Canonem Concilij Nicæni torquentem Spalatensem à verò omninò aberrare. Sed de Canone Nicæno videro alio loco.

SPALAT. Num. 27.

Liberat. in breuiar. cap. 20.

Nunc de Antiocheno & Hierosolymitano Patriarchis agendum: Hos enim iam Pontifici subducere conatur. *Agnouerunt*, inquit, *hanc potestatem à Romano independentem Patriarchæ Antiochenus, & Hierosolymitanus; illi quoque qui Latini cùm essent, & à Latina Ecclesia dependentes, & Latinis Principibus illis regionibus post recuperatam Hierusalẽ & Palæstinã, aliáque regna Orientis dominantibus, sedes illas detinebant; Quamuis enim in gratiam Papæ Romani, cùm primum à Saracenorum tyrannide regiones illæ Latinorum armis sunt liberatæ; Ecclesiæ Græcis erepta Latinis dari cœperunt: Occidentisque Romanũ morem secuti Episcopi, Papam Romanum Monarcham suum agnoscere, aut voluerunt, aut coacti sunt, & qui Metropolitani erant electi, cogerentur, Romam ad pallium petendum & accipiendũ proficisci: Vt sic planè Oriens Romano Pontifici in rebus Ecclesiasticis subderetur; Rodolphus tamen Mamistanus, nouus Antiochenus Patriarcha, secundus ex Latinis, statim populi electione prouectus, sine mora, pallium de altari B. Petri (in ipsa vrbe Antiochena) nulla ad Ecclesiam Romanam (vt loquitur Tyrius Episcopus totus Romanus) habita reuerentia sibi assumpsit; dicens vtramque Petri esse Cathedram, Antiochenam & Romanam; eamque quasi primogenitam insignem prærogatiua. Ac nisi cum Principe Antiocheno simultates gessisset, à quo æmuli ipsius fouebantur, in sua prærogatiua perseuerasset. Non potuit tamen tanto persecutori resistere, sed vi coacto Roma petenda fuit, exuendumque pallium & nouum à Romano concessum induendũ. Et quia hominem suæ sedis libertatis retinendæ cupidum Roma agnouit: veneno sublatum, spiritus libertatis deponere illum, vt moris est, coëgit. Historiam habes integram à Tyrio Episcopo VVillelmo descriptam; & à Baronio in suos Annales coniectam.* Diceres fulciendæ suæ causæ ea argumẽta cõquisisse Spalatensem, quæ eam funditus euertant. Radulphus ille Marmistanus homo militiæ addictus, citra cõsensum Episcoporum suffraganeorum (ad quos ius eligendi Patriarchæ pertinere

SPALAT. Num. 28.

VVillel. Tyr. l. 13. c. 23. & Bar. tom. 12. an. 1127. Idem Tyr. l. 14. c. 10. & Baron. ibid. an. 1136.

tot locis vrget Spalatensis.) vel etiam cleri eius Ecclesię, fauore populi quem largitionibus demeruisset, in Antiochenam sedē intrusus, nulla mora ducta palliū de altari B. Petri propriâ authoritate, *nullo humano respectu Romanæ sibi assumpsit.* Sed factumne probat Tyrius audi illū: *Post obitum Bernardi primi Latinorū apud Antiochiam Patriarchæ,* inquit, *cùm vniuersi illius amplissimæ sedis suffraganei tam Archiepiscopi quā Episcopi, de more conuenissent, vt* Ecclesiæ *pastoris destitutæ solatio, vtiliter prouiderent, & super eo ipso tam salubri negotio in palatio Patriarchali, diligentiores, mutuò (sicut in talibus fieri solet) haberentur tractatus. Radulphus quidam Mamistanus Archiepiscopus de castro Danfrunt oriundus, quod in confinio Normanniæ & Canomannensis Diœceseos situm est, vir militaris, magnificus & liberalis, plurimum plebi & equestri admodum acceptus ordini, absque fratrū & Coēpiscoporum conscientia solo populi, vt dicitur, suffragio electus est, & in Cathedram Principis Apostolorū inthronizatus. Quod audientes qui ad hoc, vt sibi Patriarcham, authore Domino præficerent, conuenerant, timentes furentis & vociferantis populi indiscretos impetus, diuisi sunt ab inuicē, ei quem non elegerant, obedientiam exhibere recusantes. Ille tamen nihilominus* Ecclesiam *& palatium occupans, statim sine mora pallium de altari B. Petri, nullâ ad Ecclesiam Romanam habitâ reuerentia sibi assumpsit. Processu quoque temporis nonnullos de suffraganeis* Ecclesiæ, *in suam attraxit communionem. Et vt multorum relatione cognouimus, si Canonicorum Ecclesiæ pacem amplexus fuisset, nec eorum turbare possessiones spiritu superbiæ ductus præsumpsisset, potuisset tranquillo statu vitam ibi transegisse. Sed quia verum est, quod prouerbialiter dici solet: Difficile est vt bono claudantur fine, quæ malo sunt inchoata principio: peccatis suis exigentibus, præ multitudine diuitiarum ita factus est insolens, & neminē præ se ducens hominem, vt potius Antiochi quàm Petri, vel Ignatij successorem se exhiberet. Maiores enim Ecclesiæ alios violenter eiecit, alios vinculis & carceri, quasi capitaliū reos mācipauit. Inter quos quendā Arnulfum nomine,* Calabrū *natione, virū vtique nobilem & litteratum. Item Lambertum miræ simplicitatis hominem, & honestæ conuersationis, literatum etiam, eiusdem Ecclesiæ Archidiaconum, in quodam præsidio tanquam viros sanguinum in diuersorium calce plenum detrusit in carcerem, & per multos afflixit dies, dicens in mortem suam conspirasse. Hæc & iis similia in subditos efferâ mente pertractans, vniuersorum in se prouocabat odium, vixque inter familiares & domesticos, prauæ stimulis conscientiæ agitatus, tutus ei videbatur locus.* De exitu verò ista refert. Princeps Antiochenus, in cuius offensam & odiū incurrerat propter extortum ab eo iuramentum, quod vocant *fidelitatis,* iniuriā suam vlturus cū Radulphi aduersariis conspirat, eumq; Sacramēti memor valdè vexat, Romā proficisci cogit, cumque Apuliæ applicuisset, à Rogerio Apuliæ duce in vinculis habitus est, cui tandē recōciliatus Romā se recepit. Romę ab aduersariis accusatur, sed ita causam suā agit, vt ei ad propria remeādi copia facta sit. *Interea,* inquit Tyrius, *resignato Pallio quod idem Patriarcha de altari Antiochenæ Ecclesiæ, sua sibi sumpserat authoritate, in iniuriam, vt dicebatur, sedis Apost. & Cardinalibus restituto, aliud ei, sumptū de corpore B. Petri more solemni per priorē Diaconorū traditur. Reuersus, à suis, instinctu Principis nō recipitur: in terrā secedit* Comitis Edessani: *tandem cum Principe pacificatus, Antiochiā ingreditur. Lugdunensis Archiepiscopus Apostolicę sedis Legatus, apud Accon defungitur, dirigitur ad idē Albericus Episc. Hostiensis. Synodus apud Antiochiā indicitur. In cætu Episc. aduersus* Patriarcham *accusatio proponitur: citatur: sed venire differt. Serlo Appamiēsis Archiep. eius fautor* Patriarcha *quasi contumax absens deponitur, ignominiosè tractatus; vinculis mancipatur: Romam iterum profectus, ex parte gratiam obtinet, sed rediens veneno in-*

VVillelm. Tyr. lib. 14. c. 10.

Id. l. 15. c. 13.

Id. li. 5. c. 14. 15. 16. 17.

terit. Vt autem inuidiam luctuosissimi fati in Ecclesiam Romanam deriuet, propinati veneni eam non obscurè ream facit, quasi qui toxicum darent, submisisset Pontifex: sed hæc eius est summa impudentia, cùm Tyrensis Episcopus, sceleris authores non recenseat. Verba eius sunt. *Captus,* inquit, *& cathenatus in Monasterio diu detentus, tandem elapsus, Romam profectus est. Ibi aliquantinus gratiam sedis Apostolicæ assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente nescimus, quo miserabiliter interiit.* Ac certè si coniecturis locus erat, ac suspicionibus, debuit potius ea culpa in aduersarios Patriarchæ, qui Romam ad eum accusandũ profecti essent, eumque valdè incessissent conferri, quã in Pontificem aut eius ministros. Idem Tyrius Lugdunensem Archiepiscopum Apostolicæ sedis Legatum apud Accon veneno, vt est creditum, in potu ministrato, *in fata concessisse,* Tyrij verba sunt, refert. Nunquid igitur venenum etiã parauerat Pontifex? aut criminis ministros subornarat? Tã facilè fuit Spalatẽsi istud asserere, quàm illud: Sic autẽ Tyrius de homine censet, virtutes & vitia notans. *Fuit autem idem Dominus Radulphus*, inquit, (*nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum*) *vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulũ obliquis, non tamen ad indecẽtem modũ, literatus mediocriter, sed facundus plurimũ & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militariũ virorũ, sed & secundæ classis fauorem non modicum assecutus promissorum & pactorum facilè immemor, in verbo suo varius & inconstans, subdolus, ac nimium in omni via sua multiplex, prouidus & discretus: in eo solo repertus imprudentior, quod aduersarios quos sibi meritò suscitauerat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim & verè sic erat, arrogans, & de se plus æquo præsumens: vnde in eum deuenit casum, quẽ si aliquantulum circumspectius se habuisset, facilè potuisset declinare.* Mamistano succedit VVillelmus Hierosolymorum Patriarcha Latinus, quem Fulcherio Tyrensi Archiepiscopo propterea infensum existimat, quod Pallium à Romano Pontifice, se prætermisso comparare ac accipere voluisset. Sed historiam ita narrat Tyrius, vt stetisse consuetudini Fulcherium significet, ac Innocentiũ II. Pontificem innocentissimum & eximiis laudibus à D. Bernardo ornatum, grauissimè hunc VVillelmum reprehendentem, ac eius audaciam frangentem inducat: Sic enim habet: *Vvillelmo Primo Latinorum Tyrensium Archiepiscopo, substitutus est Dominus Fulcherus bonus memoriæ, Aquitanicus natione, patriâ Engolimensis, vir religiosus ac timens Deũ, modicè literatus, sed constans & amator disciplinæ, &c. Rexit autem eandem Ecclesiam strenuè & fœliciter annis 12. quartus ante nos, qui nunc eidem Ecclesiæ, non electione meriti, sed solâ Domini dignatione & patientia præsidemus. Qui postquã à Domino Hierosolymitano Patriarcha Vvillelmo, suæ munus consecrationis accepit, exemplo prædecessoris sui volens ad Ecclesiã Romanam pro obtinendo Pallio properare, ab eodem Patriarcha, & eius cõplicibus passus est insidias & violentiam, ita & vix & cum multa difficultate manus eorũ posset effugere, & ad Ecclesiam Romanam pro causa prædicta peruenire. Sicut & tenore literarũ Domini Papæ Innocentij manifestè deprehenditur. Ait enim: Innocentius Episcopus, seruus seruorũ Dei, venerabili fratri Guilelmo Hierosolymitano Patriarchæ salutẽ & Apostolicã benedictionẽ, & Magisteriũ totius Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ institutionis B. Petro Apostolorũ principi, cœlesti priuilegio esse collatũ, Euangelica declarat authoritas.* Et infrà: *Miramur autẽ, quoniã cùm Romana Ecclesia pro liberatione Orientalis Ecclesiæ tantoperè laborauerit, & filiorũ multorum sanguinẽ effundendo cordatã Ecclesiasticorũ quàm seculariũ ad eius seruitiũ excitauerit, nequaquã,*

Tyr. lib. 15. c. 17.

Lib. 15.

Ibid. c. 17.

VVillerm. Tyrens. lib. 14. c. 11.

prout conuenit, eidem matri suæ hac vice respondere curasti: parum enim tibi visum fuerat, quod venerabilem fratrem nostrum Fulcherum Tyrensem Archiepiscopũ, more prædecessorum suorum pro susceptione pallij ad Romanam Ecclesiam venientem disturbare præsumpseras, nisi & erga eum à nobis redeuntem te inhumanũ, difficilemq; & nimis asperum exhiberes: adeò quod nec antiquam dignitatem Tyrensis Ecclesiæ sibi restituere, nec de damnis sibi illatis, aut etiam de Caypha, siue Porphyria iuxta mandatum nostrũ infrà tres menses post acceptionẽ nostrã literarum ei iustitiã facere volueris: cùm vtique satis indignum sit, vt honor qui sibi si ei obediret, ab Antiochena exhiberetur Ecclesia, à te vel à tuis successoribus subtrahatur. Præterea in subiectos illius nimis potestatiuè diceris te habere. Quocirca authoritate Apostolica mandando tibi præcipimus, sicut eiusdem matris tuæ piis optas studiis, atque solatiis confoueri, sicut in tuis necessitatibus, eius patrociniis desideras adiuuari, iam dictum Archiepiscopũ diligas & honores, & in nullo perturbare præsumas: Quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniã deposuerit, sibi plenã iustitiam infra quadraginta dies postquã præsentia scripta susceperis, exhibere nõ differas, nec aliquid in subditos suos cõtra statuta Canonũ præsumas. Alioquin timendum tibi est, ne tam ipsum quàm suffraganeos suos à tua obedientia subtrahamus, eosque in manu nostra retineamus. Non erat igitur quod ab his perduellibus præsidium duceret Spalatensis. Si Annales illos VVilielmi diligentius euoluisset, deprehendisset vtique post recuperatã Palæstinã, ac sacra Christianorũ quasi iure postliminij in nobilissimas Ecclesias Antiochenã potissimũ & Hierosolymitanã reuecta ab Heroïbus Latinis, illarũ Ecclesiarũ primos Pontifices ritu Romano, hoc est Catholico initiatos fuisse, ac Patriarchas renunciatos, ad Pontificem Romanum pro pallio misisse. Quare etiam Romã proficiscentem Fucherum cõmendans, in vrbem ad Palliumà Pontifice accipiendũ exemplo prædecessorũ se contulisse scribit. *Qui*, inquit, *postquã à Domino Hierosolymitano Patriarcha VVilelmo, suæ munus consecrationis accepit, exẽplo prædecessoris sui volens ad Ecclesiam Romanã pro obtinendo pallio properare, ab eodẽ Patriarcha, & eius cõplicibus passus est insidias & violentiã, ita vt vix & cum multa difficultate manus eorũ posset effugere, & ad Ecclesiã Romanã pro causa prædicta peruenire.* Iam verò maledictis Pontificẽ aggreditur, & veluti quodã orationis impetu in eum fertur Spalatensis, vtque procerior in Scena appareat cothurnũ sibi aptat Tragicorũ instar. Aduerterat Baronius pessundatã in Oriente rem Christianã schismaticorũ improbis artibus, totámque ingentis ædificij molẽ concidisse, quod eius cõpagines minus cohæsissent Ecclesiasticæ dignitati; Ariolari igitur nouũ Prophetã clamat veterator Apostata, atque in Põtifices nõ in refractarios illos totam culpã confert amissi Orientis: *Corruit*, inquit, *profectò tanti moles ædificij, & pulcherrima Regna ab infidelibus recuperata, breui ad eosdẽ redierunt; non quia* Patriarchæ *illarũ Ecclesiarũ antiqua sua iura tueri, & iniustæ vsurpationi, imò oppreßioni, ex Christi institutione, & sacrorũ Canonũ præscripto resistere voluerint; qui sanè vnitatẽ Catholicã in fide & mutua animorum coniunctione, consensuque inter Episcopos omnes in ministeriis exercendis, iuxta sanctiones Ecclesiasticas, non in vnius Monarchia, temperalique Pompa, fastu & dominatu reposuerunt: Sed quia Romanus noster Pontifex, non contentus grauißima Romani Imperij, in multas partes inter se penitùs diuisas, & separatas dissectione, cuius ipse author præcipuus fuit, eripiens Imperatori Græco totum Occidentem, nomine etiam Imperatoris in alium translato; iam etiam Monarchiam suam Ecclesiasticam, toties ambitam supra Ecclesias Orientales, ac præsertim* Patriarchales, *occa-*

Vvillerm. Tyr. lib. 14. c. 11.

Spalat. Num. 30.

occasione Latinorum armorum in Orientem transmissorum, & victricium cœpit extendere, & ad effectum perducere: cogendo vt extinctis in Oriente Patriarchis ipse solus vniuersi, quod tamdiu molitur, Hierarcha adeoque Monarcha agnosceretur. Habemus hac de re querimonias Theodori Balsamonis, qui fuit nomine tantùm Patriarcha Antiochenus; Non sinuntur, inquit, pedem in eam immittere Græci à Latinis, (Antiochiam scilicet vel Hierosolymam, vel Tharsum) Hierosolyma enim ab impijs Saracenis polluta sunt: Thronus Antiochenus à Patriarcha Latino detinetur, & Tharsus ab Armenijs. Quæ duo tam graues occupationes, supremi nimirum Regni, supremique in Oriente Sacerdotij, adeo Græcos anxios, & afflictos habuerunt, vt acti desperatione, quemadmodum in similibus fieri solet; non modò vires suas coniungere cum Latinis, quos iam sæuißimos hostes nominis Græci experiebantur, detrectarint, sed etiam infidelibus fauere maluerint, dummodo ipsorum gloriæ, ipsorumque Ecclesiasticæ potißimum libertatis oppressores ex Oriente pellerentur. Lugubre hoc quidem, sed eheu nimis verum. Si titulus Imperialis, quem iam legitimè poßidebant Græci, integer ipsis relictus fuisset; si Ecclesiarum Priuilegia intacta eis fuissent reseruata; moles tanti ædificij crede mihi Baroni, stetisset; & quotidianis nobilitata incrementis, Orientis cum Occidentis viribus coniunctis prostrata infidelitate, adhuc splenderet. Sed Imperij Romani perfectè Christiani dignitas tota perijt; & cum illa vires omnes, tot Regnorum factis dissentionibus, imò dissectionibus, & tot regulis erectis, & consequenter infidelitate euecta, euanuerunt, Ecclesiæque nobilißimæ factæ sunt captiuæ, & sub iugo dant gemitus, altaque ducunt suspiria & opera, & industria nostrorum Romanorum Pontificum, quibus tot ruinæ solis acceptæ sunt ferendæ. Dum enim ex Imperij casu, & ruina propriam mundanam quærunt elationem, & frænum abijciunt, quo stante Imperio in officio continebantur; dumque Ecclesias omnes sibi per summam vim, & tyrannidem, contra fas, & contra omnem æquitatem subijcere conantur, eoque humana consilia dirigunt; amplißima Regna, nobilißimasque Ecclesias magno schismate separatas amiserunt, & insuper fidem & religionem perditam effecerunt. Imperij igitur Christiani abolitio, & Turcarum tyranni ad ipsum Imperium euectio, Anglicanæ, Gallicanæ magna ex parte, & Germanicæ, & Polonicæ, reliquarumque Septemtrionalium Ecclesiarum à Romana dimembratio, sunt fructus egregij nostræ Papaticæ Monarchiæ. O Monarchiam orbi toti Christiano infaustam, atque infestam; ô seruitutem & cæcitatem Principum Christianorum omnibus lachrymis deplorandam, qui hæc aut non cernunt, aut de remedio opportuno non cogitant. Sed à Cothurno tragico ad sacrum Pallium reuertamur. Hæc Spalatensis omninò inuerecundè; Cui enim nisi in historia illius temporis valdè peregrino ignoti sunt Græcorum doli, fraudes, perfidiæ, artesque Pelasgæ, quibus Latinos immerentes vexarunt, afflixerunt, perdiderunt? Quos enim diffidentes rebus suis confirmare, afflictos erigere, perditosque recreare debuerant, eosdem ingentibus potitos victoriis, ac exercitus armis florentes toto Oriente explicantes, magno nominis Christiani dedecore Mahometanis, cum quibus fuit eis promiscua opera, prodiderunt, atque in vltimam perniciem adduxerunt. Euoluat qui velit illorum temporum Annales, nisi totam culpam amissi Orientis in Græcos conferunt scriptores, nolim mihi fidem vllam haberi. Certè scit Deus Pontificum culpam istam non esse vllam, neque Balsamonis hominis vanissimi, Latinisque propter negatam sibi Antiochenam Cathedram infensissimi, inanes querulas moramur; Pars ille tragœdiæ fuit, atque confictis in Latinos calumniis vltum ire iniurias voluit. Demus verò

Balsa. l.2.in c.16. Conc. Antioch.

aliquid peccasse, aut Pontificem, aut Latinos; Si constitutum sit, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis vlciscantur, quantum incommodorum consequetur? Quicquid ergo horum attigerint, aut Balsamon, aut ipse Spalatensis, vlcus est, nec exitum malè instituta criminatio reperire poterit. Linquamus igitur illos cothurno tragico se efferentes, ac immoderatissimis linguis frænos laxantes. Rationibus non conuiciis est viris Theologis agendum, & pudet etiam in his diutius immorari.

Spalat. Num. 31. Ipse Spalatensis à tragico cothurno ad sacrum Pallium reuertitur. *Quærebamus vltimo loco*, inquit, *quisnam esset à quo Pallia sint petenda & accipienda; posuimusque Metropolitanos inferiores, Pallium à suis Patriarchis accipere debere; Patriarchas verò illos quinque à nemine; sed ipsos sua sponte sibi Pallium assumere, & imponere. Sed aduersus hoc vtrumque, singulæ mihi occurrunt obiectiones. Ac primùm ex Gregorio, qui vt suprà vidimus num.*11. *Corinthiorum, Episcopo Metropolitano Pallium concessit, ac ille à Gregorio illud postulauit. Deinde ex Luithprandi Episcopi Cremonensis relatione suæ legationis, quam habuit nomine Ottonum, patris,* Apud Baro. tom. 10. an. 968. nu. 61. *& filij, Imperatorum, ad Nicephorum Phocam in Oriente Imperatorem; In ea enim inter alia hæc habentur: Nicephorus, cùm omnibus Ecclesiis homo sit impius liuore quo in vos (Ottones) abundat, Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, vt Hydruntinam Ecclesiam in Archiepiscopatus honorem dilatet, nec permittat in omni Apulia, seu Calabria Latinè amplius, sed Græcè diuina mysteria celebrari. Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha priuilegium Hydruntino Episcopo, quatenus sua authoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentila, Turcico, Grauina, Maceria, Tricario; qui ad consecrationem Domini Apostolici pertinere videntur. Sed quid hoc memorem, cùm ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ meritò subiecta sit? Scimus, imò videmus Constantinopolitanum Episcopum Pallio non vti, nisi sancti Patris nostri permissu. Verùm cùm impiissimus Albericus quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleuerat, Romanam ciuitatem sibi vsurparet, Dominumque Apostolicum quasi seruum proprium in conclaui teneret, Romanus Imperator filium suum Theophylactum Eunuchum Patriarcham constituit; Cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, vt, ex Papæ nomine, Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur; qua authoritate cùm ipse, tum successores eius absque Paparum permissu, Pallijs vterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ Pallijs vtantur. Quod quàm absurdum sit censore opus non est.* Hæc quod suam sententiā labefactarent soluere tentauit. Ad Gregor. quidem sic respondet. *Ad* Spalat. Num. 32. *factum Gregorij*, inquit, *ne tanquam Nicænis regulis contrarium, & tota hac præsenti disputatione reprobatum, id vsurpationis & iniuriæ nota aspergatur, respondeo; Sicut Constantinopolitanus Orientis Patriarcha in Italia, nimirum in magna Græcia diu habuit authoritatem Patriarchalem, vt nunc audiuimus; illaque ei in rebus Ecclesiasticis iure Metropolitico & Patriarchali subiaceret; ita & Romanum in Orientalibus Prouincijs, aliquas Ecclesias habuisse Romani iuris; & inter has* Greg. l. 2. ind. 11. ep. 38 *fuisse tempore Gregorij Ecclesiam Corinthiorum, & reliquas Achaïæ. Imò & vetustum inuenio quoddam ius Episcopi Romani, in Ecclesiam Corinthiorum; vt suprà cap.* 6. *num.* 13. *ex Socrate de Perigene; aut fortè Imperatori innixi, pluſculum audebant; & precationes ac commendationes in mandata vertebant. Bulgariam & Dal-* In Ep. Nic. 1. Ioan. 8. ep. 183. 190. *matiam inuenio modò Romano, modò Constantinopolitano Episcopo, tanquam suo obse-*

obsequutas Patriarchæ; Et Legati Romanæ Ecclesiæ in quadam disputatione cum Græcis habita Constantinopoli pro Bulgaria asserunt, sedem Apostolicam vtramque Epyrum, totamque Thessaliam, atque Dardaniam antiquitùs Canonicè ordinasse & obtinuisse; & Martinus Thessalonicensem Episcopum, peculiari quadam ratione subiectum facit sedi Apostolicæ. Vnde verò hæc permixtio contigerit, dicam postremo capite libro 4. sequentis num. 16. 17. At mi homo tua ista cautione opus non habuit, vt ab omni ambitu vindicaretur. Canon enim Nicænus, si benè aduertisti, nullas leges ponit Romano Pontifici, nullos ei Prouinciarum limites præscribit; & vt posuisset, Pontificem quà Patriarcham spectasset, neque quà caput Ecclesiæ intra illos cancellos cohibuisset. Certè vt ad Gregorium veniamus, toto orbe Pontificem egisse illum, ac ipsius Orientis Ecclesiis ius dixisse, tam clarè patet ex eius Epistolis, vt mihi in meridie cæcutire videantur, qui id inficiari non erubescunt; Sed egimus de his suprà, agemusque rursus alio loco. Non nego tamen ad propriam, seu vt vocant, *specialem Diœcesim*, Pontificis antiquitus pertinuisse Corinthū, ac plures alias & ciuitates, & Prouincias Græcas; quæ scilicet olim quoque ad Occidentis Imperium spectassent; Sic enim de his Leo sapiens apud Leunclauium in Iure Orientali. *Auulsi*, inquit, *à Diœcesi Romana iamque throno Constantinopolitano subiecti Metropolitani, & qui subsunt eis Episcopi sunt hi. Thessalonicensis. Syracusanus. Corinthius. Rhegiensis. Nicopolitanus. Atheniensis.* Neque Zonaras totus Græcus it inficias; *Aliæ quidem*, inquit, *Macedoniæ scilicet Ecclesiæ, & Thessaliæ, totiusque Græciæ Peloponesi, & eius quæ Epirus dicitur, ac Illyrici Diœceseos, omnes tunc temporis Romani Episcopi imperio, atque authoritate tenebantur.* Vt mirum non sit Pontificios Legatos, pro his Prouinciis propriæ Diœcesi Pontificis asserendis, Constantinopoli aliquando contendisse. Sed quod de Perigene refert Socrates, eum authoritate Pontificis creatum Corinthiorum Episcopum, quòd eum Patrenses quibus datus fuerat Episcopus repudiassent, nescio an id solum ius Patriarchicum referri debeat: Neque enim Socrates, à quo historiæ veritas esset petenda, eius rei meminit, ac primis illis atque innocentioribus sæculis, cùm Constantinopolitani res Ecclesiæ nondum turbassent, Patriarchæ commissos sibi Episcopos norant, nec alter in alterius inuolabat patrimonium, quamquam semper capiti Ecclesiæ sua seruabatur dignitas. Potuit enim pro authoritate capitis, & plenitudine potestatis nedū Corinthi, sed etiam in aliis Orientis Ecclesiis Rectores & Antistites creasse; Sed nemini hac de re litem mouerim. Quicquid igitur sit de Perigene planum est Pontificem quà Pontificem, Ecclesiis leges fixisse ante Gregorium: quod etiam est supra à nobis probatum; Propterea obliquè eum taxat Spalatensis: *Aut fortè*, inquit, *Imperatori innixi plusculum audebant.* Sed quanquàm frontem obduruit, ægrè de Gregorio hoc senserit, quem constat paulò iniquiorem expertum Mauricium, vt de eo etiam conquerendi occasionem sibi fuisse profiteretur vir modestissimus & patientissimus; De Bulgariâ, Constantinopolitanos, vt eam obtinerent omnem lapidem mouisse; sed si prima eis data Metropolis spectetur, apparet omnino Pontifici subiectam fuisse. De Dalmatiâ non est relictus ambigendi locus, & quod eam ad se traxerint aliquando Græci, *vis illa*, vt suprà monebamus, *maior fuit.*

Anast. in Adrian. 2.

Martin. 1. ep. 12.

Li. 2. Nou. Imper.

Οἱ ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ῥωμαϊκῆς διοικήσεως, καὶ νῦν τελοῦντες ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως μητροπολῖται, καὶ οἱ ὑπὸ αὐτοὺς ἐπίσκοποί εἰσιν. α. ὁ Θεσσαλονίκης. β. ὁ Συρακουσῶν. γ. ὁ Κορίνθου. δ. ὁ τοῦ Ῥηγίου. ε. ὁ Νικοπόλεως. ϛ. ὁ Ἀθηνῶν.

Zonar. ad Canon. 28. Cōc. Chal.

Αἱ λοιπαὶ διοικήσεις, ἡ τῆς Μακεδονίας δηλαδὴ καὶ Θετταλίας, Ἑλλάδος τε καὶ τῆς Πελοποννήσου, καὶ τῆς λεγομένης Ἠπείρου, καὶ τοῦ Ἰλλυρικοῦ τῷ Ῥώμης τῷ παλαιᾶς ἐπισκόπῳ τότε ὑπέκειντο.

Restat ponderādum responsum Spalatensis ad locum Luithprandi: Sed Græcorum furorem imitatus, qui hominem Latinum odio gentis acerbè vexarunt, eum quoque dirè incessit, & mendacij etiam postulat; *Respondeo*, inquit, *homi-*

Spalat. Num. 3.

nem totum nostrum Latinum, & Romanæ Monarchiæ spiritibus iam imbutum, à Græcisque pessimè habitum, illa protulisse: non quod vnquam illud factitatum, iure vel alio id præceptum, aut explicatum viderit, aut legerit; sed quia id ita fieri deb.re ipsemet sibi ipsi persuaserit. A Romano enim Pontifice Constantinopolitanum, Pallium vnquam petijsse, aut accepisse, nulla, quod sciam, extat memoria. Aliorū verò Orientalium Patriarcharū, quibus ille, si non superior, saltē par effectus est, nullū à Romano, aliove Patriarcha Pallium petere debuisse, ex hactenus productis constat manifestè. Prompta & expedita hæc est via ad omnia argumenta refellenda, sed Luithprandi magnæ sanctimoniæ Antistitis, oculati testis fidem non eleuarit desertoris stultum iudicium. Scilicet quòd ipse vt iniurias vltum iret, multa commentus sit, quibus veritati tenebras offunderet, idipsum factitasse retur Luithprandum à Græcis pessimè habitum; sed nihil indulsisse dolori virum sanctissimum, tam est nobis constitutum, quàm est certum, vt suas iniurias vlcisceretur multa mentitum Spalatēsem. Certè ius non habuisse omnes Episcopos Græcos, etiam passim Metropolitas gerēdi polystaurij, hoc est Pallij multis crucibus distincti, sed quorundam eminentiorum hanc prærogatiuam fuisse docet Zonaras. Discrimina siquidem recensens ordinum Episcoporum Exarchorum, Antistitum scilicet, Cæsareæ, Cappadociæ, Ephesi, Thessalonicæ & Corinthij hoc esse ius scribit.

Zonar. in Concil. Chalc. c. 17. Οἷς λέγεται διὰ τοῦτο καὶ πρεσβεῖον δεδόσθαι πολυσταύρια φορεῖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις αὐτῶν.

Exarchos, inquit, *porro alios quoque Præsules, Cæsareæ nimirum, quæ in Cappadocia, Ephesi, Thessalonicæ, Corinthique Episcopos nuncupauere, quibus etiam propterea, prærogatiuæ nomine, polystauria in suis Ecclesiis gestare permissum.* Constat verò hos ἐξάρχους etiam αὐτονομαστικῶς dictos, qui scilicet ob excellentem dignitatem Patriarchalibus vterentur ornamentis, licet infra Patriarchas essent. Sed de his plus satis.

Spalat. Num. 34.

Expendamus sequentia, & huic capiti finem imponamus. *Quæret quispiam*, inquit, *hic ad extremum, an ex eo quod Patriarchæ concedunt Pallium Archiepiscopis, sufficiens colligatur ius etiam Metropoliticum, ab ipsis Patriarchis Metropolitanos primùm habuisse, seu Ecclesias, sedesve aliquas ad Metropolis iura fuisse euectas. Respondeo Metropolum primas institutiones, vt cap. 2. confirmaui, à sola consuetudine ortum habuisse: alias verò subsequentes, & nouas post Concilium Nicænum erectas, à Synodis maxima ex parte fuisse institutas; seu etiam ad solam similitudinem priorum, vt videlicet reducta aliqua Prouincia ad fidem, institutisque in ea pluribus Episcopis, is qui in Metropoli Prouinciæ resideret, ius haberet Episcopi Metropolitani. Atque hoc pacto aliud est dare potestatem Metropolitani, aliud dare Pallium, vt suprà declaraui: potestatem enim dant ordinatores, & consuetudo ac lex generalis, vt qui Episcopi sunt in Metropoli sæculari Prouinciæ, sint etiam in Ecclesiastico regimine Metropolitani. Pallium tamen ijs ipsis à solo datur Patriarcha, modo iam explicato. Sed neque diffiteor potuisse olim, & adhuc posse Patriarchas in suis regionibus, non tam erigere nouas Metropoles, quàm declarare, in Synodis præsertim, aliquam ciuitatem esse tantæ frequentiæ ac celebritatis, vt pro Metropoli debeat haberi; & sic ipsius Episcopus respectu circumuicinorum fiat Metropolitanus. Sed hoc ipsum multò magis, & multò frequentius fecerunt olim Imperatores & Reges: vt li. 6. ostendetur.* Sed in paucis lineis mendaciorum magna seges est. Primùm enim suprà ostendimus, haud sola consuetudine constitutas primas sedes, sed Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam Petri authoritate ad hoc honoris fastigium euectas fuisse; Ac proculdubio quæ posteà sequutæ sunt Metropoles, aut à Patriarchis in Petri fidem conspirantibus, Romanumque caput agnoscentibus, aut ab

ab ipsis Synodis, in quibus primæ partes essent Patriarcharum, qui eis etiam præsiderent, sunt erectæ & constitutæ. Quod addit Spalatensis, *aliud esse dare potestatem Metropolitani, aliud dare Pallium*, tam verum est, quàm est verum, aliud esse potestatem, aliud potestatis insigne. Sed rursum falsum est, semper præfecturas Ecclesiasticas ordinem sequutas præfecturarum ciuilium, & ad illas omninò se conformasse, & huic dogmati refellendo sufficiant verba Gelasij: *Risimus*, inquit, *quod prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquid nam harum vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? Nunquid Acatius, vt Ioannem qualemlibet hominem, Catholicum tamen à Catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi iam detectum atque damnatum, absque sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliqua Synodo saltem illic habita hoc audacter arripuit, vt Calendionem de Antiochia depelleret, hæreticumque Petrum quem ipse quoque damnauerat, absque notitia sedis Apostolicæ rursus admitteret, aliqua Synodo id fecisse monstratur. Si certè de dignitate ciuitatum agitur, secundæ sedis, & tertiæ maior est dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non solùm inter sedes minimè numeratur. Sed nec inter Metropolitanorum iura censetur, nam quod dicitis Regiæ ciuitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.* Sed de his in superioribus est à nobis disputatum. Quid autem in Metropolibus erigendis aliquando præstiterint Imperatores, dicetur ad librum sextum, ad quem nos aduersarius remittit. Acquiescimus verò in illo Nicolai I. PRIMAM ARCHIEPISCOPORUM INSTITUTIONEM SPECTARE AD ROMANOS PONTIFICES. Petri siquidem Cathedram obtinentes plenitudine potestatis potiuntur, ad quam veluti ad sanctissimi ordinis fontem & scaturiginem, par est reuocari amplissimas Episcoporum dignitates. Sardicensium Patrum iudicium, quamquam aliò spectet, hîc tamen quoque locum habet. Sic enim in Epistola ad Iulium: *Hoc*, inquiunt, *optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, si ad Petri Apostoli sedem de singulis, quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.* Certè de omnibus omninò Orientis ac Occidentis Episcopis loquutos ex eo maximè spectat, quod Orientales Episcopi, Athanasij nimirum Patriarchæ Alexandrini causam, in ea Synodo ventilarint ac iudicarint, ex præiudicio scilicet Iulij Pontificis Romani. Restat igitur Baronij consecutio discutienda; Existimat magnus Cardinalis ex concessione Pallij facienda, rectè inferri Archiepiscopalium sedium priuilegia ab vna Romana Ecclesia effluxisse; hoc negat Spalatensis; Sed quia negati rationem non profert, non est quod istius eius inficiationis rationem habeamus vllam. Aliæ eius nugæ suis locis refellentur. Qui plura volet de Pallio, adeat Serarium.

Greg. ep. 13 ad Episc. Dardaniæ.

Ad lib. 6.

Ex fragmētis Hilarij.

Serrar. in Ep. Bonif. notat. 26.



DISCVSSIO
DVODECIMI CAPITIS
LIBRI TERTII.

Conspectvs Capitis.

Ecclesia Castrorum aciei comparata: Suum Imperatorem habet: Calumnia Spalatensis in Ecclesiam depulsa: Anacletus perperam patronus ab eo ascitus: De Anacleti Epistolis iudicium: Zosimus Pontifex Gratiani verbis declaratus: Bonifacius primus in eandem sententiam de iuribus Metropolitarum explicatus: Leo prolixè declaratus: Pontificis potestas in omnes Ecclesias se fundit: Quamquam ab inuadendis alienis abstineat: Simplicius, Symmachus, Hormisdas malè contra Pontificiam dignitatem citati: Ioannes Octauus de Legatis Apostolicis explicatus: Rursus de Hormisda: Spalatensis malignè cum Pontifice contendit: Gregorius paci Ecclesiæ sua indulgentia consulit, sed etiam rebus id deposcentibus imperium ostendit: Eius multa loca expenduntur: Pontificum historiam lacerat Spalatensis: Bonifacij Germanorum Apostoli factum expensum: Ignatij sanctissimi Patriarchæ Constātinopolitani modesta suorū iurium defensio: Hincmari Rhemensis de Pontificia authoritate iudicium libratum: Eius in sedem Apostolicam reuerentia: De Iuone Carnotensi: Auaritia, Ambitio & reliqua peccata Ministrorum hominum vitia sunt, non Hierarchiæ Ecclesiasticæ: Lapsus Spalatensis in explicatione sexti Canonis Nicæni: Magna impudentia euersæ Hierarchiæ causam in Pontificem confert: Etiam Reges lacessit: Querelis orthodoxorum quid respondendum: Iuris Pontificij Interpretes malè à Spalatensi habiti: Gregorius persæpè ordinationes Episcoporum ad se reuocat: Spalatensis nugæ in refellendis nostris argumentis: Chrysostomus nobis assertus: Ocamus: Almainus, Caietanus defenduntur: De Electionibus & confirmationibus Episcoporum: Quæ partes fuerint Pontificis Romani in confirmandis Episcopis: Etiam ex Concilio primo Constantinopolitano: De Flauiani & Paulini contentione pro Antiocheno Patriarchatu: Constantinopolitanorum Epistola ad Damasum explicatur: Hincmari vafricies detecta: Iuo sedis Apostolicæ semper obseruantissimus: Ad Patriarchas quoque referri solitam de ordinationibus Episcoporum: Sed rebus dubijs potissimùm Pontificis authoritas spectabatur: De Nestorij abdicatione authoritate Celestini: De Anatolij Constantinopolitani Episcopi ordinatione: Baronius defensus: De prædatoria Synodo Ephesina: Leonis prudens consilium: Dispunctæ, ad eius dicta, Spalatensis notæ: De Simplicio: Baronius rursum defensus & declaratus: Locus Liberati laudatus: Hilarius Papa: De Hormisdæ temporibus: De Acatio quondam sanctæ Sedis Vicario, posteà fidei desertore: De Epiphanio Constantinopolitano Episcopo: Symmachi prudentia cum modestia, laudata: Hincmari electio expenditur: Eam sanciuit Pontifex: Locus Gregorij ponderatus: Bernardi de Pallio iudicium: De Leone nono: De verbo confirmationis: De potestate Pontificis in ordinationibus sanciendis Ecclesiæ Gallicanæ iudicium: Nutat in his Spalatensis: Exauthoratio Anthimi ab Agapeto facta Constantinopoli librata: De Gregorio VII. Stephano, Vrbano II. nouæ nugæ Spalatensis depulsæ: De conniuentia: Eius ad factum Athanasij & Aegyptiorum cauillationes: Rescriptum Imperatorum pro primatu Sedis Apostolicæ expenditur: Gregorij magni loca expenduntur: De Martino primo, vt potestatem suam etiam in Oriente ostenderit: De Conone Papa: De Constantino: Proteruia Episcopi Moguntini notata.

Vт



T vitaretur cõfusio in regimine Ecclesiarum, paulatim, vt vidimus in præcedẽtibus huius libri capitibus, magistro vsu, docente experientia, ac super omnia spiritu Christi suam Ecclesiam regẽte, varia sunt inducta instituta, legesque præscriptæ, vt Rectores, ministrique sanctæ Ecclesiæ in officio omnes, ac potestate alioquin pares, ordine tamen certo vniuersali Ecclesiæ inseruirent; & quasi stationibus inter se dispositis, verè Ecclesiam facerent, Castrorum aciem ordinatam. Ordinem verò iam exposui; stationũ dispositiones ostendi; officia varia, variaque munera proprijs distincta limitibus patefeci: leges vnicuique præscriptas iam recensui. Quæ quamdiu seruatæ sunt illæsæ, dum quisque se intra suos limites coërcuit; quousque proprio officio, proprioque munere fuit quisque contentus; dũ suam nemo dereliquit stationem, pulcherrimus ordo in Ecclesia viguit, nulla affuit turbatio, nulla confusio, nulla turpitudo. Postquã verò ambitio pestifera, dominandique libido, atque auaritia cœperunt, & Metropolitanos, & Primates, & præcipuè Patriarchas, sed potissimũ præcipuum Patriarcham Romanum exagitare, turbati sunt ordines, & omnia cõfusa. Sua enim illa immani Monarchia exlegem se fecit omnibus canonibus superiorem, ijsque conculcatis, aliena iura sibi rapuit, & Ecclesiam Christi, syluam fecit frementium bestiarum. Atque vt planè agnoscant nostri Papæ, quàm miserè errent, dum pulcherrimam, quam exposui hactenus, turbant Hierarchiam, audiant in primis & videant, quàm inuiolabilia sint iura Primatum, quàm firma & inconcussa priuilegia Ecclesiarum; discantque ab ipsorum potestate alienissimum esse illa infringere, & perturbare. Deinde singillatim eorum errores, præcipuos tamen, circa iam expositam Hierarchiam aperiam & manifestabo; ex quibus in Ecclesia Christi confusio orta est miseranda, & abusus prorsus deplorandi inualuerunt. Liberè ex religioso zelo dicentem, audiat me libenter sanctissimus & patienter.

SPALAT. Num. 1. — Cant. 6. — Suprà ca. 2. Num. 5.



ISANDRI vaferrimi Lacedæmoniorum ducis sententia fuit, vbi Leonina pellis minus proficeret, vulpinã esse assuendam, hoc est post incassum tentatam apertam vim, ad dolos tandem esse confugiendũ. In huius schola edoctus Spal. postquam omnes suos conatus quibus Hierarchiã Ecclesiasticã conuellere tentauit, irritos esse deprehẽdit, in iisce artibus totũ præsidium ponendũ existimauit; Iã igitur cuniculis eam subruere nititur, quãquam se eius assertorẽ venditare non erubescat; sed *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Initio omnia susque deque miscens euertẽdam ducit Ecclesiæ Monarchiam, & tamen eam ipsam Ecclesiam *Castrorum aciem ordinatam* prædicat. Dic igitur sodes Spalat. an non habet exercitus præter Centuriones, Tribunos, Duces, & reliquos militiæ præfectos, vnum summum Imperatorẽ, in cuius solertia, prouidentia, potestate & authoritate acquiescat? Quî igitur cum ordinatissimo exercitu conferri potuit, nisi suum quoque Imperatorẽ ostendat? Fabulæ enim sunt quæ à te mi Spal. inducũtur, quibusque persuadere conaris ministros Ecclesię potestate omninò pares esse, & quicquid est à te in eam rẽ adductum, est à nobis suprà profligatum abũdè. Auaritia si qua fuit aut ambitio in Ecclesiarum summis Præsulibus, hominum culpæ deputãdum fuit, non sanctissimo ordini à Christo præstituto. Tu tamen quem, qui propius norunt, auarissimum & ambitiosissimum prædicant, in his explicandis tuam operam ponis, ostendereque conaris, his veluti facibus inflammatos nostros Pontifices, omnia in Ecclesia turbasse, adeoque non Christum, sed imperiorum & honorum contentionem Monarchiam in Ecclesiam inuexisse. Hîc igitur quis tuam vafriciem non deteste-

Prou. 1. v. 17

tur? Religiosum zelum simulas, cùm tamen oratione tua nihil possit esse, aut à pietate alienius, aut à charitate remotius?

Astutam rapido seruas sub pectore vulpem.

Spalat. Num. 1. in fine. *Liberè*, inquis, *ex Religioso zelo dicentem audiat libenter Sanctissimus & patienter*; Digna igitur Sanctissimo profer, & patientes tibi accommodabit aures. Sed ab instituto omninò recedis, & aberras, cùm sanctissimam potestatem, mordendam, lacerandam, vexandam, affligendam, & perdendam sumpseris; verùm vt ab his abstineam, suadet Sapientissimi viri dictum, asserentis *non minus malum esse ingerere iniuriam, quàm regerere.* Age igitur perditissimi desertoris discutiamus ineptias. Probandum suscepit Pontificem Romanum, quem solo nomine Patriarchæ indigitat, sua illa immani Monarchia, *exlegem se fecisse, omnibus canonibus superiorem, ijsque conculcatis aliena iura sibi rapuisse, & Ecclesiam Christi syluam fecisse frementium bestiarũ*; totidem enim verbis sanctissimam potestatem lacerat, ac incessit os impudés; & vt probationum initium faciat, sic orditur. *Anacletus ille*, inquit, *magni in Ecclesia Romana nominis & authoritatis, Episcoporum ordinationes in proprijs Prouincijs per proprios Prouinciæ Episcopos fieri debere edicit: timensque ne aliquis morẽ hunc turbare velit aliquãdo, monet seuerè, ac dicit: Porrò quod Episcopus non ab vno, sed à cunctis, consensu, aut præsentia Comprouincialium est ordinandus, & nullatenus minus quã à tribus, cæteris consentientibus cunctis, iccirco instituente Domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica authoritas moliretur; & regula vel fides confunderetur credentium. Qui ita scripsit, quicunque ille fuit, aut diuino spiritu quod futurũ erat præuidit, aut oculis suis conspexit, Romanos nostros Pontifices verè tyrannicè, vt ille loquitur, sibi Episcoporũ omnium, etiam remotissimorũ, ordinationes vsurpare, & Prouincialibus Episcopis eripere. Eidẽ quoque Anacleto tribuitur dictũ illud: Priuilegia Ecclesiarũ & Sacerdotum, sancti Apostoli, iussu Saluatoris, intemerata & inuiolata omnibus decreuerunt manere tẽporibus.* Respondeo magni nominis Pontificẽ in Ecclesia haberi Anacletum, sed non esse Anacleti Epist. quæ eius nomine præferuntur, ipse Spalat. centum locis contendit. Quisquis autem ille sit, neque diuino spiritu quod futurũ erat præuidit, neque oculis suis conspexit, Romanos nostros Pontifices *verè tyrannicè*, vt ipse loquitur, sibi Episcoporum omnium etiam remotissimorum iura vsurpare, & Prouincialibus Episcopis eripere. Facit id pro suæ iure Ecclesiæ, quam, si Anacleto credimus, Principatum omnium per orbem terrarum Ecclesiarum consecutam fuisse omnino est credendum. Audi tuum Anacletum. *Si*, inquit, *difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporũ vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint ad sedem Apostolicam (si appellatũ fuerit) referãtur: quoniam Apostoli hoc docuerunt iussione Saluatoris, vt maiores & difficiliores quæstiones, semper ad sedem deferãtur Apostolicam, super quã Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum Principem Apostolorum Petrum: Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua.* Et rursus: *Hæc Apostolica sedes*, inquit, *cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ sedis authoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente, reguntur.* An igitur est quod de Anacleti authoritate glorietur Spal. eiusque nos nomine & armis terreat? Sed præterea veterator est vaferrimus. Trium Episcoporum operam in consecrando Episcopo desiderat Anacletus, idque à Christo præstitutum vrget, *ne aliquid contra fidem Ecclesiæ vnius tyrannica authoritas moliretur*, ergone Pontifex vnquam solus Epi-

Marginal notes: Spalat. Num. 1. (beside "chia, exlegem"); Spalat. Num. 2. (beside "tionum initium"); Anacl. ep. 2 (beside "velit aliquãdo"); 15. q. 2. c. Priuilegia i. (beside "Priuilegia Ecclesiarũ"); Anacl. ep. 1. to. 1. (beside "tuum Anacletum"); Id. ep. 3. (beside "rursus: Hæc Apostolica")

Episcopos cōsecrat? Annon alios etiam Antistites adhibet consecrationis socios? Quod autem iam Cōprouincialium consensus non adhibeatur, idcirco fit quod alio iam ordine constituto, reque ad Petri, à quo idem Anacletus Sacerdotalem ordinem cœpisse docet, successorem reuocata, de iure suo non inuiti decesserint. Putasne igitur volentibus & consentientibus iniuriam fieri, aut hoc pacto iura Ecclesiarum, quæ seruanda præcipit Anacletus, violari? An igitur reclamant orthodoxi Antistites? Tu scilicet huius causæ Syndicus? Qui cæteris tacētibus questubus tuis orbem impleres, & ipsi Pontifici diem diceres? Sed testem profert è proprio Pontificum sinu. *Zozimus*, inquit, *ægrè ferens Proculum Massiliensem, conniuentia Synodi Taurinēsis, in præiudicium sedis Metropolitanæ Arelatensis, quorundam Episcoporū ad eam spectantium ordinationes ad se traxisse, factum detestatus in id ita inuehitur; Indecens ausus, & in ipso vestibulo resecandus; hoc ab Episcopis ob certas causas consilium agitātibus extorquere, quod contra statuta Patrum, & S. Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis ciuitatis ex hac sede directus est, concedere, vel mutare, ne huius quidē sedis possit authoritas. Apud nos enim inconsultis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reuerentiam. Audis dictum Romani Pontificis ex Cathedra, ne sedem quidem Romanā posse Metropolitanis auferre suos Episcopos, Vt ab alijs quàm ab ipsis Metropolitanis, eorumve commissione ordinentur.* Respondeo Zozimū meritò Proculū illum insectatū fuisse, cū enim Proculus priuatus esset Massiliensium Episcopus, quo iure in Patrimonium Arelatēsis Metropolitæ inuolare potuit? Quātum verò sibi iuris in Episcopos, adeoque ipsos Metropolitas sumpserit, habe ex Epist. ad Patroclum Arelatensem, qua Proculum ob illicitās Episcoporum ordinationes dānatum, noua adhuc molientē insectatur; *Post istam*, inquit, *ecce delegationē ad nos rumor aduenit. Proculum quasi cōsuetis ludere, & vt moribus suis iunxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, & post illa quæ illi interdiximus ordinasse. Sed sciant quibus hāc Epist. volumus in notitiam peruenire, suscepisse nullatenùs posse, quia aut contra regulas repentè, aut postquā interdiximus, illi sunt ordinati.* Quod verò attinet ad illa Zozimi verba, *Contra Statuta Patrum & S. Trophimi reuerentiam, &c.* Eorum expositionem habes apud Gratianum; *Sunt quidā*, inquit, *dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas cōdere leges. Quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summoperè est, quia inde nouas leges condere potest, vnde Euāgelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos sequentes S. Patres sentētialiter aliquid definierūt, ibi non nouā legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporū insidias optimè custodierunt.* Zozimo succedit Bonifacius I. *Bonifacius I.* inquit Spalat. *certior factus Lutubentium querimonijs, Patroclum Arelatensem in aliena Prouincia eis Episcopum, absque Cleri & plebis cōsensu, & absque Metropolitani propria notitia, ordinasse, ferre nō potuit. Quia conuenit, inquit, nos paternorum sanctionū esse diligentes custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi cōstitutio Nicænæ, quæ ita præcipit (vt eadē propriè verba ponamus.) Per vnāquamq; Prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquā duas esse posse subiectas. Quod illi (quia aliter credēdū non est) seruandū, sancto spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Vnde frater charissime, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictam Prouinciæ tuæ limes includit, nostra authoritate communitus, quod quidem facere spontè deberes, desiderijs supplicantium, & voluntate respecta ad eundē*

[Margin notes: Spalat. Num. 3. — Apud Baro. in append. to. 5. — Zozim. ep. 11. ad Patro. Arelat. — Grat. cauf. 25. q. 1. c. 6. — Spalat. Num. 4. — Bonif. 1. ep. 3.]

locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus nostris fretus, accede: Intelligens arbitrio tuo, secundum regulas Patrũ quæcunque facienda sunt, à nobis esse cõcessa; Ita vt peractis omnibus, Apostolicæ sedi, quicquid statueris te referente, clarescat, cui totius Prouinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat; nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi ab his non videntur concessa, defendat. Cesset huiusmodi pressa nostra authoritate præsumptio eorũ, qui vltra licitum suæ limitem dignitatis extendũt. Quod idcirco dicimus, vt aduertat charitas tua, adeò nos Canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque Prouincia, in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Si factum Patrocli tantoperè fuit abhorrendũ, quia secundum Nicænas regulas, oportet per singulas Prouincias ius suum Metropolitanos habere, cur licebit Romano Põtifici ius hoc Metropolitanis infringere? Ita enim Patriarchis, sicut & cæteris Episcopis datur inhibitio, ne in aliena Prouincia attentẽt ordinationes; sed cuique Ecclesiæ salua velint esse Priuilegia, quod exaggerat Bonifacius, & alij qui sequuntur. Et hic quoque meritò Bonifacius Patrocli audaciam sua authoritate infringit, quem citra Metropolitæ cõsensum, Episcopum Lutubitum Ecclesiæ dedisse ex querelis Cleri & plebis didicisset; Nãque haud potuit Metropolita non imparis Metropolitæ Prouinciam citra iniuriam inuasisse. Sed qua esset, iudicio Bonifacij, in Metropolitarũ iuribus sanciẽdis potestate Apostolica sedes, vel ex eodiscat Spal. quod iusserit Bonifacius, & Hilarius Narbonẽsis Antistes iure Metropolitani, & præceptione Apostolicæ

Bonifac. 1. ep. 3. sedis munitus, inquit ille, *Lutulensem Ecclesiã* adeat, quæ gerenda sint videat, & Apostolicæ sedi referat. *Frater charissime, ait, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictã Prouinciæ tuæ limes includit, nostra authoritate commonitus, quod quidẽ facere spõtè deberes desiderijs supplicantium & volũtate respecta, ad eundẽ locũ, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus nostris fretus, accede intelligens, arbitrio tuo secũdum regulas Patrũ, quæcũque facienda sunt, à nobis esse concessa; Ita vt peractis omnibus Apostolicæ sedi, quicquid statueris te referẽte clarescat, cui totius Prouinciæ suæ ordinationẽ liquet esse mandatam.* Itaque ineptissimè Spalat. Patroclum Arelatensem cum Pontifice confert, & centies est dictum falsum falsissimum esse, Patres Nicænos Põtifici certos fines præstituisse. Sunt hæc Spalatensis somnia. Sed fortasse plus præsidij à Leone quàm à Bonifacio duxerit.

Spalat. Num. 5. Nugæ. *Leo quanta bile*, inquit, *in Anatolium Constantinopolitanum excanduerit, quod Antiochenum Patriarcham ordinare sit ausus, quamque se vehementem Nicænarum regularum vindicem exhibuerit, ne aliorũ iura in Episcopis ordinandis peruertantur; Constat ex eius Epist. 56. 57. 58. Quæ tota illius obiurgatio, meritò æquè cadit etiam in Romanum Pontificem, si alienarum Prouinciarũ siue Primates, siue Episcopos, ipse quoque velit, inscijs & incõsultis, contẽptisque illarum Prouinciarum Episcopis, ordinare seu alijs extra Prouincias illas ordinandos cõmittere. Cur enim Constãtinopolitano id non liceat in Oriente potissimùm, postquam duplici iam vniuersali Concilio priuilegia primi Patriarchæ in Oriente habuerit; Romano verò licet? Certè Canones æquè Romano, atque Constãtinopolitano id vetuere, neque vllum Ecclesiasticum primatem, ab vniuersali illa prohibitione excepere; vt probabo in sequentibus. Et omnibus etiam sibi illa intimat ibidem Leo; Non conuellantur Prouincialium iura Primatum; nec priuilegijs antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Et; Priuilegia Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In*

Leo ep. 56. Id. ep. 54. & habetur 25. q. 2. c. Priuilegia. 2.

quo

quo opere, auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) conniuente, violentur, &c.

Idem quoque Leo ad Maximum Antiochenum scribens, curam ei Ecclesiarum sui Patriarchatus præcipuè commendat, ne permittat eas hæresibus infici, eaque occasione digreditur in Primatum Constantinopolitanum, qui illum semper anxium habuit; Neque vllo modo sinas, inquit, in Orientalibus Ecclesiis, maximéque in ijs quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni Canones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio insultari. Summa itaque vigilantia cautum te esse conuenit, ne quid sibi hæretica prauitas audeat vindicare, cùm te deceat his Sacerdotali authoritate resistere, nosque sæpius de profectu Ecclesiarum, tuis relationibus, quid agatur, instruere. Dignũ est enim te Apostolicæ sedis in hac solicitudine consortem esse, & ad augendã fiduciam priuilegia tertiæ sedis agnoscere; vt in nullo, cuiusquã ambitione, minuantur; quia tanta apud me est Nicænorũ Canonum reuerentia, vt ea quæ sunt à sanctis Patribus cõstituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa nonnunquã sunt merita Præsulum, tamen iura permanẽt sedium: quibus, etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Vnde cùm aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ priuilegijs, dilectio tua agendum esse crediderit, proprijs literis studeat explicare; vt & nos consultationi tuæ absolutè, & congruè respondere possimus. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod, si quid à quoquam contra Nicænorũ Canonum statuta, in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis, & facilius erit, quarũlibet contentionum pactum dissolui, quàm prædictorum Canonũ regulas ex vlla parte corrumpi. Subrependi enim occasiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotũ, difficile est, vt cupiditas improborũ non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cũ dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus, ad obtinendum Palæstinæ Prouinciæ Principatũ credidit se posse sufficere, & insolentes ausus, per cõmentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit indicauit. Et solicita prece multũ poposcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius Epistolæ ad nos exemplaria direxisti, sanctæ memoriæ Cyrilli eam in nostro scrinio requisitam, nos authẽticam noueris reperisse. Hoc tamen proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorũ decem, & octo Patrum cõstitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur: Quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua Canonibus reuerentia intemerata seruetur. Hęc Leo, ad quæ sic commentatur Spalatensis. *Quæcunque,* inquit, *hic aduersus Constantinopolitanũ & Hierosolymitanum inculcantur, dum aliorum siue Patriarcharum, siue Metropolitanorũ vsurpant iura, & suo primatu, alios opprimunt & deijciunt, eorumque turbant iurisdictionem, hæc omnia in ipsum quoque Romanum prolata, haud saltem militare non dubites. Quod si de mente Leonis, ne vniuersalia quidẽ Concilia possunt Nicænis regulis, quod sæpius repetiuit, derogare; ac in specie circa potestatem priscam Metropolitanorum; quomodo poterit solus Romanus Pontifex quotidie ijs derogare; imò etiam sine causa ex sola ambitione, & auaritia eas conculcare, & Episcoporũ omnium, tam electiones quàm cõsecrationes sibi reseruare?*

SPALAT. Num. 6. Idem Leo ep. 66.

Leo ep. 56. 58.

Falleris, mi homo; Constantinopolitanus enim Antistes Anatolius, & Iuuenalis Hierosolymitanus, hoc nomine meritò à Leone dãnantur, quòd in antiquissimarum, & ab ipso Petro fundatarum Ecclesiarũ Antiochenæ & Alexandrinæ patrimonium inuolarent, atque illo suo ambitu præstitutum à Petro ordinem interturbarent ac conuellerent. At Pontifex Romanus, cui in Petro, cuius iam personam sustinet, dictum est, *Pasce oues meas, pasce agnos meos:* in nullius iura inuadit, cùm vbiuis gẽtium etiam de Episcoporum ordinationibus sancit. Siquidem credo ad Pastorale officium etiam Episcoporum ordinatio spectat; Et vt Metropolitis sua iura sarta tectaque velit, non possunt tamen Metropolitæ eius se potestati subducere, vt infrà ex Leone docebimus. Sed de Anatolio dicetur vberius suo loco; Certè hoc nomine, vt ostendam, ad se aliorum Episcoporum etiam Patriarcharum consecrationem pertrahere conatus est; quòd collegam, & socium Pontificis Romani, ac iisdem honoribus Canone Constantinopolitano auctum arbitraretur; quare proculdubiò oportuit eum existimasse huiusmodi ordinationem in Pontificis fuisse potestate. Sed rursum Leonem aduersum nos instruit Spalatensis: *Ac ne putes*, inquit, *Leonem alijs, & non sibi hanc Canonum obseruantiam inculcare, audi quæ ad Legatum suum Apostolicum Anastasium Thessalonicensem scribit, vt illum quoque compesceret, & vel Apostolicam sedem ab iniurijs Metropolitanorum abstinere debere declararet; Et necesse est, inquit, post multarum experimenta causarum, solicitius prospici, & diligentius præcaueri, quatenus per spiritũ charitatis & pacis, omnis materia scandalorum, de Ecclesiis Domini (quas tibi cõmendauimus) offeratur, præeminente quidem in illis Prouincijs Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu. Igitur secundum Sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei cõditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarũ Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætẽditur, ius traditę tibi antiquitus dignitatis, intemeratũ habere decernimus; ita vt à regulis præstitutis nulla, aut negligẽtia, aut præsumptione discedãt. Hæc in æternam memoriam S. Leo.* At omittendum non fuit veteratori illud eiusdem Leonis eadem Epist. *Vices nostras*, inquit, *ita tuæ credimus charitati; vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinẽ potestatis.* Ergo haudquâquã spectauit in Legato illo suo plenitudinẽ potestatis, quâ se ornatum à Christo agnosceret, sed solam partem solicitudinis quã eò se fundere negaret, vt Thessalonicensi Episcopo, iure legationis Apostolicæ sibi impositæ, in Metropolitarum iura inuadere liceret. An non verò eadem Epist. se Petri nomine totius Ecclesiæ caput facit magnus Pótifex? *Sacerdotibus*, inquit, *etsi dignitas non sit cõmunis, est tamen ordo generalis; quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis, & cũ omnium par esset electio, vni tamen datũ est, vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporũ quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem susciperẽt ampliorem, per quos ad vnam Petri sedẽ vniuersalis Ecclesia cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret.* Sed quod exempla magis mouere nos soleant quàm verba, à verbis ad facta Leonis prouocat Spal. *Factis etiam*, inquit, *verba sua idẽ S. Leo, vbi emersit occasio, cõprobauit. Viennensis enim Prouinciæ Episcopos, post aliqua eis data monita, sic alloquitur: Vnde quia nostra longè alia videtur intentio (nam omnium Ecclesiarum statutum, & concordiam custodiri cupimus Sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo charitatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus,*

[Margin notes: Ioan. 21. — Spalat. Num. 7. Idem Leo ep. 88. — Leo ep. 84. — Idem ibid. — Spalat. Num. 8. Id. ep. 93.]

nemus, vt ea quæ à nobis Deo inspirante, & Beatissimo Petro Apostolo, discussis, probatisque nunc omnibus causis decreta sunt, pro vestra pace, & dignitate seruetis: certi non tam nostro honori proficere, quod talia statuisse cognoscimur; Non enim nobis ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus; quod potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos, Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati; nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia nostra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solùm crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata seruetur; & per Sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & Coëpiscopum nostrum Leontium, probabilem Sacerdotem, hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari: vt præter eius consensum, alterius Prouinciæ non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas eius & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. Æquum est enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, si is qui Sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito, in suis Prouinciis à Sacerdotibus cæteris deferatur. Cauet anxiè ne vsurpator, contra sibi adeo cordi infixos Canones, alieni iuris videatur, si vellet ordinationẽ Prouinciæ Episcopis Comprouincialibus eripere, & ad se trahere. Et quia Arelatensis Ecclesia Primatum ambibat in Galliis, *Viennensisque Metropolitani iura sibi nitebatur vsurpare, obstitit idem Leo, sicque rescripsit ad Arelatenses Episcopos: Petitionem fraternitatis vestræ, Viennensis Episcopus, missis literis & Legatis, sua suggestione præuenerat, conquerens Arelatensem* Episcopum *ordinationem sibi Vasensis Episcopi vsurpasse. Cùm itaque nobis ita & paternarum reuerentia sanctionum, & omnium vestrûm, seruanda sit gratia, vt in Ecclesiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidi, consequens fuit vt ad conseruandam inter Viennensem & Arelatensem* Prouincias *pacem, adhiberetur iustitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vsum, nec desideria vestra negligeret. Statimque Viennensi quoque Episcopo suos assignat suffraganeos, in quos Arelatensis nihil iuris habeat. Totam verò causæ decisionem, vt suprà consideraui, ex ipsarum Ciuitatum sæculari dignitate petendam esse duxit.* Apud Bar. tom. 6. an. 450. nu. 56.

Respondeo his omninò probari, non tulisse Leonem Metropolitas suorum collegarum iura inuadentes; Sed putasse Leonem haudquâquam sibi licere pro plenitudine potestatis ad se Episcoporum ordinationem trahere, id scilicet Ecclesiarum necessitate efflagitante ægrè ex factis illius collegerit Spalatensis. Contrà cùm conqueratur Hilarium in aliorum Metropolitarum iura inuolantem, in Petri quoque sedem fuisse contumeliosum satis innuit, summam ordinationũ potestatem ad se Pontificem pertinuisse; *Hilarius*, inquit Leo, *Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit, ita sua vos cupiens subdere potestati, vt se B. Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omniũ per Gallias Ecclesiarũ vindicans, & debitã Metropolitanis Sacerdotibus in suũ ius transferens dignitatẽ: ipsius quoque Beatiss. Petri reuerentiã, verbis arrogantioribus minuẽdo, cui cũ præ cæteris soluẽdi & ligandi tradita sit potestas, pascendarũ tamen ouiũ cura specialiùs mandata est. Cui quisquis Principatũ æstimat denegandum, illius quidẽ nullo modo potest minuere dignitatẽ: sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.* Certè ex rescripto Valentiniani, quo eius Hilarij audacia retunditur ac comprimitur, satis patet violatam ab eo dignitatẽ Pontificis, quod nonnisi ad consecrationes Episcoporum, ab eo in aliena Prouincia vsurpatas referri potest. Extat Imperatoris rescriptum inter Nouellas Leo ep. 89. ad Episc. Viennens.

Theod. tit. 24. de Epiſc. ordinan. Theodoſij, quod & inter cætera præclara pro authoritate Pôtificis hæc quoque habet; *Et erat quidem ipſa ſententia* (Leonis) *per Gallias etiam ſine imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, nec vlterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides & reuerentia noſtri violatur imperij. Nec hoc ſolùm quod eſt maximi criminis ſubmouemus. Verùm ne leuis ſaltim inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam* Epiſcopis Gallicanis, *quàm aliarum* Prouinciarum *contra conſuetudinem veterẽ, liceat ſine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ, authoritate temptare. Sed illis omnibus pro lege ſit, quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis authoritas, ita vt quiſquis* Epiſcoporum *ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem* Prouinciæ *adeſſe cogatur, per omnia ſeruatis, quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Quanquam vt ſummum ius in ordinationibus faciendis haberet Pontifex, ſibi tamen nunquam veniſſe in mentem, vt eas ſpretis Metropolitis ſibi vſurparet, propterea innuit, quòd Hilarius vt Pontificem in ſuſpicionem traheret noui ambitus, perſuadere Gallicanis

Leo ep. 89. Epiſcopis conatus fuiſſet, id animo Leonis inſediſſe. Eò ſcilicet ſpectant Leonis verba; *Non enim nobis*, inquit, *ordinationes veſtrarum Prouinciarum defendimus, quod poteſt forſitan ad deprauandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri: ſed vobis per veſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati, nec præſumptori locus vltra iam pateat priuilegia noſtra caſſandi. Non enim gratulationi hoc ſolùm creſcere profitemur, ſi Apoſtolicæ Sedis diligentia apud vos illibata ſeruetur; & per Sacerdotalis diſciplinæ cuſtodiam honori veſtro perire, quod ſuum eſt, pro nouis vſurpationibus non ſinamus. Et quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Leontium, probabilem Sacerdotem, hac (ſi vobis placet) dignitate volumus decorari; vt præter eius conſenſum alterius* Prouinciæ *non indicatur à veſtra ſanctitate* Concilium, *& à vobis omnibus, quemadmodum vetuſtas eius & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuilegij ſui dignitate ſeruata. Æquum eſt enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria; ſi his, qui Sacerdotij vetuſtate præcedunt, pro ætatis ſuæ meritò in ſuis* Prouinciis *à Sacerdotibus cæteris deferatur.* Cæterùm ad Epiſcoporum ordinationes à Metropolitis factas, accedere quoque debuiſſe Pontificis conſenſum, ex reſcripto Valentiniani ad Ætiũ magnũ Magiſtrũ vtriuſque militię, & epiſtola Leonis ad Epiſcopos per Viennenſem Prouinciam conſtitutos, omninò colligitur, vt hinc pateat ſummam fuiſſe eius in his ſanciendis authoritatem, quâ freti recentiores Ponti fices annuentibus Epiſcopis ac Metropolitis, eas ad ſe maiori Eccleſiæ bono, vt oſtendimus, traxerunt. Quod de magnitudine vrbium retexit Spalatenſis, eſt centies à nobis diſpunctum. Sed pluribus illuſtrandus non eſt Leo.

Spalat. Num. 9. Veniamus ad Simplicium. *Simplicius, Hierarchia Eccleſiaſtica*, inquit, *turbatorem Acacium, quàm iniquo tulerit animo, vidimus ſuprà ad finem cap.* 10. *eundem audiuimus obſeruantiam* Canonum, *ſua iura Metropolitanis illæſa conſeruantium, ſeriò inculcantem. Symmachum pariter eodem zelo æſtuantem ſuprà poſuimus num.* 21. *capitis huius libri: & rurſum infrà, lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 8. Quorſum Acacium non tulerit Simplicius, diximus ad locum à Spalatenſi adductum. Diximus ſimiliter ſuo loco de Symmacho.

Sequitur

Sequitur Hormiſdas. *Hormiſda quoque*, inquit, *Ioanni Epiſcopo cuidam in* SPALAT. Num. 10.
Hiſpaniis, legationis Apoſtolicæ munus ita committit, vt nihil tamen Metropolitanis velit præiudicari, infrà lib. 4. c. 12. n. 10. Differemus itaque reſponſionem in illũ locum, vt Ioannem VIII. audiamus. *Ioannes quoque octauus*, addit, *dum Arelatenſi Legationis officium confirmat; Cauet tamen eodem modo, vt Metropolitis, ſecundum priſcam conſuetudinem, proprius honor ſeruetur. Legatorum itaque Apoſtolicorum munus fuit olim (nec aliud iure eſſe poteſt) vt inſpicerent dumtaxat, ſiquid contra Canones fieret, monerent, arguerent, & Papæ ſignificarent. In reliquis & Epiſcopi & Metropolitani ſuo proprio munere perpetuò fungerentur; nec Legati ſe in regimen Eccleſiarum, vel Prouinciæ ingererent.* Meritò ſanè Metropolitarum iura ſarta tectáque eſſe voluit, nec liberum eſſe ſinit Arelatenſi in aliena iura inuadere, quia nulla priuato Epiſcopo confertur Apoſtolica legatio in præiudicium aut iniuriam collegarum, ſed niſi vehementer fallor, Exceptio firmat Ius. Itaque cùm ordinationes Epiſcoporum in diplomatibus legatis ſuis traditis, ordinationes Epiſcoporum excipiunt Pontifices à quibus abſtineant legati, proculdubio penes ſe eſſe poteſtatem eius quoque facultatis concedendæ, oſtendunt. Quod verò addit Spalatenſis. *Legatorum Apoſtolicorum munus olim fuiſſe, nec aliud iure eſſe poſſe, quàm vt inſpicerent dumtaxat, ſi quid contra Canones fuerit, & ad Pontificem referrent, in reliquis verò Epiſcopos & Metropolitanos ſuo proprio munere perpetuò perfunctos, nec legatos ſe in regimen Eccleſiarum, vel Prouinciæ ingeſſiſſe,* non eſſe vſquequaque verum, patet ex epiſtola Leonis ad Anaſtaſiũ Theſſalonicenſem Epiſcopum ſedis Apoſtolicæ Legatum. Cùm enim, vt loquitur Leo, de *magnis peccatis* ageretur, cauſaque nequiret Prouinciali examine diffiniri, de totius negotij qualitate Legatum inſtruere tenebatur Metropolitanus, vt ſcilicet ſi fieri poſſet ſuo eam ſopiret iudicio, & niſi res ſuccederet, ad cognitioné Pontificis transferret. Hæc enim totidem ferè verbis Leo. Præterea potuiſſe legatum Epiſcopos euocare probat capite decimo, quod eſt de Epiſcopis euocandis. Atqui inquit Spalatenſis. *Imò Papæ quoque ſi eſſent in aliena Prouincia, extra* Eod. nu. 10.
Romam præſentes, ſua iura integra cedebant Metropolitanis, vt patebit inferius li. 4. cap. 12. Sed hæc ſummam poteſtatem Pontificum, ne minimum quidem labefactant. Solent quoque Imperatores & Reges, in vrbibus ac Prouinciis degentes, ordinariis Magiſtratibus integrum relinquere vſum poteſtatis, qua eos auctos eſſe voluerunt. Sed ad Hormiſdam reuertamur; *Eiuſdem Hormiſdæ opus* Eod. nu. 10.
fuit, inquit Spalatenſis, *vt Conſtantinopolitanis Patriarchis auferretur poteſtas Antiocheni Patriarchæ ordinandi, quam Anatolius iam, & Acacius videbantur vſurpaſſe. Dioſcorus enim Hormiſdæ Diaconus, dum eſſet Conſtantinopoli Papæ Legatus, & Eccleſiæ Antiochenæ vacatio contigiſſet, & tentarent Imperator & Patriarcha, vt Conſtantinopoli in Antiochenum Paulus presbyter Conſtantinopolitanus eligeretur; & ordinaretur Epiſcopum; obſtitit Hormiſdæ nomine, effecitque vt Paulus hic de veteri more, in ipſa Eccleſia Antiochiæ, & eligeretur & ordinaretur: vt idem Dioſcorus in ſua ſuggeſtione ad Hormiſdam tranſmiſſa narrat. Qui autem* Inter epiſt. Horm. poſt ep. 61.
pati non potuit Hormiſda, vt Conſtantinopoli ordinaretur Antiochenus; ne antiquus Eccleſiæ mos iniuria afficeretur: quomodo paſſurus fuit vt Romæ quoque eadem ordinatio celebraretur, ſiquidem eidem iniuriæ æquè locus ſit futurus? Rurſus fallitur Spalatenſis, & imperitè ac omninò malignè Conſtantinopolitanum Antiſtitem cum Pontifice Romano contendit, ac componit. Sed de his ſuo loco. Quantum verò ſibi in his tribuerit Hormiſdas, ex eo coniicere licet, quòd tum Ex Epiſt. 71. & 73.

opera sua, tum opera Legatorum, aduersus Acatium Constantinopolitanum Episcopum egerit; vt Orientis Episcopos, ad sinceriorem fidem reuocaret: & sanè Ioannis successorem Epiphanium, qui initio sui Pontificatus minimè ad eum literas misisset, eò adegit, vt Legatis missis apud eum fidem suam profiteri omnino coactus sit. Item Dorotheum Thessalonicæ Episcopum Romam quoque mittere suos legatos compulit, vt se criminibus, quibus infamaretur, purgaret. Sed & constat Hormisdam Papam Epiphanio Patriarchæ Constantinopolitano, Vicariam sedis Apostolicæ præfecturam demandasse, quo authoritate Pontificis lapsos ad pœnitentiam admitteret.

Ep. ad Euphrem. habetur in Conc. Cõstant. sub Menna.

Spalat. Num. 11. Greg. lib. 2. Ind. 10. ep. 39.

Gregorium iam accersit, *Gregorius*, inquit, *non minori zelo, & sæpius, pro Ecclesiarum priuilegiis pugnat, cauetque vehementer ne iura Ecclesiarum lædantur; De Ecclesiasticis verò, inquit, priuilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; Quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura seruamus: Nec cuilibet, fauente gratia, vltra quàm meretur, impertior; nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu simulante derogo: Sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. Item; Absit à me, vt statuta maiorũ consacerdotibus meis, in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo. Item ad Vitalem defensorem; Si cuiusquam clerici, vt assolet, culpæ casus emerserint, in qua te sibi petere debeant adiutorem, ad* Episcopum *reuerenter accede; & sicut causæ meritum cognoueris, apud eum, non defensor culpæ, sed potius intercessor existe; vt hac prouisione & poscenti feras auxilium, & iura præpositi non turbentur. Si qui verò sunt qui iusta poposcerint, eis per te auxilium sedis Apostolicæ, non est negandũ. Sed tamen ita seruanda est vniuscuiusque Episcopi reuerentia, vt clericorum disciplina, per defensionis tuæ experientiam, minimè soluatur: Item, Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur; quid aliud agitur, nisi vt per nos per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? Item, Si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iustè comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait; Omne regnum in se ipso diuisum non stabit, & omnis scientia & lex aduersum se diuisa destruetur. Et Legato suo Augustino illud dat in mandatis: Ipse autẽ authoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma: Quia scriptum est in lege: Per alienam messem transiens, falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere, & manducare. Falcem ergo Iudicij mittere non potes in eam segetem, quæ alteri videtur commissa, &c.* Hæc quidem Gregorius pro pace Ecclesiarum seruanda docet, ac edicit; sed vbi res Ecclesiæ id postularent, ordinationes Episcoporum ad se traxisse illum, nimium peregrinus est in eius scriptis, qui non aduertit. Ipse Spalatensis nonnulla in rem nostram collegit exempla, de quibus infrà erit nobis sermo: quæ ergo hoc loco proferuntur, ordinarium ius spirant, extraordinarium non tollunt. Quod autem addit Gregorium Hormisdam sequutum, *Legato omnẽ, prorsus negasse iurisdictionem; ne ordinario iuri Metropolitico vlla, vel minima fiat læsio. Quod si Legatus à latere*, inquit, *qui Papæ ipsius personã repræsentat, Metropolitanũ non potest turbare in sua iurisdictione, neque ipse* Papa *poterit, siquidẽ id ei negatur, non restrictione cõmissionis, sed iuris Metropolitici proprio vigore, quod à nulla possit in Ecclesia potestate labefactari.* Primùm in vniuersum verum non est de Arelatensi Prouincia,

Id. l. 2. ind. 11. ep. 29.

Greg. l. 2. Ind. 10. ep. 37.

Id. l. 7. ind. 2. ep. 65.

Id. l. 4. ind. 4. ep. 32.

Id. l. 10. ep. 31.

Id. ad interr. Aug. c. 9.

Deut. 23.

Eod. nu. 11.

per-

per quam esset in Britanniam iter instituenti, transeundum, non immorandum loquitur; Et præterea constat ex Beda Augustinum Episcopis & Metropolitanis authoritate Apostolica, & ratione sibi impositæ Legationis in Anglia ius dixisse. Hæc clariora sunt, quàm vt probatione indigeant. Quia igitur ad Arelatensem Prouinciam non destinabatur Legatus, rectè monuit Gregorius, iure Legationis alio destinatæ in Arelatensis Antistitis Prouincia non esse ei abutendum. Sed quod illi esset demandata Legati Prouincia in Britannia, Legatũ planè egit in eo Regno, ac omninò ostendit falsum esse, quod scribit Spalatensis, iuris Metropolitici proprio vigore, non commissione Legati vlla restrictione Legato negatum, vt aliquid in Prouinciis moliretur. Sed lubet ascribere verba Gregorij: *In Galliarum Episcopos*, inquit, *nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit: quem nos priuare auctoritate percepta minimè debemus. Si igitur contingat vt fraternitas tua ad Galliarum Prouinciam transeat: cum eodem Arelatensi Episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in Episcopis vitia corrigantur. Qui si fortè in disciplinæ vigore tepidus existat: tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiã epistolas fecimus: vt cùm tuæ sanctitatis præsentia in Galliis fuerit, ei ipse tota mente subueniat: & quæ sunt creatoris nostri iussioni contraria, ab Episcoporum moribus compescat. Ipse autem auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma: quia scriptum est in lege, Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet: sed manu spicas conterere, & manducare. Falcem ergo iudicij mittere non potes in eam segetem quæ altari videtur esse commissa: sed per affectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis exspolia: & in Ecclesiæ corpus quasi mandendo conuerte. Quicquid verò ex auctoritate agendum est: cum prædicto Arelatensi agatur: ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio inuenit. Britannorum verò omnes Episcopos tuæ fraternitati committimus, vt indocti doceantur: infirmi persuasione roborentur, peruersi auctoritate corrigantur.* Primùm igitur aliquid moliri in Arelatensi Prouincia vetat, quod etiam sanctæ sedis Legatus Arelatensis Antistes esset, & quidem ordinarius, quem propterea *nudare authoritate percepta*, vt ipse loquitur, nollet Gregorius. Demùm discrimen ponit inter Episcopos Britannos & Gallos, *Britannorũ verò*, inquit, *Episcopos fraternitati tuæ cõmittimus, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi authoritate corrigantur.* Cæterùm in Pontificum historia ludit Spalatensis, ac denuò assumpto cothurno in Ecclesiasticam Monarchiam insurgit, eoque demùm insolentiæ relabitur, vt superiores Pontifices ius nullum in Episcopos sibi sumpsisse blateret. Hæc tam sunt absurda, vt refellere sit superfluum: Dicemus verò de præstantissima authoritate suo loco.

Ad Interr. B. Aug. Greg. ep. 9.

Deut. 23.

Ibid.

Sed iam alterius legati sanctissimi, nimirum martyris Bonifacij Germanorũ Apostoli, facta expendamus: *Bonifacius*, inquit, *Germaniæ Apostolus*; *Romano Pontifici addictissimus, Traiectensem nouam* Ecclesiam *omninò eidem Pontifici immediatè subdere conabatur; quia Frisonum gens, per VVillebrordum à Papa missum fuit conuersa; Sed Coloniensis Archiepiscopus, quia Traiectũ in ipsius Prouincia erat inclusum, restitit; vt idem Bonifacius scribit: Et modò, inquit, vult Coloniensis Episcopus sedem supradicti VVillebrordi sibi contrahere, vt non sit Episcopalis sedes, subiecta Romano* Pontifici. *Episcopus Catholicus*, addit Spalatensis, *non obstitisset Romano Pontifici, nisi habuisset* Canones *eidem obsistentes: ne & ipse alienæ Pro-*

Spalat. Num. 13.

Apud Bar. tom. 9. an. 755. nu. 41.

uinciæ ordinationes sibi vsurpet, & Ecclesias sibi Metropolitico iure subiiciat, quæ ei subiectæ non sunt, nec ad eius pertinent propriam Prouinciam. Respondeo posse quemcunque Metropolitã pro iuribus suis pugnare, dũmodo modestiæ limites non transiliat. Cæterùm Coloniensem immerentẽ vexasse Bonifaciũ ex eo colligitur, quod VVillebrordus ille, vnius Pontificis authoritate Traiectum castrum Episcopatum fecisset. Sic enim Beda: *Primis temporibus*, inquit, *aduentus eorum in Frisiam, mox vt comperit VVillebrordus datam sibi à Principe (Pipino Caroli Martelli Patre) licentiam ibidem prædicandi, accelerauit venire Romam, cuius sedi Apostolicæ tunc Sergius Papa præerat, vt cum eius licentia & benedictione desideratum Euangelizandi gentibus opus iniret: Simul & reliquias beatorũ Apostolorum ac Martyrum Christi ab eo se sperans accipere, vt dum in gente cui prædicaret destructis Idolis, Ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias sanctorum, quas ibi introduceret, quibusque ibidem depositis consequenter in eorum honorem, quorum essent illa singula, quæque loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negocium quærebat, vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cùm sui voti compos esset effectus, ad prædicandum rediit.* Et interiectis paucis pergit idem Beda: *Postquam per annos aliquot in Frisia, qui aduenerant, docuerunt, misit Pipinus, fauente omnium consensu, virum venerabilem VVillebrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulans vt eidem Frisonum genti Archiepiscopus ordinaretur. Quod ita, vti petierat, impletũ est* anno ab Incarnatione Domini ɪↄcxcvi. anno autẽ ɪↄcxcvii. inquit Marcellinus, c. 13. *adepta iam Apostolicæ benedictionis authoritate, consecratusque Archiepiscopus à S. Sergio Papa rediit ad Germaniam. Cui occurrens S. Svvibertus cum clericis & discipulis, & multis Christianis vsque Embricam, recepit eum, cum magna honorificentia, & gauisi sunt in Domino. Donauit autem*, ait Beda, *ei (VVillebrordo) Pipinus locum Cathedræ Episcopalis in castello sui illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo, VViltaburg, id est, oppidum Viltorum, lingua autem Gallica Traiectum vocatur: in quo ædificata Ecclesia reuerendissimus Pontifex longè, latéque verbum fidei prædicans, multosque ab errore reuocans, plures, per illas regiones, Ecclesias & Monasteria nonnulla construxit. Et licet*, inquit ibidem Marcellinus, *S. Svvibertus egregius Pontifex, præcesserit S. VVillebrordum tempore, tamen S. VVillebrordus præcedit S. Svvibertum dignitate & primus Archiepiscopus Traiectensis reputatur, eò quòd à S. Sergio Papa Archiepiscopus Frisonum specialiter consecratus, & à sede Apostolica ad eundem populum missus fuerit: atque quod ab illustri Principe Pipino de Herstallo, & à glorioso filio eius Carolo Martello, ex regali donatione ciuitatem Traiectensis Ecclesia impetrauerat. Et ideo S. Suuibertus non Episcopus Traiectensis appellatur, sed Coëpiscopus S. VVillebrordi.* Sed alio exemplo nos premit; *Ignatius quoque*, inquit, *Constantinopolitanus, vir non modò Catholicus, sed etiam sanctus, & à Romana quoque Ecclesia inter sanctos habitus perpetuò & recensitus; Nihilominus aduersus Romanum Pontificem pugnauit acriter, vt Bulgariam Prouinciam ad Romani Papæ ius & ordinatione transire non permitteret, sed eam tanquam iuris Primatus Constantinopolitani, sibi retineret. Concertationem hanc pro Bulgaria habes in Anastasio Bibliothecario, vbi recenset gesta Hadriani secundi; & in Epistola quinta eiusdem Hadriani tom. 3. Decret. epist. Rom. Pontificum, siue in tom. 3. Concil. in fin. 8. Synod. general. Et in pluribus Epistolis Ioannis 8. videlicet* 75. 76. 77. 78. 79. 109. 174. 192. 201. 251. 287. 297. *In Encyclica Photij apud Baronium tomo decimo ann. 863. num. 42. 43. 44. 45. Et in eod. Baron. eod. tom. sæpius. Et nibilo-*

Bed. li. 5. c. 12.
Apud Serr. not. 11. in ep. Bonif.
Bar. to. 10. an. 788. nu. 45. & seqq.
Ibid. n. 44.

nihilominus Constantinopolitanus tandem euicit Bulgariam. Quod si indubitatum fuisset in Ecclesia Romanum Pontificem posse ad placitum suum quoscunque Episcopos cuiuscunque Prouinciæ ordinare; esseque illum sacris Canonibus id prohibentibus, eique propriam Prouinciam, vt infrà patebit, assignantibus, superiorem, cur tam diutinam sustinuissent Romani Pontifices disputationem, vt ostenderent, non quidem Romanam sedem habere supremam in tota Ecclesia vniuersali Monarchiã, sed Bulgariam ad ius Romanæ Ecclesiæ, & non Constantinopolitanæ pertinere? Respondeo controuersiam ad quam spectaret Bulgaria, ad Romanum ne Pontificem, an ad Constantinopolitanum Antistitem, fuisse de propria, & vt vocant, *speciali* Diœcesi Patriarcharum, cui nimirũ iure Patriarchico esset asserenda. Ius ergò Patriarchicum defendit Ignatius ratus Bulgariam illo iure ad Constantinopolitanam sedem pertinere, acresque in ea passus est aduersarios Pontifices Romanos, quibus esset constitutum Bulgariam, vt suprà euicimus, *ad suam propriam Diœcesim* spectare. Sed Ignatius quomodo Bulgariam Pontifici subduxisset, qui eius opera Constantinopolim obtinuit; Qui illum semper pro capite habuit, & veneratus est. Cum igitur cum eo de Bulgaria cõtendit quâ Patriarchã spectauit, cui Occidens contigisset, non qua caput Ecclesiæ, cui etiam Patriarchales sedes fasces authoritate Christi summittere iubentur. Lubet hîc ascribere, quæ sunt in Concilio Oecumenico à Patribus pronunciata, cũ Pontificis authoritate suæ sedi, pulso Photio Ignatius redderetur: *Anathematizamus*, inquiũt Patres, *omnes hæreses simul cum Iconomachis; Anathematizamus etiam Photium, qui contra sacras regulas, & sanctorum Pontificũ Romanorũ veneranda decreta repentè decuriali administratione, seculárique militia sublatus, superstite Ignatio Patriarcha, in Constantinopolitana est peruasoriè, imò tyrannicè à quibusdam schismaticis vel anathematizatis atque depositis institutus Ecclesia, donec sedis Apostolicæ sanctionibus inobediens perseuerans, eius sententiam tam de se quàm de Patriarcha nostro Ignatio spreuerit, & Conciliabuli acta, quod se authore contra sedem Apostolicam congregatum est, anathematizare distulerit.* Ex Conc. 8. Constant. Act. v.

Videamus iam de Hincmaro quem in scenam inducit Spalatensis, *Acerrimum*, inquit, *Metropoliticorum iurium aduersus Romanum Pontificem propugnatorem habemus Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem; virum sanè & doctrina & sanctitate singularem. Is enim Rothaldum siue Rothadum Suession. Episc. ob ipsius varia delicta, debitis affecerat pœnis: Nicolaus tamen Papa Rothaldi, ad sedem Apostolicam appellantis, defensionem susceperat, indeque in Hincmarum non semel excanduerat, appellationibus & inhibitionibus non deferentem. Sed ille Epistola Apologetica se purgare voluit; in eaque Metropolitica iura tutatus est, & ab oppreßione Romana, modestißimè tamen vt par est, vindicauit. Ait igitur; Qua de re sanctißime Domine & Pater reuerendißime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me, si adhuc quædam de Rothaldi causa, vobis iam sufficienter notißima, quasi repetens scribo, cum quo, quia vobis placet qui cuncta bona placent, mittimus Vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rhotaldo, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt, aut scire nolunt, accusati quod nos in contemptum sedis Apostolicæ appellantem Rothaldum secundum Sardicenses Canones, sedem Apostolicam retinuerimus; Sed eum quia ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanenses Canones, ac decreta beati Gregorij, regulari-* Spalat. Num. 14. Ex Frodoardo Baron to. 10. an. 865. nu. 36.

ter iudicauimus vestræ summæ authoritati humiliter intimandum. Absit enim à nobis, vt priuilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis, pro sic paruo pendamus, vt controuersias & iurgia tam superioris quàm inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri Sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentij, atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum decreta, in Synodis Prouincialibus ac Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam authoritatem fatigandam ducamus: At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habemus iudicia, & ob id in Prouinciali, vel in Comprouinciali nequeat examine definiri; ad diuinum oraculum, id est, ad Apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de maioribus causis, à Prouinciali Episcopo, ad Electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est, à gradu suo in Comprouinciali Synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab iis qui causam examinarant post iudicium Episcopale eidem summo Pontifici; & ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis Concilij capitulum, renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ sedis Pontifices in decretis suis, ex sacris Canonibus monstrant, ipsius Pontificis etiam ante iudicium est sententia præstolanda.

Spalat. Num. 15. Ib. nu. 44. & seqq. *Et post narrata Rothadi delicta*, addit Spalatensis, *totus in eo est, vt doceat Romanum Pontificem, posse quidem patrocinium afflictorum iniustè & oppressorum suscipere, ad eum in grauioribus causis prouocantium; iudicare tamen per se non debere alienos, sed ad iudicium Prouinciæ transmittere, curaréque vt iudicium rectum fiat. Huc adducit exempla scripturæ nimirum Pauli non à Christo immediatè instructi, quid illum oporteat facere, sed ad Ananiam missi, Cornelij ab Angelo non instructi, sed ad Petrum missi: Petri non ex potestate, sed ex ratione querelæ fidelium Iudæorum respondentis & prælatis Ecclesiæ, vt non sint dominantes in Clero præcipientis. Adducit etiam varia & Pauli, & Romanorum Pontificum Gelasij & Leonis, Ambrosij quoque dicta, vt his omnibus ostendat Papam non debere ex potestate adeò agere, vt ordinaria Ordinariorum impediat iudicia; sed generali quadam superintendentia, illum debere esse contentum; In eoque priuilegium Romanæ sedis collocat, vt sua authoritate priuilegia Rhemensis, & aliarum Ecclesiarum Metropolitanarum intacta conseruet, vigere faciat, & studeat confirmare; concordiámque cum ipsis perfectam conetur retinere. De hac Hincmari Apologia nos plura lib. 8. Idem Hincmarus*, persequitur Spalat. *Ecclesiastici iuris sicut instructissimus, ita obseruantissimus, in Synodo quadam Metensi pro causa Caroli Regis, cùm præsideret in alia Prouincia, & capitula proponeret excusationē hanc præmisit, quæ optimā continet instructionem. Ne aliqui, inquit, fortè videatur incongruè & præsumptuosè me, ac Prouinciæ nostræ venerabiles Coëpiscopos facere, quoniam de altera Prouincia ordinationi & causis huius Prouinciæ nos immiscemus; Si ad nos contra Canones sacros non agere; quoniam Rhemensis & Treuirensis Ecclesia in hac regione Belgica cum istis Ecclesiis sorores & Comprouinciales habentur, sicut authoritas Ecclesiastica & anti-*

Margin notes: Act. 5. — Act. 10. — 1. Pet. 5. — Spalat. Num. 16. — Apud Bar. tom. 10. an. 869. n. 110.

antiquißima demonstrat consuetudo, ac per hoc vnanimi consensu & Synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodiri. Hac priuilegij constitutione seruata, qui prior de Rhemensi & Treuirensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur, & lex diuinitus inspirata præcipit dicens; Si transieris per messem amici tui, colligens spicas manu confricabis ad manducandum, falcem non mittas, vel falce non metas. Meßis est populus, vt Dominus demonstrat in Euangelio dicens, Meßis quidem multa, operarij autem pauci, rogate Dominum meßis, vt mittat operarios in messem suam; quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, vt vobis digna poßimus loqui. Meßis autem amici, est populus in Prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem, & vestram salutem, in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus & debemus traiicere. In Parochianos autem Prouinciarum aliis Metropolitanis commissarum, falcem iudicij non mittimus, quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus. Est & alia causa, quia isti venerabiles Domini & confratres nostri Prouinciæ istius Episcopi, non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna charitate iubent, & commonent agere. Quæ instructio generalis est Patriarchis etiam; nedum inferioribus Metropolitanis obseruanda. Respondeo Hincmarum Rhemensem ceruicosum animal, acrisque ingenij virum, cùm inhumanâ barbarie & duritiâ vexandum suscepisset Hincmarum Laodunensem nepotem suum, furori nimium indulsisse, & quòd Pontificem obsistentem habuisset, crebrò asperiùs cum eo egisse. Sed quanquàm liberiore fuit linguâ, adduci non potuit homo in Patrum & Conciliorum lectione apprimè versatus, vt Pontificiam authoritatem planè pessundaret. Sed Rothardi causam, quam constat, dissidio inter Patruum & nepotem exorto, occasionem dedisse, excutiamus. Optimum senem in Concilio Siluanectensi de dignitate deiicere tentauit Hincmarus; Sed cùm Pontificem appellasset, sunt ab Apostolicâ sede damnata quæ essent illo Conciliolo aduersum eum constituta. Namque Nicolaus collecta Romæ Synodo, habitáque diligentiori totius causæ discussione, Epistolam scripsit ad Syluanectenses, quâ irrita significaret quæ essent ab iis aduersum immeritum senem gesta, Rothaldumque pristino honori restituit. Hincmarus Pontificis bonum factum impatientissimè tulit, atque toto triennio restitit, abducto etiam in errorem Carolo potentissimo Galliarum rege. Verùm erroris eum tandem pœnituit, atque epistola Apologetica se apud Pontificem purgauit, & sedi Apostolicæ à quibuscumque etiam Metropolitis summum honorem habendum agnouit. Verba eius sunt: *Qua de re*, inquit, *sanctißime Domine & Pater reuerendißime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis iam sufficienter notißima quasi repetens scribo. Cum quo quia vobis placet, cui cuncta bona placent, mittimus Vicarios nostros, non vt accusatores ac confligendum, sed vt à Rothado, atque à vicinis nostris qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt, aut scire non volunt, accusati; quòd nos in contemptum sedis Apostolicæ appellantem Rothadum, secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam, retinuerimus, sed eum qui ad Electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos Canones, ac decreta beati Gregorij, regulariter iudicauimus vestræ summæ authoritati humiliter intimandum: Absit enim à nobis, vt Priuilegium primæ & summæ Sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis, pro sic paruopen-*

Deut. 23.

Matth. 9.

Flodoardus lib. 3. ca. 13.

damus, vt controuersias, & iurgia tam superioris quàm inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentij, atque aliorum sanctæ Romanæ Sedis Pontificum decreta, in Synodis Prouincialibus ac Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam authoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habemus iudicia, & ob id in Prouinciali vel in Comprouinciali, nequeat examine definiri. At diuinum Oraculum, id est, ad Apostolicam Sedem nobis inde est recurrendum, si etiam de maioribus causis à Prouinciali Episcopo ad electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est à gradu suo in Comprouinciali Synodo deiectus; & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri: si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum, est ab his, qui causam examinarunt post iudicium Episcopale, eidem summo Pontifici, & ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis Concilij Capitulum, renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica Sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænũ Conciliũ innuit, & cæteri Romanæ sedis Pontifices in Decretis suis, ex sacris Canonibus monstrant, Sedis ipsius Pontificis etiam ante iudicium est sententia præstolanda. Is enim est qui secundum Ezechielem Prophetam, moratur in Gazophylacio, quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis Templi. Et nos Metropolitani ad comparationem illius sumus, qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, seruimus, & controuersias carnalium in Synodis Prouincialibus laborantes dirimimus, & de maioribus ac maiorum causis ad examen summæ Sedis Pontificis post iudicium referre curamus. Vtcunque igitur Metropolitarum iura acerrimè defenderit, tandem tamen colla submisit, ac cùm omninò Suessionensi Ecclesiæ addendum Rothadum apud Episcopos, Regemque ipsum contendisset Nicolaus, Hincmarus ipse sanctæ Sedis iudicio acquieuit, vt ex eius ad Hincmarum Laudunensem Epistolâ constat. *Quod te dicis,* inquit, *audire obloqui de iudicio Domini Papæ Nicolai, si de me dicis, mendacium dicis. Nam quòd ille de Rothado, siue de VVlfado iudicauit, non contradixi: sed sicut ipse præcepit, obedire curaui.* Præterea verò alios Syluanectenses Patres, malè acti iudicij veniam à Pontifice exorasse, ex literis constat à Nicolao ad Franconem missis; *Excusationis tuæ,* inquit, *literis per Richardum venerabilem Diaconum tuum susceptis, professio sanctitatis tuæ, qua te in nullo à sede Apostolica dissentire manifestas, quamque nobis à te minus quàm à nullis aliis sperabamus offerendã, nos plurimùm exhilarauit. Sed confessio nihilominus in Domino exultare fecit. Eò enim quò veniam petitis, deliquisse vos proculdubio demonstratis; & reuera qualiter sine delicto euadere poteratis, qui sedentes in Concilio vanitas, & si non fauendo, certè tacendo; si non scribendo, profectò non resistendo, profanis gestis declaramini consensisse?* Hic exitus fuit Tragœdiæ in Syluanectensi Synodo ab Hincmaro aduersus Rothadum Suessionensem excitatæ. Neque hîc video causam vllam subesse, cur hic triumphos agat aduersarius. Quod autem addit, *Hincmarum in Metensi Concilio, citò conculcatis legibus Ecclesiasticis, Patres orbasse, suæ vsurpationi hunc colorem quæsiisse, quòd Treuirensis & Rhemensis Ecclesiæ sorores essent, ac proinde ei licuisse in Prouinciâ Treuirensi, primas in Synodo partes occupasse:* Vafrum Hincmari ingenium ostendit: Namque cùm præter fas in aliena iura inuasisset, & vt Caroli Calui latrocinium authoritate Eccle-

Flod. l. 3. c. 21.

Inter epist. Nicol. 1. ep. 45.

Num. 22.

Ecclesiastica firmaret, conciliabulum coëgisset, strophis lusit, ac conuentui Episcoporum imposuit, mentitus promiscuam esse potestatem Treuirensis Metropolitæ & Rhemensis. Neque verò ex ea purgatione Hincmari habet aliquid Spalatensis, quod Pontificis dignitati officiat. Priuatus omninò Metropolita fuit Hincmarus, cui in aliena Diœcesi potestatem ostendere minimè fas fuit. At Pontifex Metropolitarum omnium caput est, cui proinde etiam adnitente Hincmaro omnes Metropolitæ fasces summittere teneantur. Accedamus ad Iuonem.

Iuo quoque Carnotensis, inquit, *totius Galliæ Primati, seu Patriarchæ Lugdunēsi Senonensem Archiepiscopum diuersæ Prouinciæ ad Concilium iure sui primatus conuocanti, ita Senonensis nomine respondet; Ad Concilium venire minimè contemnimus, sed terminos quos posuerunt Patres nostri antiquos, transgredi formidamus. Nusquam enim reuerenda Patrum sanxit authoritas, nunquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt primæ sedis Episcopus, Episcopos extra Prouinciā propriam positos, inuitaret ad Concilium, nisi hoc aut Apostolica sedes imperaret; aut vna de Prouincialibus Ecclesiis, pro causis quas intra Prouinciam terminare non poterat, primæ sedis audientiam appellaret. Profertque Canonem Nicolai 9.q.3.c. Conquestus, in quo illud habetur; Primates enim vel Patriarchas nihil priuilegij habere, præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus cōtulit, definimus: Ita vt secundum Nicænas regulas, sua priuilegia seruentur Ecclesiis. Et hæc regula si non intentione Nicolai, certè iure & ratione iam exposita in præcedentibus, & vlterius lib.4. exponenda, omnibus penitus & Metropolitanis & Patriarchis, & etiam Romano præscribitur; Vt nihil possit in alienis Prouinciis, nisi quantum ei sacri concedunt Canones; & prisca contulit consuetudo. Quamuis circa* Conciliorum conuocationem, *non modò Patriarchæ, sed etiam* Primates *ius habeant plenum; vt benè Senonensi, vel potius Iuoni respondet Lugdunensis, & ego tractabo lib.7. His adde si placet, Iustiniani edictum in hoc genere pulcherrimum, quod suprà posuimus, huius lic.2.n.18.* Nihil est in hac Iuonis Carnotensis, nomine Senonēsis Metropolitæ, aduersus Lugdunensem Primatem, contentione, quod Pontificem lædat. Est verò quod maximè eius authoritatem illustret; Nemo enim nisi stolidus Primatem Lugdunensem cum Pontifice composuerit; Excipit Iuo authoritate Apostolicæ sedis potuisse quidem Primatem extra Prouinciam positos Episcopos ad Concilium vocare, sed negat Primati Lugdunensi citra mandatum Pontificis id iuris fuisse. Potuitne aliquid clarius proferre pro summa Capitis Ecclesiæ dignitate? Excussimus verò suprà quæ ad Nicolai de Patriarchis Canonem, non tam commentatus quàm commentus est Spalatensis. Reliqua suis locis expendentur.

SPALAT. Num. 17. Iuo ep.236. Id. ep. 237.

Aggreditur iam Spalatensis ad funditùs euertendam Hierarchiam Ecclesiasticam, recensitis quæ ex eius institutione cōsequuta sunt incommodis: Sed quia rhetoricatur tantùm & lasciuit, cum alio responso non dignabimur, quàm perpendendum ei fuisse non Hierarchiæ Ecclesiasticæ vitio, sed hominum improbitati deputandum auaritiam, ambitionem, & reliqua peccata quæ in sui sæculi Sacerdotibus notant, aut Cyprianus, aut Eusebius, aut Sulpitius, qui etiam Episcoporū improbos mores, & plusquàm Vatiniana inter se odia occasionē dedisse persecutioni, à Diocletiano in Ecclesiam excitatæ scribit, quod nimirum tot eorum facinoribus prouocatum ac offensum numen, ea vltum iuerit, concitato aduersum fideles impio Tyranno. Annon verò Sacerdotes Iudæorum,

Cypr. ser. de lapsis. Euf. l.8.c.1. Sulp. Sac. hist. lib. 2.

quos à Deo ipso ad hoc honoris fastigium euectos omninò constat, clamant Prophetæ, cladium quibus infestaretur populus causam non infrequenter extitisse. Huius igitur ea labes fuit, non sanctissimæ potestatis.

SPALAT. Num. 21. Quàm ignoranter autem scribit Alexandrini Patriarchæ ambitionem, causam fuisse Patribus Nicænis condendi sui sexti Canonis, est suprà à nobis demonstratum. Certè in gratiam Alexandrini, cuius in iura inuolaret Licopolitanus, conditum eum Concilij Epistolæ docent.

SPALAT. Num. 22. Sed relicto Alexandrino Patriarcha Pontificem totum inuadit, ac totius mali in Ecclesiam deriuati fontem facit, *Episcoporum electiones*, inquit, *potissimùm, confirmationes & consecrationes, ne confusè fierent; deinde etiam Episcoporum errores & defectus, necessitatem prælationis alicuius, & subiectionis inter Episcopos, in Ecclesiam, vt vidimus importarunt. Circa hæc omnia, sicut Ecclesia ipsa consuetudinem iam meritò introductam optimis legibus stabiliuit, & confirmauit; ita Romana nimia ambitio, & consuetudinem optimam, & sanctissimas leges, & iura ipsa non minus diuina quàm humana peruertit, pessumdedit, conculcauit. Veniamus ad electiones; Ac primùm considera quàm importuna & verè præsumpta sit, contra* c. Messana. de election. *tot sanctissima decreta,* Gregorij IX. *definitio, excludens laïcos ab electione: & consuetudinem contrariam ex Apostolica traditione venientem, vocans corruptelam. Episcopos namque omnes cuiuscunque gradus & dignitatis sint in Ecclesia, à Clero & populo eligi debere, pluribus probaui suprà c. 3. & quinam ac vnde eligi debeant* Suprà c. 3. nu. 7. & 25. *c. 4. idque ab Apostolorum temporibus, Apostolica traditione in Ecclesia, ita perpetuò & inuiolabiliter seruatum ostendi, per quatuordecim fermè post Christum sæcula.* Quod attinet ad Episcoporum confirmationes, facilè ostenderem harum sanciendarum ius summum semper penes Pontificem fuisse; sed erit de eis alibi differendi locus. Quod ad electiones attinet, egimus de his abundè suprà; quare non est quod actum agamus.

Tibias tamen inflat, & planè tragicâ oratione, tum in Pontifices, tum in Christianissimos Reges insurgit. Et quidem Pontifices, in his maximè Leonem hoc nomine potissimùm incessit, quod erepto populo ac clero eligendi sui Antistitis iure, designandorum Episcoporum potestatem vnis regibus attribuerint, atque contra suos reges leges armat Gallicas, ac postremò Genebrardum Gallum de his acerbè conquerentem inducit, addita peroratione, qua Num. 26. 27. totam culpam in Pontificem confert. Quid verò faciemus viro tam iustas dolendi causas habenti? Fatemur etiam his indoluisse scholam Parisiensem, eiusque clarissimos alumnos, sed intra querelarum cancellos se continuit, neque quidquam præterea molita est alma facultas ab Apostolo edocta, præpositis suis esse morem gerendum. Non igitur aut Genebrardus, aut alius quispiam orthodoxus inficias iuit, summum hoc ius penes Pontificem esse, sed summum ius summam iniuriam dixerunt. Certè ipse Genebrardus nulla populi electione, aut Cleri, sed sola Pontificis authoritate est Aquensis Archiepiscopus renunciatus. Resedit porrò tota ea querela, ac vt næuos suos (nil est enim ex omni parte beatum) habeant regiæ istæ nominationes, certum tamen omninò est plures olim in illis popularibus electionibus abusus, spectatos & obseruatos fuisse à sanctissimis Antistitibus. Estque id à nobis suprà magnorum virorum SPALAT. Num. 28. authoritate probatum. Laudarunt alij fateor populares electiones, & celeberrimum est Anselmi de hac re iudicium; sed sunt rerum humanarum quædam vices, nec omnium temporum est eadem ratio.

Neque

Neque verò erat quod iuris Pontificij interpretes tam acerbè traduceret, quod penes Pontificem earum rerum ad se reuocandarum potestatem fuisse contendant: Namque quibus constitutum est, vt est omnibus orthodoxis constitutum, Pontificem caput esse Ecclesiæ iis quoque probatum est, penes Pontificem sanciendi iuris Ecclesiastici potestatem esse. Et certè quicquid de Gregorio garriat Spalatensis, omninò apparet hanc potestatem sedi suæ attribuisse, ac vendicasse, vtcunque promiscuè ea vti noluerit, nec dum eo iure ad Apostolicam authoritatem reuocato. SPALAT. Num.29.

Propterea etiam tandem in Gregorio hæret aduersarius; *Nunc*, inquit, *illud tantùm obseruo Gregorium Petro Subdiacono suo dedisse in mandatis; vt si vacantia loca repererit, & nullus dignitati Episcopali ex eadem Ecclesia congruus inueniatur, id ei renunciaret: Vt Deus, inquit, quem dignum talibus ordinationibus indicauerit, valeat prouidere. Et ad Syracusanum scripsisse; vt ad ipsum Romam mitteret Presbyterum quendam, quem ad Episcopatum idoneum commendari audierat. Vt eum, inquit, disponente Deo, loco cui prauiderimus, possimus ordinare Pastorem. Quia tamen aliàs ordinarios Electores, Clerum nimirum & populum, etiam in casu defectus, vbi in propria Ecclesia non habeant quem eligant, vt ex aliena eligant permittit; prior hic locus explicandus est, voluisse Gregorium in eo defectu proponere electoribus personam eligendam; aut electionem sibi reseruasse, vbi electores quem eligerent idoneum, neque in propria haberent Ecclesia, neque cognoscerent alienum. Posterior verò locus innuit, aut Gregorium similiter voluisse illum Presbyterum proponere, vbi ab electoribus solitus erat rogari, vt ipse eis personam idoneam inueniret & proponeret, aut nouas missiones ad nouas gentes nondum conuersas in mente habuisse.* Sed geræ sunt hæ Dalmatices. Apparet omnino Gregorium de electione à Clero vel à populo facienda, illa ad Petrum Subdiaconum Epistola nequidem per somnium cogitasse, sed ad se creandi Episcopi ius traxisse. Illa verò altera ad Syracusanum, dubitare non patitur ordinandi Episcopi, plenissimam potestatem sibi Gregorium vendicasse. SPALAT. Num.30. Greg.l.1. ep.18. Id.l.2.ind. 10.ep.18. Id.ibi.ep.19 & ep.26.& l.11.ep.16.

Iam nonnulla alia argumenta soluere aggreditur. *Obijcies*, inquit, *in Petri potestate fuisse, iuxta Chrysostomi interpretationem, eligere in locum Iudæ illos duos Matthiam & Barsabam; vt Deus posteà ostenderet, quem ex his duobus vellet esse Apostolum loco Iudæ; noluisse tamen ne videretur affectione duci: sed electionem simul cum reliquis omnibus fratribus peregisse. Respondeo ex facto quidem hoc clarè deduci, Apostolicam esse institutionem, vt electiones à Clero fierent toto, & simul à populo. Quod verò ait Chrysostomus, Petrum potuisse id per se exequi, vide explicationem sup. lib.1. cap.9. num.19. Ex ea certè Petri præsidentia Anacletus Metropolitanorum institutionem deducebat. Vt sicut Petrus, consensu Apostolorum, totius Apostolici Collegij Præses erat; ita inter Episcopos eiusdem Prouinciæ Metropolitanus præsideret; & ipse potissimùm ordinationibus Episcoporum præesset; sicut videtur Petrus in electione Matthiæ præfuisse. Hæc tamen omnia ius humanum important, non diuinum. Quia idem Anacletus, iure diuino, omnes Apostolos, etiam cum Petro, agnouit æquales.* Excipio verò, ex facto quidem constare concessum populo, ius in sacris electionibus ferendi suffragij, sed præceptum extare vllum, aut diuinum, aut Apostolicum nego, ac pernego. Videantur quæ suprà sunt à nobis de ea re dicta. Quod attinet ad Chrysostomi locum, est is clarissimus, & cui nec Spal. adhibito Anacleto illo suo suppositio, tenebras offundere possit. SPALAT. Num.31. Chrys. in Act.Hom.3 Suprà c. 10. nu.4 huius.

Chryſ. ho. 3. in Act. Apoſtol. Τί οὖν; ἐξῆν [τὸν Πέτρον] αὐτὸν ἑλέσθαι; καὶ πάνυ γε· ἀλλ' ἵνα μὴ δόξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ.

Quid? inquit Chryſoſtomus, *Annon licebat ipſe eligere? Licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. Quamquam alioqui nondum erat particeps ſpiritus, & ſtatuerunt, inquit, duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas, cognomento iuſtum, & Matthiam. Non ipſe eos ſtatuit, ſed omnes.* Quid clariùs dici poſſit? Conſenſum Apoſtolorum in Petro præficiendo interceſſiſſe, dicit ille Anacletus? Nugæ. Conſenſerunt, ſed eo à Chriſto primùm renunciato, vt illi refragari nulla ratione poſſent.

Spalat. Num. 32. Diſt. 63. c. Porro.

Obijcies præterea, addit Spalatenſis, *Nicolaum primum præcipere Lothario Regi: Vt in Treuirenſi vrbe, & in Agrippina Colonia, nullum eligi patiatur, antequam relatum ſuper hoc ſit ipſius Apoſtolatui. Reſpondeo Gloſſam quoque hoc præceptum agnouiſſe eſſe exorbitans, & iuribus aduerſum: propterea illud mollire, & ſale condire conatur, dicens; vel iſtud pro tempore fuit ſtatutum; vel dic eligi, id eſt conſecrari, vel inſtitui. At neque in conſecratione Epiſcoporum alienæ Prouinciæ, eorumve inſtitutione, ius habet Papa; vt paulò pòſt diſſeram.* Reſpondeo Nicolaum primum, quod ex diuerſis eius Epiſtolis conſtat, conſuetum ac receptum in Eccleſiis Treuirenſi & Colonienſi ordinationum morem nunquam turbaſſe, ſed cùm Lotharius Rex ob repudiatam Theutpergam apud Pontificem malè audiret eo maximè nomine, quod nullos renunciari Epiſcopos, niſi qui repudio Theutpergæ aſſentirentur, doluit Pontifici improbi facinoris factum, Eccleſiis rectores magni regis authoritate imponi, quare prohibendum duxit, ne quis iis præficeretur fama parum ſecunda, proptereaque ad ſedem Apoſtolicam primùm rem referendam eſſe duxit; Certè cùm in locum Theugualdi & Gunthari de ſedibus ſuis deiectorum & depulſorum alios ſufficiendos decernit, veterem morem retinendum ſcribit. *Vt noui*, inquit, *Treuirenſi & Colonienſi Eccleſiis Antiſtites darentur, & iniunximus, videlicet qui nec per Theugualdi & Gunthari dudum Epiſcoporum, nec per iam fata Vvaldradæ fauorem proueherentur, ſed canonicè à filiis & de filijs iam nominatarum Eccleſiarum electi, ab his qui earumdem Eccleſiarum Antiſtites ſoliti ſunt conſecrare, regulariter ordinarentur; ſed cùm hæc omnia nos opportuna eſſe, ac neceſſaria proſpicientes, ipſi Regi Lothario crebrò mandaſſemus, quod noſtræ inſtitutionis executor effectus, vt hæc conſummarentur annueret, imò vt ſua prorſus executione perpetrarentur, inſiſteret; aliquid horum effectum quemlibet accepiſſe, nos profectò nondum cognouimus, & tamen ille ſe noſtra velle perficere in omnibus monita profitetur.* Sed vt receptum morem ſeruandum duxerit, quid tamen in his poteſtatis haberet ſedes Apoſtolica, illa ſua præceptione oſtendit. Gloſſa autem quam citat Spalatenſis, receptum Nicolai temporibus morem expendit, oſtenditque nil ei detractum, deflexa illius ſententia ad ius conſecrationis; in quo poteſtatem fuiſſe Nicolai ſeſe immiſcendi, ne quid ſcilicet in ordinatione peccaretur, nullus orthodoxus dubitat, & quæ contrà à Spalatenſi dicentur, facilè à nobis ſuo loco refutabuntur. Cæterùm crudeliſſimæ hominis lanienæ eripiendi ſunt, ac ſubducendi quidam viri orthodoxi, quos torquendos ſumpſit.

Inter Epiſt. Nic. 1. ep. 55

Spalat. Num. 33. Occã apud Alm. de poteſt. Eccl. & Lai. q. 1. c. 2.

Ex his igitur, inquit, *atque ijs quæ de electionibus fusè cap. 3. huius libri diſputaui, colligat quiſque, quàm frigidè, quamque inſulsè Gulielmus Occam, Petrum ſolum, in ordinibus conferendis, Epiſcopatibuſque diſtribuendis, Monarcham abſolutum facere ſit conatus, cui poteſtatem hanc ſoli, ibi datam eſſe aſſerit, vbi ei dicitur, Tu vocaberis Cephas; quia ad caput, inquit, ſpectat diſtribuere officia membris. Putauit*

enim

enim Cepham significare caput, & tamen videbat in ipso Euangelio explicari, quid Cephas significaret, nempè Petrum, hoc est Petram. Communiorem tamen & pro- *babiliorem, inquit Almaïnus, opinionem esse, potestatem hanc Petro collatam, per illud verbum, Pasce oues meas. Nam ad officium pascendi spectat non solùm Sacramenta administrare, sed etiam Pastores assumere, & populis præficere. Ideò Petro data fuit, inquit, potestas, etiam instituendi ministros ad pascendum, & instituendum, & distribuendum cæteras dignitates Ecclesiasticas, sicut Episcopatus, curas, &c. Ita Monarchici detorquent*, addit, *quocunque eis placet Diuinas Scripturas.* Respondeo Occamum quem primùm flagellat, equidem in Grammaticam peccasse, sed nullius in Theologiam admissi criminis reum esse. Vt enim quod probandum suscepit, colligi non possit totidem verbis, ex illis Christi apud Matthæum, *Tu es Petrus, &c.* certum tamen est illâ Christi promissione totam niti molem prærogatiuarum Petro postea concessarum, in quibus etiam Episcoporum creationem non immeritò ponit Occamus, quem constat aliàs satis fuisse Pontificibus infensum. Quid nomine *Cephæ* intelligendum sit, satis docet Euangelium, & nos priore libro de eâ re disseruimus ad Optati locum, ex quo desumpsisse videtur, aut potiùs ex Anacleti parùm certis Epistolis.

Ioan.1. Alm. ibid. Ioan.21.

Dicat mihi Almaïnus, inquit Spalatensis, *si Petro soli data est hæc potestas, cur Paulus & Barnabas constituebant Presbyteros, hoc est Episcopos, per singulas Ecclesias? Num authoritate Petri? Sed Petrus illos non miserat. Cur Paulus ordinat Timotheum? Et Tito dat potestatem, vt constituat similiter Presbyteros per ciuitates? Cur Ioannes Polycarpum primum ordinat Episcopum Smyrnæorum? Et nos iam satis ostendimus, lib.1. cap.8. per illa verba, Pasce oues meas, nihil plus tribui Petro, quàm omnibus simul & singulis Apostolis tributum fuit illis verbis, Sicut misit me Pater, &c. Per hæc ergo Apostoli omnes, & singuli plenam habuerunt potestatem, etiam ministros instituendi; ideoque ordinis necessitatem Catholica Ecclesia semper tenuit, vt ex Patribus optimè probat Bellarminus.* Facilis est solutio, nec erat cur Almaïnum ad eam exprimendam torqueret. Apostoli Christi constituebant per Ecclesias Episcopos & Sacerdotes, quòd nimirum in his præstandis, extraordinario quodam iure, parem cum Petro essent consecuti potestatem. Sed Almaïnus ordinariam potestatem in Petro spectauit, quâ nimirum pro ratione Capitis, cuius esset in Ecclesia permansura authoritas, regiones Episcoporũ & Prouincias describere ad eam pertineret, quod etiam fecisse illum centum locis ipse Spalatensis fatetur. Illis verbis, *Pasce oues meas*, nihil plus tributum Petro quàm reliquis, non solùm falsum esse, verùm etiam in Christum contumeliosum, quasi illorum verborum apparatu Petri simplicitati illudere voluerit, suprà ostendimus.

Spalat. Eod.nu.33. Act.14. Act.13. 1.Tim.4. Ad Tit.1. Tertull.de præscript. Bellarm.de Euch.l.4. c.16.

Sed lanienæ quoque subducendus est Caietanus; *Non minus insipidè Caietanus quoque*, inquit Spalatensis, *potestatem eandem applicatiuam Ecclesiarum in solo Papa collocat; dum ait; Et in Papa quidem esse potestatem hanc, quoad applicationem potestatum inferiorum Papatu, patet, tum ex gestis Apostolorum, dum singulos Episcopos per loca, instituebant; tum Ecclesiæ consuetudine, quæ quotidie hæc à Papa faciente suscipit, absque conscientiæ scrupulo; tum ex ratione officij sui; ad eundem namque spectat plena potestas supremi regiminis, & assumptio aliorum in partem sollicitudinis, vt patet Exodi 18. vbi Moysis dux populi, ex consilio Iethro, elegit & constituit principes populi, & millenos, & Centuriones, & Decanos. Sic nostri Monarchici, ex friuolis, leuissimisque ratiunculis, planè puerilibus, nobis Romanam Monarchiam, tota reclamante Ecclesia, persuaserunt; imò & illam ad articulos fidei reduxe-*

Spalat. Num.34. Caietan. Opusc.1. c.13.

Aug post. collat. cont. Don. c. vlt. Bellarm. de Cler. l. 1. c. 8 *runt; contra quos vtor tantummodò verbis Augustini, videlicet: Ista inania & ridenda potiùs quàm refellenda non dicerent; si pro sua causa possent validum aliquid inuenire quod dicerent. Præterea Bellarminus eandem poscit quidem propositionem cum Caietano; Sed cùm vnde illam probaret non haberet, sicco eam pertransiit pede; aliorum assertione contentus.* Sunt verò illis quæ à Caietano adducuntur, multò insipidiora ista deliramenta Spalatensis: Nam ille locus Augustini quem citat, ad rem non facit, nec Donatistarum commenta retulit Caietanus. Sed quæ ad potestatem Pontificis fulciendam faciunt Apostatæ palato minus blandiuntur, aut etiam sapiunt. Certè Moysem typum fuisse Petri docet Macharius sanctissimus & vetustissimus author, & ex dignitate capitis potestatem creandorum Episcoporum rectè colligi vident omnes, quibus fides est cordi. Itaque iure optimo pluribus eam non esse probandam Bellarmino visum est.

Macharius hom. 28.

De detracto populis iure electionum, diximus abundè alio loco, nec est quod actum agamus. Quod verò de iure eligendi ad Pontificem deuoluto, ac sanctionibus Conciliorum & Pontificum firmato, opponit aduersarius, frontem eius ostendit. Ergone licet priuato Episcopo res in Oecumenico Concilio, vt ipse loquitur, declaratas retractare, & ius nouum Pontificum inducere? Et quidem sunt in illa ratione glossæ quædam patùm appositè dicta; verissimum tamen est quod vsurpat; *Rem de facili ad suum reuerti principium*, Pontificem quoque fontem & caput esse totius Ecclesiasticæ potestatis. Ius ordinandorum Episcoporum ad Metropolitas deuolui facilè patitur Spalatensis, & tamen eos violatorum Canonum reos facit, qui scribunt iura Metropolitarum, ad ipsum Pontificem Metropolitarum, & reliquorum Episcoporum Caput aliquando deuolui. Hæc merum odium in Pontificem spirant; sed plus satis de electionibus. Videamus iam de Confirmationibus.

Spalat. Num. 37. *Confirmatio*, inquit, *electionum & electorum ad Metropolitanos spectat, vt docui cap. 3. præcedenti: Sed sicut electiones, ita & confirmationes turbarunt Romani Pôtifices, & eas de manibus Metropolitanorum iam penitùs per summam vim, & iniuriam manifestam ereptas, sibi, vt verè dicam, contra ius & fas vsurparunt. Huc enim Leo X. suis discordantibus Concordatis, rem, vt monui, deducebat; vt electiones Cleris & populis auferrentur; Et mutatæ in nominationes Regum ad ipsius Papæ confirmationem conueherentur. Posteriores verò Papæ Cathedrales alias extra regnum Franciæ, quas generalibus reseruationibus regularum Cancellariæ ad suam liberam prouisionem, quæ & electio esset, & confirmatio, & ordinatio, & consecratio, trahere non potuerunt; Sicubi aut Principes, aut Canonicorum capitula maioris quàm triuialis authoritatis, obstiterunt, eas ad sui confirmationem omninò spectare, per fas, seu nefas voluerunt; vt occasione huius confirmationis, & annatas & munera, & bullarum immensa precia in suam corbonam colligerent. Cùm tamen confirmationes huiusmodi nullius sint valoris, nulliusque momenti, in Ecclesia nunquam necessariæ deputatæ, imo in ea nunquam vsque ad postrema fermè tempora, aut cognitæ, aut vsu receptæ. Ecclesia enim, vt vidimus, aliàs confirmationes electionum & electorum in Episcopos non cognouit, nisi eas quas Metropolitani facerent, seu Synodus Prouincialis.* Nondũ eius ira deferbuit, sed irato sunt arma detrahenda. Respõdimus suprà ad querelas eorũ, quibus initio Leonis X. initum cum Christianissimo Rege pactum displicuit, sed ius confirmandorum Episcoporum nusquam habuisse summum Pôtificem, tam est falsum, vt in huiusmodi confirmationibus tantummodo cauillandum sibi duxerit Spalat. neq; inficias

iuerit

iuerit earum subesse in veteri Ecclesia vestigia; *Habemus quidem in Ecclesia*, inquit, *etiam antiqua, & more diutissimè continuato, confirmationes quasdam Episcoporum, ac præsertim Metropolitanorum, & Primatum, ac Patriarcharum, à Pontifice Romano fieri solitas; sed illæ aliæ sunt, penitusque ab his diuersæ, quas nunc in vsum, imò reuera in magnum abusum reductas cernimus. Illæ enim nihil aliud erant, nisi per fidem orthodoxam, cum Ecclesia Romana consensus & vniones; vt noui Prælati, cuiuscunque partis & regionis ad communionem eiusdem Ecclesiæ reciperentur; & ita confirmari Episcopum iam factum & plenè consecratum, à Papa Romano, fuit semper ad Romanæ Ecclesiæ communionem recipi, & fide charitateque ei coniungi. Atque hoc pleniùs iam probandum assumo.* Atqui eam confirmationem non solùm consensum quendam, verùm approbationem planè necessariam fuisse, vbi potissimùm electiones Episcoporum nutarent, ostendemus iisdem exemplis quæ aduersum nos instruit. Spalatensis primò profert exemplum Concilij primi Constantinopolitani: *Tempore*, inquit, *Concilij primi Constantinopolitani, secundi generalis, tres magnos Episcopos in Oriente contigit de nouo, vacantibus tribus sedibus, Constantinopolitana, Antiochena, & Hierosolymitana ordinari. Et quidem Constantinopolitanum Episcopum Nectarium, ipsum Concilium, quia Constantinopoli est congregatum, ordinauit; quæ ordinatio quia ab ipso facta est Concilio, approbatione alia non eguit. Antiochenus verò Flauianus, & Cyrillus Hierosolymitanus, quia in proprijs Ecclesijs, & Prouincijs ordinati sunt, eorum ordinationes sunt postea in dicto Concilio Generali approbatæ, & confirmatæ: vt habet Synodicus dicti Concilij Libellus. Ecce tibi confirmationem & approbationem, post peractam iam plenè ordinationem; quæ nihil aliud est, nisi admissio illorum nouorum Episcoporum, ad communionem totius Concilij, seu aliorum, qui ordinationes similes dicuntur confirmare, seu approbare. Nam & ijdem Patres, vbi Pontifici Romano & Occidentalibus Episcopis, promotiones illas notificarunt; obsecramus*, inquiunt, *vestram Reuerentiam, vti congratuletur, spiritali charitateq nos mutuò deuinciente. Neque vllam aliam iurisdictionalem petunt eorum Episcoporum confirmationem.* Sed plures sunt hîc eius hallucinationes. Primùm Concilium illud Constantinopolitanum Oecumenici nomen obtinere non potuit, nisi accedente consensu Pontificis, quem propterea obnixè à Damaso postularunt; Siquidem solius Orientis centum quinquaginta Patres illi interfuisse noscuntur. Igitur quod illius acta calculo suo probarit Damasus, Oecumenici nomen obtinuit, ac propterea dubium non est in numero eorum quæ Pontificis authoritate indigerent, posuisse quoque præcipuorum Episcoporum ordinationes. Errat demum in eo quod citra Pontificis confirmationem, *eas ordinationes* nobis *omninò ratas* describit. Si ratæ fuerunt, quorsum igitur postea Flauianus à Patribus illius Synodi n locum demortui Meletij Syrorum, & Orientis Episcoporum precibus suffectus, iure suo potiri per tot annos non potuit Pontifice vnum Paulinum à Lucifero Caralitano olim creatum probante? An non Orientis Episcopis vt Romam ad Synodum venirent, dies dicta est à Pontifice, quod Flauiani contra Paulinum superstitem impensiùs fauissent? Audi Sozomenum; *Non minimè indignatus fuit Episcopus Romanus*, inquit, *& cum eo cuncti Sacerdotes Occidentales; ac Paulino quidem ceu Antiochiæ Episcopo consuetas scribebant Epistolas, quas Synodales appellant; Ad Flauianum verò, silentium agebant. Quin & Diodorum Tharsi, & Acacium Beroeæ Episcopos, qui illum ordinarant, reos agebant, & pro excommunicatis habebant. Itaque vt de hisce rebus cognosceretur,*

Spalat. Num. 38.

Spalat. Num. 39.

Apud The. l. 5. c. 9.

Ibid.

Hieron. ep. 16. ad Prin. & 17. ad Eust.

Sozom. l. 7. c. 11.

Οὐχ ἥκιστα ἐχαλέπαινεν ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, καὶ πάντες οἱ πρὸς ἑσπέραν ἱερεῖς, καὶ Παυλίνῳ μὲν ὡς ἐπισκόπῳ Ἀντιοχείας τὰς συνήθεις ἔγραφον ἐπιστολάς, ἃς συνοδικὰς καλοῦσι. &c.

scripserunt tum ipsi, tum Gratianus Imperator, in Occidentem conuocantes Episcopos Orientales. Certè causæ confisus Paulinus Romam petiit, diffisus verò Flauianus eò pergere detrectauit, nolentemque adegit posteà Theodosius, vt Pontifici obsequeretur. Et quidem Ambrosius acerbè eum insectatur, quod à Concilio abfuisset, nec legibus Ecclesiæ morem gessisset; *Non habet*, inquit, *quod vrgeat Euagrius, & habet quod metuat Flauianus, ideoque refugit examen, &c.* Intrà: *Solus exlex Flauianus (vt illi videtur) non venit, quando omnes conuenimus. Fœnerator & debitor inuicem sibi occurrunt, isti sibi non possunt occurrere, solus exors Flauianus (vt ipse vult) Sacerdotis consortij, qui nec Imperialibus decretis, nec Sacerdotum conuentui præsentiam faciat sui. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Euagrio donamus speciem bonæ causæ, qui eo defensabilior sibi videtur, quod eum refugit Flauianus, aut quod habere se alterum arbitratur æqualē, vterque alienæ magis ordinationis vitijs quàm suis fretus.* Igitur etiam post Paulini fata, lis Flauiano fuit cum Euagrio à Paulino, non longè ante obitum ordinato, & de ea re primùm in Capuano Concilio actum, totumque posteà negotium discutiendum Theophilo Alexandrino Patriarchæ traditum; Cumque in Euagrij consecratione grauissimè peccatum fuisse esset deprehensum (cum enim solus consecrarat Paulinus) Theophilus legatione missa ad Anastasium, ita enim in Socrate legendum, Pontificem demulcere à Chrysostomo rogatus studuit, atque Flauiano conciliare; *Theophilus*, inquit Socrates, *odio in illum restincto, Isidorum Presbyterum misit, vti Damasi animum in Flauianum exulceratum mitigaret: doceretque ex vsu Ecclesiæ esse, si propter populi concordiam peccatum à Flauiano commissum remitteret. Quocirca communione Flauiano ad hunc modum reddita, populus Antiochenus pedetentim tempore progrediente ad concordiam reducitur. &c.* Sozomenus quoque hæc habet; *Quamprimùm*, inquit, *ad Episcopatum præuenisset* (Ioannes) *cùm Ægyptij Sacerdotes & Occidentales adhuc cum Orientalibus dissiderent propter Paulinum, & communis quædam distractio ob id ipsum Ecclesias per vniuersum Imperium detineret, Theophilum orabat, vt in hoc sibi auxilium ferret, quo Flauianus in gratiam Romani Episcopi reduci posset. Consensu igitur vtrinque facto ad hoc negotium eliguntur Acacius Berœensis Episcopus, & Isidorus ille, cuius nomine Theophilus ordinationi Ioannis obstiterat. Hi profecti Romam, ac legatione pro votis functi; in Ægyptum abnauigabant. Et hinc porro in Syriam peruenit Acacius, Flauiano literas pacificas ab Ægyptijs, & Occidentalibus Sacerdotibus adferens.* Et quidem Patres Concilij Constantinopolitani subodorati ægrè Pontificem admissurum Flauianum, cùm primùm de eo ageretur, obnixis precibus ab eo contenderunt, vt Ecclesiasticæ vnitatis intuitu indulgentiorem se in eius causa præberet, hoc enim est quod illi ad Damasum scribunt. *Quibus rebus*, inquiunt, *tanquam legitimè & secundum Ecclesiæ Canones constitutis obsecramus vestram reuerentiam, vti congratuletur; spiritali charitate nos mutuò deuinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimit, Ecclesiarumque ædificationem amori illi & beneuolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponit. Quod si doctrina fidei ad hunc modum communi consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata: posthac desinemus dicere illud, quod ab Apostolis condemnatum est, nimirum; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, atque omnes cùm simus Christi, qui in nobis non est diuisus, corpus Ecclesiæ, largiente gratia, integrum conseruabimus, & ad tribunal Domini fidenti animo nosmet sistemus.* Illis siquidem verbis, *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego verò Cephæ, &c.* schisma

Amb. ep. 78 aliàs ep. 9.

Ibid.

Socrat. l. 5. c. 15. Θεραπεύσας τὴν ὀργὴν Θεόφιλος, πέμψας τὸν Ἰσίδωρον πρεσβύτερον, καταλλάττει λυπούμενον Δάμασον, λυσιτελεῖν εἰπὼν δι' ὁμόνοιαν τοῦ λαοῦ, παριδεῖν τὸ φθάσαν Φλαβιανοῦ πλημμέλημα. οὕτως τε τῷ Φλαβιανῷ τῆς κοινωνίας ἀποδοθείσης, &c.

Sozom. l. 8. c. 3. Αὐτίκα γοῦν ἐπὶ τὴν ἐπισκοπὴν παρελθὼν, &c. Θεοφίλου συμπρᾶξαι αὐτῷ, καὶ καταλλάξαι Φλαβιανῷ, τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον. &c.

Apud The. l. 5. c. 9. Οἷς ἐνθέσμως καὶ κανονικῶς παρ' ἡμῖν κεκρατηκόσι, καὶ τὴν ὑμετέραν συγχαίρειν παρακαλοῦμεν εὐλάβειαν, τῆς πνευματικῆς μεσιτευούσης ἀγάπης, καὶ τοῦ κυριακοῦ φόβου &c.

ſchiſma Meletij, Vitalis, & Paulini occaſione exortum attingunt, quo ſcilicet factum eſt, vt Meletiani Pauliniani populi in diuerſa ſtudia ſciſci audirent. Sed & cenſuiſſe Patres illos ſummam penes Pontificem in renunciandis Epiſcopis, ſi quid potiſſimùm eorum conſecrationes nutarent eſſe poteſtatem, vel ex eo colligi poteſt, quod Timothei Antiocheni Epiſcopi abdicationem ab eo poſtulent. Patet ex Epiſtola Damaſi apud Theodoretum; *Sciatis velim,* inquit, *fratres, nos Timotheum illum profanum, Apollinaris hæretici diſcipulum, cum impio ſuo dogmate iam pridem abdicaſſe; & ob eam cauſam credimus, reliquias eius nihil in poſterum momenti habituras.*

Apud The. l. 5. c. 10. ep. Damaſ.

Γινώσκετε τοίνυν, ὅτι τὸν πάλαι Τιμόθεον τὸν βέβηλον, τὸν μαθητὴν Ἀπολλιναρίου τοῦ αἱρετικοῦ, μετὰ τοῦ ἀσεβοῦς αὐτοῦ δόγματος καθείλομεν, καὶ οὐδαμῶς πιστεύομεν αὐτοῦ τὰ λείψανα λόγου τινὸς τοῦ λοιποῦ ἰσχύειν.

Perſequitur Spalatenſis; *Neſtorij quoque,* inquit, *Conſtantinopolitani ordinatio Synodicis literis notificata fuit etiam Cyrillo Patriarchæ Alexandrino; & ille congratulatorias reſcripſit literas;* * *Cùm de illius ordinatione,* inquit, *à peritiſſimis Epiſcopis ad hoc adhibitis miſſæ eſſent literæ, reſcripſi ſine cura gaudens, ac laudans, optanſque tanquam fratri & comminiſtro, vt illi quæque ſe lectiſſima bona, per diuinam darentur ſententiam. Nemo ergo ex talibus Synodicis literis communicatorijs colligat confirmationem peti: quaſi ille nouus Epiſcopus plenè Epiſcopus non ſit, niſi poſt iſtas confirmationes. Hoc enim falſum eſſe iam cernimus, & vlteriùs infrà cernemus. Quia poſt pleniſſimè peractam ordinationem huiuſmodi confirmationes ſeu approbationes, ob ſolam communicationem quærebantur. Nam etiam Romanus Pontifex poſt ſuam promotionem talibus Synodicis, vt poſteà conſtabit, aliorum Patriarcharum hanc confirmationem ſeu approbationem cupiens, ad obtinendam cum ipſis communicationem illos per literas ſuas viſitabat.* Fateor ad Patriarchas quoque dari ſolitas literas, quibus de præcipuorum Epiſcoporum ordinationibus certiores redderentur; ſed primam habitam rationem Pontificis Romani, à cuius arbitrio penderent, maximè verò cùm eſſet aliquid, quod vel illas vitiaſſet, vel vitiaſſe videretur. Propterea, vt oſtendam infrà, cùm ordinati in ſuſpicionem veniſſent hæreſeos, ad Pontificem res deferebatur, qui conceſſa vel negata communione pondus detraheret, vel etiam adderet, factæ ordinationi. Certè cùm de Neſtorij abdicatione ageretur, tantùm ſibi non tribuit Cyrillus, vt diem illi ſua authoritate diceret, ſed Cæleſtini ope imploratâ, ac eius authoritate fretus ſacris Chriſtianorum ei interdixit, ac in Oecumenica Synodo de gradu deiecit. *Non prius,* inquit, *illius* (ſcilicet Neſtorij) *communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quam hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc ſentias declarare; quo liquidò nobis conſtet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò eidem liberè denuntiare neminem cum eo communicare, qui eiuſmodi erroneam doctrinam fouet, ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, non modò pijſſimis Deoque deuotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet. Nam cupientibus illis anſam dabimus, vt omnes vno animo in vna ſententia perſiſtant, rectæque fidei quæ iam impugnatur, opem ferant.* Hæc de Neſtorio. Sed videamus de reliquis.

Spalat. Num. 40.

* Cyrill. Apol. ad Theodoſ.

Ex Conc. Epheſ. ep. Cyrill. ad Cæleſt.

Οὐ πρότερον τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας ἐκβάλλομεν ἑαυτοὺς μετὰ παρρησίας, πρὶν ἂν ταῦτα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ ἀνακοινωσώμεθα. διὸ δὴ καταξίωσον τυπῶσαι τὸ δοκοῦν, καὶ πότερον ποτε χρὴ κοινωνεῖν αὐτῷ, ἢ λοιπὸν ἀπειπεῖν μετὰ παρρησίας.

Poſt damnatum perperam, inquit Spalatenſis, *ab impio Dioſcoro Flauianum, in ſedem ipſius Conſtantinopolitanam ſuffectus eſt ab eodem Dioſcoro Anatolius, Theodoſio Imperatore decepto, hæc rata habente; Haud tamen eò impietatis profundi demerſus eſt Theodoſius, inquit Baronius, vt authoritatem Romanæ Eccleſiæ contemnendam prorſus exiſtimarit; imò eandem ſedium omnium caput intelligens, non prius*

Spalat. Num. 41.

Baro. to. 6. an. 450. nu. 5

Anatolium à Dioſcoro in locum Flauiani ſuffectum recipiendum putauit, quam id ipſius Romanæ ſedis Pontificis probaret aſſenſus; deque his literas daret ad ſanctum Leonem; exploraturus eius voluntatem, & auxilium imploraturus. Recitatoque ini-
Ibid.nu.6. *tio literarum Leonis ad Theodoſium reſcriptarum, hæc ſubiungit, quaſi epilogum dictarum Leonis literarum. Subdit verò, inquit, non recepturum ſe fore Anatolij communionem, neque electionem probaturum, niſi prius conſtaret de eius fide Catholica. Hoc verò quod ex ſuo addit Baronius de electione, eſt ordinaria eius impoſtura. Leo enim rogatus à Theodoſio, vt Anatolij ordinationem ratam haberet, & conceſſa ei communione approbaret, requirit ab Anatolio fidei Catholicæ, vt moris erat, profeſ-*
Leo ep.35. *ſionem. Ait enim; Sed ne aliquid in præiudicium Catholicæ defenſionis viderer egiſſe, de ordinatione eius qui Conſtantinopolitanæ cœpit Eccleſiæ præſidere, nihil interim in alterutram tibi partem temerè reſcribendum putaui, non dilectionem negans, ſed manifeſtationem Catholicæ veritatis expectans. Ordinatio igitur iam facta fuerat, & Anatolius iam ſuæ Eccleſiæ præſidebat: & Leo neque id approbare, neque reprobare voluit, donec de ipſius fide eſſet inſtructus; non dilectionem, inquit, negans; ſi electionis confirmatio à Leone expectabatur, dixiſſet non confirmationem negans; & tamen dilectionem tantùm commemorauit; quia Theodoſius ſolam dilectionem poſtularat, hoc eſt communicationis charitatiuæ, & vnionis conceſſionem. Et infrà idem Leo in eadem Epiſtola, poſtquam petijt fidei profeſſionem, & vt à ſua communione hæreticos ſecernat Anatolius, hæc ait ſe requirere, vt ei fraternam in Chriſto charitatem meritò poſſit impendere: & non dixit ſe id requirere, vt ipſius confirmet electionem.* Immerentem Baronium hîc vexat aduerſarius: De probatione enim electionis & ordinationis Anatolij, egiſſe cum Leone Theodoſium, omninò apparet ex Epiſtola Leonis, & verbis ab ipſo Spalatenſi adductis. Quid enim attinuit ad Leonem ſcripſiſſe de illa ordinatione, niſi quod in ea ſancienda Pontificis authoritas deſideraretur? Quorſum non eſt ſimiliter ad reliquos Patriarchas ſcriptum, vt eam probarent, ſi id tantùm egit Theodoſius, vt pro collega à ſociis Patriarchis haberetur? Fateor verò antè fuiſſe renunciatum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Anatolium, ſed in prædatoria Synodo Alexandrina, cuius impia acta flammis digna Eccleſia damnarit & aboleuerit; Sic enim poſt recitatum parricidium in Flauianum, ſcelere Dioſcori admiſſum, & enumeratas alias ortho-
Liberat. in Breu. c. 12. doxorum clades de his Liberatus; *His omnibus malis*, inquit, *à Dioſcoro perpetratis, caſus Flauianus, & multis iniurijs affectus, dolore plagarum migrauit ad Dominum. Ordinatuſque eſt pro eo Anatolius Diaconus, qui fuit Conſtantinopoli apocriſarius Dioſcori, & pro Domino Antiocheno ordinatus eſt Maximus, & pro Ibâ Nonnus, & pro Sauiniano Athanaſius, pro Theodorito autem, & Euſebio nullus ordinatus eſt. Soluto ergò illo Concilio, & ad ſuas ſedes reuerſis Epiſcopis, ſciſſio facta eſt inter eos, qualis antea nunquam contigerat. Ægyptij, Thraces, & Palæſtini Epiſcopi Dioſcorum ſequebantur; Orientales, Pontici, & Aſiani, ſanctæ me-*
Leo ep. 24. *moriæ Flauianum.* Quòd igitur prædatoriæ illius Synodi improbi auſus Pontifici meritò bilem mouiſſent, Anatolius ſibi timens Theodoſij Imperatoris literis, Leonis animum molliendum, ſibique cōciliandum curauit, ne ſcilicet in odium Conciliabuli in quo eſſet ordinatus, ab eo abdicaretur: quare non fuit illa tantùm *poſtulatio communionis*, vt ſomniat Spalatenſis, verùm etiam approbationis traditi ſibi regij Epiſcopatus. Cæterùm Leo ne Theodoſium exacerbaret, hunc lapidem ſibi mouendum non duxit, totus in eorum quæ ad religionem pertinerent curam intentus; futurum enim proſpiciebat Leo, vt ſi Anatolij fides

fidei nutaret, ipsius quoque Principis sententia indignus Constantinopolitana sede iudicaretur. Hoc igitur est quod Theodosio innuit Leo; *Sed ne aliquid,* inquit, *in præiudicium Catholicæ defensionis viderer egisse, de ordinatione eius qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram partem temerè rescribendum putaui, non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans.* Sapientissimè igitur omninò Leo solius fidei rationem habuit, quod scilicet non solùm Anatolius pro Constantinopolitano Episcopo haberi non posset, nisi eius professione facta, sed quod etiam ab Ecclesiastica vnitate esset abstinendus, nisi in proposita sibi illa conditione acquiesceret. *Constantinopolitanus Antistes,* inquit Leo ad Pulcheriam, *repudiandum sibi, quod ausa est contra puram, & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat: quia & mea, & Sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia & vna confessio est. Quam si quis existimauerit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ vnitatis abscindet; cùm tamen nos, vt in integrum omnia reuocentur, optemus.* Sed ex Epistola Leonis ad Anatolium post acceptum ab eo fidei libellum scripta: apparet post approbatam fidem Anatolij ea illi imposita à Pontifice, quæ eius in Constantinopolitanum Antistitem potestatem ostenderent; *De nominibus Dioscori,* inquit, *Iuuenalis & Eustachij, ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri, ibidem constituti, faciendum esse dixerint, quodque honorandæ sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos, qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, cùm damnatam impietatem non deferentes ipsi se sua prauitate condemnent, quos conuenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.* Neque verò quicquam Pontificis authoritati detrahit, quod *fraternæ charitatis* meminerit, namque etiam iudicia Episcoporum ad fraternam illam charitatem spectant, vt ex his patet quæ idem Leo habet eadem Epistola, pro eorum qui tamen latrocinio illo Ephesino à constantia Sacerdotum exorbitassent reconciliatione. *De fratribus verò,* inquit, *quos & Epistolis tuis, & Legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus, eo quod doleant, se contra potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cùm ita eos formido turbasset, vt in damnationem Catholici atque innocentis Antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem quod præsentibus & agentibus nostris constitutum est, approbamus, vt suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti: sed cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus disponatur; quatenus hi qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur; ita vt digno prius anathemate, quæ contra fidem Catholicam sunt recepta, damnentur. Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt Sacerdotia, nec vera sacrificia; nisi nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet.* Certè si fraternam hanc suam charitatem Anatolio non impendisset Leo, neutiquam ab orthodoxis pro Episcopo habitus fuisset. Itaque illa omnia Leonis quæ à Spalatensi ad nudum consensum trahuntur, ad approbatio-

Leo ep. 33.

Leo ep. 35. ad Pulcher.

Id. ep. 40.

Ibid.

nem planè necessariam, ac citra quam Anatolius verus & pacificus esse non posset Episcopus, omninò pertinent. Quid enim illa sibi volunt, *Cùm secundum suæ consecrationis authores*, (Dioscorum intelligit, & sceleſtes illos prædones Ephesinos Flauiani sanctissimi martyris Anatolij decessoris homicidas) *initia eius titubarent benigniores, circa ipsum quam iustiores esse voluimus*; An non hæc iudicem significant, annon Pontificis in Anatolij causa potestatem spirant? Quid verò illa ad Imperatorem, *vestræ pietatis auxilio, ac mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit.* Quî autem ista dicere potuit Leo, si tantum charitatis officium in concedenda communione exhibuit? An aliorum Patriarcharum qui ei communicatorias tamen literas dedissent, dici potuisset assensu regiæ vrbis Episcopatum obtinuisse? Fabulæ. Firmat nostram sententiam quod ad Leo ep. 58. Pulcheriam Augustam scribit, in causa Etij ab Anatolio vexati; *Quod itaque*, inquit, *circa personam filij mei Etij gestum esse cognoui, nimium me anxium facit, & metuere certa ratione compellit, ne pœnitendum mihi sit, quod de Episcopo Constantinopolitano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, vobis adhortantibus, acquieui meliora sentire, cum tanto pietatis vestræ testimonio iuuaretur, ne illum grauaret suæ ordinationis infirmitas, vbi vestra interuentio præstaretur. Vnde gratulari cœperam, quod beati Flauiani honoraret memoriam, & hæreticorum conatibus obsistere diceretur. Sed doleo, illum (sicut prædicti lacrymabilis querela demonstrat) in deteriora mutatum, & eum nunc constituisse Archidiaconem, quem ipse professus est à se esse reiectum, qui Eutychianæ hæreseos se apud nos prodiderat defensorem.* Vides de ordinatione planè sermonem esse. Neque verò crimini deputandum est Leoni, quod Anatolium multis sordibus inquinatum, Imperatoris precibus adductus, in Ecclesia Constantinopolitana tulerit. Pollicitus enim erat Theodosius ad meliorem eum se frugem reducturum; igitur beneficio Imperatoris sceleris pœnas non tulit Anatolius. Augustinus in Melchiade condescensionem illam laudauit, qua Donatistis facta est gratia præteritorum, & ipsi in Episcopatibus suis subsidere iussi. Sed eo ipso exemplo quod ad finem sectionis ponit Spalatensis omninò probatur, eam Pontificis approbationem planè necessariam fuisse, vt quis pro legitimo Episcopo haberetur. Actione enim de Domno Antiocheno, cùm Maximus in eius locum suffectus commeatum à Synodo postularet Paschasinus, & Lucentius, & Bonifacius Legati Apostolici assensores se præbuerunt ipso audiente, nec ægrè ferente Maximo, *Sanctus ac* Ex Conc. Chalced. act. 7. *beatissimus Papa, qui Episcopatum sancti & venerabilis Maximi Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmauit, iusto satis iudicio eius meritum approbasse videtur. Siquidem memoratus vir Episcopus Maximus, sub arbitrio Domno voluerit esse consultum, vt sumptus ei de sua Ecclesia (miserationis intuitu, prout æstimauerit) largiatur, vt contentus alimonijs, quiescat in posterum.* Scilicet & hic Maximus in sedem Antiochenam depulso Domno à Dioscoro fuerat quoque intrusus, vt propterea maximè opus habuerit Pontificis confirmatione. Sed neque Proterius Alexandrinus Patriarcha dignitate sua plenè potiri potuit, antequam Leo ep. 68. plenas de fide sua literas ad Leonem misisset; *Fratrem Proterium Alexandrinæ vrbis Episcopum*, inquit, *gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos literas direxisse, & manifestè, quidnam teneat, indicasse, cui me dignam gratiam, pro fidei ipsius sinceritate, necesse est præstare, vt honorem in nullo suæ perdat Ecclesiæ, sed sedis suæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo, iuxta Canonum illibata*

iura

iura poßideat. An verò communicatoriarum literarum vis illa erat, vt Antistitibus sua priuilegia assererent? Nugæ. Igitur aliud sonant verba Leonis. Satis verò de Leone. Videamus de Simplicio. Hunc ex Annalium thesauro profert Spalatensis. *Simplicius tamen, inquit Baronius,* (verba sunt Spalatensis) *de vera loquitur confirmatione; & Alexandrinum Patriarcham à Romano confirmandum esse apertè asseuerat; ait enim: Nuper ab Aegyptia Synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum Clero Alexandrinæ sedis ad nos ex more relatio missa, patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quendam & Coepiscopum nostrum obijsse Timotheum, inque eius vicem, consona fidelium voluntate Ioannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, vt nihil omninò restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu, votiuam sumeret firmitatem; Cùm ecce secundum consuetudinem, mihi talia disponenti, tranquillißimi Principis scripta sunt reddita, quibus memoratum, tanquam periurij reum, quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum, Sacerdotio perhiberet indignum. Illicò retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium, præproperè fecisse iudicarer. His statim subinfert Baronius, quod intendit hoc pacto: Hæc cùm adeò disertis verbis de confirmatione Episcopi Alexandrini Simplicius dicat, puto lector intelligis, veterem morem, vt non haberetur firma, ratave Alexandrini, sicut nec Antiocheni noui Antistitis electio, nisi illa à Romano Pontifice confirmaretur. Cùm eius rei causa mox ijdem electi, & Synodi quæ elegerant, statim post creationem eorumdem, vt sæpiùs factum vidimus, mittere solerent ad ipsum Romanum Pontificem, legationem, cum fidei profeßione; vt quæ per ipsos acta essent, ab eodem Romano Pontificem confirmarentur: Ante hæc autem haud idonei illi habebantur, vt ipsis reliqui Episcopi communicarent, quibus nondum Romanus Antistes communicasset.*

SPALAT. Num. 43. Simp. ep. 17

Baro. to. 6. an. 482. n. 15

Sed neque Simplicius, persequitur Spalatensis, *aliam confirmationem intellexit, nisi has ipsas quas iam exposui, præsertim in Leone. Quod etiam ex suis Simplicij verbis facilè est colligere, dum ait Ioannem fuisse subrogatum in locum Timothei defuncti, non dicit tantummodo electum: subrogatus verò est, qui plenè alterius locum iam obtinuit. Et nihil restare ait, nisi vt Deo gratias ageret de bona substitutione; Et sic suæ moderationis assensu, ipsa substitutio votiuam sumeret firmitatem. Gratias agere & assensum post factum præbere, fuit factum laudare, & illum in communionem tamquam Compatriarcham admittere. Reuocauit verò sententiam super eius confirmatione, quia literas ad eum approbatiuas, & communicatorias amplius dare noluit. Et benè ait Baronius, morem fuisse, vt electus fidei profeßionem mitteret; eam tamen ipsi electi iam plenè ordinati, & perfecta inthronizati mittebant, ad effectum non bullarum expediendarum, sed communionis obtinendæ. Neque vim facias in verbo confirmandi; quia confirmare sæpè idem est quod laudare, admittere, & approbare: Sicut Martinus primus se suo consensu definitionem fidei confirmasse asserit, & hæreticorum sermones infirmasse. Et Adrianus primus se Tarasij consecrationem, Nicolaus verò Photij modis omnibus recipere non audere scripserunt. Maximè si sectati fuerint eos qui non credunt veritati. Eadem igitur est Simplicij confirmatio, & Adriani ac Nicolai re-*

SPALAT. Num. 44.

Mart. ep. 3. Adria. ep. 2. Nicol. ep. 6.

ceptio, seu admissio consecrationis. Vtraque enim fit post iam plenè peractam electi consecrationem. Dum verò legimus de Flauita Constantinopolitano, ipsum noluisse in sede illa sine Romano Episcopo inthronizari, sciamus illum voluisse in cautela abundare: Quod enim alij post perfectam inthronizationem faciebant per Synodicam, ad communionem retinendam, vt toties docui, id ille voluit ante inthronizationem facere, quia Acacius ipsius proximus praecessor, mortuus erat sine communione sedis Apostolicae, quae se ab ipso separauerat. Flauitas ergò antequam inthronizaretur, vt tantò faciliùs reconciliaretur Ecclesia Constantinopolitana cum Romana, voluit communionem obtinere, non confirmationem: Et poterat si voluisset, post perfectam inthronizationem idem praestare. Neque verò existimauit Baronius Episcopos consecrari haud solitos ante acceptam à Pontifice confirmationem; sed hoc tantùm docuit in more semper positum fuisse, vt saltem facta Patriarcharum consecratione ad Pontificem ab illis scriberetur, vt eam quoque ratam haberet; nec pro legitimo Patriarcha habitum vnquam, cui ille suum fauorem denegasset. Patet istud ex ea ipsa quam profert Spalat. Epistola: siquidem constat Ioannem Alexandrinum de sede Alexandrina deiectum, quod à Pontifice suae electionis confirmationem impetrare non potuisset, quamquam de ea re ad Pontificem scripsissent Alexandrini. Neque verò Imperator, & Acacius apud Simplicium pro Ioanne exauthorando scripsissent, nisi constitutum habuissent ab eo pendere factae electionis robur & firmitatem. Certè tradit Liberatus Ioannem sede à Zenone, qui Petro Moggo impensiùs fauerit pulsum, Pontificem appellasse. Verba Liberati sunt; *Ioannes autem Talaia,* inquit, *eiectus de sede Alexandrina propter Petrum Moggum, profectus est Antiochiam, vt videret Ellum magistrum. Cui cùm narrasset, quae sibi euenerant, eius consilio ingressus est ad Calendionem Antiochenum Patriarcham. Et sumptis ab eo intercessionis Synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, sicut & beatus fecit Athanasius, & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano Episcopo. Et quidem ad hoc Simplicius praeparati animi, & voluntatis fuit. Acacius verò susceptis Epistolis simpliciter rescripsit ei, quia Ioannem quidem Alexandriae ignoraret Episcopum, Petrum verò Moggum suscepisset in communionem in Zenonis principis vnitiuo, & quod hoc cura eius gessisset sententiam, propter vnitatem Ecclesiarum principis iussione, &c.* Atque hinc omninò apparet falsum falsissimum esse, non aliâ ratione scriptum ab renunciatis Patriarchis ad Pontificem, quàm quòd vsu receptum esset, vt qui ordinarentur, ad Collegas, literas suae communionis darent; Praeter enim generaliorem illam rationem, ad Pontificem, tanquam ad Patriarcharum Caput scribebatur, vt impetrato eius suffragio, nullae amplius turbae cierentur, nullae lites ordinato mouerentur. Ludat igitur quantùm velit in verbo CONFIRMATIONIS Spalatensis, apparet omninò ad Pontificem pertinuisse summum de eâ re iudicium. Diximus verò suprà de fidei professione à Patriarchis ad Sedem Apostolicam mitti solita, ostendimusque praeter fidei communionem, etiam factae de se electionis approbationem Patriarchas olim expetiisse, ac summis precibus pro ea apud Pontificem contendisse, quòd quamquam ordinati, ac consecrati, suas sedes renitente Pontifice, ac fauoré suum eis denegante, retinere minimè possent. Et quidem Photij exemplum à Spalatensi adductum id omninò probat: siquidem pro Patriarchâ legitimo ab Orthodoxis nunquam habitus est, quod tamen Pontifices Nico-

Libe. Breu. c.18.

Ibid.

Liberat. in Breu. ca. 18.

Nicolaus I. & Adrianus, eius ordinationem minimè probassent, vt est suprà à nobis demonstratum. Quod ad Flauitam spectat, res est clarissima: Sic enim de eo Liberatus. *In istis*, inquit, *posita Ecclesia moritur Acacius, & ordinatur post eum Flauitas presbyter, qui fuit à sanctâ Tecla, qui non consensit sine Romano Episcopo inthronizari, sed transmisit Synodicam Papæ Romano Felici. Qui modico viuens tempore, moritur, non accipiens epistolam ipsius: & factus est Euphemius Episcopus genere Alexandrinus, qui & suscepit à Papa Romano scripta.* Liber. in breu. c. 18.

Cauillatur tamen Spalatensis: *Dum verò*, inquit, *legimus de Flauita Constantinopolitano, ipsum noluisse in sede illa sine Romano Episcopo inthronizari, sciamus illum voluisse in cautela abundare: quod enim alij post perfectam inthronizationem faciebant per Synodicam, ad communionem retinendam, vt toties docui, id ille voluit ante inthronizationem facere, quia Acacius ipsius proximus præcessor mortuus erat, sine communione sedis Apostolicæ, quæ se ab illo separauerat. Flauitas ergo antequam inthronizaretur, vt tantò facilius reconciliaretur* Ecclesia *Constantinopolitana cum Romana, voluit communionem obtinere, non confirmationem: Et poterat si voluisset post perfectam inthronizationem idem præstare.* Sed Flauitas vtcunque suæ conscientiæ testimonio fretus, se tanquam Orthodoxum Pontifici probatum iri non diffideret, ne tamen sua nutaret authoritas à throno conscendendo, & ab ineundo magistratu abstinuit, nec concesso sibi ab ordinatoribus munere prius defungi voluit, quàm per Pontificis concessionem ei eius rei facta esset potestas. Solutior noster Spalatensis, hanc sibi legem non dixisset. Spalat. Num. 44.

Sequitur Hilarus Papa, de quo sic noster, *Hilarus Papa*, inquit, *ante Simplicium ad Ascanium Tarraconensem scribens, ait: Ordinatos ergò nunc Episcopos (qui licet te ignorante prouecti sunt, cum suis authoribus meruerunt, submoueri) hac ratione firmamus; si nec viduarum maritus fuerit, &c. Firmat, vt audis, iam ordinatos: hoc est vt deiiciantur, tanquam irregulares, ordinati, non instat, sed tolerat; ad ipsius enim spectabant Patriarchatum.* Quid iuris Pontificis fuerit in firmandis aut conuellendis ordinationibus Episcoporum, subindicat epistola Tarraconensium ad Hilarum PP. *Etsi nulla*, inquit, *extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium sedis vestræ, quo susceptis Regni clauibus, post Resurrectionem Saluatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: Cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis petimus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Vides vt ad eum confugiant, non vtique tanquam ad Patriarcham solum Occidentis, sed tanquam ad totius Ecclesiæ Caput. Sed vt quod ad Ascanium scribit, sanciens *seruandam dignitatem Episcopis, qui citra ipsius Metropolitæ consensum essent ordinati*, expendamus, eo satis ostendit penes se esse eius rei arbitrium existimasse. *Et licet hi*, inquit, *qui præter notitiam atque consensum tuæ dilectionis ordinati sunt Sacerdotes, cum suis debuerint authoribus submoueri, ne quid tamen in tanta necessitate decernamus austerum, eos qui Episcopi facti sunt, ita volumus permanere, vt in Apostolicis præceptionibus & statutis sanctorum Patrum, non reperiantur obnoxij, ac deinceps nihil, quod contra disciplinam Ecclesiasticam veniat, sicut hactenus factum est, perpetretur.* Ecce suâ authoritate ab omni vitio purgat ordinationes, contra voluntatem Metropoli-

Spalat. Num. 45. Hilar. ep. 1.

Ep. 1. Tarracon. Epis. ad Hilarū.

Epist. 3. Hilari PP. ad Ascanium.

tæ factas. An-non summum ius illud fuit? Videamus de Hormisdâ. *Et postea,* inquit Spalatensis, *tempore Hormisdæ, morem videmus in Oriente, vt Metropolitani à suis Comprouincialibus plenè ordinati, ad Primatem suæ Regionis, relationem suæ promotionis mitterent; & sic in ipsius admitterentur cōmunionem.* Certè priore epistola quam citat Spalatensis, refert Hormisdas Nicopolitanū Episcopum à Thessalonicensi vexatum ad se confugisse, vt de remedio cogitaret.

Epist. 17. *Obtulit,* inquit, *nobis Nicopolitanus Diaconus nobis epistolam Ioannis Episcopi sui, & aliam Synodi subiacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab Episcopo Thessalonicensi excitatas aduersum se tam principales, quàm iudiciarias potestates, cōcussionibus & dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad Episcopum, relationem secundum prisca exempla non miserit. Pro qua causa sperauerunt, vt de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, vtrum daremus eis licentiam, relationem ad designatum Episcopum secundū consuetudinem, destinandi.* Ergo & in Archiepiscopum Thessalonicensem ius sibi sumpsit, cuius etiam priuilegiis detractum voluerit, quod à communione Sedis Apostolicæ recessisset, patet istud ex altera Hormisdæ epistola; Siquidem sic ad Legatos suos Ennodium & Peregrinum loquitur;

Init. ep. de Thes. ep. 18 *Primùm,* inquit, *vbi Thessalonicam, Deo adiuuante, veneritis, epistolas nostras, quas in hac causa misimus, Episcopo Thessalonicensi tradite, illum ordinem in eius salutatione seruantes, quem scitis à nobis esse mandatum, circa eos qui cum Sede Apostolica, hoc est Ecclesia Catholica non communicant. Traditis autem epistolis instanter agere debetis, vt se ab eius Ecclesiæ concussione suspendat, rationem reddentes, quia non potuit reuersus ad communionem, & ad corpus Ecclesiæ cum illis qui necdum reuersi sunt, quicquam habere coniunctum, nos non soluere à prædecessoribus nostris concessa priuilegia, si ipse Ecclesiastica instituta non deserat.* Et altera quoque epistola, à Sede Petri Thessalonicensium Episcopum sua habere priuilegia grauissimè ostendit;

Ex ep. 22. *Quid aliud,* inquit, *quàm sancti Petri (quod sine impietate dici non potest) ipsum quod à Domino datum est nomen oderūt, qui eos qui ad Sedis ipsius altaria confugiunt insequuntur? Quo pudore, rogo, priuilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non seruas? Et reuerentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiastica potestate deferri?*

Spalat. Eod. nu. 45. Rel. Syno. post. ep. Horm. 64. Persequitur Spalatensis, *Ad eundem Hormisdam,* inquit, *scribunt Episcopi Patriarchatus Constantinopolitani, de electione, & promotione Epiphanij; Igitur* Ecclesiasticam legē *implentes, inquiunt, Apostolatui vestro salutationis debitū persoluentes officium, speramus, vt amplius charitatis vinculum, & paternum affectum circa nos charitas vestra custodire dignetur. Nullam petunt confirmationem, nullam offerunt subiectionem; nulli pro Annatis & Bullis proferunt pecuniam, sed communionis gratia, literas salutatorias & legationem ad eum mittunt. Ab ipso tamen quoque* Epiphanio *& literas & legationem, de more Ecclesiastico, sibi deberi Hormisdas scribit ad eundem; non quidem vt peteret Canonicam confirmationem, sed vt concordia inter ipsos sic firmaretur.* Atqui si legem illam Ecclesiasticam non implessent, & literas ad Hormisdam non dedissent, Epiphanius pro legitimo Patriarcha ab Ecclesia habitus non fuisset. Sanè primùm impositum Constantinopolitanis Episcopis, vt Acacij à Fœlice abdicati memoriam damnarent, nomenque ex sacris diptychis tollerent, apparet ex Ioanne Euphemij decessoris ad Hormisdam relatione.

Exemp. lib. Ioa. Const. post ep. 40. Hormisdæ. *Anathematizamus omnes hæreses, præcipuè Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopus damnatus, in Concilio Ephesino à beato*

beato Cælestino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis, & vnà cum illo Anathematizamus Eutychem & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, damnatos in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur, & amplectimur, quæ sequens sanctam Synodum Nicænam Apostolicam fidem prædicauit, his coniungentes Timotheum parricidam, Ellurum cognominatum, Anathematizamus, & huius discipulum & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter Acaciũ quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum complicem eorum & sequacem factum, nec non & perseuerantes eorum communioni & participationi: quorum enim quis eorum communionem amplectitur, eorum & similem ad iudicationem in condemnatione consequitur, simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, Anathematizamus cum sequacibus suis & in omnibus suis.

Igitur abdicandi Acacij penes Pontificem potestatem fuisse agnouit. Sed nec istud prætereundum, iam Hormisdæ temporibus eam opinionem Græcorum animis insedisse, Constantinopolim cum Roma vnam sedem, vnam Ecclesiam, vnum tribunal efficere, ac inde superbiendi occasionem accepisse, quamquam filiam dicebant Constantinopolim, Romam verò matrem agnoscebant; à qua potentiæ radios mutuarentur; Audi Ioannem relatione ad Hosmisdam: *Sanctissimas*, inquit, *Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ & nouellæ istius Romæ, vnam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio.* Sed & Acacius ipse antequam pietatem cum pudore exuisset, Vicarius Pontificis audiebat, eiusque in Oriente vices implebat. Verũ hæc alterius sunt instituti. Satis sit epistolas communicatorias à Patriarchis ad Pontificem missas, ad robur quoque ordinationum spectasse; Nam quod de bullis & Annatis garrit aduersarius, minimè ad rem facit, cùm ex diplomatum forma, rei essentia non varietur. *At*, inquit Spalatensis, *Epiphanij quoque literæ communicatoriæ nihil aliud continent, nisi vinculum concordiæ & fidei professionem; Et quas Hormisda reddidit, tum Synodo, tum ipsi Epiphanio, ne verbum quidem vnum continent de confirmatione; sed plenissimè explicant totum hoc huiusmodi literarum negotium, solum pacis, & vnionis vinculum astringere. Sic etiam Symmachus, à Liberio patricio certior factus de Aquilegiensis Episcopi promotione; Iungo & ego, inquit, amplissimis Patribus vestris, pro modulo exiguitatis propriæ vobis, cælo obsequente consensum. Modulus exiguitatis, non significat plenum ius confirmandi electos, sed est cum aliis Episcopis promotoribus concursus, pro sua virili. In Primatum igitur ordinationibus, vides interdum Patriarchas suas partes, simul cum aliis ordinatoribus, habuisse, vt suprà explicatum est cap. 5. nu. 40.* Atqui non debuit modestia Pontificis in argumentum imminuti Magistratus trahi; Illustrissimum virum Liberium Patricium, qui ea authoritate esset, à qua vis quoque timeretur; demereri studet, ac ei quod iura Ecclesiæ Romanæ sarta tectaque esse voluerit, & ab omni tyrannico conatu abstinuerit gratiam habet; *Agitis*, inquit, *bono conscientiæ, quod vestro vix negaretur impetu.* Ac demùm modestissimis verbis se assensorem præbet, nec interim tacet à se vigorem pendere electionis à Rauennatibus factæ peregrinæ personæ (nec enim electum nouerat) *comitem se*, inquit, *tamen cælestis gratia desideriis iungat, & dum cupitis datur effectus* (audisne) *aut veniat bonum Pontificatus*, sunt hæc credo ab Ennodij calamo, *aut faciat*; Modulus igitur exiguitatis modestiam spirat, sed authoritatem non infringit, ac apparet ex aliis Symmachi epistolis, quam se egregiè Ecclesiæ Pontificem & caput ostenderit, & vt ab insti-

Ex libello Ioan. Epist. Const. post ep. 40. Hormisdæ.

Ibid. post ep. 69. Horm. ep. 72. Id. ep. 73.

Tom. 2. Cõc. Sym. ep. 3.

Symm. ep. 3.

Ibid.

tuto non recedamus, ex Epistolis ad Arelatenses & Viennenses Metropolitas datis, constat summam sibi in eorum Ecclesias vendicasse potestatem. Pergamus.

Spalat. Num. 46. *Totus progressus ordinationis*, inquit, *secundum priscum Ecclesiasticum morem, Hincmari Archiepiscopi Rhemensis diligenter describitur in* Concilio Suessionensi, *apud sanctum Medardum, his verbis; Volumus vt ordinatores fratris nostri Hincmari doceant, qualiter idem frater noster Hincmarus Canonicè fuerit ordinatus. Tunc surgens Rotadus Episcopus Suessionensis ciuitatis, porrexit* Canonicam *authoritatem, qualiter Metropolitanus Episcopus debeat ordinari, & si de eadem Ecclesia non sumitur, qualiter, petente eiusdem Ecclesiæ* Clero, *vel populo, à vicina debeat Ecclesia postulari; porrigens etiam Canonicas literas* Erchenradij *Episcopi Parisenorum Ecclesiæ, confirmatas suis, suique Archiepiscopi, &* Coëpiscoporum *suorum manibus, quas ad petitionem Rhemensis* Ecclesiæ Cleri *& plebi idem Hincmaro tribuerat, porrigens nihilominus decretum* Canonicum Cleri *& plebis manibus roboratum, qualiter iam dictum Hincmarum sibi postularunt Episcopum ordinari.* Et *his omnibus relictis, docuit quia* Canonicè, *cum præsentia & consensu omnium Episcoporum Rhemensis Diæceseos, eundem Hincmarum ordinauit Archiepiscopum. Post hæc surgens idem Hincmarus in conspectu gloriosi Principis, & Synodi porrexit & literas Canonicas, quas Canones sacri ordinatum à suis ordinatoribus accipere iubent, diem proferentes, &* Consulem. Nescio verò cur hanc Hincmari electioné aduersum Pontificiá authoritaté vrgeat aduersarius: Fuit in ea fateor antiquus mos seruatus, sed quis nó videat Pótificis summá habitá rationé? *Porrexit*, addút acta Concilij, Hincmarus, *epistolã totius Galliæ* Episcoporũ *manibus subscriptã, ad Apostolicam sedem, pro confirmatione ipsius ordinationis; quoniam sedes Apostolica per Sergium Papam sæpè dictum* Ebbonem (fuerat is de sede deiectus, quod incentor turbarum aduersum Ludouicum primum excitatarum extitisset) *damnauit* Episcopum, *adeò vt inter Laicos communionem tantùm habere mereretur, vt diximus. Ostendit etiam ipsi Christianissimo Principi, corã sancta Synodo, diploma sacrum ipsius venerandi* Principis *manibus insignitũ, ex approbatione suæ ordinationis ad eandem sanctam & Apostolicam, omnium scilicet* Ecclesiarũ *matrem, Romanam* Ecclesiam. Et *sic quarta actione euidentissimis documentis ostensum, & Synodali iudicio decretum est, Hincmarum Archiepiscopũ Canonicè à vicina Diæcesi ad ipsum Canonicè electum & Canonicè ordinatum, & Canonicè pallio Apostolicæ sedis, rata ordinatione perfectum, & in culmine Primatus, Metropolitana authoritate vsquequaque, & ab omnibus confirmata.* Igitur Hincmarus causæ præsidium in Pontificis confirmatione posuit, quæ quamquam eiusdem Hincmari in locũ Ebbonis suffecti, electionem & ordinationem in Synodo Bellouacensi factam est sequuta, tamen nutantem eam firmauit, vt etiam aduersus Ebbonis querelas hac vna se tutarit ac defenderit, vt pluribus ostendit, ac persequitur Flodoardus Canonicus Rheméсis illius æui, nó indiligens scriptor. *Gunthbolaus*, erat is Rhothomagensis Episcopus, cui causa Hincmari commissa erat, *& cæteri Episcopi*, inquit Flodoardus, *qui apud Parisios tunc conuenerant, VVenilo scilicet* Ecclesiæ *Senonicæ Metropolitanus cum Diæcesanis suis, Lantrannus Turonensis cum suffraganeis suis, & specialiter Hincmarus cum omnibus Rhemensis Diæceseos Coëpiscopis, literas suas ad eum* (scilicet Ebbonem) *miserunt, ei Diæcesim Rhemensem interdicentes, vt non haberet dein licentiam ex ea quempiã sollicitare, nec scripto, nec*

Conc. Medar. Act. 3. 4.

Cóc. Sueff. apud Med. Spalat. Eod. n. 46.

Ex Flod. l. 3. c. 2.

nec verbo, nec misso aliquo; donec secundum iussionem, Sergij Papæ ipsis occurreret, & iuxta canonica & Apostolica statuta diffinitionis sententiam ab ipsis coram generali conuentu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad Sedem Apostolicam, vocem postea reclamationis, vel repetitionis de sede Rhemensi, aut de ordine suo emisit. Qui etiam postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit, rata est, & cum largitione pallij comprobata, per quinque circiter annorum curricula superuixisse fertur in corpore, vsque ad annum videlicet, incarnationis Dominicæ octingentesimum quinquagesimum primum. Non solùm ergò pallium misit Pontifex, sed & eius concessione ordinationem Hincmari planè firmauit, adeò vt ne mutire quidem postea Ebbo ausus fuerit. Sed neque plus sibi in ea re tribuisse Pontificem, quàm sibi tribuissent superioris æui Pontifices, argumento est locus Gregorij à Spalatensi adductus. *Sic & Gregorius*, inquit, *ordinationem cuiusdam Metropolitani se confirmare asserit, pallij concessione. Proinde iuxta postulationis vestræ desiderium ait, prædictum fratrem & Coëpiscopum nostrũ, in eo in quo est Sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus authoritate firmamus; ratamque nos eius consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus. Et ad eumdem nuper promotum; Nos quoque, inquit, in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus.* Atqui quòd locũ obscurare nõ potuerit aduersarius, Glossæ tenebras offundere tentat. *Ex quo*, inquit, *deducit glossa, omnes Metropolitanos à Papa confirmari, additis cap. Quanto. distinc. 63. & ca. Salonitanæ. Et dist. 100. C. Quoniam. Quia tamen id perpetuò verum non esse animaduertebat, seipsam correxit & limitauit, dicens: Quod verum est cùm non habent Primatem, sed Papæ nullo medio subsunt: Additque statim; nisi velis dicere, quod eo ipso quod quis recipit pallium à Papa, intelligitur confirmari ab ipso. Imo & plerique Archiepiscopi non confirmantur, nec consecrantur, nisi à suis subditis, nec petitur confirmatio à Papa, sed tantùm pallium. Hæc glossa: quæ apertè distinguit confirmationem à pallij concessione. Quo sensu inuenies Cantuariensem Primatem Angliæ, confirmationem Romanam petijsse & expectasse. Sic etiam Galliæ Primatem Lugdunensem.*

Spalat. Num. 47. Greg. l. 4. ind. 13. ep. 9.

Ibid. ep. 15. ponitur distin. 63. c. quia igitur.

Saresb. ep. 300. 301. Bern. epist. 171. 172.

Respondeò; benè omnino glossam censere confirmationem, quam vocant *immediatam*, & *proximam* Metropolitarũ olim à Primate fieri solitam, hoc est ab eo summo Metropolitâ, in cuius ditione esset ille inferior: sed à quocumque illa fuerit, accedebat quoque postremo Pontificis assensus, quem ipsa pallij concessio significabat. Et quidem hunc Pontificis assensum, Bernardus, pro suo more, non ineleganter *Honoris & officij plenitudinem* vocat. *Peto Domine*, inquit, ille ad Innocentium, in Falconis Lugdunensis gratiam, *vt qui à suis concorditer est electus, vtiliter promotus, ritè consecratus, à vobis honoris sui, officijque plenitudinem consequatur.* Sed aliò nos vocat aduersarius. *Leo IX.* inquit, *ijsdem ab alijs iam pressus insistens vestigijs, Petri Antiocheni Patriarchæ promotionem laudat, & approbat. Mea, inquit, humilitas in culmine Apostolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque improbet; tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionẽ libens approbat, collaudat, & confirmat, &c. Ecce tibi synonyma approbare, collaudare, confirmare, iam factam & absolutam promotionem, atque hæc approbatio, collaudatio, confirmatio, facta est admissione professionis fidei, quam ad illum de more, nouus transmiserat Antiochenus. Sane, inquit, fidem tuam, quam proprio scripto summæ & Apostolicæ sedi exposuisti, sanam & Catholicam atque Orthodoxam per omnia protestamur: Et sicut verè vnicam & salutarem amplectitur.*

Ep. 171. Bernard. Epist. 172.

Spalat. Num. 48 Leo 9. ep. 5.

Statimque in eadem epistola, & ipse vice versa suam professionem (vt olim fieri solitum pluribus lib. 7. explicabo) ad eundem scribit Antiochenum, vt nimirum ipse quoque haberet, vnde meritò cum Romano deberet communicare. Pudet in his quisquiliis immorari; *Ecce tibi*, inquit, *Synonyma approbare, collaudare, & confirmare.* Imò gradatio quædam est quâ intenditur oratio; quanquàm nec nos fugit collaudationem bonis authoribus etiam approbationem dictam: sed eò spectat Pontificis oratio, vt præter collaudationem, etiam Antiocheni Antistitis renuntiationem ac ordinationem suâ authoritate firmet; Annon enim de ea re acturus sic præfatur? *Ab Apostolica*, inquit, *tua sede nostram Apostolicã sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem, nolle deuiare à Dominico, & omniũ SS. Patrũ concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.*

Apud Liu. 2. de bello punico.

Leo Papa 9. ep. 6.

Neutiquam igitur parem habuit Antiochenũ, sed cùm ad eum fidei confessionem misit, vtique ei præscripsit, eique confessioni standum, vt Orthodoxus & legitimus Patriarcha haberetur, significauit. Sed Spalatensis, rixari pergit, ac omninò contendit Pontificem eadem qua reliquos Patriarchas confirmatione opus habuisse, & probat mehercle festiuè testimonio Cypriani, *Profectò*, inquit, *hoc eodem sensu etiam Romanus Pont. indiget confirmatione. Audi Cyprianum de Cornelio dicentem: Hunc Dei iudicio factum Episcopum & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus, inquit, per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Item: Factus est Episcopus cùm locus Petri vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato, &c. Item ad ipsum* Cornelium: *Placuit, inquit, vt per Episcopos, retenta à nobis rei veritate, ad comprobandam ordinationem tuam, facta authoritate maiore, tum demùm scrupulo omni de singuloriũ pectoribus excusso, per omnes omninò in* Prouincia *ista positos, literæ fierent, sicut fiunt, vt te vniuersi Collegæ nostri, & communicationem tuam, id est* Ecclesiæ Catholicæ *vnitatem, pariter & charitatem, probarent firmiter ac tenerent. Quod diuinitùs euenisse, & Consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter & dignitas, apertissima luce, & manifestissima & firmissima est confirmatione fundata. Cyprianus ergò cum suis collegis Africanis firmauit, ac comprobauit suum Cornelio Episcopatum, data ei confirmatione, quatenus videlicet ipsius promotionem, vt legitimam agnouerunt & approbarunt, eumque pro vero Episcopo Romano, admiserunt & tenuerunt; Et sic sunt ei Ecclesiastica communione copulati.* Atqui non videt Spalatensis præter ordinem, ac expriuato Consilio Cyprianum ad Africæ Episcopos scripsisse, vt communicationem Cornelij; id est, inquit ille, *Catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem probarent, firmarent, ac tenerent: Quod* (addit Cyprianus) *diuinitus euenisse, & Consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus.* Sed causa non vulgaris fuit Cypriano eius Consilij suscipiendi; Nimirum Nouatianus diri schismatis author Cathedram Romanam sibi asserere tentabat, habebátque suæ sententiæ fauentes nimiùm multos, quibus fraus aperienda fuit, vt resilirent, schisma vt eiurarent, ac ad Catholicos se adiungerent. Quare Cyprianus cùm in errore Nouatianorum versare Antonianum videret, omnis generis argumento colligit, quibus legitimam Cornelij electionem ostendat, adeóque consensum totius orbis Episcoporum in eam conspirantium profert. Verba eius

Eod. n. 48.

Cypr. l. 4. ep. 2.

Ibid.

Ibid. ep. 8.

Cyp. l. 4. ep. 2. & 8.

ba eius sic habent. *Venio iam nunc, frater Charissime,* inquit, *ad personam Cornelij Collegæ nostri, vt Cornelium nobiscum verius noueris, non de malignorum, & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei iudicio, qui Episcopum fecit, & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Nam quod Cornelium charissimum nostrum Deo & Christo, & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iste ad Episcopatum subitò peruenit, per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit: sed quietus, & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Episcopus fieret: Sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet, &c.* Cypr. l. 4. ep. 2. quæ est 52.

Pergamus. *Quandam præterea confirmationis speciem sæpius reperies,* inquit Spalatensis, *vbi Rom. Pont. deuolutis ad se electionum & ordinationum Episcopalium iudiciis tanquam ad proprium Patriarcham, decisione data causæ, illum Episcopum dicitur confirmare, cui causam euictam dedit. Ita Stephanus tertius Rauennatem confirmauit, dum inter duos electos & ordinatos schismate compresso, sedem alteri adiudicauit. Ita Ioannes VIII. Photium dici potest confirmasse, quando ipsius ordinationem, tandem post plures annos tanquam legitimam iudicauit, & admisit.* Hæc etiam vel ipsi Heraclito risum mouerint. Spalatensis igitur iudicio ad Pontificem quà Patriarcha est spectat supremum de ordinationibus Episcopalibus, iudicium, id enim omninò sibi vult, & tamen quà caput est Patriarcharum, totius Ecclesiæ moderator est, siue eius quæ ad Orientem, siue eius quæ ad Occidentem porrigitur; cùm tamen ius Patriarchicum ad aliorum Patriarcharum Ecclesias sese non fundat. SPALAT. Num. 49. Platin. in Steph. 3. Ioan. 8. ep. 109.

Sed grauius est quod sequitur. *Confirmationis etiam nomine,* inquit, *solent interdum nostrorum summorum Pontificum facta insigniri, vbi indigni Episcopatu, ad eumque inhabiles, vt euehantur, Papali qualicunque fulciuntur concessione. Gallicana potissimùm hoc morbo diu laborauit Ecclesia; & vtinam hodieque non laboraret; vt Papalibus extortis dispensationibus, ex multis capitibus irregulares, ad sacerdotia promoueantur. Sic enim aliquando inter huius Papalis confirmationis effectus; & ille numeratus fuit, vt puer quinquennis, ferè infans, ad Rhemensem magnam Cathedram malè electus, & à Papa confirmatus, Rhemensis fuerit Archiepiscopus, recens iam à nutricum vberibus ablactatus. Ita quotidie postulationes, vbi nimirū promouendus impedimento aliquo tenetur, ne possit Canonicè promoueri, ad Romanam sedem, quæ scilicet omnia potest, deferuntur. Ego verò iam suprà monui, si impedimentum tale sit, quod possit ex legitima causa tolli, aut contemni, ordinarios Episcoporum ordinatores posse, per se solos, illud aut tollere, aut contemnere; neque Papalem ad hoc esse necessariam dispensationem. Si verò causa non adsit, neque impedimentum sit legitimè amouibile, ne Papam quidem posse in eo dispensare. Veræ itaque Episcoporum confirmationes à Metropolitanis fiunt in Prouinciis, & ab Episcopis Comprouincialibus, & dum noster Dominus Papa eas ad se trahit, turbat Ecclesiam, Ecclesiasticamque Hierarchiam, & vsurpat quod ei iure non debetur.* Penes Pontificem esse potestatem sancienda- SPALAT. Num. 50. Flodoard. apud Bar. tom. 10. an. 915. n. 8 9. 10.

rum ordinationum, ac etiam tollendorum impedimentorum, quibus qui essent obstricti iure Canonico à sacris ordinibus suscipiendis arcebantur, ab ipsis suis incunabulis nostra semper est professa Ecclesia Gallicana, quippe cum semper pro capite venerata. Quod si aliquando est in ea re à Pontificibus peccatum, humanus lapsus fuit; Et quod attinet ad puerulum Heriberti Comitis filium quinquennem, planè infœlicibus auspiciis renuntiatum Archiepiscopum Rhemensem, ac à Pontifice confirmatum, demandata tamen cura pastorali Abboni Suessionensi Antistiti, Baronius ipse grauissimè in Ioannem decimum huius sceleris authorem inuehitur. *Illud planè tunc primùm contigit videri monstrum,* inquit Baronius, *nunquam hactenus visum vel auditum, imò nec puto mente conceptum. Cùm scilicet filium Heriberti Hugo puer nondum quinquennis, nondum alicuius inferioris ordinis capax, vixque loqui sciens curante Patre & Abbone Episcopo Suessionense, & Bobone Cathalaunico, Clero populoque Rhemensi eiusdem ciuitatis est electus Archiepiscopus;* Notandum autem, persequitur Baronius, *qualis authoritate Pontificis* ingens istud malum primùm fuerit introductum in Ecclesia Dei, in qua postea est valdè propagatum, hodiéque adhuc viget, videlicet Ioannis decimi, quo turpior nullus, cuius sicut ingressus in Cathedram Petri infamissimus fuit, ita exitus nefandissimus extitit. Itaque improbissimi Pontificis potestate sua abutentis, hæc culpa fuit; Sed hæc sanctissimam potestatem non euertunt: *In illum autem,* inquit Augustinus, *ordinem* Episcoporum, *qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora surrepsisset, nihil præiudicaret* Ecclesiæ, *& innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de propositis* malis: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim, & non faciunt, vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Quod verò Pontifici pares Episcopos facit Spalatensis in *tollendis Canonicis,* vt vocant, *impedimentis,* error est ex errore satus; Namque quod eum pro capite Episcoporum non habeat, ad reliquorum eum subsellia deiicit, ac amandat; Sed totis istis libris impium dogma refellimus, ac profligamus. Videamus sequentia.

d.lib.4. t.Rhem. 7. & 18. ud Bar. m.10.an. 5.

Aug.to.2. ep.165.ad literas cuiusdam Donatistæ.

SPALAT. Num.51.

Sed & Confirmationem Papalem, inquit, *interdum vocari cerno, vbi Papa ab Episcopis Prouinciarum consultus, an ipsorum facta, circa electiones etiam, & ordinationes ipsorum* Episcoporum *sint legitima, & Canonica, doctrinaliter respondet, illa vt legitima approbando.* Ita Tarraconensis Prouinciæ Episcopi ad Papam Hilarum scribunt; *Illud specialius, inquiunt, deprecantes, vt factum nostrum quod tam voto penè omnis* Prouinciæ, *quàm exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris roborare dignemini. Factum verò est, vt ipsi narrant statim, quod in Episcopum Barcinonensem ordinarant, seu potius confirmarant, eum quem præcessor ante obitum, de consensu* Coëpiscoporum Prouinciæ, *suum coadiutorem consecrarat, & successorem designarat.* Ergo, *inquiunt, suppliciter precamur Apostolatum vestrum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iuste à nobis videtur factum, vestra authoritate firmetis. Vt videlicet factum hoc declaret esse legitimum, & nulli reati non subiacere. Nam & subdunt:* Iam dudum *sanè questi fueramus literis nostris de præsumptione Syluani* Episcopi, *& miramur quod nulla Apostolatus vestri responsa suscepimus: Nunc*

Ante Epist. Hilari to.1.

hæc

hæc eadem suggerentes petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit Apostolici sermonibus nos dignemini informare. Concilium itaque petunt, & instructionem non decretum iudiciale. Et hoc confugium ad Romanum consilium, voto totius Prouinciæ, & exemplo vetustatis fieri suprà dicebant; & in Epistola quam dicunt se de Syluano scripsisse, se Romam ad instructionem confugere dicunt; Propter doctrinam quæ in ea Ecclesia puta vigebat, & peritiam Ecclesiasticæ disciplinæ; de qua agam suo loco. Hæc Spalatensis. Somnia sunt; Consuluisse enim Pontificem tanquam rerum Ecclesiasticarum arbitrum ac iudicem supremum, verba prioris Epistolæ quam ad Pontificem dederat indicant. *Etsi, inquit, nulla dictaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum reuera nobis fuerat illud priuilegium sedis vestræ, quo susceptis Regni clauibus post Resurrectionem Saluatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.*

Si ea mens fuisset Spalatensi, conuitiorum illa plaustra, quæ sequuntur in Pontificem, non exonerasset. *Consecrationes quoque*, inquit, *siue ordinationes Episcoporum ad Metropolitanos propriè spectantes non parum, neque minori cum iniuria & Canonum conculcatione, ab eodem Domino nostro Papa per summã vsurpationem perturbantur. In his enim vel maximè Nicænos violat Canones, qui suo cuique Patriarchæ fines, suosque terminos aßignarunt, extra quos ordinationes potissimum Episcoporum facere eis non liceat; ne in alienam messem falcem immittant. Habet sanè Romanus Pontifex suam propriam Prouinciam, & certos Episcopatus qui ad eius spectant ordinationem. Ad alios extendi non potest, quod plenè libro quarto proximè sequenti confirmabo. Cùm itaque Romana Ecclesia certos habeat proprios Episcopos suæ consecrationis, & inuiolabili Ecclesiastica lege cautum sit vt quisque se suis finibus contineat, nec alienam vsurpet iurisdictionem, planum profectò est, Papam contra ius & contra fas agere, quoties velit ipse ex potestate & imperio alienum Episcopum ordinare. Inde enim vel maximè pax Ecclesiarum turbatur, & tyrannis inuehitur intolerabilis.* Respondeo totam hanc criminationem esse futilitatis plenam, nitique flaccido illo fundamento, nempè Pontificiam potestatem intra certos terminos coëgisse Nicænos Patres, quod absurdissimum esse centies ostendimus, ostendemusque quarto libro vberius. Certè Spalatensis causæ suæ diffisus, quippe quàm historiæ Ecclesiasticæ fidelissima monimenta euertant, occurrendum sibi putauit his quæ in contrarium proferri possent. *Nonnego equidem*, inquit, *ob magnam reuerentiam & exactam quæ olim viguit in Romana Ecclesia Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam, perfectamque iustitiam, exteros siue Episcopos Comprouinciales, siue Metropolitanos, libenter interdum consensisse, vt ipsorum Episcopi, siue Metropolitani ab illo consecrentur; & si qua difficultas circa aliquem consecrandum occurreret, totam consecrationem in eundem eos reiicere solitos fuisse. Nonnunquam etiam si Metropolitanus proprius iniustè negaret consecrationem, ne Synodus Prouincialis esset ad hoc cum incommodo cogenda, aut ex alia necessitate ad Patriarcham fuisse recurrendam. Sic profectò Agapetus rogatus ab Episcopis Metropolis Con-*

stantinopolitanæ, Mennam illius ciuitatis Patriarcham, ritè electum & confir-
Agap. ep. 5. matum consecrauit. Nam & fatetur Agapetus à temporibus Petri Apostoli, nul-
lum alium vnquam Orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus suæ sedis
Romanæ ordinatum. Ordinarij ergò ordinatores, habita ratione summæ Dignita-
Ib. & apud Bar. to. 7. an. 536. nu. 30. tis ibidem casu præsentis, Papæ Romani, ei consecrationem solam detulerunt. Ele-
ctio enim facta est à Clero de more & populo, & maximè ab Imperatore. Vana
igitur est Baronij amplificatio, dum inter Agapeti facta conglobata ponit Succes-
Ibid. nu. 32. sorem Anthimi deligere & ordinare. Hæc quoque futilitatis sunt plena. Primùm
enim eam reuerentiam Romano Pontifici conciliauit Petri meritum, cuius
successorem tanquam sui ordinis principem semper Metropolitæ omnes &
Episcopi Orthodoxi sunt venerati. Demùm quod ad Mennæ ordinationem
ab Agapeto factam excipit, solam consecrationem honoris ergo, ab ordinariis or-
Concil. Const. sub Menna. Act. 1. Περιεχείσατο τῇ ὄψει τὸ ἐκκλησιάζ. &c. μαρτυρούμενον Μηνᾶν τὸν ἁγιώτατον. dinatoribus Agapeto delatam, merum est eius somnium. Agapetus vir honorabilis,
inquiunt Patres Constantinopolitani, sciens per libellos plurimorum nostrorum ea
quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuere, ea ipso visu semel accipiendo, neque ad
visum suscipere voluit Antimum, furentem aduersus Canones, sed nunc iustè eiecit de
Sacerdotali sede Ciuitatis suæ, & coopitulante & coadunato Catholicæ fidei & di-
uinis Canonibus vestro Imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ sanctißimum Mennam rectæ
fidei, & vitæ pudicæ, ac honestæ conuersationis, & infirmantium sibi iniungenda
dispensatione approbatißimum.

Liberat. in Breu. c. 21. Rem totam narrat Liberatus in Breuiario, Petentibus principibus, inquit, vt
Anthimum Papa in salutatione & communicatione susciperet, ille fieri inquit posse,
si se libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram suam reuerteretur. Impoßi-
bile esse aiebat, translatitium hominum in illa sede permanere. Augusta verò clam
promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit,
ne eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se sede pulsum, pallium quod ha-
buit Imperatoribus reddidit, & discesßit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur.
Tunc Papa Principis fauore, Menam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum
manu sua in Basilica sanctæ Mariæ. Fuit iste Menas præpositus Xenodochij maio-
ris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Calchedonensem Syno-
Marcellin. Comes in Chronico indict. 14. dum. Marcellinus Comes in Chronico. Agapitus, inquit, Constantinopolim de
Roma adueniens Anthemium mox Ecclesia pellit, dicens eum iuxta Ecclesiasticam
regulam adulterum, qui sua Ecclesia dimissa ambierat alienam. In cuius locum
Menam Presbyterum Episcopum ordinauit. Agapitus, inquit Victor Tunensis
Episcopus, Archiepiscopus Romanus Constantinopolim venit, & Anthemium
Victor Tunen. apud Euseb. Scalig. in Chronico. Episcopum Constantinopolitanum Ecclesiæ peruersorem, Calchedonensis Synodi ini-
micum deponit, Theodoram Augustam eius patronam communione priuat, & Me-
nam protinus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum facit. Ne verbum quidem
vnum de delato Romano Pontifici ab Episcopis hoc honore. Et quod addit ex
Agapeti epistola, à temporibus Petri Apostoli nullum alium vnquam Orienta-
lem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus suæ sedis ordinatum, ad con-
secrationem omninò referri debet; non ad electi confirmationem; Vt enim
Imperatoris fauore, & Cleri ac populi suffragiis sit ad hoc fastigium eue-
ctus Menas, tamen ius summum sanciendæ electionis penes Pontificem fuisse,
vel ex eo apparet, quod Anthimum abdicarit, & quærendũ ei successorem quem
ipse

ipse probaret, dixerit; Meritò ergò Baronius inter Agapeti facta, hoc quoque annumerat, quod Anthimo successorem dederit Menam, qui etiam acceptam eam gratiam habuit Agapeto; vt nihil ab Episcopis Pontifici delatum appareat, quod eius dignitati non deberetur.

Expendamus alia exempla. *Sic*, inquit, *Gregorius VII. ex Africa ad se mittendum curat Episcopum, vt ab eo consecretur; quia videlicet in tota Africa tunc non erant nisi duo Episcopi: & ad consecrationem Episcoporum tres requiruntur. Sic Stephanus Gualberto Patriarchæ intimat, si diutius protelauerit Cumensis Ecclesiæ Episcopi consecrationem, proculdubio si ad eum venerit, consecratum abiturum. Sed quod asserit se posse de qualibet Ecclesia Clericum ordinare, sibi ipsi nimium, & contra quam Canones præscribunt, blanditur. Sic Vrbanus secundus, Artaldum Arelatensem, quem Narbonensis; & Iuonem Carnotensem, quem Senonensis Metropolitani consecrare recusabant, ipse consecrauit.* Quod attinet ad Gregorium VII. si nullam suæ potestatis rationem habuit, quorsum Africanum Episcopum consecrandum ad se accersiuit? Esto enim in Africa non plus quàm duo reperirentur Episcopi, cùm tres omninò adhibere oporteat in consecrando Episcopo; An non potuit ea molestia liberari ille Africanus, & ad viciniores Episcopos qui eum consecrarent remitti? Quod spectat verò ad Stephanum proculdubio eo ad Patriarcham Gualbertum rescripto satis innuit summam ordinationum potestatem penes se esse, quippe qui Patriarchæ in Cumensis ordinatione legem ponat: Et verò Spalatensis Stephanum hoc nomine insectatur, quod asserat *se posse Clericum de qualibet Ecclesia ordinare*. Sed non est harum rerum penes desertorem iudicium, & id iuris Primati Carthaginensi in Africa fuisse, Africana Concilia nos docent. Vrbanus verò secundus Artaldum Arelatensem, & Iuonem Carnotensem, quanquam reclamantibus Narbonensi & Senonensi Metropolitis ipsos consecrans summam Pontificis in his rebus potestatem ostendit.

Sed excipit Spalatensis, *In his ego conniuentiam potius*, inquit, *aut tolerantiam Ecclesiæ, quàm ius aut authoritatem, mihi videor posse obseruare. Horum enim præcessores inuenio in hoc fuisse religiosiores: nam Stephanus sextus, vt pluribus narrat Frodoardus, ne ordinariam Lugdunensis Primatis turbaret iurisdictionem, suis Episcopis consecrandis, Lingonensem à Clero & populo ritè electum, & Romam pro consecratione missum, recusante nimirum Lugdunensi, qui alium obtrudebat, illum consecrare bis renuit, eumque repulit, ad Lugdunensem scribens, acrescribens, vt ipse suo munere in huius consecratione fungeretur; siquidem ipse vellet vnicuiusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruari: Tertiò demum, vix magna Lugdunensis pertinacia coactus, illum consecrauit. Et Gregorius septimus Robertum Carnotensem ab Episcopatu deposuit, non tamen propterea sibi alterius suffectionem, reseruauit; sed in ordinarios tum electores, tum consecratores, illum prout iure, reiecit. Senonensi enim Archiepiscopo & suffraganeis ita scribit: Ecclesiam illam Canonicam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus: Admonemus & vos, vt eidem electioni, eam quam oportet, aut per vos, aut per idoneos nuncios vestros diligentiam adhibentes, quem electum Canonicè cognoueritis, & manus imponere, & in Episcopum consecrare, nulla occasione recusetis.* Atqui nisi ipse conniueret, in oculos incurreret, ac eos perstringeret fulgor summæ potestatis centies in sanciendis ordinationibus Episcoporum collucere visus. Cert-

& hoc ipso facto Stephani sexti, quod vrget Spalatensis illa Pontificum potestas maximè illustratur; Nec enim propterea à consecrando Lingonensi abstinuit, quod eius rei potestatem penes se non esse existimaret, sed quod primùm conueniendum Primatem duceret, quem vt duriorem in concedenda confirmatione deprehendit, authoritatem suam exeruit, Lingonensemque consecrauit. Et quod ad Gregorium VII. attinet, vt abdicato Roberto Carnotensi alium in eius locum non suffecerit, tamen ipsa Roberti abdicatio summam abdicantis authoritatem prodit; Ac prætereà leges ponit Metropolitæ Richerio, ac Collegis Episcopis, vt scilicet quem Canonicè electum cognouissent, ei manus imponere & in Episcopum consecrare nulla occasione recusarent. Addit verò quod Spalatensi dissimulandum non fuit, *scientes quoniam si illud timore aut gratia cuiusquam prætermiseritis, nos tamen inordinatum eum* (Canonicè electum) *nullatenus inultum relinquimus, & vos eo honore ac dignitate quam ignobiliter desinere non erubescitis, deinceps indignos fore iudicabimus.* Hæc credo summam potestatem in ordinationibus sanciendis ac firmandis præ se ferunt. Expendamus reliqua.

Greg. 7. li. ep. 15.

Non puto, inquit, *adeò rudem fuisse Clementem secundum, vt putarit se posse in iis quæ iuris sunt* Pontificij, *successorum suorum manus ligare; siquidem par in parem non habet authoritatem; Et nihilominus vbi Salernitanæ Ecclesiæ proprios assignauit suffraganeos; Non habeant, inquit, potestatem successores nostri, in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis authoritate Apostolica concessimus, deinceps Episcopos consecrare; quemadmodum vobis* (*alloquitur Episcopum Salernitanum*) *concessum est. Scicbat enim Metropolitanorum iura esse inconcussa, & neque Romanum Pontificem contra illa quicquam posse. Si quid igitur Romanos Pontifices postremis duobus, tribusve ante nostra tempora sæculis, in hoc genere fecisse, & alienos Episcopos extra casus iam explicatos, ordinare voluisse legeris, scias id totum meram vim & apertam vsurpationem redolere.* Sed miror non aduertisse Spalatensem, hoc esse priuilegium authoritate Apostolica Salernitano concessum; Priuilegia enim, ni fallor, nonnisi ab his penes quos est summa potestas supremumque iudicium concedi solent. Certè vt hanc honoris prærogatiuam sanctæ sedi acceptam haberet Salernitanus, Pallio eum ornandū duxit Clemens, addita etiam præclari amiculi significatione. Iam ad soluenda nostrorum argumenta aggreditur aduersarius.

Spalat. Num. 54.

Apud Bar. tom. 11. an. 1047. n. 12.

Obiicies primò, inquit, *Athanasium cum suis Episcopis Ægyptiis, ad Fœlicem Romanum sic scripsisse: Ideò pater beatißime, quia semper antecessores nostri & nos, à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes & dogmata atque subleuationes ceperunt. Respondeo epistolam illam esse confictam, & nullius fidei; Ideoque in primam partem Decretalium Antiquarum epistolarū, Romæ coniectam inter alias quisquilias apocrypharum. Et si etiam vera esset, & authentica, adulantur illi Episcopi nostro Papæ, ipsius ope indigi. Sed prætereà esto, vndequaque vera sit, & sincera; significāt dumtaxat Alexandrinā Ecclesiā & consequēter reliquas omnes Aegyptiacas à B. Petro, per Marcū Euangelistā fuisse ordinatas: Et sic quoad originem ordinationē suā & fundationem à Romana sede, id est, à Petro deriuatam, recognoscunt.* Epistolam Athanasij & Ægyptiorum ad Fœlicem supposititiā esse nostri viderunt primi; Propterea eam minimè vrgendā ducimus:

Spalat. Num. 55. Tom. 1. ep. decr. Rom. Pont. 1. par. ante epist. Fœlicis secundi.

Sed

Sed ferendus in eo non est Spalatensis, quod Athanasium & collegas Papæ, cuius ope indigerent, esse adulatos cauillatur; Eximia fuit, constantia & probitate Athanasius, nec in Antistitem immortali laude dignum ea adulationis suspicio cadere potest. Quod addit Spalatensis; *Alexandrinam Ecclesiam, & consequenter omnes reliquas Aegyptiacas à beato Petro per Marcum Euangelistam fuisse ordinatas, & sic quoad originem ordinationem suam, & fundationem à Romana sede, id est à Petro deriuatam recognoscere Aegyptios Episcopos*, nobis valdè probatur. Hoc tantùm addito, quod quæ originem est à sede Petri mutuata eius etiam semper paruit Imperio, vt est iam centies à nobis demonstratum. SPAL. Eod.n. in fine

Obijcies secundò, inquit Spalatensis, *rescriptum Valentiniani aduersum Hilarium Episcopum Arelatensem, quod sic se habet: Cùm igitur sedis Apostolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem sedis istiues inlicitum præsumptio attentare nitatur, tunc enim demùm Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hæc cùm hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis, (sicut venerabiles viri Romani Papæ Leonis fideli relatione comperimus) contumaci ausu, inlicita quædam præsumenda tentauit, & ideo Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesia Romanæ vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans, inuasit, &c. Respondeo Imperatores, qui plus æquo sæpè terrena sapiunt, ad Romanæ ciuitatis maiorem gloriam & splendorem, plurimùm semper laborasse, vt sicut in temporalibus erat totius fermè orbis caput, ita in spiritualibus quoque & rebus Ecclesiasticis, super omnes Ecclesias imperium haberet. Sed neque absolutè reprehendit factum Hilarij, quod inconsulto Papa ordinaret suos Episcopos; Id enim omni iure ad eum spectabat; neque tenebatur super hoc Papam consulere: sed quod indebitas faceret ordinationes: Nam alios, inquit, incompetenter remouet; indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit; qui quidem quoniam non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam; & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis, pacem prædicaturus per bella ducebat. Non igitur ordinationes legitimas, etiam inconsulto Papa, sed hos excessus reprehendit Imperator.* SPAL. Num. Apud to.6. nu.9. Ibi.

Sunt hæc in piissimos Principes contumeliosa, neque tamen vim & robur sanctissimi edicti infregerit hæc proteruia. En tibi *Petri meritum* primùm ponitur, quo nitatur dignitas Apostolicæ sedis. Non igitur Imperatorum labor est Primatus Romanæ Ecclesiæ, sed Petri prærogatiua, ad quam accessit ciuitatis splendor & Synodi authoritas. Demùm vitio vertit Hilario, quod inconsultò Romano Pontifice ordinationes in Viennensi Prouincia; de ea siquidem est sermo, facere tentasset: Igitur Pontificis authoritate niti Metropolitarú iura existimauit Valentinianus; *Hoc*, inquit, *perenni sanctione decernimus, ne quid iam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ authoritate temptare. Sed illis omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ sedis authoritas, ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexe-* The Epis tit.24 leg.

rit, per moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ di ui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Festiuus verò est Spalatensis, qui hoc tantum culpatum in Hilario scribit, quod manum armatam contrahere ausus esset, ac hostilem in modum claustra murorum, vel obsidione cogere, vel aggressione reserare tentasset, vt quos ordinasset Episcopos, inuitis etiam ciuibus, obtruderet; Cùm tamen hoc in eo maximè notet Imperator, *quod contumacia audacia inlicita quadam præsumenda tentarit*, hóc est quod spreta sancta sede in Viennensi Prouincia Episcopos præter fas ordinare præsumpserit; Propterea namque non solùm prohibetur arma sumere, sed etiam præceptis Romani Pontificis iubetur se obsequentem præbere; Additur & potissima ista ratio Edicti: *Tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas*; Audisne, turbator pacis, Pontificem Rectorem vniuersitatis nominari? Sed rursus de Imperatorum rescriptis videro alio loco.

ALAT. ...m.57. ...ſt.63. ca. ...onitanæ. ...eg.l.3. ...12.ep.16 ...l.2.ind.11 ...22. ...d.

Obijcies tertiò Gregorium, persequitur Spalatensis, *irasci, quod Maximus Salonitanus Episcopus, ipso nescio aut inconsulto fuerit ordinatus.* Respondeo inde Gregorium maximè irasci, quia cùm Honoratum commendasset, eumque promoueri ad illam sedem percuperet, Maximum verò omninò repellendum scripsisset, nihilominus ipsum Maximum contra voluntatem, & commendationem Gregorij Episcopi Prouinciales ordinarant: Episcopos verò Dalmatiæ ordinatores sui Metropolitani ordinarios agnouit, & fassus est; Cuius tamen Maximi ordinatio tandem, vellet nollet Gregorius, obtinuit, vt ex pluribus ipsius Epistolis fit manifestum. Sed præterea irascitur, quia ex recentiori consuetudine, Metropolitani, aut à suo Patriarcha erant consecrandi, aut non sine ipsius assensu & Decreto; vt est à me expositum supra cap. 5. num. 40. Sed gratis & sine fundamento hæc dici à Spalatensi, ex Gregorij Epistolis satis colligitur; Et primùm quidem quod attinet ad Honoratum, cui fauisse Gregorium scribit, meliori iure nitebatur, nec enim Maximus quem riualem passus est, cótumaciæ solùm in sanctam sedem à Gregorio postulatur, verùm etiam quod Episcopatum numerata pecunia mercatus esset notatur, quodque vinculo excommunicationis innodatus tremenda Mysteria celebrasset: Quod verò addit agnouisse Gregorium *Episcopos Dalmatiæ ordinarios ordinatores sui Metropolitani*, verum quidem; sed quibus non licuisset inconsulto Pontifice, aut etiam Responsali, eum ordinasse; *Salonitanæ*, inquit, *ciuitatis Episcopus, me ac responsali meo nesciente ordinatus est; & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi: vt omninò Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret: nisi prius à serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent: quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorundam sæcularium hominum: quibus denudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur: nunc vsque Missas facere præsumit; atque ad me venire secundum iussionem dominorum noluit.* Et alio loco ad Dalmatiæ Episcopos. *Ex beati Petri Principis Apostolorum authoritate*, inquit, *præcipimus, vt nulli penitus extra consensum permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertineret, in Salonitana ciuitate manus præsumatis imponere; nec quemquam in ciuitate ipsa aliter quàm diximus ordinare. Quia si contra hæc quippiam, vel sponte vestra, vel à quolibet coacti præsumpseritis,*

...reg.ep.34 ...ind.13.

...l.ep.16. ...3.ind.12.

tentaueritis agere, decernimus vos à Dominici corporis & sanguinis partine priuatos; quatenus ex eadem vobis ipsa attrectatione vestra, vel voluntasgrediendæ præceptionis nostræ; cælestibus mysteriis alieni sitis: nec is quem ueritis, habeatur Episcopus. Audiat Dalmata, Episcoporum suæ Pro- authore Gregorio, citra consensum Pontificis ordinari, non de- Quod rursum obseruat obtinuisse Maximum, causa verò cecidisse Hon tantoperè à Gregorio commendatum, nos non lædit, siquidem obtilaximus annuente Gregorio, ac propterea conniuente, quod Mauriperator Maximino Patronus accessisset; Ego autem, inquit, præceptioni eorum (Imperatores intelligit) obediens: eidem Maximo qui me nesciencatus est, hoc quod in ordinatione sua me vel responsalem meum præterpræsumpsit, ita ex corde laxaui: ac si me auctore fuisset ordinatus. rò peruersa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pest electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, pro- um irrequisita præterire non possum: Sed opto & Dominum depreatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine perinæ meæ causa ipsius terminetur. Cæterùm, & qua esset in eum po- stendit; Hoc, inquit, breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem Canonicam nulcessabo. Neque verò inultum reliquisset Maximum, nisi Dalmaacti pœnituisset; Postquam fraternitas vestra, inquit, ad suum ordiit, nec ego meæ, nec decessoris mei iniuriæ memor sum. Quod venostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus atque custodita sunt, absit hoc à me, & statuta maiorum Consacerdos in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi iniuriam facio, si frarum iura perturbo. Sed cùm responsales vestri aduenerint, quæ in- & præfatum Honoratum Archidiaconem sunt iusta cognoscam, & ex xamine perpendetis, quia si pars vestra per iustitiam fulta est, nihil me perferetis, sicut nec antè pertulistis. Sin verò sæpè fato Honorato rono in assertione sua iustitia suffragatur, ex eius absolutione monstraersonas etiam quas noui, in iudicio non agnosco. Quod postremò o recentiori consuetudine pugnasse Gregorium, qua Metropoli- Patriarcha essent consecrandi, abundè ex duobus locis Gregour. Sic enim primùm ad Constantinam Augustam; Salonitanæ, itatis Episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eunricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinùs misi, vt omninò Misnnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis Doscerem, si hoc fieri ipsi iussissent; quod ei sub excommunicationis inmandaui. Si nusquam factum sub anterioribus principibus, ergò o pugnabat Gregorius, recentiori consuetudine non nitebatur. Deriam factam Honorato Archidiacono à Dalmatiæ Episcopis sic Postquam ad beatitudinem vestram, inquit, & decessoris mei, & à Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta vtriusa, præfatus Honoratus proprio gradu priuatus est. Quod si quili-

Greg. ep. 34 l. 4. ind. 13.

Ibid.

Id. ep. 37. l. 2. ind. 10.

Greg ep. 34 l. 4. ind. 13.

Greg. ep. 37 l. 2. ind. 10.

tæ factas. An non ſummum ius illud fuit? Videamus de Hormiſdâ. *Et poſtea,* inquit Spalatenſis, *tempore Hormiſdæ, morem videmus in Oriente, vt Metropolitani à ſuis Comprouincialibus plenè ordinati, ad Primatem ſuæ Regionis, relationem ſuæ promotionis mitterent; & ſic in ipſius admitterentur cõmunionem.* Certè priore epiſtola quam citat Spalatenſis, refert Hormiſdas Nicopolitanũ Epiſcopum à Theſſalonicenſi vexatum ad ſe confugiſſe, vt de remedio cogitaret.

ſt.17. *Obtulit,* inquit, *nobis Nicopolitanus Diaconus nobis epiſtolam Ioannis Epiſcopi ſui, & aliam Synodi ſubiacentis Eccleſiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab Epiſcopo Theſſalonicenſi excitatas aduerſum ſe tam principales, quàm iudiciarias poteſtates, cõcuſſionibus & diſpendiis ſe vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione ſua ad Epiſcopum, relationem ſecundum priſca exempla non miſerit. Pro qua cauſa ſperauerunt, vt de remedio cogitare deberemus, conſulentes etiam nos, vtrum daremus eis licentiam, relationem ad deſignatum Epiſcopum ſecundũ conſuetudinem, deſtinandi.* Ergo & in Archiepiſcopum Theſſalonicenſem ius ſibi ſumpſit, cuius etiam priuilegiis detractum voluerit, quod à communione Sedis Apoſtolicæ receſſiſſet, patet iſtud ex altera Hormiſdæ epiſtola; Siquidem ſic ad Legatos ſuos Ennodium & Peregrinum loquitur; *Primùm,* inquit, *vbi Theſſalonicam, Deo adiuuante, veneritis, epiſtolas noſtras, quas in hac cauſa miſimus, Epiſcopo Theſſalonicenſi tradite, illum ordinem in eius ſalutatione ſeruantes, quem ſcitis à nobis eſſe mandatum circa eos qui cum Sede Apoſtolica, hoc eſt Eccleſia Catholica non communicant. Traditis autem epiſtolis inſtanter agere debetis, vt ſe ab eius Eccleſiæ concuſſione ſuſpendat, rationem reddentes, quia non potuit reuerſus ad communionem, & ad corpus Eccleſiæ cum illis qui necdum reuerſi ſunt, quicquam habere coniunctum, nos non ſoluere à prædeceſſoribus noſtris conceſſa priuilegia, ſi ipſe Eccleſiaſtica inſtituta non deſerat.* Et altera quoque epiſtola, à Sede Petri Theſſalonicenſium Epiſcopum ſua habere priuilegia grauiſſimè oſtendit; *Quid aliud,* inquit, *quàm ſancti Petri (quod ſine impietate dici non poteſt) ipſum quod à Domino datum eſt nomen oderũt, qui eos qui ad Sedis ipſius altaria confugiunt inſequuntur? Quo pudore, rogo, priuilegia circa te illorum manere deſideras, quorum mandata non ſeruas? Et reuerentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi Eccleſiaſtica poteſtate deferri?*

.ep.de eſ. ep.18

ep. 22.

LAT. Perſequitur Spalatenſis, *Ad eundem Hormiſdam,* inquit, *ſcribunt Epiſcopi Patriarchatus Conſtantinopolitani, de electione, & promotione Epiphanij; Igitur Eccleſiaſticam legẽ implentes,* inquiunt, *Apoſtolatui veſtro ſalutationis debitũ perſoluentes officium, ſperamus, vt amplius charitatis vinculum, & paternum affectum circa nos charitas veſtra cuſtodire dignetur.* Nullam petunt confirmationem, nulli pro Annatis & Bullis proferunt pecuniam, nullam offerunt ſubiectionem; *ſed communionis gratia, literas ſalutatorias & legationem ad eum mittunt.* Ab ipſo tamen quoque Epiphanio & literas & legationem, de more Eccleſiaſtico, ſibi deberi Hormiſdas ſcribit ad eundem; *non quidem vt peteret Canonicam confirmationem, ſed vt concordia inter ipſos ſic firmaretur.* Atqui ſi legem illam Eccleſiaſticam non impleſſent, & literas ad Hormiſdam non dediſſent, Epiphanius pro legitimo Patriarcha ab Eccleſia habitus non fuiſſet. Sanè primùm impoſitum Conſtantinopolitanis Epiſcopis, vt Acacij à Fœlice abdicati memoriam damnarent, nomenque ex ſacris diptychis tollerent, apparet ex Ioanne Euphemij deceſſoris ad Hormiſdam relatione. *Anathematizamus omnes hæreſes, præcipuè Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus damnatus, in Concilio Epheſino à*

d.nu.45. l. Syno. t. ep. rm.64.

Exemp.lib. Ioa.Conſt. poſt ep.40. Hormiſdæ.

beato Cælestino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis, & vnà cum illo Anathematizamus Eutychem & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, damnatos in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur, & amplectimur, quæ sequens sanctam Synodum Nicænam Apostolicam fidem prædicauit, his coniungentes Timotheum parricidam, Ellurum cognominatum, Anathematizamus, & huius discipulum & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter Acaciũ quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum complicem eorum & sequacem factum, necnon & perseuerantes eorum communioni & participationi: quorum enim quis eorum communionem amplectitur, eorum & similem ad iudicationem in condemnatione consequitur, simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, Anathematizamus cum sequacibus suis & in omnibus suis.

Igitur abdicandi Acacij penes Pon ificem potestatem fuisse agnouit. Sed nec istud prætereundum, iam Hormisdæ temporibus eam opinionem Græcorum animis insedisse, Constantinopolim cum Roma vnam sedem, vnam Ecclesiam, vnum tribunal efficere, ac inde superbiendi occasionem accepisse, quamquam filiam dicebant Constantinopolim, Romam verò matrem agnoscebant; à qua potentiæ radios mutuarentur; Audi Ioannem relatione ad Hormisdam: *Sanctissimas, inquit, Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ & nouellæ istius Romæ, vnam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio.* Sed & Acacius ipse antequam pietatem cum pudore exuisset, Vicarius Pontificis audiebat, eiusque in Oriente vices implebat. Verũ hæc alterius sunt instituti. Satis sit epistolas communicatorias à Patriarchis ad Pontificem missas, ad robur quoque ordinationum spectasse; Nam quod de bullis & Annatis garrit aduersarius, minimè ad rem facit, cùm ex diplomatum forma, rei essentia non varietur. *At*, inquit Spalatensis, *Epiphanij quoque literæ communicatoriæ nihil aliud continent, nisi vinculum concordiæ & fidei professionem; Et quas Hormisda reddidit, tum Synodo, tum ipsi Epiphanio, ne verbum quidem vnum continent de confirmatione; sed plenissimè explicant totum hoc huiusmodi literarum negotium, solum pacis, & vnionis vinculum astringere. Sic etiam Symmachus, à Liberio patricio certior factus de Aquilegiensis Episcopi promotione; Iungo & ego, inquit, amplissimis Patribus vestris, pro modulo exiguitatis propriæ vobis, cælo obsequente consensum. Modulus exiguitatis, non significat plenum ius confirmandi electos, sed est cum aliis Episcopis promotoribus concursus, pro sua virili. In Primatum igitur ordinationibus, vides interdum Patriarchas suas partes, simul cum aliis ordinatoribus, habuisse, vt suprà explicatum est cap. 5. nu. 40.* Atqui non debuit modestia Pontificis in argumentum imminuti Magistratus trahi; Illustrissimum virum Liberium Patricium, qui ea authoritate esset, à qua vis quoque timeretur; demereri studet, ac ei quod iura Ecclesiæ Romanæ sarta tectaque esse voluerit, & ab omni tyrannico conatu abstinuerit gratiam habet; *Agitis*, inquit, *bono conscientiæ, quod vestro vix negaretur impetu.* Ac demùm modestissimis verbis se assensorem præbet, nec interim tacet à se vigorem pendere electionis à Rauennatibus factæ peregrinæ personæ (nec enim electum nouerat) *comitem se*, inquit, *tamen cælestis gratia desideriis iungat, & dum cupitis datur effectus* (audisne) *aut veniat bonum Pontificatus, sunt* hæc credo ab Ennodij calamo, *aut faciat*; Modulus igitur exiguitatis modestiam spirat, sed authoritatem non infringit, ac apparet ex aliis Symmachi epistolis, quam se egregiè Ecclesiæ Pontificem & caput ostenderit, & vt ab insti-

Ex lib. Ioan. E. Const. ep. 40 Horm.

Ibid. ep. 6. Horm. 72. Id. e.

To. Cõ. ep.

Sy. ep.

Ibid.

tuto non recedamus, ex Epistolis ad Arelatenses & Viennenses Metropolitas constat summam sibi in eorum Ecclesias vendicasse potestatem. Pergamus.

Totus progressus ordinationis, inquit, *secundum priscum Ecclesiasticum morem, Hincmari Archiepiscopi Rhemensis diligenter describitur in Concilio Suessionensi, apud sanctum Medardum, his verbis; Volumus vt ordinatores fratris nostri Hincmari doceant, qualiter idem frater noster Hincmarus Canonicè fuerit ordinatus. Tunc surgens Rotadus Episcopus Suessionensis ciuitatis, porrexit Canonicam authoritatem, qualiter Metropolitanus Episcopus debeat ordinari, & si de eadem Ecclesia non sumitur, qualiter, petente eiusdem Ecclesiæ Clero, vel populo, à vicina debeat Ecclesia postulari; porrigens etiam Canonicas literas Erchenradij Episcopi Parisiensium Ecclesiæ, confirmatas suis, suique Archiepiscopi, & Coëpiscoporum suorum manibus, quas ad petitionem Rhemensis Ecclesiæ Cleri & plebi idem Hincmaro tribuerat, porrigens nihilominus decretum Canonicum Cleri & plebis manibus roboratum, qualiter iam dictum Hincmarum sibi postularunt Episcopum ordinari. Et his omnibus relictis, docuit quia Canonicè, cum præsentia & consensu omnium Episcoporum Rhemensis Diæceseos, eundem Hincmarum ordinauit Archiepiscopum. Post hac surgens idem Hincmarus in conspectu gloriosi Principis, & Synodi porrexit & literas Canonicas, quas Canones sacri ordinatum à suis ordinatoribus accipere iubent, diem proferentes, & Consulem.* Nescio verò cur hanc Hincmari electioné aduersum Pontificiã authoritaté vrgeat aduersarius: Fuit in ea fateor antiquus mos seruatus, sed quis nó videat Pótificis summã habitã rationé? *Porrexit*, addũt acta Concilij, Hincmarus, *epistolã totius Galliæ Episcoporũ manibus subscriptã, ad Apostolicam sedem, pro confirmatione ipsius ordinationis; quoniam sedes Apostolica per Sergium Papam sæpè dictum* Ebbonem (fuerat is de sede deiectus, quod incentor turbarum aduersum Ludouicum primum excitatarum extitisset) *damnauit* Epi*scopum, adeò vt inter Laicos communionem tantùm habere mereretur, vt diximus. Ostendit etiam ipsi Christianissimo Principi, corã sancta Synodo, diploma sacrum ipsius venerandi* Principis *manibus insignitũ, ex approbatione suæ ordinationis ad eandem sanctam & Apostolicam, omnium scilicet* Ecclesiarũ *matrem, Romanam* Ecclesiam. *Et sic quarta actione euidentissimis documentis ostensum, & Synodali iudicio decretum est, Hincmarum Archiepiscopũ Canonicè à vicina Diæcesi ad ipsum* Canonicè *electum & Canonicè ordinatum, & Canonicè pallio Apostolicæ sedis, rata ordinatione perfectum, & in culmine Primatus, Metropolitana authoritate vsquequaque, & ab omnibus confirmata.* Igitur Hincmarus causæ præsidium in Pontificis confirmatione posuit, quæ quamquam eiusdem Hincmari in locũ Ebbonis suffecti, electionem & ordinationem in Synodo Bellouacensi factam est sequuta, tamen nutantem eam firmauit, vt etiam aduersus Ebbonis querelas hac vna se tutarit ac defenderit, vt pluribus ostendit, ac persequitur Flodoardus Canonicus Rheméſis illius æui, nó indiligens scriptor. *Guntbolaus*, erat is Rhothomagensis Episcopus, cui causa Hincmari commissa erat, *& cæteri Episcopi*, inquit Flodoardus, *qui apud Parisios tunc conuenerant, VVenilo scilicet Ecclesiæ Senonicæ Metropolitanus cum Diæcesanis suis, Lantrannus Turonensis cum suffraganeis suis, & specialiter Hincmarus cum omnibus Rhemensis Diæceseos Coëpiscopis, literas suas ad eum* (scilicet Ebbonem) *miserunt, ei Diæcesim Rhemensem interdicentes, vt non haberet dein licentiam ex ea quempiã sollicitare, nec scripto, nec*

…lat. …n.46.

…c. Me… Act.3.

…c. Suess. …ad Med.

…lat. …d. n.46.

Ex Flod. l.3.c.2.

nec verbo, nec misso aliquo; donec secundum iussionem, Sergij Papæ ipsis occurreret, & iuxta canonica & Apostolica statuta diffinitionis sententiam ab ipsis coram generali conuentu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad Sedem Apostolicam, vocem postea reclamationis, vel repetitionis de sede Rhemensi, aut de ordine suo emisit. Qui etiam postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit, rata est, & cum largitione pallij comprobata, per quinque circiter annorum curricula superuixisse fertur in corpore, vsque ad annum videlicet, incarnationis Dominicæ octingentesimum quinquagesimum primum. Non solùm ergò pallium misit Pontifex, sed & eius concessione ordinationem Hincmari planè firmauit, adeò vt ne mutire quidem postea Ebbo ausus fuerit. Sed neque plus sibi in ea re tribuisse Pontificem, quàm sibi tribuissent superioris æui Pontifices, argumento est locus Gregorij à Spalatensi adductus. Sic & Gregorius, inquit, ordinationem cuiusdam Metropolitani se confirmare asserit, pallij concessione. Proinde iuxta postulationis vestræ desiderium ait, prædictum fratrem & Coëpiscopum nostrũ, in eo in quo est Sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus authoritate firmamus; ratamque nos eius consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus. Et ad eumdem nuper promotum; Nos quoque, inquit, in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus. Atqui quòd locũ obscurare nõ potuerit aduersarius, Glossæ tenebras offundere tentat. Ex quo, inquit, deducit glossa, omnes Metropolitanos à Papa confirmari, additis cap. Quanto. distinc. 63. & ca. Salonitanæ. Et dist. 100. C. Quoniam. Quia tamen id perpetuò verum non esse animaduertebat, seipsam correxit & limitauit, dicens: Quod verum est cùm non habent Primatem, sed Papæ nullo medio subsunt: Additque statim; nisi velis dicere, quod eo ipso quod quis recipit pallium à Papa, intelligitur confirmari ab ipso. Imo & plerique Archiepiscopi non confirmantur, nec consecrantur, nisi à suis subditis, nec petitur confirmatio à Papa, sed tantùm pallium. Hæc glossa: quæ apertè distinguit confirmationem à pallij concessione. Quo sensu inuenies Cantuariensem Primatem Angliæ, confirmationem Romanam petijsse & expectasse. Sic etiam Galliæ Primatem Lugdunensem.

Spalat. Num. 47. Greg. l. 4. ind. 13. ep. 9.

Ibid. ep. 15. ponitur distin. 63. c. quia igitur.

Saresb. ep. 300. 301. Bern. epist. 171. 172.

Respondeò; benè omnino glossam censere confirmationem, quam vocant immediatam, & proximam Metropolitarũ olim à Primate fieri solitam, hoc est à summo Metropolitâ, in cuius ditione esset ille inferior: sed à quocumque fuerit, accedebat quoque postremo Pontificis assensus, quem ipsa pallij concessio significabat. Et quidem hunc Pontificis assensum, Bernardus, pro suo more non ineleganter Honoris & officij plenitudinem vocat. Peto Domine, inquit, Innocentium, in Falconis Lugdunensis gratiam, vt qui à suis concorditer est vtiliter promotus, ritè consecratus, à vobis honoris sui, officijque plenitudinem assequatur. Sed aliò nos vocat aduersarius. Leo IX. inquit, ijsdem ab alijs ... his insistens vestigijs, Petri Antiocheni Patriarchæ promotionem laudat, & ... Mea, inquit, humilitas in culmine Apostolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque improbet; tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionẽ libens approbat, collaudat, & confirmat, &c. Ecce tibi synonyma approbare, collaudare, confirmare, iam factam & absolutam promotionem, atque approbatio, collaudatio, confirmatio, facta est admissione professionis fidei, quam ... more, nouus transmiserat Antiochenus. Sane, inquit, fidem tuam, quam ... pro summa & Apostolica sedi exposuisti, sanam & Catholicam atque ... mper omnia protestamur: Et sicut verè vnicam & salutarem amplectitur.

Ep. 171. Bernard. Epist. 172.

Spalat. Num. 48 Leo 9. ep. 5.

Statimque in eadem epistola, & ipse vice versa suam professionem (vt olim fieri solitum pluribus lib. 7. explicabo) ad eundem scribit Antiochenum, vt nimirum ipse quoque haberet, vnde meritò cum Romano deberet communicare. Pudet in his quisquiliis immorari; *Ecce tibi, inquit, Synonyma approbare, collaudare, & confirmare.* Imò gradatio quædam est quâ intenditur oratio; quanquàm nec nos fugit collaudationem bonis authoribus etiam approbationem dictam: sed eò spectat Pontificis oratio, vt præter collaudationem, etiam Antiocheni Antistitis renuntiationem ac ordinationem suâ authoritate firmet; Annon enim de ea re acturus sic præfatur? *Ab Apostolica,* inquit, *tua sede nostram Apostolicã sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem, nolle deuiare à Dominico, & omniũ SS. Patrũ concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.*

apud Liu. de bello ...nico.

Leo Papa ep. 6.

Neutiquam igitur parem habuit Antiochenũ, sed cùm ad eum fidei confessionem misit, vtique ei præscripsit, eique confessioni standum, vt Orthodoxus & legitimus Patriarcha haberetur, significauit. Sed Spalatensis, rixari pergit, ac omninò contendit Pontificem eadem qua reliquos Patriarchas confirmatione opus habuisse, & probat mehercle festiuè testimonio Cypriani, *Profectò,* inquit, *hoc eodem sensu etiam Romanus Pont. indiget confirmatione. Audi Cyprianum de Cornelio dicentem: Hunc Dei iudicio factum Episcopum & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus, inquit, per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Item: Factus est Episcopus cùm locus Petri vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato, &c. Item ad ipsum Cornelium: Placuit, inquit, vt per* Episcopos, *retenta à nobis rei veritate, ad comprobandam ordinationem tuam, facta authoritate maiore, tum demùm scrupulo omni de singulorũ pectoribus excusso, per omnes omninò in* Prouincia *ista positos, literæ fierent, sicut fiunt, vt te vniuersi* Collegæ *nostri, & communicationem tuam, id est* Ecclesiæ *Catholicæ vnitatem, pariter & charitatem, probarent firmiter ac tenerent. Quod diuinitùs euenisse, & Consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter & dignitas, apertissima luce, & manifestissima & firmissima est confirmatione fundata. Cyprianus ergò cum suis collegis Africanis firmauit, ac comprobauit suum* Cornelio *Episcopatum, data ei confirmatione, quatenus videlicet ipsius promotionem, vt legitimam agnouerunt & approbarunt, eumque pro vero Episcopo Romano, admiserunt & tenuerunt; Et sic sunt ei Ecclesiastica communione copulati.* Atqui non videt Spalatensis præter ordinem, ac ex priuato Consilio Cyprianum ad Africæ Episcopos scripsisse, vt communicationem Cornelij; id est, inquit ille, *Catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem probarent, firmarent, ac tenerent: Quod* (addit Cyprianus) *diuinitus euenisse, & Consilium nostrum prouidenter processisse gaudemus.* Sed causa non vulgaris fuit Cypriano eius Consilij suscipiendi; Nimirum Nouatianus diri schismatis author Cathedram Romanam sibi asserere tentabat, habebátque suæ sententiæ fauentes nimiùm multos, quibus fraus aperienda fuit, vt resilirent, schisma vt eiurarent, ac ad Catholicos se adiungerent. Quare Cyprianus cùm in errore Nouatianorum versare Antonianum videret, omnis generis argumento colligit, quibus legitimam Cornelij electionem ostendat, adeóque consensum totius orbis Episcoporum in eam conspirantium profert. Verba eius

Ibid. n. 48. Cypr. l. 4. ep. 2.

Ibid.

Ibid. ep. 8.

Cyp. l. 4. ep. 2. & 8.

ba eius

ba eius sic habebit. *Venio iam nunc, frater Charissime,* inquit, *ad personam Cornelij Collegæ nostri, vt Cornelium nobiscum verius noueris, non de malignorum, & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei iudicio, qui Episcopum fecit, & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Nam quod Cornelium charissimum nostrum Deo & Christo, & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iste ad Episcopatum subitò peruenit, per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri quos arrogantia & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit: sed quietus, & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Episcopus fieret: Sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet, &c.* Cypr. l. 4. ep. 2. quæ est 52.

Pergamus. *Quandam præterea confirmationis speciem sæpius reperies,* inquit Spalatensis, *vbi Rom. Pont. deuolutis ad se electionum & ordinationum Episcopalium iudiciis tanquam ad proprium Patriarcham, decisione data causa, illum Episcopum dicitur confirmare, cui causam euictam dedit. Ita Stephanus tertius Rauennatem confirmauit, dum inter duos electos & ordinatos schismate compresso, sedem alteri adiudicauit. Ita Ioannes VIII. Photium dici potest confirmasse, quando ipsius ordinationem, tandem post plures annos tanquam legitimam iudicauit, & admisit.* Spalat. Num. 49. Platin. in Steph. 3. Ioan. 8. ep. 109.

Hæc etiam vel ipsi Heraclito risum mouerint. Spalatensis igitur iudicio ad Pontificem quà Patriarcha est spectat supremum de ordinationibus Episcopalibus, iudicium, id enim omninò sibi vult, & tamen quâ caput est Patriarcharum, totius Ecclesiæ moderator est, siue eius quæ ad Orientem, siue eius quæ ad Occidentem porrigitur; cùm tamen ius Patriarchicum ad aliorum Patriarcharum Ecclesias sese non fundat.

Sed grauius est quod sequitur. *Confirmationis etiam nomine,* inquit, *solent in-lum nostrorum summorum Pontificum facta insigniri, vbi indigni Episcopatu, ad que inhabiles, vt euehantur, Papali qualicunque fulciuntur concessione. Galli-potissimùm hoc morbo diu laborauit Ecclesia; & vtinam hodieque non labora-it Papalibus extortis dispensationibus, ex multis capitibus irregulares, ad sacer-promoueantur. Sic enim aliquando inter huius Papalis confirmationis effectus, numeratus fuit, vt puer quinquennis, ferè infans, ad Rhemensem magnam Ca-m malè electus, & à Papa confirmatus, Rhemensis fuerit Archiepiscopus, re-nànutricum vberibus ablactatus. Ita quotidie postulationes, vbi nimirũ pro-us impedimento aliquo tenetur, ne possit Canonicè promoueri, ad Romanam qua scilicet omnia potest, deferuntur. Ego verò iam suprà monui, si impe-n tale sit, quod possit ex legitima causa tolli, aut contemni, ordinarios rum ordinatores posse, per se solos, illud aut tollere, aut contemnere; palem ad hoc esse necessariam dispensationem. Si verò causa non adsit, edimentum sit legitimè amouibile, ne Papam quidem posse in eo dispen-e itaque Episcoporum confirmationes à Metropolitanis fiunt in Pro-r ab Episcopis Comprouincialibus, & dum noster Dominus Papa -abit, turbat Ecclesiam, Ecclesiasticamque Hierarchiam, & vsur-ure non debetur.* Penes Pontificem esse potestatem sancienda- u Spalat. Num. 50. Flodoard. apud Bar. tom. 10. an. 925. n. 8 9. 10.

'ars.

 rum ordinationum, ac etiam tollendorum impedimentorum, quibus qui essent obstricti iure Canonico à sacris ordinibus suscipiendis arcentur, ab ipsis suis incunabulis nostra semper est professa Ecclesia Gallicana, quippe cum semper pro capite venerata Quod si aliquando est in ea re à Pontificibus peccatum, humanus lapsus fuit; Et quod attinet ad puerulum Heriberti Comitis filium quinquennem, planè infœlicibus auspiciis renuntiatum Archiepiscopum Rhemensem, ac à Pontifice confirmatum, demandata tamen cura pastorali Abboni Suessionensi Antistiti, Baronius ipse grauissimè in Ioannem decimum huius sceleris authorem inuehitur. *Illud planè tunc primùm contigit videri monstrum*, inquit Baronius, *nunquam hactenus visum vel auditum, imò nec puto mente conceptum. Cùm scilicet filium Heriberti Hugo puer nondum quinquennis, nondum alicuius inferioru ordinis capax, vixque loqui sciens curante Patre ab Abbone Episcopo Suessionense, & Bonone Cathalaunico, Clero populoque Rhemensi eiusdem ciuitatu est electus Archiepiscopus*; Notandum autem, persequitur Baronius, *qualis authoritate Pontificis* ingens istud malum primùm fuerit introductum in Ecclesia Dei, in qua postea est valdè propagatum, hodiéque adhuc viget, videlicet Ioannis decimi, quo turpior nullus, cuius sicut ingressus in Cathedram Petri infamissimus fuit, ita exitus nefandissimus extitit. Itaque improbissimi Pontificis potestate sua abutentis, hæc culpa fuit; Sed hæc sanctissimam potestatem non euertunt: *In illum autem*, inquit Augustinus, *ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora surrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de propositis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim, & non faciunt, vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Quod verò Pontifici pares Episcopos facit Spalatensis in *tollendis Canonicis*, vt vocant, *impedimentis*, error est ex errore satus; Namque quod eum pro capite Episcoporum non habeat, ad reliquorum eum subsellia deiicit, ac amandat; Sed totis istis libris impium dogma refellimus, ac profligamus. Videamus sequentia.

[...]d. lib. 4. [...] Rhem. [...] & 18. [...]d Bar. [...] 10. an.

[...]ug. to. 2. [...] 165. ad [...]eras cu-[...]sdam Do-[...]atistæ.

SPALAT. Num. 51. *Sed & Confirmationem Papalem*, inquit, *interdum vocari cerno, vbi Papa ab Episcopis Prouinciarum consultus, an ipsorum facta, circa electiones etiam, & ordinationes ipsorum Episcoporum sint legitima, & Canonica, doctrinaliter respondet, illa vt legitima approbando. Ita Tarraconensis Prouinciæ Episcopi ad Papam Hilarum scribunt; Illud specialius, inquiunt, deprecantes, vt factum nostrum quod tam voto penè omnis Prouinciæ, quàm exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris roborare dignemini. Factum verò est, vt ipsi narrant statim, quod in Episcopum Barcinonensem ordinarant, seu potius confirmarant, eum quem præcessor ante obitum, de consensu Coëpiscoporum Prouinciæ, suum coadiutorem consecrarat, & successorem designarat. Ergo, inquiunt, suppliciter precamur Apostolatum vestrum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iustè à nobis videtur factum, vestra authoritate firmetis. Vt videlicet factum hoc declaret esse legitimum, & nullitati non subiacere. Nam & subdunt: Iamdudum sanè questi fueramus literis nostris de præsumptione Syluani Episcopi, & miramur quod nulla Apostolatus vestri responsa suscepimus: Nunc*

Ante Epist. Hilari to. 1.

hac

hac eadem suggerentes petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit Apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Concilium itaque petunt, & instructionem non decretum iudiciale. Et hoc confugium ad Romanum consilium, voto totius Prouinciæ, & exemplo vetustatus fieri suprà dicebant; & in Epistola quam dicunt se de Syluano scripsisse, se Romam ad instructionem confugere dicunt; Propter doctrinam quæ in ea Ecclesia puta vigebat, & peritiam Ecclesiastica disciplinæ; de qua agam suo loco. Hæc Spalatensis. Somnia sunt; Consuluisse enim Pontificem tanquam rerum Ecclesiasticarum arbitrum ac iudicem supremum, verba prioris Epistolæ quam ad Pontificem dederat indicant. Etsi, inquit, nulla dictaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum reuera nobis fuerat illud priuilegium sedis vestræ, quo susceptis Regni clauibus post Resurrectionem Saluatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Ibid. Tarracon ep. ad Hil. Papã inter ep. Hilar. Tom. 2. Cõc. p.193.

Si ea mens fuisset Spalatensi, conuitiorum illa plaustra, quæ sequuntur in Pontificem, non exonerasset. Consecrationes quoque, inquit, siue ordinationes Episcoporum ad Metropolitanos propriè spectantes non parum, neque minori cum iniuria & Canonum conculcatione, ab eodem Domino nostro Papa per summã vsurpationem perturbantur. In his enim vel maximè Nicænos violat Canones, qui suos cuique Patriarchæ fines, suosque terminos assignarunt, extra quos ordinationes potissimum Episcoporum facere eis non liceat; ne in alienam messem falcem immittant. Habet sanè Romanus Pontifex suam propriam Prouinciam, & certos Episcopatus, qui ad eius spectant ordinationem. Ad alios extendi non potest, quod plenè libro quarto proximè sequenti confirmabo. Cùm itaque Romana Ecclesia certos habeat proprios Episcopos suæ consecrationis, & inuiolabili Ecclesiastica lege cautum sit, quisque se suis finibus contineat, nec alienam vsurpet iurisdictionem, planum proinde est, Papam contra ius & contra fas agere, quoties velit ipse ex potestate & arbitrio alienum Episcopum ordinare. Inde enim vel maximè pax Ecclesiarum turbatur, & tyrannis inuehitur intolerabilis. Respondeo totam hanc criminationem esse futilitatis plenam, nitique flaccido illo fundamento, nempè Pontificiam potestatem intra certos terminos coëgisse Nicænos Patres, quod absurdum esse centies ostendimus, ostendemusque quarto libro vberius. Certè Spalatensis causæ suæ diffisus, quippe quàm historiæ Ecclesiasticæ fidelissima monumenta euertant, occurrendum sibi putauit his quæ in contrarium proferuntur. Non nego equidem, inquit, ob magnam reuerentiam & exactam, quæ viguit in Romana Ecclesia Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam, perque iustitiam, exteros siue Episcopos Comprouinciales, siue Metropolitani aliter interdum consensisse, vt ipsorum Episcopi, siue Metropolitani ab ea ordinarentur; & si qua difficultas circa aliquem consecrandum occurreret, totam quæstionem in eundem eos reiicere solitos fuisse. Nonnunquam etiam si Metropolitanus proprius iniustè negaret consecrationem, ne Synodus Prouincialis esset cum incommodo cogenda, aut ex alia necessitate ad Patriarcham fuisse recursum. Sic profectò Agapetus rogatus ab Episcopis Metropolis Con- SPALAT. Num. 52. Eod. n. 52. Lib. in Bre. c. 22.

ars.

stantinopolitanæ, Mennam illius ciuitatis Patriarcham, ritè electum & confirmatum consecrauit. Nam & fatetur Agapetus à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus suæ sedis Romanæ ordinatum. Ordinarij ergò ordinatores, habita ratione summæ Dignitatis ibidem casu præsentis, Papæ Romani, ei consecrationem solam detulerunt. Electio enim facta est à Clero de more & populo, & maximè ab Imperatore. Vana igitur est Baronij amplificatio, dum inter Agapeti facta conglobata ponit. Successorem Anthimi deligere & ordinare. Hæc quoque futilitatis sunt plena. Primùm enim eam reuerentiam Romano Pontifici conciliauit Petri meritum, cuius successorem tanquam sui ordinis principem semper Metropolitæ omnes & Episcopi Orthodoxi sunt venerati. Demùm quod ad Mennæ ordinationem ab Agapeto factam excipit, solam consecrationem honoris ergo, ab ordinariis ordinatoribus Agapeto delatam, merum est eius somnium. Agapetus vir honorabilis, inquiunt Patres Constantinopolitani, sciens per libellos plurimorum nostrorum quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuere, ea ipso visu semel accipiendo, neque visum suscipere voluit Antimum, furentem aduersus Canones, sed nunc iustè eiecit de Sacerdotali sede Ciuitatis suæ, & coopitulante & coadunato Catholicæ fidei diuinis Canonibus vestro Imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam & fidei, & vita pudica, ac honestæ conuersationis, & infirmantium sibi in iniungenda rectæ dispensatione approbatissimum.

Rem totam narrat Liberatus in Breuiario, Petentibus principibus, inquit, vt Anthimum Papa in salutatione & communicatione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominum in illa sede permanere. Augusta verò clam promittente munera multa, & rursus Papa minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se sede pulsum, pallium quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis fauore, Menam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ. Fuit iste Menas præpositus Xenodochij maioris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Calchedonensem Synodum. Marcellinus Comes in Chronico. Agapitus, inquit, Constantinopolim de Roma adueniens Anthemium mox Ecclesia pellit, dicens eum iuxta Ecclesiasticam regulam adulterum, qui sua Ecclesia dimissa ambierat alienam. In cuius locum Menam Presbyterum Episcopum ordinauit. Agapitus, inquit Victor Tunensis Episcopus, Archiepiscopus Romanus Constantinopolim venit, & Anthemium Episcopum Constantinopolitanum Ecclesiæ peruersorem, Calchedonensis Synodi inimicum deponit, Theodoram Augustam eius patronam communione priuat, & Menam protinus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum facit. Ne verbum quidem vnum de delato Romano Pontifici ab Episcopis hoc honore. Et quod addit ex Agapeti epistola, à temporibus Petri Apostoli nullum alium vnquam Orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum, manibus suæ sedis ordinatum, ad consecrationem omninò referri debet; non ad electi confirmationem; Vt enim Imperatoris fauore, & Cleri ac populi suffragiis sit ad hoc fastigium euectus Menas, tamen ius summum sanciendæ electionis penes Pontificem fuisse, vel ex eo apparet, quod Anthimum abdicarit, & quærendũ ei successorem quem ipse

[Margin notes: Agap. ep.5. — ...o. & apud Bar.to.7. an.536. nu. ... Ibid.nu.32. — Concil. Const. sub Menna. Act.1. ἐπιχειρήματα δὲ τῆς ἐκκλησίας. ...c. μαρτυρή- ...ον Μηνᾶν ἁγιώτατον. — Liberat. in Breu.c.21. — Marcellin. Comes in Chronico indict.14. — Victor Tunen. apud Euseb. Scalig. in Chronico.]

ise probaret, dixerit; Meritò ergò Baronius inter Agapeti facta, hoc quoque annumerat, quod Anthimo successorem dederit Menam, qui etiam acceptam in gratiam habuit Agapeto; vt nihil ab Episcopis Pontifici delatum appareat, uod eius dignitati non deberetur.

Expendamus alia exempla. *Sic, inquit, Gregorius VII. ex Africa ad se mit-ndum curat Episcopum, vt ab eo consecretur; quia videlicet in tota Africa tunc erant nisi duo Episcopi: & ad consecrationem Episcoporum tres requiruntur. Sic phanus Gualberto Patriarchæ intimat, si diutius protelauerit Cumensis Ecclesiæ scopi consecrationem, proculdubio si ad eum venerit, consecratum abiturum. Sed d asserit se posse de qualibet Ecclesia Clericum ordinare, sibi ipsi nimium, & con-quam Canones præscribunt, blanditur. Sic Vrbanus secundus, Artaldum Arela-m, quem Narbonensis; & Iuonem Carnotensem, quem Senonensis Metropo-i consecrare recusabant, ipse consecrauit.* Quod attinet ad Gregorium VII. si m suæ potestatis rationem habuit, quorsum Africanum Episcopum conse-lum ad se accersiuit? Esto enim in Africa non plus quàm duo reperirentur opi, cùm tres omninò adhibere oporteat in consecrando Episcopo; An otuit ea molestia liberari ille Africanus, & ad viciniores Episcopos qui onsecrarent remitti? Quod spectat verò ad Stephanum proculdubio eo ad rcham Gualbertum rescripto satis innuit summam ordinationum pote-penes se esse, quippe qui Patriarchæ in Cumensis ordinatione legem po-verò Spalatensis Stephanum hoc nomine insectatur, quod asserat *se pos-icum de qualibet Ecclesia ordinare*. Sed non est harum rerum penes de-m iudicium, & id iuris Primati Carthaginensi in Africa fuisse, Africana ia nos docent. Vrbanus verò secundus Artaldum Arelatensem, & Iuo-arnotensem, quanquam reclamantibus Narbonensi & Senonensi Me-is ipsos consecrans summam Pontificis in his rebus potestatem osten-

Eod. nu. 52. Greg. 7. l. 3. ep. 19. 20. 9. q. 3. Hũc verò. 8. q. 3. c. Artaldus. Iuo ep. 2. 8. 12.

xcipit Spalatensis, *In his ego conniuentiam potius, inquit, aut tolerantiam quàm ius aut authoritatem, mihi videor posse obseruare. Horum enim es inuenio in hoc fuisse religiosiores: nam Stephanus sextus, vt pluribus nar-ardus, ne ordinariam Lugdunensis Primatus turbaret iurisdictionem, in opis consecrandis, Lingonensem à Clero & populo ritè electum, & Ro-onsecratione missum, recusante nimirum Lugdunensi, qui alium obtrude-onsecrare bis renuit, eumque repulit, ad Lugdunensem scribens, ac rescri-se suo munere in huius consecratione fungeretur; siquidem ipse vellet vniuscclesiæ priuilegium inconcussum seruari: Tertiò demum, vix magna Lug-rtinacia coactus, illum consecrauit. Et Gregorius septimus Robertum suffectio-m ab Episcopatu deposuit, non tamen propterea sibi alterius suffectio-auit; sed in ordinarios tum electores, tum consecratores, illum prout de . Senonensi enim Archiepiscopo & suffraganeis ita scribit: Ecclesiam il-icam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus: Ad-r vos, vt eidem electioni, eam quam oportet, aut per vos, aut per idõ-vestros diligentiam adhibentes, quem electum Canonicè cognoueritis, ponere, & in Episcopum consecrare, nulla occasione recusetis.* Atqui ni-ueret, in oculos incurreret, ac eos perstringeret fulgor summæ po-es in sanciendis ordinationibus Episcoporum collucere visus. Certè rs.

SPALAT. Num. 53. Apud Bar. tom. 10. an. 885. nu. 23.

Greg. 7. l. 4. ep. 15.

& hoc ipso facto Stephani sexti, quod vrget Spalatensis illa Pontificum potestas maximè illustratur; Nec enim propterea à consecrando Lingonensi abstinuit, quod eius rei potestatem penes se non esse existimaret, sed quod primùm conuenicndum Primatem duceret, quem vt duriorem in concedenda confirmatione deprehendit, authoritatem suam exeruit, Lingonensemque consecrauit. Et quod ad Gregorium VII. attinet, vt abdicato Roberto Carnotensi alium in eius locum non suffecerit, tamen ipsa Roberti abdicatio summam abdicantis authoritatem prodit; Ac præterea leges ponit Metropolitæ Richerio, ac Collegis Episcopis, vt scilicet quem Canonicè electum cognouissent, ei manus imponere & in Episcopum consecrare nulla occasione recusarent. Addit verò quod Spalatensi dissimulandum non fuit, *scientes quoniam si illud timore aut gratia cuiusquam prætermiseritis, nos tamen inordinatum eum* (Canonicè electum) *nullatenus relinquimus, & vos eo honore ac dignitate quam ignobiliter desinere non erubescitis, deinceps indignos fore iudicabimus.* Hæc credo summam potestatem in ordinationibus sanciendis ac firmandis præ se ferunt. Expendamus reliqua.

Reg. 7. li. ep. 15.

Non puto, inquit, *adeò rudem fuisse Clementem secundum, vt putarit se posse in iis quæ iuris sunt Pontificij, successorum suorum manus ligare; siquidem par in parem non habet authoritatem; Et nihilominus vbi Salernitanæ Ecclesiæ proprios assignauit suffraganeos; Non habeant, inquit, potestatem successores nostri, in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis authoritate Apostolica concessimus, deinceps Episcopos consecrare; quemadmodum vobis* (*alloquitur Episcopum Salernitanum*) *concessum est. Sciebat enim Metropolitanorum iura esse inconcussa, & neque Romanum Pontificem contra illa quicquam posse. Si quid igitur Romanos Pontifices postremis duobus, tribusve ante nostra tempora sæculis, in hoc genere fecisse, & alienos Episcopos extra casus iam explicatos, ordinare voluisse legeris, scias id totum meram vim & apertam vsurpationem redolere.* Sed miror non aduertisse Spalatensem, hoc esse priuilegium authoritate Apostolica Salernitano concessum; Priuilegia enim, ni fallor, nonnisi ab his penes quos est summa potestas supremumque iudicium concedi solent. Certè vt hanc honoris prærogatiuam sanctæ sedi acceptam haberet Salernitanus, Pallio eum ornandũ duxit Clemens, addita etiam præclari amiculi significatione. Iam ad soluenda nostrorum argumenta aggreditur aduersarius.

SPALAT. Num. 54.

Apud Bar. Tom. 11. an. 1047. n. 12.

Obiicies *primò,* inquit, *Athanasium cum suis Episcopis Ægyptiis, ad Fælicem Romanum sic scripsisse: Ideò pater beatissime, quia semper antecessores nostri & nos, à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes & dogmata atque subleuationes ceperunt. Respondeo epistolàm illam esse confictam, & nullius fidei; Ideoque in primam partem Decretalium Antiquarum epistolarũ, Romæ coniectam inter alias quisquilias apocrypharum. Et si etiam vera esset, & authentica, adulantur illi Episcopi nostro Papæ, ipsius ope indigi. Sed prætereà esto, vndequaque vera sit, & sincera; significãt dumtaxat Alexandrinã Ecclesiã & consequẽter reliquas omnes Aegyptiacas à B. Petro, per Marcũ Euangelistã fuisse ordinatas: Et sic quoad originem ordinationẽ suã & fundationem à Romana sede, id est, à Petro deriuatam, recognoscunt.* Epistolam Athanasij & Ægyptiorum ad Fœlicem suppositití am esse nostri viderunt primi; Propterea eam minimè vrgendã ducimus:

SPALAT. Num. 55. Tom. 1. ep. decr. Rom. Pont. 1. par. ante epist. Fœlicis secundi.

Sed

ied ferendus in eo non est Spalatensis, quod Athanasium & collegas Papæ, cu-
is ope indigerent, esse adulatos cauillatur; Eximia fuit, constantia & pro-
itate Athanasius, nec in Antistitem immortali laude dignum ea adulatio-
is suspicio cadere potest. Quod addit Spalatensis; *Alexandrinam Ecclesiam,*
consequenter omnes reliquas Aegyptiacas à beato Petro per Marcum Euan- SPALAT. Eod.nu.55. in fine.
listam fuisse ordinatas, & sic quoad originem ordinationem suam, & fundatio-
n à Romana sede, id est à Petro deriuatam recognoscere Aegyptios Episco-
, nobis valdè probatur. Hoc tantùm addito, quòd quæ originem est à sede
ri mutuata eius etiam semper paruit Imperio, vt est iam centies à nobis de-
nstratum.

Obijcies secundò, inquit Spalatensis, *rescriptum Valentiniani aduersum Hila-* SPALAT. Num.46. Apud Baro. to.6.an.445 nu.9.
Episcopum Arelatensem, quod sic se habet: Cùm *igitur sedis Apostolicæ Prima-*
Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ & Romanæ dignitas
atis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem sedis
inlicitum præsumptio attentare nitatur, tunc enim demùm Ecclesiarum pax vbi-
ruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hæc cùm hactenus inuiola-
fuerint custodita, Hilarius Arelatensis, (sicut venerabiles viri Romani Pa-
onis fideli relatione comperimus) contumaci ausu, inlicita quædam præsumenda
it, & ideo Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens
iè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ec-
Romanæ vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum
neritate vsurpans, inuasit, &c. Respondeo *Imperatores, qui plus æquo sæpè*
sapiunt, ad Romanæ ciuitatis maiorem gloriam & splendorem, plurimùm
laborasse, vt sicut in temporalibus erat totius fermè orbis caput, ita in spiri-
quoque & rebus Ecclesiasticis, super omnes Ecclesias imperium haberet. Sed
bsolutè reprehendit factum Hilarij, quod inconsulto Papa ordinaret suos
s; Id enim omni iure ad eum spectabat; neque tenebatur super hoc Papam
: sed quod indebitas faceret ordinationes: Nam alios, inquit, incompeten- Ibid.
tet; indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit; qui quidem
non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat
; & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel ag-
reserabat, & ad sedem quietis, pacem prædicaturus per bella ducebat.
r ordinationes legitimas, etiam inconsulto Papa, sed hos excessus reprehen-
tor. Sunt hæc in piissimos Principes contumeliosa, neque tamen vim
nctissimi edicti infregerit hæc proteruia. En tibi *Petri meritum* pri-
itur, quo nitatur dignitas Apostolicæ sedis. Non igitur Imperatorum
rimatus Romanæ Ecclesiæ, sed Petri prærogatiua, ad quam accessit
endor & Synodi authoritas. Demùm vitio vertit Hilario, quod in-
omano Pontifice ordinationes in Viennensi Prouincia; de ea siqui-
no, facere tentasset: Igitur Pontificis authoritate niti Metropolitarũ
auit Valentinianus; *Hoc,* inquit, *perenni sanctione decernimus, ne* Theod.de Episc.ord. tit.24.nou. leg.
iscopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra consuetudinem
t, sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ authoritate temptare. Sed il-
e pro lege sit, quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ sedis authoritas,
Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexe-

 per moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ diurit, parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Festiuus verò est Spalatensis, qui hoc tantum culpatum in Hilario scribit, quod manum armatam contrahere ausus esset, ac hostilem in modum claustra murorum, vel obsidione cogere, vel aggressione reserare tentasset, vt quos ordinasset Episcopos, inuitis etiam ciuibus, obtruderet; Cùm tamen hoc in eo maximè notet Imperator, *quod contumaci audacia inlicita quadam præsumenda tentarit*, hóc est quod spreta sancta sede in Viennensi Prouincia Episcopos præter fas ordinare præsumpserit; Propterea namque non solùm prohibetur arma sumere, sed etiam præceptis Romani Pontificis iubetur se obsequentem præbere; Additur & potissima ista ratio Edicti: *Tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas*; Audisne, turbator pacis, Pontificem Rectorem vniuersitatis nominari? Sed rursus de Imperatorum rescriptis videro alio loco.

Obijcies tertiò Gregorium, persequitur Spalatensis, *irasci*, *quod Maximus* ...LAT.
...m.57. *Salonitanus Episcopus, ipso nescio aut inconsulto fuerit ordinatus.* Respondeo inde
...t.63. ca. *Gregorium maximè irasci, quia cùm Honoratum commendasset, eumque promoueri*
...onitanæ. *ad illam sedem percuperet, Maximum verò omninò repellendum scripsisset, nihilo-*
...eg.l.3. *minus ipsum Maximum contra voluntatem, & commendationem Gregorij Episcopi*
...12.ep.16 *Prouinciales ordinarant: Episcopos verò Dalmatiæ ordinatores sui Metropolitani*
...2.ind.11 *ordinarios agnouit, & fassus est; Cuius tamen Maximi ordinatio tandem, vellet*
...22. *nollet Gregorius, obtinuit, vt ex pluribus ipsius Epistolis fit manifestum. Sed præterea*
...d. *irascitur, quia ex recentiori consuetudine, Metropolitani, aut à suo Patriarcha erant consecrandi, aut non sine ipsius assensu & Decreto; vt est à me expositum suprà cap.5. num.40.* Sed gratis & sine fundamento hæc dici à Spalatensi, ex Gregorij Epistolis satis colligitur; Et primùm quidem quod attinet ad Honoratum, cui fauisse Gregorium scribit, meliori iure nitebatur, nec enim Maximus quem riualem passus est, cótumaciæ solùm in sanctam sedem à Gregorio postulatur, verùm etiam quod Episcopatum numerata pecunia mercatus esset notatur, quodque vinculo excommunicationis innodatus tremenda Mysteria celebrasset: Quod verò addit agnouisse Gregorium *Episcopos Dalmatiæ ordinarios ordinatores sui Metropolitani*, verum quidem; sed quibus non licuisset inconsulto Pontifice, aut etiam Responsali, eum ordinasse; *Salonitanæ*, inquit, *ciui-*
Greg.ep.34 l.4.ind.13. *tatis Episcopus, me ac responsali meo nesciente ordinatus est; & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi: vt omninò Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret: nisi prius à serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent: quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorundam sæcularium hominum: quibus denudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur: nunc vsque Missas facere præsumit; atque ad me venire secundum iussionem dominorum noluit.* Et alio loco ad Dalmatiæ Episcopos. *Ex beati Petri Principis Apostolorum authoritate,*
Id.ep.16. l.3.ind.12. inquit, *præcipimus, vt nulli penitus extra consensum permissionemque nostram, quantum ad Episcopatus ordinationem pertineret, in Salonitana ciuitate manus præsumatis imponere; nec quemquam in ciuitate ipsa aliter quàm diximus ordinare. Quia si contra hæc quippiam, vel sponte vestra, vel à quolibet coacti præsumpseritis,*

is, vel tentaueritis agere, decernimus vos à Dominici corporis & sanguinis parti-
ipatione priuatos; quatenus ex eadem vobis ipsa attrectatione vestra, vel volunta-
transgrediendæ præceptionis nostræ; cælestibus mysterijs alieni sitis: nec is quem
dinaueritis, habeatur Episcopus. Audiat Dalmata, Episcoporum suæ Pro-
nciæ authore Gregorio, citra consensum Pontificis ordinari, non de-
re. Quod rursum obseruat *obtinuisse Maximum, causa verò cecidisse Ho-*
ratum tantoperè à Gregorio commendatum, nos non lædit, siquidem obti-
it Maximus annuente Gregorio, ac propterea conniuente, quod Mauri-
s Imperator Maximino Patronus accessisset; *Ego autem,* inquit, *præceptioni* Greg. ep. 34 l. 4. ind. 13.
atis eorum (Imperatores intelligit) *obediens: eidem Maximo qui me nescien-*
rdinatus est, hoc quod in ordinatione sua me vel responsalem meum præter-
ere præsumpsit, ita ex corde laxaui: ac si me auctore fuisset ordinatus.
a verò peruersa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pe-
's est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, pro-
Deum irrequisita præterire non possum: Sed opto & Dominum depre-
quatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine peri-
inimæ meæ causa ipsius terminetur. Cæterùm, & qua esset in eum po- Ibid.
e ostendit; *Hoc,* inquit, *breuiter suggero, quia aliquantulum expecto,*
ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem Canonicam nul-
lo cessabo. Neque verò inultum reliquisset Maximum, nisi Dalma-
i facti pœnituisset; *Postquam fraternitas vestra,* inquit, *ad suum or-* Id. ep. 37. l. 2. ind. 10.
rediji, nec ego meæ, nec decessoris mei iniuriæ memor sum. Quod ve-
is nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus
, atque custodita sunt, absit hoc à me, & statuta maiorum Consacerdo-
eis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi iniuriam facio, si fra-
eorum iura perturbo. Sed cùm responsales vestri aduenerint, quæ in-
, & præfatum Honoratum Archidiaconem sunt iusta cognoscam, & ex
examine perpendetis, quia si pars vestra per iustitiam fulta est, nihil
i me perferetis, sicut nec antè pertulistis. Sin verò sæpè fato Honorato
cono in assertione sua iustitia suffragatur, ex eius absolutione monstra-
personas etiam quas noui, in iudicio non agnosco. Quod postremò
ro recentiori consuetudine pugnasse Gregorium, quia Metropoli-
Patriarcha essent consecrandi, abundè ex duobus locis Grego-
tur. Sic enim primùm ad Constantinam Augustam; *Salonitanæ,* Greg. ep. 34 l. 4. ind. 13.
uitatis Episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta
e sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eun-
ricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinùs misi, vt omninò Mis-
nnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis Do-
scerem, si hoc fieri ipsi iussissent; quod ei sub excommunicationis in-
mandaui. Si nusquam factum sub anterioribus principibus, ergò
pugnabat Gregorius, recentiori consuetudine non nitebatur. De-
iam factam Honorato Archidiacono à Dalmatiæ Episcopis sic
Postquam ad beatitudinem vestram, inquit, *& decessoris mei, &* Greg. ep. 37 l. 2. ind. 10.
Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta vtriusq;
, præfatus Honoratus proprio gradu priuatus est. Quod si quili-

bet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Non igitur tantum ius aliquod Patriarchicum propugnat Gregorius; sed de his rebus agit, ob quas admissas authoritate Apostolica etiam ipsi Patriarchæ plecterentur.

SPALAT. Num.58. Marti. ep.5. *Obijcies quartò*, inquit Spalatensis, *Martinum primum, Philadelphiensi Episcopo in Orientem scripsisse hæc verba: Vt sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnem ciuitatem earum quæ sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apostolica authoritate, quæ data est nobis à Domino, per Petrum Sanctißimum Principem Apostolorum, propter angustias temporis nostri & pressuram gentium; ne vsque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis decoris eximius ordo: ac ne inde de cætero nostræ Religionis magnum & Venerandum mysterium ignoretur; Iam non sit Sacerdos & sacrificium, aut spirituale libamen, quod iugiter Deo in odorem suauitatis pro salute populi offeratur. Nam oportet in hoc maximè tempore pastoribus spiritualibus frequentari, ac muniri, quæ vbique sunt Dei Catholicas Ecclesias, quo iuxta ipsius Domini prædictiones, tribulationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi vsque modo, neque fient; cum quibus & magnæ scandalorum tentationes, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Respondeo non ex authoritate id factum, sed ex caritate & communi omnium Episcoporum cura, ac præsertim Romani primi Patriarchæ, quam gerere debeat omnium Ecclesiarum, vbi illas destitutas esse suis ordinarijs gubernatoribus contigerit, vt pluribus docui libro secundo præcedenti, & tradam libro quarto. Quamuis dubium non sit Martinum sibi adhuc plusculum aliquid tribuere, sibique ipsi non nihil assentari.* Sunt ista futilissima; siquidem Martinus Philadelphiæ Episcopum suum in Oriente Vicarium renunciat, creandorum & ordinandorum Episcoporum in Hierosolymitana, & Antiochena Ecclesiis, ei facta potestate; quî autem istud præstare potuerit, nisi summa authoritate præditus? Annon verò illa verba; *Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apostolica authoritate quæ data est nobis à Domino, per Petrum Sanctißimum Principem Apostolorum, propter angustias temporis nostri, & pressuram gentium: ne vsque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis decoris eximius ordo*: meram authoritatem spirant? Certè tota illa Epistola non ex charitate solùm, verùm etiam ex authoritate leges ponit Orientis Episcopis, & in his Macedonium Hierosolymitanum, & Petrum Alexandrinum de gradu deiicit, quod hæreticos habuissent ordinatores. Inspiciatur Epistola.

Martinus Pap.I. ep.5. ad Ioan. Episc. Philadelphiæ.

SPALAT. Num.59. Anastas. in Can. & Bar. to.8. an.686 nu.6. *Obijcies quintò*, inquit Spalatensis, *Cononem Papam, Antiochiæ Episcopum ordinasse, eique pallium concessisse. Respondeo mendum esse in scriptis Anastasij: nam alij legunt non Antiochiæ, sed Antipariæ. Et quæ probabilitas est hominem Syracusanum Antiochenæ præfectum fuisse Ecclesiæ? Cùm præsertim ibidem subdatur Constantinum illum nouum Episcopum Antiochiæ, orta seditione contra eum, ob patrimonij Ecclesiæ in Sicilia rationes, cuius patrimonij rector fuerat, fuisse retrusum in custodiam. Erat igitur Episcopus alicuius Ecclesiæ Siculæ, non Antiochenæ in Syria. Siciliæ verò Episcopos ad Romanam ordinationem spectasse, paßim reperies.* Ego de loco Anastasij non contenderim,

m, siue Antiochiam, siue Ancipariam legas, parum refert, quamquam Anpariam dictam Anastasio censeo. Sed Pontificis potestas hoc exemplo non titur.

Obijcies sextò cum Baronio, addit Spalatensis, de *Constantino Papa ab nastasio ista scribi: Egressus igitur à Nicomedia ciuitate, crebris valetudini- Pontifex attritus, tandem sospitatem Domino tribuente incolumis ad por- Caieta peruenit; vbi Sacerdotes & maximam populi Romani reperit multidinem; ac vigesima quarta die mensis Octobris Indictione* 10. *Romam in-Tus est; & omnis populus exultauit, atque lætatus est. Fecit autem ordinaes Episcoporum in eundo, & redeundo per diuersa loca Episcopos duodecim.* lit verò ista Baronius: *Etenim vbicunque contigit præsentem esse Pontificem, omnes intelligebant primarium, propriumque esse Pastorem Episcopis omniuæ iurisdictionis subijcientibus fasces summo vniuersalis Ecclesiæ Sacerdoti.* ondeo in eundo & redeundo *inter Romam, & Caietam potuisse facilè duo-Episcopos ad suam ordinationem spectantes ordinare. Quod si in* Oriente e aliquem ordinauit, *rogatum id fecisse oportuit, sicut de Agapeto dixi* am *Constantinopoli consecrante. Et si qui Episcopi ei alieni illi fasces sub-nt, ex abundantia charitatis, & honoris causa, eos submiserunt*, non ex *iustitiæ & obedientiæ: Alioquin videbis Moguntinum Episcopum Papæ nono, in eius Ecclesia præsenti, & potestatem primariam aduersus eius s exercere conanti, in faciem restitisse; ipsique suos fasces submittere no-sed vt penitùs desisteret illum coëgisse; de quo aliàs.* Sed tricatur Spala- Vrsperg. apud Baro. 11.an.1052. nu.14.

Apparet enim omninò Anastasium haudquaquam de Episcopis ciuiquæ Caietam & Romam, sed de his quæ Romam & Constantino-interiacent loquutum: vt proinde locus sit coniecturæ Baronij; qui iddens Episcopos omnes submisisse iurisdictionis fasces Pontifici, rem uam, aut insolitam effert: cùm constet hunc ipsum Constantinum itis Episcopis pro Capite Ecclesiæ cultum: Videatur Anastasius. Vt gatu Episcoporum ordinarit Episcopos, ei est hic honos delatus, iscoporum princeps haberetur, nec credo eum honorem alteri tri-Orientales.

Moguntinum Præsulem Leoni IX. fasces in sua Ecclesia summitte-m, iam profert Spalatensis, vt hoc exemplo colorem suæ rebellio-, quasi vnius refractarij, inciuilius, in re etiam minimi momen-defectioni à Pontifice moliendæ sufficiens causa esse possit: sed totam in alium locum differat, in ea persequenda hîc non immo-le ea alio loco dicturi. Satis sit Pontificem à modestia commen-untino verò, audaciæ notam ab Historicis inuri. Caput claudit planè vana & seditiosa oratione, nititurque Archiepiscoporum Pontificem concitare ac armare, subiratiorque eos traducit, ac ccersit, quòd in officio maneant, seque sui ordinis Capiti moriiò præbeant; sed præterquam quòd vana est sine viribus ira, istâ oratione non mouentur Ecclesiæ columnæ, durumque nimis im stultum, aut Pontifices, aut Archiepiscopos ab vnius deser-ndere, & hac veluti *cauda Draconis*, quod tamen ille molitur,

SPALAT. Num. 60. Baro. to. 8. an. 711. nu. 1.

trahi, vt est in Apocalypsi, *tertiam partem stellarum.* Ponat igitur iras, à conuiciis abstineat, in officio permanentes lacessere desinat, ac illius sapientis meminerit; *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Nec enim mollius plectit Deus, aut Pontificem parentem, aut Ecclesiam matrem, pessundantes ac ludibrio habentes, quam in suæ natiuitatis authores lasciuientes, aut sæuientes.

Prou.c.30. v.17.

DISCVSSIO

DISCVSSIO PRIMI CAPITIS LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

...nsis instar Thrasyli cuiusdam ex ...ntia voluptatem capientis vanitas ...itas: Petrum Romano solio deiice... ...atur: Dubium eius mortis locum ...: Tandem tamen Romæ martyrio ...itum fuisse: Ne Caluino impuden... ...beatur inficiari non audet: Te... ...nia vetustissimorum Patrum pro ...martyrio Romæ obito: Dionysij ...hiorum Episcopi: Tertulliani, ...Origenis, Orosij, Augustini, ...stomi: Confirmatur ex Euan... ...Ioannis Petrum Romanum fuis... ...opum contra Spalatensem de... ...: Authoritate eorum Patrum ...profert, Cypriani, Optati, Atha... ...ieronymi, Augustini, Petri ...tis, Orientalium Patrum Gre... ...Bernardi: Stultè inter Orien... ...Occidentales de ea re dissidium ...stimonio Firmiliani contendit: ...: Eadem veritas asseritur testi... ...trum, qui disertis verbis id ...: Eusebij, Ambrosij, Eusebij ...tij, Isidori, Hieronymi: De... ...llarminus: vt Romanus Pönti... ...icarius dicatur à Symmacho, ...nastasio Bibliothecario, Tar... ...s Episcopis, Gelasio, Amatore ...regorio, Bonifacio Mogun... ...no primo, Carolo Magno, ...arto, Nicolao primo, Gre... ..., Alexandro secundo, An... ...do, & Bernardo: Cypria... ...catus: Baronius & Bellar... ...si. Cur Pontifices Petri ...rint: Stultum de hac no... ...palatensis iudicium: Pon... ...ia: Innocentius tertius ab immani calumnia purgatus: Petrum Romanam fundasse Ecclesiam: Probatur testimoniis Patrum Chrysostomi, Orosij, Leonis, Theodoreti, Theodosij Imperatoris: Spalatensis cauilli retunduntur: Apostolos vtcunque orbem sortiti sint, vt Prouincias sibi deligerent, vbique tamen Apostolicam potestatem exercere potuisse: Aliud est potestas, aliud potestatis executio: Quo sensu Paulus etiam Romanus Episcopus dictus: Petrum proculdubio primum Romanis prædicasse, ac in eo munere Paulum anteuertisse: Spalatensis obiectiones refelluntur; multa à Luca prætermissa in libro Actorũ, quæ ad Apostolorum historiam pertinerent: Babylonis nomine Petrum Romam intellexisse: Ostenditur testimonio Papiæ, Hieronymi, Oecumenij, Bedæ: Hæreticorum de Babylone commenta: Aliæ obiectiones Spalatensis refelluntur, quibus probare conatur Paulum primum Romæ prædicasse, Patres etiam Paulo Romanorum doctrinam tribuere, quod institutos à Petro etiam in fide confirmauit. Hieronymi pro Petro testimonium: Catalogus Romanorum Pontificum à Petro ducendus, authoritate Augustini & Optati ostenditur. Quo sensu plerique Pontifices Petrum & Paulum suæ dignitatis authores faciant: vnum Petrum caput Ecclesiæ impositum agnoscunt: De imaginibus diplomatum in quibus Petrus ad dextram collocatur Paulus ad sinistram: Baronius defensus: Spalatensis obstinatio & inconsideratio: Petri prædicatio apud Romanos: Patrum encomia Romanæ Ecclesiæ tributa: Pseudo-Ambrosius notatus: Quorsum Paulus Romanos reprehendit: Baronius rursum defensus: Petrus Roma abesse coactus: Linum & Clementem coadiutores suos Romæ reliquit: Locus Actorum expenditur:

Monstra sibi fingit Spalatensis: Petri peregrinationes, quarum occasione Roma abfuerit, defenduntur: Lucæ silentium his non præiudicare: Dissertatio doctissimi Petauij de Petri profectione Antiochena ac Romana laudata: Nugæ Spalatensis à Petauio profœda errata Chronologica: fligata.

LAT. [illegible] n.1.

SVPREMVS Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque supra cæteras omnes Christi Ecclesias imperium, sicuti re vera nullis solidis innititur fundamentis, ita penitius illum consideranti, & excutienti statim suam prodit imbecillitatem, nutat, ruit, concidit, prosternitur; vt mirum prorsus sit, quod quiuis propius intuens non planè cernat huius Primatus patentissimam vanitatem. Nonne suprà ego, libro proximè præcedenti, capite præsertim decimo; Ecclesias omnes Patriarchales, iure & diuino pariter & humano, penitus pares in potestate feci? Nonne satis confirmaui, solo iure pariter humano Ecclesiastico, Ecclesias aliquas insigniorum vrbium, curam aliquam, in alias certarum Prouinciarum seu Regionum iisdem vrbibus subiectarum suscepisse? Audio Romanos acriter in me insurgentes, & hisce non acquiescentes, illud vel maximè mihi obiicere: si Petrus supremum totius Ecclesiæ visibile caput, toti præfuit Ecclesiæ, tanquam vnicus Christi Vicarius in terris, & omnibus siue Apostolis siue Episcopis prælatus, cur non Romana quoque Ecclesia, Petri sedes, eadem ratione & ex eadem causa Primatus, Petri Primatum supra cæteras omnes Ecclesias non tenebit? Ego verò iam primo huius operis libro totum hoc argumentum destruxi penitus & in pulverem redegi: Petro enim Primatum hunc Imperij & Dominij Ecclesiastici nullum competere docui; Petrumque cæteris Apostolis penitus parem feci, ostendique vniuersaliter, in Ecclesia Christi Monarchiam non esse quam à sua Ecclesia Christus longissimè abesse voluit. Itaque quid sibi vsurpat Romana Ecclesia propter Petrum, quòd à Petro fuit remotissimum? Sed vt melius adhuc vanitas huius Primatus Ecclesiæ Romanæ pateat, nunc addo, ne inde quidem quòd sit peculiaris Petri sedes, ipsam posse gloriari; sed in hoc habere plurimas, alias Ecclesias sibi pares: Quarum cum nulla Primatum, eo nomine in cæteras iactet, cur Romana sola iactabit?

Apud Ath. l.12.c. vlt. Elian. li.3. c.25.

INESSE aliquam in dementia voluptatem, insaniamque suas habere delicias Heraclides Ponticus Thrasylli Æxonei exēplo confirmabat: nam cùm eum quidā nouus dementiæ morbus inuasisset, Atheniensi vrbe relicta migrabat in Pyreum: *Quumque ibi habitaret, omnes naues quæcunque in eo subducerentur, suas esse putabat, & in albū suū referebat, sicque dimittebat eas. Quod si quæ saluæ & integræ in portum ingrederentur, supra modum gaudebat. Multos autem annos hoc morbo tenebatur. Demum frater eius profectus è Sicilia, tradidit eum medico, vt sanaretur, atque sic eum reliquit vecordia. Sepissimè igitur suæ in amentia oblectationis mentionem faciebat, & se nunquam cumulatius gaudiū percepisse dicebat, quā quum vidisset naues seruari, quæ tamen ad se nihil pertinerent.* Sed aliud iam nobis exemplū suppeditat Spalatensis, qui haud dissimili morbo vexatus ex insania etiā voluptatē capit, suā scilicet opera deiectū, ac de sua sede deturbatum Pontificem maximū ac imperio nudatā triumphati orbis dominā Romā subiugum à se missam inaniter gloriatur, & triumphos ipse sibi decernit, ac plausus mentita Victoria excita, vanitatem hominis & leuitatē nostra arguunt. Sinamus ergo importunum senem lasciuire, ac iuueniliter quasi re benè confecta exultare, postquam mentem eius Deus emendauerit, errorem agnoscet & deprecabitur. Subiiciamus verò examini, & hunc quartum librum erroribus ac mendaciis refertissimum. Petrum Roma pellere

... poteſt, dubium mortis locum reddere conatur, ... amſtatuit, & quia facere non ... excutienda. ... æ ſunt à nobis & libranda &c.
Principio igitur ne Caluin ... os à quo tam multa eſſet mutuatus, peruicacior aut obſtinatior haberetur, inficiari ... aulus non eſt Petrum aliquando Romæ fuiſſe, que in ampliſſimo illo orbis theatro glorioſo exitu mortem cum vita commutaſſe, adeóque martyrij palmam reportaſſe, *Petrum*, inquit, *Romæ marțio coronatum fuiſſe, malo aſſentiri, quàm reluctari: quamuis hac de re plen hiſtoricam fidem nondum ſim aſſecutus; ob plurimorum tamen ſanctorum ...rum conſenſum, arbitror id poſſe à quouis facilè concedi & credi: neque viir operæ precium in hoc contentioſum funem trahere. Quamuis enim ſuas habeat hiſtoricas difficultates, non tamen tanti momenti mihi videntur, vt ...enter poſſit, quis iam obniti & contradicere.* SPALAT. Num. 2. Apud Bell. de Ro. Pōt. l.2.c.1.23.
...imilia ſcilicet habet Caluinus: *Propter hunc Scriptorum conſenſum*, ait, *non ... o quin illic mortuus fuerit.* Et quidem duri ac præfracti animi fuerit, tantæ ...teſtium ſe oppoſuiſſe; ſic enim, quod noſtri obſeruarunt Dionyſius Co...iorum Epiſcopus apud Euſebium, *Petrum & Paulum*, inquit, *qui Ro... & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti qua... dmonitione impulſi, in vnum locum concluſiſtis. Nam ambo cùm & noſtram ...hi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundaſſent, & eiuſdem doctrinæ præce...n noſtros animos tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter martyrium ...nt.* Anteà verò, *Iſte* (Nero) *qui hoc pacto infeſtiſſimus Dei hoſtis pri...edicatus fuit, ad Apoſtolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proin...eo regnante ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoria...nimentis proditum eſt. Quinetiam inſignis ac teſtata Petri & Pauli, in... quæ in cœmiterijs Romæ ad hoc vſque tempus manet, huius rei geſtæ fi...t.* Calu.lib.4. inſt.c.6.§.15. Euſ.l.2.c.24.hiſt.Eccleſ. Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοιαύτης νουθεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε. Ibid. paulò antè. Παῦλος δὴ ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι, καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι κατ' αὐτὸν ἱστοροῦνται, &c.
Sic Tertullianus, [a] *Statu fœlix*, inquit, *Eccleſia, cui totam doctrinam ...cum ſanguine ſuo profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ...us Ioannis exitu coronatur*, &c. Et rurſus: *Quibus*, inquit (Romanis) *...um Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* Item ...rtulliani contemporaneus, [b] *Si lubet*, inquit, *in Vaticanum proficiſci, ...n quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre, trophæa* (id eſt Sepulchra) *eorum ...Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabiliuerunt, inuenies.* Origenes quo...*us ad extremum*, inquit, *cùm Romæ verſaretur, capite deorſum ſtatuto ...rpeti cupiebat) cruci ſuffixus eſt.* Item Oroſius, [d] *Nam primus* (Nero) *...omæ Chriſtianos ſupplicijs & mortibus affecit, ipſumque nomen extir..., beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio, occidit.* ... tandem, [e] *Puto*, inquit, *tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua ...oſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare.* ...n Chryſoſtomus, *Illi*, inquit, *qui Romæ tunc habitabant, cùm illic ma...* Romanos cum ſuis Antiochenis comparat) *impietas, maiore auxilio ... immolati; vt Ideo Petrus & Paulus, & Ignatius poſt illos ibi fuerunt immolati; vt ...m idolorum cruoribus pollutam, proprio ſanguine abluerent, & ope...urrectionis Ieſu Chriſti crucifixi teſtimonium afferrent, demonſtran...* [a] Tert. de præſcript. cap.36. Tert.lib.4. cōtra Marciones. [b] Caius apud Euſ.l.2.c.24. Εἰ ἐθελήσεις ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανόν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν.

...b.hiſt. Ecc.l.3.c.1. Πέτρος ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος, ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. ... [e] Aug. contra Iulian. Pel.li.1. [f] Chr. hom.42.in S. Mat. Igr. Οἱ τὴν Ῥώμην ...l 7. c 7. ... Πέτρος καὶ Παῦλος, καὶ μετ' ἐκείνους πολλῆς τότε ἀσεβείας οὔσης ἐκεῖ, πλείονος ἔχρῃζον βοηθείας διὰ τοῦτο καὶ Πέτρος καὶ ... νουν, &c.

tes ijs qui Romæ degebant se præsentem vitam tanta cum voluptate nunquam fuisse despecturos, nisi sibi omninò persuasissent, quod ad crucifixum Iesum essent ascensuri. Adde verò ex Euangelio Ioannis, non obscurè colligi Petrum Romæ martyrij palmam consecutum fuisse; Namque cùm certò certiùs sit multò post necem Petri, qui vt Hieronymus loquitur, Neronianum gladium cruentarat, scripsisse Ioannem, & ille exitium Petri verbis Christi; *Extendes manus tuas*, significatum dixerit, locum verò non indicarit, adeóque nec ipsum mortis genus expresserit, omninò existimandum est, propterea supplicij locum & genus cum præteriisse, quod quo loco, quoque mortis genere passus esset, rem videret esse vniuerso orbi exploratissimam, quo admisso planum omninò fit eum Romæ martyrij palmam consequutum fuisse, siquidem non solùm ex publica fama, verùm etiam ex trophæis, vt quidam Caius apud Eusebium loquitur, hoc est ex sepulchrorum tum Petri tum Pauli inscriptionibus id scriptis consignarunt, ac posteris tradiderunt vetustissimi quos citauimus Patres, nimirum Romæ Petrum cruci affixum fuisse. Præterea etiam nec ipsa Babyon Assyriorum, quam tantoperè iactant nonnulli ex Sectariis, nec vlla alia Ecclesia vnquam vel eius sibi reliquias vindicauit, vel de martyrio est gloriata, vt proinde relinquatur Ioannem publicam illam vocem comprobasse. Hoc igitur vltrò nobis largitur cum Caluino Spalatensis: At verò Romæ Episcopatum tenuisse quod contendunt Patres, magna peruicacia reiicit, ac refellendum sumit. Profert primùm orthodoxorum quibus homo Eterodoxus se annumerat impudentissimè, sententiam ac demùm eius firmamenta, ac præsidia conuellere nititur. Audiamus proteruum ac prælij peruicacem hominem, *Episcopum Romanæ vrbis Petrum fuisse,* inquit, *& in Episcopali munere defunctum, nostri contendunt acriter: & hoc videtur fieri euidens ex sequentibus. Quid verò videatur posse id persuadere, quantum ego potui ex Patribus potißimùm colligere, iam profero libenter; meum super his iudicium postea subiecturus. Petrum itaque fuisse Romanum Episcopum probatur. Primò; quia ab antiquißimis etiam Patribus Romana Cathedra dicitur sedes Petri. Cyprianus; Nauigare, inquit, audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est. Item: Factus est Cornelius Episcopus, cùm Fabiani locus, id est cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Optatus Mileuitanus, Parmenianum sic compellat: Igitur negare non potes, scire te, in vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus. Athanasius, Non ita se habet, inquit, Ecclesiasticus Canon, neque vnquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipsi (Romani) à Beato & magno Apostolo Petro, acceperunt. Hieronymus ad Damasum, Cum successore, inquit, peccatoris & Discipulo crucis loquor, ego Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior. Rursus idem: Prædicatione quoque, inquit, Cathedra Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli, sua prædicatione confirmet. Loquitur de damnatione errorum Origenis, per Anastasium Romanum Pontificem, Romæ probata. Augustinus, Cathedra tibi, inquit, quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet? Et alibi: Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Petrus Rauennas ad Eutychem, Hortamur, inquit, te frater honorabilis, vt iis quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam*

Marginalia: vlt. — [...]d. n. 2. — [...]em l. 4. [...]. 2. — [...]pt. cōtra [...]rm. l. 2. — [...]than. ad [...]olitar. — Hier. ep. ad Damas. — Id. ep. 58. ad Damas. & Marcel. — Aug. cōtra lit. petili l. 2. c. 51. — Id. in psal. cont. part. Donat. — Ad Concil. Chalced.

Petrus qui in propria sede viuit, præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Ita tiam Leo, ita Prosper ait, Sedes Roma Petri. Sozomenus, Non sine diuina, inquit, rouidentia factum est, vt mortuo Fælice, solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præesset; ne etri sedes vlla infamiæ macula aspergeretur. Orientales Episcopi Symmacho Pa- asserunt à Christo optimo Pastore Petri Cathedram esse creditam. Gregorius ricum querimonia de Rege illius temporis ita scribit: In tantum autem sua temeri- em extendit vesania, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam, sibi ven- et: & in Dominia gentium, terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omninò ille fie- rohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens, Tibi dabo lesiam meam. Bernardus ad Eugenium Papam: Terribilis prorsus, inquit, ter- 'is est locus iste; locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Prin- Apostolorum, vbi steterunt pedes eius: locus illius est, quem constituit Dominus 'num domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Sed hic te sisto Anto- Si enim te pudet inficiari Petrum Romæ martyrio coronatum fuisse, ılrorum Sanctorum Patrum consensum; (hæc enim tua sunt verba,) quid est te ipso impudentior factus, iisdem Patribus qui Petrum Episcopatum æ obtinuisse, ac gessisse summo consensu, ac omninò conspirantibus te- niis significant, te opponis? An illud asserentes sint vera loquuti, istud ffundentes veri rationem non habuerint, sed ab eo exorbitarint? Hæc roni animi tui inconstantiam produnt, ac manifestant; Agè verò tuas luersiones excutiamus, Sed neque, inquis, silentio præteribo, ipsosmet Epi- Romanos hoc primùm videri suæ sedi attribuisse, eam esse Petri sedem, & enter se Petri successores asseruisse; in id non ita facilè aliis Episcopis, præ- Orientalibus assentientibus. Inuenio enim Firmilianum Cappadocem de o Romano Pontifice ad Cyprianum ista scribere. Atque ego in hac parte lignor ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod, qui scopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, su- fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias Petras inducat. Item: lum Dei Apostolus habere profitetur; Stephanus, qui per successionem m Petri habere se prædicat, nullo aduersus hæreticos zelo excitatur. Cer- inus his fermè ironicis verbis satis ostendit se non assentiri Stephano præ- r asserenti se in Cathedra Petri sedere, & Petri esse successorem. Eodem ore, & Cyprianus supra adductus Romanam sedem vocat absolutè Pe- ram, & Firmilianus in hoc non vult assentiri, sed potius videtur dubi- et lector. Fortasse alia tunc erat opinio de Petri Romana sede Orienta- ccidentalium: & adhuc sub iudice lis est.

Leo serm. 2. de sua assumpt. Prosper. lib. de ingrat. Sozom. l. 4. c. 14. Inter epist. Symm. post Apologet. Gregor. in Psal. Pœnit. 5. Bernard. ep. 237.

Eod. nu. 2.

Inter epist. Cypri. ep. 75. edit. Pamel.

d ad primum attinet, scilicet Episcopos Romanos, hoc primùm di attribuisse, splendididissimum est mendacium. An igitur Cypria- tatus, an Athanasius, an Hieronymus, an Augustinus, an Petrus an Sozomenus, an Orientales illi Episcopi, an Bernardus quos es pro hac sententia citas in Romanorum Pontificum albo sunt Deliras mi homo: Te tamen tueris Firmiliani Cappadocis autho- vides hunc Firmilianum impudentiæ & sceleris in Stephanum ando puduisse, ac etiam pœnituisse. Adi Hieronymum & Au- lud te docebunt. Cæterùm nec illis suis virulentissimis verbis etri Cathedram concutere molitur, sed Stephanum stultitiæ po- s.

Inter epist. Cypr. vbi suprà. Hiero. cōt. Lucifer. August. cōt. Cresc. l. 3. c. 3.

ſtulat, quod cùm de ſucceſſione Petri, quod certè omninò iure face
tuit, ſibi plauderet, *alias tamen Petras*, vt ille loquitur, induceret: verùı
ſtultitiæ, tum impudentiæ nobis coarguendus venit Firmilianus, nimiru
quod pudendum errorem defenderit, & baptizandos eos qui à baptiſmc
reticorum ad Eccleſiam ſe referrent, cum Cypriano contenderit, & quoc
probiſſimam cauſam aduerſus Pontificem propugnans eum laceſſere, ac
ratiſſimis verbis proſcindere veritus non ſit: Miror verò Spalatenſem Firn
Spal. num. 2. in fin. num Cypriano commiſiſſe, ac diſſidium de Cathedra Petri inter eos
taſſe, quibus cæterà tam benè conueniret, *Eodem*, inquit, *tempore & C*
prianus ſuprà adductus Romanam ſedem vocat abſolutè Petri Cathedram
Firmilianus in hoc non vult aſſentiri, ſed potius videtur dubitare. Vbi igitur
minimùm huius inter eos pugnæ ac digladiationis veſtigium? Sunt hæc febri
tantis ſomnia! Age verò iſtud tibi concedamus, Romæ Cathedram eſſe Pe
negat Firmilianus, ait Cyprianus, vtri igitur credendum cenſes? Expendami
Spal. num. 3. reliqua.

Secundò, Romanus Petri Epiſcopatus, inquit Spalatenſis, *ex eo probatur*
Euſeb. in Chron. ann. 44. *ſæpè à Patribus expreſſè ponitur, & aſſeritur idem Petrus, Romanus Epiſcopus*, quoı
Euſebius: *Petrus Natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm pri-*
mùm Antiochenam Eccleſiam *fundaſſet, Romam proficiſcitur; vbi Euangelium*
Ambroſ. lib. 3. de ſacram. c. 1. *prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat. Ambroſius: Vtique, in-*
quit, ipſe author eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui ſacerdos fuit
Euſeb. ep. 3. *Eccleſiæ Romanæ. Inde illud Euſebij Papæ; Benedictus Dominus qui Romanam*
Sulpit. lib. 2. ſac. hiſt. *Eccleſiam beati Petri Apoſtolorum Principis Sacerdotio ditauit. Sulpitius: Inua-*
Hier. de viris illuſt. in Petro. *luerat apud Vrbem diuina Religio, Petro Epiſcopatum gerente. Hieronymus;*
Petrum dicit 25. annis Romæ ſacerdotalem Cathedram tenuiſſe. Idem affirmat de
Iſidorus in vita Petri. *Petro Iſidorus. Hic, inquit, poſtquam Antiochenam Eccleſiam fundauit, ſub*
Claudio Cæſare, contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Euan-
gelium 25. annis eiuſdem tenuit Pontificatum.

Cùm his quod reponeret non haberet Spalatenſis, vexandum ſumpſit Bel-
Eod. nu. 3. Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 4. larminum, *Producit*, inquit, *Pro Petri Romano Epiſcopatu Bellarminus autho-*
ritatem Dorothei in Synopſi, ita ſcribentis; Linus poſt Coryphæum Petrum Ro-
Bellar. ibid. c. 2. *manæ Epiſcopus fuit. Oblitus, vt arbitror, ſuæ propriæ cenſuræ in illam Synopſim,*
paulò antè illa nota lata; Porrò Synopſim quæ Dorotheo Tyrenſi falsò aſcribitur,
plenam eſſe narrationibus confictis atque mendacibus, &c. Sed hoc familiare eſt
noſtris Monarchicis, ac præſertim Barronio, eundem authorem modò approbare &
in cœlum euehere, vbi fauere eis videatur; modò diris deuouere & execrari illum
eundem, vbi ipſis aduerſantem offenderint. Sed vndenam Bellarminus ad tam
acrem cenſuram in Synopſim illam fuerit permotus, vt eam tanquam plenam confi-
ctis & mendacibus narrationibus coarguerit, audiamus: Eunuchum, inquit, Re-
ginæ Æthiopum inter ſeptuaginta duos Diſcipulos numerat. Et Iuniam ponit inter
Diſcipulos: Iunia autem erat fœmina. Sed dormitabat bonus Cardinalis quan-
do hæc ſcripſit. Dorothæus enim enumeratis primùm nominatim ſexaginta
octo Diſcipulis, ijs adnumerat Marcum & Lucam Euangeliſtas, ad com-
plendum numerum ſeptuagenarium. Seorſim verò poſt illos, Euangelij pri-
mos annunciatores in mente habens, duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta Di-
ſcipulis, ſubiungit etiam Eunuchum Candacis, qui in Arabia fœlici &
Tabro-

Taprobana Euangelium prædicauit. Et expressè illum ponit Euangelij prædicatorem; sed tamen extra numerum Apostolorum & 70. Discipulorum. Iunias autem & Andronicus nobiles erant in Apostolis, sumpto Apostoli nomine in latiori significatione. Rom.16. Poterat ergò, imò debebat Bellarminus, à tam graui censura abstinere, si Opusculum ...ud aliundè non poterat abijcere. Atqui, mi homo, Dorothæum singularem te...mnon adduxit Bellarminus, ita enim nullus esset, sed cum reliquis conspiran...n, ac sentientem in hunc chorum inuexit. Porrò repudiandæ eius Synopseos, ...n multæ causæ fuerunt, & Baronio, & Bellarmino, ac reliquis à quibus malè ...ceptus sit hic Planus, vt historiæ planè rudem esse oporteat, qui his non assen...ur. Quare non est quod in eius nugis expendendis immoremur, sat fuerit in refellendis tempus triuisse.

Tertiò, inquit, Episcopatus Romanus Petri probatur ex illis qui Romanum Pon...m Vicarium Petri nominauerunt. SPALAT. Num. 4. Symmachus in suo Apologetico, aduersus ...stasium Imperatorem sic loquitur; An quia Imperator es, contra Petri niteris po...tem? Symm. in Apologet. Et quia Petrum Alexandrinum recipis, beatum Petrum Apostolum, in suo ...cunque Vicario calcare contendis? Ennodius Diaconus Symmachi defensor, Petri Apostoli Vicarium vocat Symmachum. Enno. Dia. Apol. pro Sym. to.2. Concil. Et Iustinus Imperator lætus fuit, ...meruit temporibus suis Vicarium Petri Apostoli videre in regno suo Constan...li; nimirum Ioannem primum. Anast. Bibl. in Ioan.1. Ludouicus Imperator in quodam Diplomate ita ...ur. Ego Ludouicus Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum ...ationis nostræ, tibi B. Petro Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo ...o Paschali summo Pontifici. &c. Dist.63. c. Ego Ludouicus. Tarraconensis Prouinciæ Episcopi ad Hi... Papam, ita scribunt; Beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illu...ni prospexit, cuius Vicarij Principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab om...amandus. Inter epi. Hilari. Gelasius Papa; Quantum ad sæculi potestatem, illa à Pontifici... præcipuè à B. Petri Vicario debet cognoscere, quæ diuina sunt. Gelas. in Common. Et ad Ana... scribens; se Apostolicæ sedis Vicarium vocat. Id. ep.10. Amator Episcopus ad Sylue...ium, è sede sua iniustè pulsum, ita scribit; Quid enim putas de nobis fieri, Pa...e, cùm de summo Pastore & Vicario sancti Petri, talia fiunt? Ante ep. Syluerij. Gregorius ...am sedem, se vice Petri asserit suscipere gubernandam. Greg. l.2. ind.10. ep.33 Habet quoque idem ... iuramenti & professionis fidei, quam tenebantur facere ij, qui à schismate ...m redirent: quæ sic habet inter cætera; Ego spondeo atque promitto tibi, & ...cto Petro Apostolorum Principi, atque eius Vicario beatissimo Gregorio, ...oribus, &c. Id. Greg. l.10. ind.5. ep.30. Simile fidelitatis iuramentum præstitit Bonifacius Episcopus ..., Gregorio secundo, quod sic habet; Ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, ...e Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo Gregorio Papæ, & Successori...c. Apud Baro. to.9. an.723 nu.14. Idem Bonifacius scribens de Synodo à se habita, inter alia hæc habet: Ib. an.740. nu.6. ...s autem in nostro Synodali conuentu, & confessi sumus fidem Catholi...atem & subiectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ, velle ser... Petro, & Vicario eius velle subijci, &c. Adrianus primus, Petro, inquit, Adr.1. ep.3. ...a totius Ecclesiæ, & principatus committitur; & ipse vices suas Vicarijs ...ius relinquere dinoscitur, Ecclesiæ curam gerendi. Anastasius Bibliothe... ...letinorum deditione sedi Apostolicæ agens, hæc scribit; In Ecclesia sancti ...manimiter, à magno vsque ad paruum, sub indiculo Sacramenti, iure...fere eidem Domno Apostolico, in seruitio eiusdem, atque antedicti Vi...ctissimi Hadriani Papæ, atque omnium successorum eius Pontificum, fi- Apud Baro. to.9. an.773 nu.13.

Ib. an.774. nu.7. deliter permansuros. Et de Caroli magni donatione idem Author, ita scr…
tari (Pontifex) studuit (Carolum) vt permissionem illam, quam eius s…
riæ genitor Pipinus Rex, & ipse præcellentissimus Carolus, cum suo ger…
lo, vna cum omnibus Iudicibus Francorum fecerat B. Petro, & eius Vi…
moriæ D. Stephano iuniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro con…
uersis Ciuitatibus, ac territorijs istius Italiæ Prouinciæ, & contradendis B…
omnibus Vicarijs in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Et
Ib. an.799. nu.8. idem Anastasius aduentum Papæ Leonis tertij in Franciam, ait; Ipse magn…
obuiauit, & sicut B. Petri Apostoli Vicarium venerabiliter, & honor…
Greg. 4.ep. vn.to.2. Hymnis & Canticis spiritualibus eum suscepit. Gregorius IV. ad omnes…
scribens ait: Contra caput ergo nolite vos extollere, nolite beati Clauigeri P…
ius vice pro Christo legatione fungimur, sedem, eiusque sedis authoritatem…
Nicol.ep.8. Nicolaus I. ad Michaëlem Imperatorem ita scribit; Nec in Vicarijs B. Petr…
stoli, vobis est attendendum qui sint. Eiusdem quoque verba sunt; Imperator A…
Id.ep 26. ra vsum, quamprimum à Petri Principis Apostolorum Vicario contra infideles…
Greg.7. l.1. ep.68. pit, non cogatur in Christi fideles conuertere. Gregorius VII. Per authori…
inquit, quæ data est Apostolo Petro, per nos eiusdem Vicarios, &c. Alexand…
Apud Baro. to.11.an.1071 nu.6. vt loquitur Malmesburiensis, voluit vt Lanfrancus Cantuariensis S. Petri Vi…
vestigijs aduolueretur. Et in Concilio quodam Anglicano eiusdem temporis…
Ib.an.1072. nu.6. Vis diuinæ liberalitatis per Dominum Iesum, à B. Petro in Vicarium eius Pon…
Bernardus ad Conradum, Regem Romanorum & ipse scribit: Quam tamen senten-
Ber.ep.185. tiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summæ…
Apostolicæ sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso…
imperio. Possent sexcenta alia proferri testimonia veterum Scriptorum, in quibus R…
manus Papa Vicarij potius, quàm successoris Petri nomine insigniatur. Sed hæc pau-
ca sufficiant. Hic subit mirari quibus rationibus adductus, tam diligentem ac sedulam operam posuerit in recensendis tot Scriptoribus, qui Pontificem Petri *Vicarium* indigitarint: Neque enim in toto albo aliquis apparet Symmacho antiquior, quem tamen constat nonnisi post annum quingentesimum Ecclesiæ gubernacula tractasse; Sed causam aperit de qua postea. Nobis primùm excutiendus est Cypriani locus; *Certè*, inquit, *Cyprianus generali assertione Episcopos omnes Apostolorum facit Vicarios, dum ait; Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt, qui vos audit, me audit, &c.* Hîc si benè attendis, Marce Antoni, tuo te iugulas gladio; namque si omnes Episcopi, authore Cypriano, *Vicarij sunt Christi*, igitur & in numero quoque Vicariorum Christi, Pontifex Romanus est reponendus, nisi fortè etiam & Episcopatus infulas ei detractas cupis? Igitur propriè, quod vrget Bellarminus, non est Vicarius Petri. *At*, inquit, *omnes Episcopi sunt Vicarij Christi*; adde verò si vis istud, *Et omnes Presbyteri sunt Vicarij Christi*; sed vitiosè satis hinc colligis igitur pari dignitate esse omnes cum Pontifice Romano; Dicuntur enim omnes Episcopi Vicarij Christi in priuatis suis Ecclesiis, sed Pontifex in tota Ecclesia.

Vide Chronolog. Eod.nu.4. Cypr.l.4. ep.10.

SPALAT. Num.5. Iam mentem suam aperit nobis; *Apposui tibi lector*, inquit, *satis multa loca, in quibus priora sæcula Romanum Pontificem libentius appellarunt Petri, quàm Christi Vicarium, aut Petri Successorem, qui in ea Ecclesia in qua Petrus laborando conquieuit; illius vices subit in labore: vt hinc priscorum illorum sanctorum Ponti-*

tifi-

ificum modestia eluceret. Baronius verò & Bellarminus nauseabundi, in hoc titulo
Vicarij Petri, nescio quàm fastidiunt improprietatem; dum alicubi ad marginem ista
notat Baronius: Sic vsurpatur impropriè vox illa Vicarius, vsu loquendi illius tem-
poris, quod loco Petri Christi vicem Papa gerat in terris. Et Bellarminus; Impropriæ
sunt, inquit, illæ locutiones, & solùm ob reuerentiam B. Petri aliquando vsurpantur. Baro. to. 9. an. 740. n. 5. Bellar. de Rom. Pōt. l. 2. ca. 27.
certè si in voce hac Vicarij esset hæc improprietas; non fuisset vox hæc adeo priscis
temporibus communis: sed ideo Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices, quia se
locum Petri, hoc est, puri ministri, & serui substitutos puros ministros, & seruos
cognoscebant. Nunc verò quia nudum hoc dedignantur ministerium, non Petri, sed
Christi, imò Dei Vicarij, speciosissimo titulo gloriantur. Apposuisti satis multa lo-
... media, ac etiam infima illa antiquitate, sed priorum Ecclesiæ sæculorum
... lum proferre potuisti, ex quo peruinceres; Libentius multò vetustissimos Pa-
... Pontifici nomen Vicarij Petri, quàm Vicarij Christi tribuisse; quare cum sum-
... viris Baronio & Bellarmino, cogitandum tibi fuit posteriores Pontifices
... titulum pro sua summa modestia, vsurpasse, quod Vicarij Christi, aut
... successores Petri, à cuius eximiis virtutibus, tam longè abesse se viri mo-
...issimi existimarent, audire erubescerent, cùm tamen non nescirent, & Vi-
... Christi, & successores Petri prioribus sæculis appellatos fuisse Romanos
...fices decessores suos. Cæterùm præter illam animorum demissionem, &
...llis fuit repudiandi illius tituli; Homines enim piissimi Petrum beato æuo
...em tanquam superstitem, nec in mortuorum numero reponendum cole-
...c Ecclesiæ suæ gubernacula per se etiam tractantem venerabantur, vt hæc
...sa fuerit à nomine successoris Petri abstinendi, quippè cùm successor in
...tui locum sufficiatur. Attigit hanc rationem Petrus Rauennas epistola ad
...en: *In omnibus*, inquit, *hortamur te frater honorabilis, vt his quæ à beatissi-* Epist. Petri Rau. ad Eutychen, to. 2 inter Epist. præamb. in Cōc. Chalc.
... Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui
...ia sede & viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim
...o pacis & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas audire
...mus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conseruare
... charissime & honoratissime fili. Propterea scilicet veteres, quæ essent à
...ibus Romanis definita, ac statuta à Petro esse decreta dictabant; Ita in
... sexto Constantinopolitano act. 8. Domitius Episcopus Prusiados di-
...stiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo, Apo- Concil. Chalced. 6. act. 8.
...principalis sedis antiquæ Romanæ, ad Imperat. tanquam ex Spiritu sancto
...ros sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri prædico, suscipio &
...ita credo, ita sentio. Guillelmus Bibliothecarius in Adriano II. recen-
...cationes in libellum Photij pseudo Patriarchæ Constantinopoli-
... scripserat aduersus Nicolaum primum Pontificem Romanum edi-
...emorat. *Te minister Christi Nicolaus, nouus Petrus, veritatis amator*
...inc factum est, vt B. Petri velut in sede Apostolica perpetuò sedentis
...tifices Romani, non tam successores quàm Vicarij dicti sint à non-
... legitima est causa assumpti nominis *Vicarij Petri*, non illa quam
...latensis.

...am aduersarius in Pontifices se Christi Vicarios pronunciantes; *At* Eod. nu. 5. in fin.
... si in voce hac Vicarij esset hæc improprietas; non fuisset vox hæc adeo
...bus communis; sed ideo Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices,

 quia se in locum Petri, hoc est, puri ministri & serui substitutos puros ministros, & seruos agnoscebant. Nunc verò quia nudum hoc dedignantur ministerium, non Petri, sed Christi, imò Dei Vicarij, speciosissimo titulo gloriantur. At certè mira est hæc eius peruicacia & inconstantia; Suprà authoritate Cypriani vrgebat omnes omninò Episcopos Vicarios esse Christi, hic verò typho tribuit, quod hoc titulo Pontifices insigniantur.

Spalat. Num.6. *At sanè, inquit, Petrus Episcopos humillimis verbis compellat, & obsecrat dicens; Presbyteros ego compresbyter obsecro, Pascite qui in vobis est gregem Dei.*
1.Petr.5. *Vnus verò ex Petri non antiquis Vicarijs, hoc pacto loquitur: Cæterùm attendentes,*
Innoc.3.l.2. ep.188. *quod nos Dominus licet immeritos in sede iustitiæ collocauerit, & Vicarios suæ, & Apostolorum Principis constituerit successores; ne videamur acceptorum beneficiorum ingrati, si ei qui nos de puluere suscitatos inter Principes, imò supra Principes, sedere voluit, & de Principibus iudicare, hominem præferamus, &c. Et idem alia, sic Epistolam exorditur: Apostolica sedes, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias*
Id.l.2.ep. 93. *obtinet Principatum, alios vocauit in partem sollicitudinis, retenta sibi plenitudine potestatis, vt quoniam Romanus Pontifex, pro defectu conditionis humanæ, per se ipsum omnia expedire non potest; iuuetur subsidijs aliorum, quibus vices suas committit, ad exemplum Domini & Magistri qui Discipulos suos per mundum vniuersum transmisit. Hoc sanè est non esse Vicarium Petri, sed alium penè Christum, addit, cui se exæquat; & iam vult instar Christi, mittere discipulos suos, qui non Christi, sed ipsius loco & vice, iniuncta ab ipso obeant ministeria: Quippe qui non amplius diuina, sed propria, propriæ authoritatis institutione, plenitudinem potestatis sibi ipsemet reseruauit, & Episcopis quantū ipse voluit, aßignauit. Quis non tanto typho scandalizetur?* Fatemur neminē magis modestiā decere, quàm summū Ecclesiæ Pastoré & Vicarium Christi seruatoris, cuius sit illud, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*; Quare Pontifex se *Seruum seruorū Dei* deprædicat, quod aliquanto modestius est quàm se solū Compresbyterum dixisse; Cæterùm quod attinet ad
Ep.85. locum Petri; summus Apostolus se Compresbyterum, hoc est, vt interpretatur Hieronymus Coëpiscopum vocat, vt Christianæ modestiæ atque Apostolicæ humilitatis exemplum præbeat, cùm tamen iure posset se Episcopum Episcoporum & Ecclesiæ Principem appellare, quippe cui à Domino dictum sit, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos*; Et huius quoque exemplo Petri Successores, tametsi suum agnoscant in vniuersam Ecclesiam principatum, meritò tamen cæteros inferiores Episcopos fratres, & Coëpiscopos nominant; Et quidem tum Petrum, tum Petri successores, cùm ita loquuntur *potestatem ordinis*, & *dignitatem characteris*, quæ par omninò sit in omnibus Episcopis, non verò *amplitudinem iurisdictionis*, quæ suis gradibus distinguitur, spectant.

Non pugnat verò cum ea modestia & humilitate Apostolica, tam acerbè exagitata Innocentij sententia, qua se *Vicarium Christi* indigitat, siquidem, vt alicubi loquitur Augustinus, *non est ista gloriatio elati, sed confeßio non ingrati*; qua *suo fonti*, vt verbis vtar Bernardi, *illa gratia refunditur, atque sua redditur origini*. Immeritò igitur Spalatensis, tantum Pontificem vexat, superbiæ postulat, ac quasi typho turgentem, & insolentius sese efferentem, immaniter traducit.

Spalat. Num.7. Pergit verò esse sibi ipsi molestus; *Quartò*, inquit, *idem Petri Episcopatus probatur ex ijs, qui asserunt Petrum Romanam fundasse Ecclesiam; sua nimirum prædica-*

lication, cum Romanorum ad ... fidem conuersione. Iraneus, Caius, Dionysius Co-
inthius, viri antiquissimi id fatentur, & alij multi: sed simul cum Paulo Petrum fa-
unt Romanæ Ecclesiæ fundatorem, infra num. 10. Chrysostomus; Piscator Petrus, Chrysost. in
quit, quoniam ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam post mortem resplendet Psal. 8.
e clarius. Paulus Orosius: Exordio, inquit, Regni Claudij, Petrus Apostolus Do- Oros. hist.
ni nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, l. 6. c. 6.
entissimisque virtutibus approbauit; atque exinde Christiani Romæ esse cape-
t. Leo; Cùm Apostoli imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum Leo serm. 1.
tibus, suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Ro- de Natal.
i destinatur Imperij. Et ad Antiochenum Episcopum scribens ait: Oportet teme- Apost. Pet.
isse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium Beatissimus Petrus, per to- & Paul.
mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali Magisterio, in Antiochena Leo ep. 66.
Romana vrbe fundauit. Theodoretus: Primus, inquit, eis (hoc est Romanis)
mus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit. Theodosius Imperator; Cunctos, Teodor. in
t, populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione ver- c. 1. ad Rom.
quam beatum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsque adhuc insi- C. de sum.
declarat. Ex his omnibus satis euidens relinqui videtur, Petrum fuisse Romanæ Trin. & fid.
Episcopum & fundatorem, Romaque tandem celebri Martyrio vita functum. Cath. l.
nagna sunt veritatis præsidia, & credo iudicat æquus lector neminem, nisi Cunctos
tæ frontis posse his obluctari: Obluctatur tamen ac vehementius contra populos.
nititur Spalatensis.

hilominus, inquit, his omnibus adhuc stantibus, & nil obstantibus, illud est Spalat.
asserendum, Petrum ita fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, vt tamen nulla Num. 8.
uliari ratione in ea vrbe Episcopatum tenuerit, nisi ratione sui Apostolatus.
nim libro primo, & Petrum, & vnumquemque aliorum Apostolorum, ex vi Sup. l. 1. c. 8.
itus, fuisse Episcopum, in habitu, totius orbis; in actu verò, & Petrum, & nu. 5. & c. 10.
rum quemlibet, fuisse Episcopum illius tantum loci fidelium, in quo quisque nu. 21.
tu Apostolicum munus exercuerit. Quamdiu ergo Petrus Antiochiæ præ-
itam ibi prædicauit) fuit actu Antiochenus Episcopus: & quamdiu Ro-
relizauit, fuit actu Romanus Episcopus. Propterea etiam Paulus, quam-
prædicauit, fuit & ipse Episcopus Romanus, nihil minus quàm Petrus;
ue erat æquè plenè Apostolus, & consequenter æquè plenè Episcopus. Etsi
omæ residebat, & Romæ vterque Martyr effectus est, vterque proculdu-
icetur Cathedram Episcopalem Romæ habuisse, & in Episcopatu Roma-
inctus. Idem dico de Ioanne, qui, si & ipse aliquamdiu Romanis prædi-
fert Tertullianus, etiam ipse eo tempore fuit actu Episcopus Romanus. Tertull. de
s, & quicumque Apostolus tunc dicitur, Cathedram aliquam collocare, præscript.
stituere, cùm non modo alicubi prædicauerit actu, sed etiam ibi censuerit
m Pastorem cum Apostolica authoritate esse deputandum; quem Episco-
nus. Quinimò etiamsi Apostolus alicubi non prædicauerit, nec ipsemet eo
it, nec eo sedem ibi fixurus accesserit, sed aliquem ex discipulis, cum dicta
uthoritate miserit, tunc ille Apostolus sedem ibi seu Cathedram Episco-
erit dicendus. Sed maximè propriè Apostolica illa sedes vocabitur, in
ipse diutius, vt docui libro præcedenti, sederit. Potuit igitur contingere,
contigisse mihi non est dubium, vt Petrus, qui poterat Apostolicum mu-
rbem, vbicumque ei placuisset, suo accessu exercere, viso fructu magno,

 Ecclesiæ Romanæ sperabatur, sese eidem Ecclesiæ sponte qui ex cultura Ecclesiæ Romanæ sperabatur, sese eidem Ecclesiæ sponte qui ex cultura debellandi Simonis Magi, vt inferiùs patebit, manciparit; ita vt sione debellandi authoritatem in illa Ecclesia exactius, & diutius la stolicam exercendo Paulo Romam similiter à Deo destinato contigisse. prorsus puto etiam ratione Ecclesiæ Ephesinæ applicauerit; cùm tamen & ip qui sese pari esset in habitu totius orbis Episcopus. Sic cæteros Aposi quàm Petrus, diuisisse, asserunt multi & meritò; Mundus enim magnus

Baro.to.1. an.44.n.20. & seqq.

Prouincias non potest vbique supplere; ideoque non vnus, sed duodecim fuerunt à C stoli electi. Et quia omnibus dictum est à Christo; Euntes in mundum

Mat.16.

prædicate Euangelium omni creaturæ; ideo quilibet eorum erat in habit. vniuersi mundi; actu verò nonnisi illius loci in quo prædicabat, & Ecclesiæ ministrabat. Respondeo verò Apostolos, quamquam orbis terræ Prouin tione sibi quisque suas delegissent, fas tamen omnibus fuisse vbique lo gentium Apostolica obire munia, & non solùm Euangelium promu Sacramenta ministrare; sed etiam sontes plectere, quod Pauli exemplo mus, & leges condere quæ ad omnes omninò gentes pertinerent: Sic er gratia Iacobus Hierosolymis agens, ac etiam Cathedram obtinens lege menti vnctionis à Christo proculdubiò instituti promulgauit, qua om ninò Ecclesiæ tenerentur. Erant siquidem illi earum gentium & Eccl quibus se applicabant, & in quibus excolendis operam suam ponebant pi, & Antistites cum quadam eminentia ac præstantia potestatis Apo quæ ad omnes omninò Ecclesias, & gentes se funderet. Igitur quamqu guli certas ac constitutas sedes sibi, atque Ecclesias priuatim erudienda tuendasque sumpsissent, eorum tamen authoritas latius diffusa haudqua tam angustis terminis continebatur. Vt ergo egerit Romæ Episcopum & egerit Paulus, vt egerit etiam Ioannes, quod tamen gratis, & sine funda to dicitur, interim eorum potestas latius se fundebat, ac totum etiam terr orbem complectebatur.

Quod verò, addit Spalatensis, *fuisse actu Episcopos eorum locorum bus se addicerent, potestate verò Episcopos totius vrbis*, meræ sunt ludificatio Namque potestas Episcopalis non solùm actu est, cùm se exerit, aliàs Episc nonnisi eius partis suæ Diœcesis cui suam operam actu impenderet, Episc esset, verùm etiam quamdiu vna cum charactere perseuerat facultas vte etiam in illis locis in quibus actu non vtitur, actu est Episcopus. Aliud enim *Potestas*, si benè attendis, *aliud Executio potestatis*: Executio actum depo Potestas facultatem sonat. Igitur vt hic alios missos faciamus, cùm Petrus R manam Ecclesiam regendam nedum extraordinario iure, quod Paulo fas fi sed planè ordinario sumpsit, eius Ecclesiæ, ac totius orbis se Episcopum pr buit, nixus scilicet amplissima illa potestate, quâ Christus summo Apostolo il verbis, *Pasce oues meas*, est largitus. Quod autem Patres etiam Paulum vrb Romæ Episcopum faciunt, hac ratione faciunt, quod Episcopalia munera Ro mæ exercuerit prædicando scilicet, commonefaciendo, & ad pietatem adhor tando, non verò quod ibi sedem fixerit. Et vt fixisset haud ad illum reuocand fuisset eius Episcopatus institutio, cùm Petrum certè Pauli superiorem haberet suæ dignitatis assertorem & authorem. Propterea scilicet qui Ecclesiæ Romanæ ordinem texunt & seriem, non infrequenter ab vno Petro ordiuntur. Sic Au-

gustinus; Si ordo, inquit, Episcoporum sibi succedentium consideratus est, quan-
ò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figu-
am gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ
inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi
'nacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Te-
sphorus, Telesphoro Iginius, Iginio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri
eutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calix-
Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano
rnelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xistus, Xisto Dionysius,
onysio Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Gaius, Gaio Marcellinus, Mar-
ino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Melchiades, Melchiadi Syluester,
uestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siri-
, Siricio Anastasius; in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inueni-
Sed ex transuerso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in
Roma Montensium, vel Cuzupitarum vocabulum propagauit. In illum autem
rem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc ean-
Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora surrepsisset, nihil
dicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait
positis malis: Quæ dicunt facite, &c. Et alibi: Venite fratres, inquit, si
vt inseramini in vite. Dolor est, cùm vos videmus præcisos ita iacere. Nume-
acerdotes, vel ab ipsa Petri sede & in ordine illo Patrum, quis cui successit vi-
psa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Et rursus: Vt ergo
m, inquit, sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt
e in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gen-
net authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firma-
et ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Do-
mmendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet
ipsum Catholicæ nomen, quòd non sine causa inter tam multas hæreses sic ista
sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen
, alicui, vel ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam,
audeat ostendere. Negare non potes, inquit Optatus, scire te in vrbe Roma
mo Cathedrã Episcopalẽ esse collatã: in qua sederit omniũ Apostolorũ caput
ide & Cephas appellatus est: in quo vna Cathedra, vnitas ab omnibus serua-
eteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: & vt iam schismaticus esset
singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est pri-
ius, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemẽs, Clementi
&c. Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cũ quo
orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat. Ita
i puta, Paulus Episcopales functiones modo supradicto, Romæ exer-
ci ratione sui Apostolatus vbiuis gentium præstare liceret, nec tamen
coporum Romanorum, nisi valdè impropriè ponitur, quod scilicet
luo esse Episcopi non debuerunt, & quod eam Cathedram prior oc-
rus, cuius in æuum esset duraturus magistratus, & ad posteros ex vi
to præstitutæ deriuandus, cùm contra ipsius Pauli Apostolatus in-
ostolo esset obliterandus.

aulo acrius iam dimicat aduersarius: Si, inquit, fundatio Romana
tur, eam aut magis, aut non minus Paulo deberi, quàm Petro affirma-

Aug. to. 2. ep. 165.

Id. to. 7. in Psal. contra partem Donati.

Tom. 6. contra epi. Manich. c. 4.

Optat. Mileuitan. l. 2. cõtr. Parm.

Spalat. Num. 9.

mus; Par enim fuit, vt Ciuitas quæ erat caput Gentium, à Doctore ge-
instituereretur. Hæc primùm contra Patres dicuntur, qui primam R
conuersionem Petro tribuunt, & præterea sunt in illis multa, & f
ignorationis plena; Namque quod contendit par fuisse, vt Apostol
Romam Gentium caput institueret, cum ipso Paulo primùm pugn
tis verbis ante visam sibi Romam in fide Christi institutos fuisse R
gnificat, qua de re videro infrà. Demum nedum Gentium, verùm et
rum caput esse cœperat Roma, vt non solùm ex profanis historiis, s
Euangelio habetur. Ac tertiò vt Petrus Circuncisionis, hoc est Iudæ
stolus fuerit, tamen Euangelij ostium primus gentibus ipse aperuit, i
baptizato Cornelio Centurione Romano, quem non ineptè & vrbi
tium *primitias* dixeris, à magno Apostolo Christo sacratas. Neque v
Spalatensi probata Paulo hanc gloriam asserunt, aut Petro detrahun
mus illum ea perturbatissimè recensentem; *De Paulo*, inquit, *habem*
anxius fuerit de Romanorum conuersione: Audi; His autem expletis,
Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaïa, ire Hierosolymam dice
niam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Cur verò tam so
de videnda Roma, si iam Romæ erat Petrus, vt nostri volunt? Et certa est ill
tio Christi: Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic
& Romæ testificari. Quod & præstitit Iudæis, ac Gentibus Romæ euang
De Petro nihil Scriptura dicit, quod spectet ad Romanorum conuersionem, c
diligentissimè de ipso loquuntur, & Euangelia & Acta Apostolorum. Fall
mit scilicet Paulum de Romanorum conuersione fuisse sollicitum: A
enim nouerat eos iam in fide institutos, quod Chrysostomus tradit; Sed
de Roma vidēda cogitabat, vt scilicet aliquid *gratiæ spiritalis impertiret* R
ad eos confirmandos, quorū iam fides annunciaretur in vniuerso mundo; Ho
de se Paulus in Epist. ad Romanos ante illum suum in vrbem aduentum s
& Romam missa, & illo quidem credo tempore quo animo destinauit lu
Hierosolyma, Romam se conferre profitetur; *Sine intermissione*, inquit, *me*
vestri facio semper in orationibus meis; obsecrās si quo modo tandē aliquando pr
iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt al
impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos; id est simul consolari in
per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Ad quem locum ita The
retus: *Quia primus eis magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit necessar*
tulit. Ad confirmandos vos. Non aliam, inquit, doctrinam affero, sed eam qua
oblata est confirmare, & arbores iam plantatas irrigare volo. Quid clarius
potuit? Quod autem quærit, *cur Paulus tam sollicitus sit de videnda Roma, si*
Romæ erat Petrus? Quàm sit acuto ingenio prodit, quasi verò quod in Hie
solymitana Pauli profectione contigit inuisendi Petri desiderium, faces add
Paulo non potuerit, vt Romam quo ille ageret proficisceretur? Sed & Apost
lus veram & legitimam causam eius, quod in optatis haberet ita clarè expresser
vt ineptissimis interrogatiunculis locus non esset relictus; *Vt*, inquit, *aliquid i*
pertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmādos vos, &c. Hoc est; Causa tanti, tam
flagrantis desiderij mei, est, inquit, vt suprà ea quæ iam accepistis aliquid adhu
donorum, seu gratiarum spiritualium vobis per meum ministerium imper
tiar. Igitur Paulus cùm Romanorum fides totum orbem iam peruasisset
summis precibus à Deo præterea contendebat, vt tandem aliquando ad eo
pro

Marginal notes: Rom. 1. — Eod. nu. 9. Act. 19. — Act. 23. — Act. vlt. — In 1. Ca. ep. ad Rom. — Rom. 1. v. 9. & seqq. — Theod. in comm. in ep. ad Rom. — Rom. 1. v. 10

prosperè veniendi potestatem ...ei faceret, vt scilicet illos in fide suscepta confir-
marct. In posteriore etiam loco Actorum nihil est, quod dogma Spalat. ful-
ciat; Testificatus est Romæ de Christo Paulus, Testificatus est Hierosolymis,
sed neutro loco prior testificatus est; neque istud præstitisse ex verbis Christi
olligeris, quibus illud tantùm significatur, non secus ac Hierosolymis, Romæ
iam testimonium redditurum Christo. Ostendat igitur aduersarius Paulum
imùm Hierosolymis concionatum, vt Iudæos doceret, & negotium totum
nfecerit, remque absoluerit? *At, inquit, Paulus scribens ad Romanos sic ait:* Rom. 1.
*ræcis & Barbaris sapientibus, & insipientibus debitor sum; ita quod in me promptum
& vobis, qui Romæ estis, euangelizare. Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem* Rom. 15.
i, vt refrigerer vobiscum. Neque verò rursus ista probant Paulum Petrum an-
ertisse, ac primùm Euangelium Romanos docuisse: *In promptu esse sibi hu
que qui Romæ essent Euangelium prædicare*, dicit; Sed ante Petrum se id ef-
urum minimè dicit: Verùm se in disputando valde acutum probat Spalat.
enim peritia, aut sagacitate ab *authoritate negatiua*, vt vocant, ducitur ar-
entum? Certè vnus extat liber Actorum Apostolicorum à Luca conscri-
de quo non dubitauit Hieronymus pronunciare multa ab authore præ-
issa, quæ etiam ad Pauli Historiam pertinerent; soluens enim obiectio-
corum, qui vt Petrum à Paulo nunquam reprehensum probarent, con-
bant nusquam visum Paulo Antiochiæ Petrum, quod Lucas Historiæ
tolicæ scriptor eius rei non meminisset, sic habet; *Nec mirum, inquit, esse si* Hier. in c. 2.
hanc rem tacuerit, cùm & alia multa quæ Paulus sustinuisse se replicat, histo- Ep. ad Gal.
*bi licentia prætermiserit, & non statim esse contrarium, si quod aliud ob
dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Epi-
Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde transla-
od Lucas penitus omisit.* Quid igitur mirum omissas ab eo peregrinatio-
ri, & in his Romanam? Addo verò ex Scriptura non obscurè colligi Pe-
omæ aliquando fuisse, constare verò ex probatissimis quibusque histo-
esiasticis, longè antequam Romam se reciperet Paulus occasione suo-
culorum, ibidem & egisse, & Euangelium prædicasse. Quod enim ad
am attinet Petrum Romæ fuisse, ex prioris ipsius Epistolæ verbis colli-
eres; *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus* 1. Petr. 5.
s. Nomine enim Babylonis Romam intellexisse, ac occultè indicasse
cent. Ita enim Papias apud Eusebium; *Constat porrò*, inquit, *Petrum* Lib. 2. hist.
ntionem facere in priore Epistola, quam Romæ texuisse dicitur, quam quidē c. 15. aliàs
ibi præscriptam ostendit, dum ciuitatem illam verbi translatione Babylonē 14.
*c modo. Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est in Babylone,
s filius meus.* Eodem planè modo sentit Hieron. *Petrus, ait, in Epistola* Hieron. de
omine Babylonis figuraliter Romā significans: Salutat, inquit, vos Ecclesia script. Eccl.
bylone coëlecta. Similia scribit aliis locis. Idem scribit Oecumenius; *Ba-* in Marco.
m, ait, *Romam vocat, ob excellentiam Imperij & claritatem, id quod olim* In Isa. 24. &
re Babylon obtinuit. Similiter Beda in eandem Epistolam; *Romam*, in- 47. in pro-
Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, in cuius medio logo li. Di-
sia adhuc rudis, & parua iam fulgebat. Et aliquantò pòst; *Et benè*, ait, dymi de
s hortatur ad patientiam aduersitatum præsentium dicit Ecclesiam, quæ Spiritu
Babylone, constitutam, id est, in confusione tribulationum, quia sancta sancto.
permixtione, & pressura Diaboli non potest esse immunis. Neque verò

 testibus nobis opus est, cùm confitentem Spalatensem habeami
namque Romam in sequentibus interpretatur. Scio quàm cont
suo loco calumniam refellemus, & os impurissimum ac scelestissi
mus. Interim à Petro Romam *Babylonem* vocatam accipimus
cet cùm Catholicam illam Epistolam ad omnes omninò fideles
scrque iam ipsius operâ coëlecta (collectam tamen legunt alij, fa
textu) Ecclesia, cuius nomine salutem dicit reliquis Christianæ piet
bus; Cur autem mutato vrbis nomine Babylonem pro Roma scrips
hanc esse volunt viri docti, quod scilicet Christianorum qui Romæ
tiatque incolumitati consultum cuperet, ne si fortè hæc Epistola ad
manus perueniret, intelligerent illi Romæ, non paucos Christo nomi
quod erat tum Senatui, tum Romano Principi, non solùm molestum
exosum. Non esse autem audiendos Nouatores, qui nomine Babylon
Petri vrbem intelligunt, quæ est apud Assyrios vel oppidulum in
Bened.Iust. Explan. c.5. 1.Petri. inuictissimis rationibus ostendit Iustinianus. Meritò igitur nostri ex
probant Petrum Romæ fuisse, & hanc Epistolam Romæ scripsisse.
mus igitur ex Scriptura Petrum Romæ fuisse. Docuisse autem Ro
trum antequam Paulus eò profectus esset, vel quicquam de Christo a
Num. 7. Romani, docent Patres suprà ab ipso etiam Spalatensi citati. *Videamus s*
Spalat. Eod.nu.9. tia. *Certè fidem Romanorum*, inquit, *ac Euangelium à Paulo accepta esse,*
Rom.16. *testatur dicens; Ei autem qui potens est confirmare, iuxta Euangelium meum,*
dicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij, &c. Sed perperam S
tensis hunc locum de Euangelio, quod Paulus prædicasset Romanis, *interp*
tur, Euangelium suum dicit, quod per omnes orbis terrarum oras *sparger*
dissemìnaret, quodque eximia illa Epistola complexus esset, cuius *summa*
Iustificari homines ex Christi fide: Neque enim tum cùm hoc scriberet, *Ron*
aliquando inuisisse, illa eiusdem Epistolæ verba indicant; *Propter quod, inq*
Rom.15. Paulus, *& impediar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. N*
verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens venie
ad vos, ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spe
quod præteriens, videam vos & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fru
tus fuero. Significat enim Paulus sibi sæpè fuisse in animo Romam proficisci, se
hactenus per multas occupationes quibus distineretur non licuisse. Excipit Spa
Eod.nu.9. latensis; *Non quod*, inquit, *ipse personaliter id tunc iam præstiterit, quando hæc scri*
bebat; sed quia id per suos discipulos primùm præstiterit, nam & nouit multos de no
mine, & eos salutat, præsertim Priscam & Aquilam; quos adiutores suos in Christo
Rom.vlt. *Iesu vocat. Et Andronicum & Iuniam salutat cognatos suos, & nobiles in Aposto-*
lis. Et præstiturus erat vt perficeret, quod per discipulos inchoauerat. Quos ad finem
Epistolæ ad Romanos recenset Paulus, quosque saluere iubet, hos Paulo à disci-
plina fuisse ægrè probauerit Spalatensis: Certè ex nomine Andronicum & Iu-
niam recenset, ac ante se Christo militasse scribit, vt proinde eius discipuli esse non
potuerint. De Prisca etiam & Aquila ne coniecturis quidem locus est; etenim
cùm primùm Corinthi eos offendit, ac cum eis se coniunxit, iam Christo nomen
dederant, atque Roma à Claudio pulsi in eam ciuitatem se receperant. Demus
verò & Pauli fuisse discipulos, & Romæ prædicasse; An propterea constat eos
prima surgentis illius Ecclesiæ fundamenta iecisse, nec verò cum Petro non præ-
nitendo duce suam operam coniunxisse? An erat aliquid quod prohiberet Pau-
li

li Discipulos Petro se adiungere, ac eo authore, ac duce Euangelio Christi se-
rendo operam nauare? Nugæ.

Sed vrget Spalatensis locum ex Epistola ad Timotheum; Scribens, inquit, SPALAT. Num.9.
ostea secundam ad Timotheum Epistolam, vt videtur, Româ, sic loquitur; In pri- 2.Tim.4.
ia mea defensione, nemo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt: non illis impute-
r. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio complea-
r, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis. Vbi secundum Chry-
stomum & alios, per Leonem intelligit Neronem; à quo tantisper liberatus, Ro-
næ Ecclesiæ fundandæ egregiam nauauit operam. Et hæc est illa prædicatio, vt au- Act.28.
nt, inquit, omnes gentes. Quia cùm Roma esset caput omnium gentium, inde fa-
fides in omnes gentes erat penetratura. Vnde Ambrosius de Paulo hæc ait; Scri-
Romanis (hi enim caput sunt omnium gentium, vt in his discant cæteri) arguens, Ambr. in proœm. in ep. ad Rom.
. Et postea idem Ambrosius: Præterea, inquit, maius gaudium est, si potentes
di conuertantur ad Deum, quia quanto inimici graues sunt, tanto magis recon- Id. in ep. ad Rom. c.1.
nt necessarij. Et multò plura (vt videbimus infrà capite 3.) in hoc genere consi-
: idem Ambrosius, seu quis alius eorum commentariorum Author, certè anti-

Respondeo locum Pauli hoc vnum probare, Apostolum Romæ causam
ç, ab omnibus desertum fuisse, Deum tamen propitium habuisse, cuius sin-
fauore, ac patrocinio de ore Leonis fuerit liberatus. Addit verò se vinculis
m; hoc enim in Leonis Metaphora spectandum est, amplius & amplius
ndo Euangelio operam impendisse; Sed hæc non euincunt Romæ plus
posuisse in fundanda illa Ecclesia, quam posuerit Petrus, cum quo mi-
e conferat. Hic autem obiter annotandum Paulum, primam suam de-
m vocare, quando primum omnium ad Tribunal Neronis causam di-
hac sua defensione neminem sibi affuisse conqueritur, ac omninò lo-
de iis qui prodesse poterant, quod gratia valerent apud Aulicos. Hos
itus inuaserat timor, vt causam Pauli captiui, nullus eorum auderet ad-
ed cùm esset omnium destitutus auxilio, præsto illi fuit Christus, eum-
oborauit, ne in ea defensione succumberet, ac postremo ex ore Leo-
ripuit ac extraxit, hoc est sæuitiæ Neronis exemit. Quod verò addit
s, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes; miror
em ad fundationem Ecclesiæ Romanæ flexisse, cùm ex Scriptura
nninò, & collectam, & institutam in vrbe Ecclesiam antequam co-
ne causam diceret Paulus. Certè verba sunt Lucæ, Pauli Achatæ ac
m Apostoli socij; Venimus Romam, Et inde cùm audissent fratres, oc- Act.c.28. vers.15.
bis ad Appij forum, & tres Tabernas. Quos cùm vidisset Paulus, gra-
Deo, accepit fiduciam. Non igitur Paulus primùm Romæ prædi-
: rectè monent interpretes, cùm id ei tribuitur, non de primaria
:, sed de confirmatione, vt habet Epistola ad Romanos, est intel-
Melius igitur alij verba Pauli eò referunt, vt significet Apostolus
ulari Dei beneficio, vt solutus ac liber in varias orbis partes Euan-
prædicatione diuulgaret; Atque quidem Hieronymus ex hoc lo-
aulum in Hispania, aliisque Occidentalibus Prouinciis Euange-
gasse: Ad hanc amussim igitur exigat Spalatensis, dictum pseudo-
hoc insuper addat etiam post prædicationem Petri multos relictos,
n aliis verbi diuini præconibus, quibus informandis ac instituendis
addicerent; Erat scilicet amplissima illic instituendorum seges.

Pars.

Iam Patres accersit, qui conuersionem Romanorum æquè i
Spalat. Num.10. tribuunt; *Irenæus*, inquit, *conuersionem Romanorum æquè Paulo ac*
Irenæ. adu. hær. l.3.c.1. & apud Euseb. l.5.c.6. *Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam ed.*
Ait enim; Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesian
cùm Petrus & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus A
Id. Irenæ. l.3.c.3. *xima & Paulo Romæ fundata, & constituta Ecclesia.* Caius vir Ecclesiasti
& Zephyrini Papæ Romani vixit. Ego, inquit, Apostolorum tropha
Apud Euse. l.2.c.24. *pore possum ostendere; nam si lubet in Vaticanum proficisci: (vbi est Petri sepu*
in viam, quæ Ostiensis dicitur, (vbi Pauli templum est, & sepulchrum)
trophæa eorum qui istam Ecclesiam, (Romanam) sermone & virtute st
inuenies. Et Dionysius Corinthiorum Episcopus, sic ad Romanos scribit: *I-*
Apud Euse. ibid. *Paulum qui Romanos & Corinthios primùm in Ecclesiam Christi inserue*
denti quadam admonitione impulsi, in suum locum conclusistis. Nam amb
nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & eiusdem
præceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore parite
Lucius ep. vnica. *tyrium subierunt.* Lucius Papa: *Hæc sancta, inquit, & Apostolica mater*
Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite
licæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauat
cubuit: sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit, ab Authoribus suis
Tertul. adu. Marci. l.4. *stolorum Christi Principibus, illibata fine tenus manet.* Tertullianus & ipse Pa
in fundatione Romanæ Ecclesiæ Petro adiungens: Videamus, inquit, quod
Paulo Corinthij hauserint, ad quam Regulam Galatæ sint recorrecti; quid le
Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij: quid etiam Romani de proximo sonent,
bus Euangelium & Petrus & Paulus, sanguine quoque suo signatum, reliquer
Idem de præscript. Idem Tertullianus de Romana Ecclesia hæc quoque protulit: *Fælix Ecclesia, cui*
tam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt: Vbi Petrus passioni Do
nicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, pos
quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. A tribus erg
Cyril. Catech.17. *magnis Apostolis Romanam Ecclesiam fundatam esse miratur* Tertullianus. Cyril
lus Hierosolymitanus; *Eodem Spiritu sancto, inquit, repletus erat Paulus, postquam*
vocatus est à Domino. Qui ab Hierosolymis vsque ad Illyricum disseminauit Euan-
gelium; qui Regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam vsque prompti-
Chrys. de laud. Paul. hom.7. *tudinem prædicationis extendit.* Chrysostomus; *Cumque vinctus, inquit, per tam*
vastum Pelagus duceretur (Paulus) ita gaudebat tamen, tanquam in maximum du
ceretur Imperium. Etenim non paruum illi præmium vrbis Romæ conuersio propone
Id. in ep. ad Rom. ho.2. *batur.* Nescio tamen cur idem Chrysostomus Petrum Romæ prædicasse asserat, tunc
quando ad Romanos Paulus scribebat; si enim conuersio Romæ Paulum expectabat,
Petrus certè inibi esse non poterat. Secutus itaque est Chrysostomus vulgarem opinio-
Greg.7. l.7. post ep.14. *nem: Si enim rem excutere voluisset, aliud certè inuenisset.* Gregorius VII. dum ex-
communicat Henricum, beatos Apostolos Petrum & Paulum alloquens, ait; Valdè
inuitus cum multo dolore, & gemitu ac planctu in throno vestro valdè indignus sum
Bernard. ep.237. *collocatus.* Et Bernardus; *Successorem Pauli, & hæredem Petri vocat Eugenium.*
Innocentius III. etiam Paulum agnoscit æquè cum Petro Romanæ Ecclesiæ funda-
Inno.3. l.1. ep.235. *torem: ait enim; Licet autem huiusmodi falsitas aliquandiu possit cum operibus te-*
nebrarum abscondi, tamen quia per eam beatis Apostolis specialiter infertur iniuria,
ille à quo in persona eorum Romana Ecclesia authoritatem super Ecclesias vniuersas
accepit,

accipit, vnde & bulla nostra per quam totius negotia Christianitatis aguntur, capitum ipsorum charactere præsignatur, perniciem tanti sceleris non patitur, in tantum præiudicium eorum diutius occultari. Hispania à Petro & Paulo Apostolis, primos septem ad se Romam missos Episcopos gloriantur. Addamus testimonium ex impio auctore vt melius adhuc appareat Romanorum conuersionem Paulo maximè acceptam ferri. Triepho enim quidam Christianus Romæ agens, dum Critiam instruit, & catechumenum facit, hæc inter alia de se, & aliis Christianis Romanis refert; Quando autem me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilo, qui in tertium que cælum per aërem ingressus est, quæ optima & pulcherrima sunt inde didicit, & aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit. Quis non videt hic Paulum describi? Fatetur id Baronius. Tum trum tum Paulum, in adducendis ad fidem Romanis, operam posuisse Patres asserunt, & nos non inuiti tibi damus; atqui istud non quæritur, sed n Paulus an verò Petrus prior eius Ecclesiæ fundamenta iecerit, est in quæne positum, qua de re sic statuunt Patres, Petrum primùm Romæ Euangelium promulgasse, Ecclesiam collegisse, ac collectam optimis institutis ac eraße; Paulum postmodum occasione suorum vinculorum eodem appulum aduertunt, ac toto hyeme verbum Dei prædicasse, & institutos à Petro in confirmasse, adeóque multos alios illis adiunxisse. Ita Chrysostomus, Petrus, inquit, prędicauerat Romę, verùm quæ ille gesserat, Paulus pro suis reputat. a habet Theodoretus. Hoc sensu asserunt citati Patres Petrum & Paulum esse Ecclesiam Romanam, scilicet per prædicationem Euangelij, quod in non controuertitur. Addunt verò etiam vtrumque reliquisse Romanis clium suo sanguine signatum; Ita enim Tertullianus, sed prӕterquã quod illorum Patrum Paulum primùm Romæ prædicasse Euangelium, robandum Spalatensis sumpserat, asserit, cedit istud in decus ac gloEcclesiæ Romanæ, de qua propterea Tertullianus; *Fælix Ecclesia cui doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: Vbi Petrus passioni æ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relecæterùm* Hieronymus doctrinam Ecclesiæ Romanæ, doctrinam Petri ntra Iouinianum, qui impuro ac voluptuario dogmate Romam corconatus fuerat. *Nulláne*, inquit, *fuit alia in toto orbe prouincia quæ præconium voluptatis, in quam coluber tortuosus irreperet, nisi quam* PETRI *à supra Petram fundauerat Christum, vexillum crucis & prædicatioas, idolorum templa destruxerat?*

Amb. Mor. Schol. in Eul. Tol. in Bibl. SS. PP. tom. 9. Lucian. in Philopat.

Bar. tom. 1. an. 68. nu. 2.

Tert. de præscript.

Hier. li. 2. cont. Iou. circa fin.

at Spalatensis, *Propterea igitur passim resolutio*, inquit, *Romanorum ad suum principium, terminatur tandem ad Petrum & Pau- udi Irenæum; Fundantes igitur & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, atum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit Anacletus; post eum c. Idem quoque Hyginum dicit, Romæ nonum locum Episcopatus, per ab Apostolis habuisse. Epiphanius verò; Romæ, inquit, fuerunt primi ulus Apostoli ijdem ac Episcopi; Deinde Linus, deinde Cletus, deinde . Et Eusebius; Alexander, inquit, quintus successione à Petro & Pontificatum obtinet. Quid verò quòd primi Episcopi post Apostolos & Clemens, fuit vterque discipulus Pauli? Nonne hoc indicat plus*

SPALAT. Num. 11.

Iren. l. 3. c. 3.

Id. l. 1. c. 28.

Epiph. hær. 27.

Euseb. l. 4. ca. 1.

 quàm Petrum Romanam fundasse Ecclesiam? Iunxit... Paulum, Apostolorum, ac de communi consilio cùm alter alterum R... rebus Ecclesiæ consuluisse nullus dubito: sed Paulum egisse R... si Ecclesiastici vocabuli vis ac energia attendatur, vix est vt cor... Cathedram ibi figere non potuerit, occupata, vt omnes Patres... à Petro Apostolorum Coryphæo. Accedit quod cùm Paulus... stolus diuinitùs constitutus esset, vt omnibus nationibus Euang... ferret, nulli certo loco astringi & veluti alligari debuit. Quod erg... Scriptoribus Paulus inducitur Episcopus Romanus, ad functio... quas Paulo vbique obire licuerit, omninò referendum est, non a... lam erectionem, quam vni Petro acceptá habet Ecclesia Romana... telligendus Epiphanius, qui expressis verbis Paulum cum Petro Ep... manum facit: scilicet ad munia Episcopalia respexit, cùm tamen e... ret Episcopatus Romani propriè spectati fundamenta vnum ieci... Hinc scilicet, vt ostendimus, plerique eorú qui, Catalogos Romano... ficum contexunt, à Petro, prætermisso Paulo initium ducunt, ac den... num, Clementem ac deinceps alios progrediuntur, vt iam pudere d... latensem putidi commenti, quo admisso oporteat à Paulo incipere, ac... Paulum regredi. Quod autem Linum & Clementem Pauli *discipulo...* scio vnde habeat; Et vt verum sit, annon potuit Petrus *Collegæ sui a...* mi discipulos suæ Cathedræ successores ac hæredes deligere, *& Ecclesi...* rectores renunciare; Annon potuit etiam de Pauli consilio? *Apage h...* las. Satis est nobis, quod ab antiquissimis Patribus, vel *ipso fatente Sp...* vocatur Ecclesia Romana *Cathedra* Petri, & locus Pontificis *Romani lo...* *tri.*

1. Tim. 4. & Phil. 4. & Euf. l. 3. c. 4.

Sup. nu. 2.

Spalat. Num. 12.

Sed vehementiùs contra nostram sententiam nititur aduersarius. *Hinc est, inquit, quod plurimi Romani Episcopi, se authoritatem accepisse ab Aposto... principibus* Petro *&* Paulo, *& eorundem authoritate se multa agere, sæpè testa... Hodie authoritate B. Apostolorum* Petri *&* Pauli *fiunt absolutiones & intern... tiones. Imò non minùs etiam* Pauli *Vicarij dicuntur* Romani Pontifices*: vt in... dam Synodo sub Ioanne octauo: Ibi enim Episcopi illius Synodi ita loquuntur ad... rolum secundum Imperatorem: Iam quia diuina pietas vos beatorum* Principum *A... stolorum* Petri *&* Pauli *interuentione, per Vicarium ipsorum Dominum videl... Ioannem, summum Pontificem, & vniuersalem Papam, specialemque Patrem no... strum ad perfectum sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium inuitauit, &c. L... prandus etiam Episcopus Cremonensis, in sua legationis relatione hæc habet; S... quicquid in Italia, sed in Saxonia, Bauaria, omnibusque Domini mei regnis est, qu... ad Apostolorum beatorum Ecclesiam respicit, sanctissimorum Apostolorum Vicari... contulit.* Respondeo Apostolicam Authoritatem qua potitur Pontifex, etiam in Paulo resedisse, quippe qui non secus ac Petrus Christi Apostolus fuerit; quare mirum esse non debet Pontificis quem hæredem Apostolorum nu... ncupat Hieronymus, potestatem ad Paulum etiam referri: Maximè verò quod cum Pe... tro operam nauarit ei Ecclesiam instituendæ, quodque totum sanguinem cum doctrina ei profuderit. Igitur dicuntur Pontifices multa præstare autho... ritate Petri & Pauli, quod vterque nouellam illam plantam excoluerit, ac denium cruore suo asperserit ac irrigarit. Sed primas in ea Ecclesia fundanda habuit, Pe...

Apud Bar. tom. 10. an. 876. nu. 16.

trus

trus tamen quod primus Romæ Euangelium promulgarit, tum quod eam se-
dem pro authoritate Capitis Ecclesiæ ad summum dignitatis gradum euexerit;
Paulus equidem eum sequutus institutos in fide Romanos confirmauit, sed se-
dem Romæ non fixit, cuius ratione eius vrbis Episcopus censeri possit. Igitur vt
...m absoluam, si vterque Romanorum fuit Apostolus, eximia tamen ac pecu-
...tri quadam ratione Petrus eorum fuit Episcopus, à quo propterea originem
suæ successionis seriem ducunt reliqui Pontifices, quod Patres à Spalatensi ci-
...non obscurè tradunt. At inquit Spalatensis Pontifex vocatur *Pauli & Petri*
Vicarius. Annuo equidem, & præterea addo omnium Apostolorum Vicarium
...i posse, quod scilicet eorum & nomen & dignitatem repræsentet, sed longè
...ersa ratione. Dicitur enim Vicarius Apostolorum, quod in labores eorum in-
...erit. Dicitur Vicarius Pauli, quod Romam suæ authoritatis sedem nactus
...quam Paulus sua doctrina illustrarit, ac etiam suo sanguine consperserit, &
...ti sacrarit: Dicitur verò *Vicarius Petri*, quod eam Cathedram insideat, in
...Petrus Episcopus sedit. Cæterùm ne cui *Vicarij Petri* nomenclatura impo-
...repetendum est ex superioribus, quo sensu dicatur Pontifex *Petri Vicarius*,
...ad eam amussim est exigendus Vicarij Apostolorũ aut etiam Vicarij Pau-
...lus. Cæterùm quod attinet ad Ticinensem Synodum quam profert ad-
...ius, miror non aduertisse eum vno eodem tenore Patres, qui Ioan-
...VIII. Pontificem Petri & Pauli Apostolorum Vicarium nuncupassent, ista
pronunciasse; *Iam quia diuina*, Concilium alloquitur, *pietas vos beatorum*
...*rum Apostolorum Petri & Pauli interuentione per Vicarium ipsorum homi-* Conc. Ticin. to. 2.
...*delicet Ioannem summum Pontificem & vniuersalem Papam, spiritualemque*
...*nostrum ad profectum S. Dei Ecclesiæ nostrorumque omnium inuitauit, &*
...*riale culmen sancti Spiritus iudicio prouexit: nos vnanimiter vos Protecto-*
...*minum & defensorem nostrum elegimus, cui & gaudenter toto cordis affectu*
...*idemus, & omnia quæ ad profectum totius S. Dei Ecclesiæ, nostrorumque om-*
...*item decernitis, & sancietis, totis viribus, annuente Christo, concordi men-* Conc. Ticin. in resp.
...*mpta voluntate obseruare promittimus*. Sed & ipsissimorum Patrum ea S. Synodi.
...l Ioannem: *Placet & valdè placet in omnibus vestra serenissima sectari*
...*eque fas est, vt à culmine Apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem*
...*se Christus Dominus noster omnium nostrûm ad vicem suam in terris esse*
...*it*. Qui igitur Pontificem Petri & Pauli Principem Apostolorum Vi-
...ligitant, iidem ipsi vniuersalem Papam, & caput à Christo constitutũ
...it; vt igitur Vicarium Pauli ex eorũ sententia Pontificem statuit Spa-
...corum vestigiis insistere pergens eum & vniuersalem Papam & ca-
...æ agnoscat & veneretur. Sed perstat in errore, & rursus Paulum
...omponit; *Quinimo adhuc Romæ*, inquit, *in plumbeo sigillo Paulus*
...*tram collocatur. Et in altari sancti Petri in Missis solemnibus Papali-* Eod. nu. 12. in fin.
...*edecim Apostolorum ita disponuntur, vt ad dextram crucis, quæ est in*
...*sit Paulus, & primus post crucem thurificetur, (nisi nuper hoc etiam*
...*) à sinistris verò eiusdem crucis primus ponitur Petrus, & statim post*
...*ficatur. Et nunquam fit officium de altero, quin alterius quoque fiat com-* Apud Ben.
...espondeo quod non nemo aduertit hoc ipsum, quod de diploma- Iust. de Ap.
...us affertur, magnam multis disputandi materiam præbuisse. Ne- c. 9. tom. 1.
...it viri in humanioribus litteris exercitati, qui læuam aliquando Comm. in Paul.
...fuisse contendant, *quinetiam Eusebius scribit*, inquit Iustinianus, Euf. l. 1. de vita Const.

se in Palæstina vidisse Constantinum adolescentem ad dextram [illegible]
uinciam obeuntem: nec dubium est Constantinum adolescentem, [illegible]
co digniore seniori Augusto relicto inferiorem videri voluisse; S[illegible]
sunt quæ obiectioni omninò satisfaciunt.

Dicendum enim primò eum honorem delatum laboribus,
sapientiæ, qua proculdubio & reliquos Apostolos, & ipsum P[illegible]
ac excelluit. Enimverò Ecclesia in Sanctorum cultu & venera[illegible]
aut gradus perpetuò rationem habere non solet. Licet enim St[illegible]
rentius ille quidem Iacobo, hic verò Sixto Romano Pontifici D[illegible]
præbuerit, ille tamen maiori quàm Iacobus, hic quàm Sixtus hon[illegible]
alij permulti sancti, quamuis gradu summis Pontificibus inferio[illegible]
tu ac veneratione celebrantur. Adde, si placet, quod cùm Paulus [illegible]
stolus, Petrus verò Iudæorum sit constitutus, eò Pauli honor refer[illegible]
gamus Gentiles Iudaïco populo præferri. Addunt alij meritò eu[illegible]
Paulo tribui, quod à Christo immortali & Beato sit in Apostolor[illegible]
cooptatus. Addit deniquè nónemo mysticam quandã rationẽ quod
ex tribu Beniamin, quem filium dextræ interpretantur. Dicendum
Lib.1.Dial. c.vlt. per dextrum latus occupare Paulum, sed in numismatibus sæpè dex[illegible]
Petrum: Et fortasse magno id consilio factum, vt eos omninò pares
ligeremus; Petrus quippè potestate maior, sed sapientia, vt diximus,
videtur Paulus. Vno verbo, *Paulus Apostolus*, vt loquitur Gregorius,
postolorum primo in principatu Apostolico frater est. Nec displicet quod a[illegible]
tunt, fragile duci à picturis argumentum, *Pictoribus atque poëtis, &c.*

SPALAT. Num.13. Sed Baronium exagitat Spalatensis, quod protritis istis suis argume[illegible]
moueatur; *Non placet Baronio*, inquit, *Pauli cum Petro in fundanda &*
Romana Ecclesia, societas; quia plurimùm supremæ illi Monarchiæ Petri &
sorum derogat, ideo lectis illis Irenæi verbis, Euangelium nimirum à Matth
editum, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent & fundarent Ecc[illegible]
Bar.to.1. an. 41.n.15. *Communi, inquit, potius tum ipsius tum cæterorum Patrum, vsu loquendi (Ire[illegible]*
cùm de Romana Ecclesia fit mentio, Paulum æquè ac Petrum nominasse: non
Paulus eodem tempore, quo Petrus, Romam venerit, ac simul cum Petro pri[illegible]
fundamentum iecerit; sed quod desuper ædificauerit: ac denique eandem Eccle[illegible]
Rom.15. *vna cùm Petro, sanguine consecrauerit. Hæc Baronius; Immemor vt puto, [illegible]*
Pauli sic prædicantis Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alie[illegible]
Isai.52. *fundamentum ædificaret, sed sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum, [illegible]*
videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod (inquit idem Paulus)
Rom.15. *impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. Nunc [illegible]*
vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens venie[illegible]
ad vos, ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, sp[illegible]
ro quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fru[illegible]
tus fuero. Atqui hic locus Pauli, Baronij sententiam non euertit; namque no[illegible]
hoc significat Apostolus se nunquam in iis locis Euangelium prædicasse, in qui-
bus esset ante Christus celebratus, alias mendacij absolui non posset; Si quidem
& Antiochiæ & Hierosolymis sæpissimè de fide ac religione disseruit, & tamen
constat & Hierosolymis & Antiochiæ fuisse Euangelium promulgatum, ante-
quam eas vrbes prædicandi gratia ipse vnquam inuisisset: Sed hoc signi ficat vt
plurimùm in iis regionibus Euangelium promulgasse, vbi ante illum nemo Re-
ligionis

ligionis Christianæ iecisset fundamenta, ac eas præcipuè gentes fidei præceptis
instituendas suscepisset, quæ nihil adhuc de Christo inaudissent, quod certè ve-
rissimum est, nec Baronio aduersatur. Cogitur verò hîc aduersarius manus da-
re; Sic enim de Paulo: *Præmiserat quidem suos discipulos, non sine magno fructu;* Eod.nu. 13. in fin.
id ipse rem perfecturus suum quoque aduentum Romam maturabat. Igitur & eos
aliquando instituendos suscipere non est grauatus, qui aliquam ante Christi no-
tionem percepissent, Christoque nomen dedissent. At quanquam certum est Pau-
lum Romanos fide Christiana imbuendos suscepisse, cùm Romæ lux Euan-
gelij aliena opera affulsisset, tamen quod, vt hunc honorem præripiat Petro,
fingit aduersarius, *suos discipulos præmisisse Romam, vt veluti suo nomine nego-
tium auspicarentur ac inchoarent*, vt gratis dicitur, etiam gratis reiicitur ac re-
fellitur; Nec credo vllus locus est Scripturæ qui hoc doceat; Stat ergò firma &
inconcussa sententia Baronij Petro eam gloriam asserentis. Sed vide obstinatum Spalat. Num.14.
animum. *Erat igitur*, inquit, *Paulus Romæ prædicaturus Euangelium, vbi non-
dum fuerat per vllum Apostolorum prædicatum. Is verò tantoperè non laborasset,
vt peruenirer Romam, si Petrus iam ibi esset: neque imperfectionem fidei iam susce-
ptæ Romanis argueret; si à Petro illi edocti fuissent. Desidero videre vos*, inquit, Rom. 1.
*vt aliquam spiritualem vobis administrem. Carnales illos sensus assecutus significat,
ait, Ambrosius, quia sub nomine Christi, non illa quæ Christus docuerat, fuerant
assecuti: sed ea quæ fuerant à Iudæis tradita. Constat enim* (*inquit idem Ambrosius*) Amb.in ep. ad Ro. c.1.
temporibus Apostolorum Iudæos, prætereà quod sub regno Romano agerent, Romæ Idem in proœm. in ad Rom.
*habitasse; ex quibus ij, qui crediderant tradiderunt Romanis, vt Christum profiten-
tes legem seruarent. Romani autem audita forma virtutum Christi, faciles ad cre-
dendum fuerunt; sed malè inducti, statim se correxerunt; vt potè prudentes, & man-
serunt in eo. Igitur ex Iudæis credentes, & improbè sentientes de Christo, legem ser-
uandam dicebant; quasi non esset in Christo salus plena. Ideò negat Apostolus illos
spiritalem gratiam consecutos. Et postea. Romanos igitur, inquit, quia in lege inducti* Id. Amb. ibid.in c.15.
*erant, interim per epistolam corrigit. Quæ verò isthæc arrogantia, vt Paulus cor-
rectioni Romanorum & institutioni tantoperè instet: Si Petrus Romæ adest; &
Romani Petri doctrinam hauserunt.* Hæc inconsideratissimè dicuntur, nam
si Petrus Romanos instituerit in fide, an propterea non potuerint quidam il-
lorum à vera pietate desciuisse, quibus propterea vsui esse posset doctrina Pauli
ab errore reuocandos; Annon illi ipsi qui à Paulo erant instituti aliquan-
do à fide defecerunt, eiusque opera indiguerunt, vt ab errore purgarentur,
& reducerentur? Quorsum igitur Corinthios, Galatas, ac reliquos non
semper seuerissimè coarguit, inconstantiæ postulat, ac etiam schismatis,
& impietatis accersit? Sic Cor. 10. *Propter quod*, inquit, *charissimi fugite* 1.Cor.10.
ab idolorum cultura, &c. Qui se existimat stare videat, ne cadat, &c. Sic Gala- Ad Gal. 5.
tas: Currebatis benè, inquit, *quis vos impediuit veritati non obedire? Per-
suasio non est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrum-
pit.* Cur non prætereà qui essent à Petro instituti, quod omnes omninò in-
ter epistolæ ad Romanos factum monent, potuerunt à Paulo confirma-
ri? Immò nonne etiam post sanctissimos Petri & Pauli labores locus re-
manebat pluribus ad fidem adducendis?

Quod verò vrget Spalatensis, imperfectionem fidei susceptæ à Romanis la-
tam, vt verum sit Petri industriâ non eleuat, sed auditorum potius in-

 constantiam prodit. Certè Spalatensis videt Romanos, anteq. Paulus, à Pauli discipulo Christiana pietate imbutos: Si igitu cedit argumentū, incassum quoque Paulus eam operam suscep rectè dixerit aliquis, annon multi ex discipulis Pauli erant ad p Sed mentem Apostoli non est assequutus aduersarius, Fidem Ro traducit, sed omninò eximiis laudibus ornat. Sic intellexerunt I

Cyp. ep. 55. nus: *Post ista*, inquit, *adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hær nauigare audent, & ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam prin vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferr eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante, laudata est) ad habere non possit accessum.*

Hier. apol. cont. Ruff. Hieronymus, Scito, inquit, *Romanam fid lica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angel nunciet, quem semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non p*

Id. adu. Iouin. l. 2. ad fin. Item, *Vrbs potens*, inquit, *vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laud pretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, a tatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris: virtus te excelsam faciat, non volu lem.*

Theod. ad Leon. inter ep. Leonis post ep. 62. Thcod. *Alias vrbes*, inquit, *ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, vel eorum, qui inhabitant: Nonnullas autem iis priuatas, dona quædā illustra lia. Vestræ autem redundantem bonorum copiam dedit is, qui est bonorum Ea est enim omnium maxima & præclarissima, & quæ præest orbi terrarum rum, qui inhabitāt, & abundant multitudine. &c. Præcipuè verò & insigni exornat fide dignus testis diuinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annunc vniuerso mūdo.*

Cyp. ep. 31. Quare nihil subest vanitatis in illis Cleri Romani verbis: *A hæc*, inquit, *apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua: quon tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo, Quia fides vestra prædica toto mundo, nisi iam exinde vigor iste radices fidei de tēporibus illis mutuatus fu quarum laudum, & gloriæ degenerem fuisse, maximum crimen est.* Nam & comprobat Cyprianus: *Claruit, fratres charissimi*, inquit, *fides, quam de v*

Cyp. ep. 57. *beatus Apostolus prædicauit. Hanc laudem virtutis & roboris firmitatem iam t in spiritu præuidebat, & præconio futurorum merita vestra contestans, dum par tes laudat, filios prouocabat. Dum sic vnanimes, dum fortes estis, magna cæteris tribus vnanimitatis & fortitudinis exempla tribuistis.* Quod igitur ait Paulus; *D sidero enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis*, ad confirma tionem in suscepta fide omnino, vt supra monui, est referendum. Poterat eni Paulus, vel noua & nondum ipsis perspecta dogmata proponere, vel etiam rum præcepta tradere, ac Ecclesiasticam disciplinam nouis legibus munire, queex iis quemadmodum ex aliis gentibus fructum aliquem referre, qua quam essent illi à Petro in fide instituti. Non igitur arrogantiæ insimul lau venit Paulus, quod se laboribus immiscuerit Petri, quandoquidem amplius ac amplius in suscepta fide; nedum à Paulo, verumetiam à quouis alio Euangeli præcone confirmari potuerint.

Spalat. Num. 15 Bar. to. 1. an. 58 n. 48. 1. Rom. 1. Ambr. in Proh. vbi sup. Obiicit vero sibi ipsi Spalatensis, quę & nostram sententiam fulcire pos sunt, & suam causam conuellere. *Et tamen*, inquit, *Fidem Romanorum*, inquit, *idem Paulus plurimum commendat, & Deo gratias agit; quia fides eorum annun ciatur in vniuerso mundo.* Respondet Ambrosius hoc pacto: *Romanis irasci nonde buit, sed laudare fidem illorum; quia nulla virtutum videntes insignia, susceperant fidem*

dem Christi: quamuis corruptio sensu: non enim plenè audierant mysterium crucis
Christi. Hi sine igitur Petrus iam instruxerat? Hine Petro Magistro vtebantur?
nter istos ne Petrus versabatur? Respondeo sensum Pauli non assecutum pseu-
o-Ambrosium, ac eius sententiam non solùm cum aliorum Patrum interpre-
tione, verùm etiam cum ipsius Pauli mente pugnare. Si enim adulter sensus
omanorum fidem corruperat, quî potuit Apostolus citra mendacium hæc
corum potestate dixisse? Primùm gratias ago Deo meo per Iesum Christum, pro
mnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. An corruptam
vitiatam fidem istis tantis laudibus ac encomiis ornasset ac celebrasset? Gra-
, inquit, ago Deo pro fide vestra quæ tanta est vt fama eius totum mundum per- Rom. 1.
etur. Non potuerunt ista ab eximio Apostolo, & ab omni assentatione
io de fide parum sincera vsurpari? Sed si, quod vult pseudo-Ambrosius,
sceon sordibus se inquinarunt Romani, quæ mens, quod os, quæ frons es-
orius Apostolo hæc effundenti? Certus autem sum, Græcè πέπεισμαι, Per- Rom. 15.
um habeo, fratres mei, inquit, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis, v. 14.
omni scientia, vt possitis alterutrum monere. Ac rursus ista, Vestra obe- Rom. 16.
a in omnem locum diuulgata est: gaudeo igitur in vobis. Certè si à fide de- v. 19.
nt Romani, si, quod ait pseudo-Ambrosius, non planè audierant myste-
crucis, apertè magno suo dedecore eis adulatur Paulus, ac palpum obtru-
igitur concedamus non omninò malè interpreti plures fuisse è numero
norum, qui opera pseudo-Apostolorum à suscepta fide exorbitarint, &
ium Iudaïzantium dogma inclinauerint; non fuit ea labes omnium, sed
um dumtaxat, quos tamen ad meliorem frugem statim redijsse inculcat.
ùm Paulus Romanos reprehendit, non omnibus inconstantiæ labem
, sed iis dumtaxat, qui pseudo-Apostolis legis necessitatem cùm Chri-
i professione necessariam dicentibus patiëtem aurem accommodassent;
er cùm eos laudibus ornat, non omnes complectitur, sed eos solùm
tilens, vt ita dicam, illud sydus non afflarat, quorum & obedientiã præ-
omnibus numeris absolutam diuinarum rerum cognitionem eis tribuit.
stat aduersarius; Cur verò Petrum in eadem sua epistola ad Romanos, in- Eod. nu. 15.
lus non salutat, vbi plurimos longè inferioris ordinis salutat nominatim? Rom. c. vlt.
eo: fieri potuit, vt cùm Paulus eam Epistolam scriberet, Roma abesset
eque enim magnum Apostolum sedi Romanæ tanquam Prome-
uem in Caucaseo saxo sic religamus, aut affigimus, vt ei liberum fuis-
xire inficiemur, ac alio se conferre, vt Euangelij lucem etiam aliis
præferret Romam aliquando rediturus. Certè ipse Paulus post con-
omanos, multas alias orbis terrarum oras peruagatus est, & in his
si quid vetustioribus Patribus fidei habeatur, lustrãs, ac postmodum
liit. Præterea nec abfuisse Roma Petrum, cùm hæc scriberet Paulus,
tcunque salutem ei non dicat. Nam & ad Ephesios scribens, nec Ti-
Ecclesiæ, si quid Eusebio creditur, primo Antistiti salutem dicit, nec
, Hierosolymitano Episcopo in Epistola, quam ad Hebræos misit.
Bellarminus Cardinales priorem solutionem amplexati Petrum
n à Claudio, atque nondum in vrbem reuersum tum temporis,
d Romanos scriberet, contendunt, hancque velut esse rationem
non dixerit Paulus: Sed vtrumque exagitat Spalatensis, Respon- Eod. nu. 15.
tronius, eam potissimum huius rei causam credi, quod Petrus edicto

Claudij iam semel Roma cum Iudæis pulsus, in Occidentem ad e. Baron.to.1. an 58.n 51. *prædicationem Euangelij conuerterit; ibique tunc occupatus fu* Bellarm de Rom. Pôt. lib.2.c.7. *Petrum in Occidentem hoc tempore reducit; dicit enim tu contra Petrum fuisse reuersum.* Respondeo coniecturas Baronij & Be *Syriam* thoritate fidelissimorum Historicorum ac magnorum Patr pulsum fuisse Petrum cum reliquis Iudæis tradunt, vt est etiai Spalatensi obseruatum. Sed instat Spalatensis, *aitque Aposto fuisse Ecclesias à se fundatas ita deserere, etiam occasione vlteriori* Eod. nu.15. *quin saltem in ijs Episcopos & rerum Ecclesiasticarum moderatores tuerent; quod tamen Roma factum non apparet: Et si imperfectam datam, vt patet ex Epistola Pauli ad Romanos, relinquerat; cur J Claudio, ad tam insignem Ecclesiam, ipsi iam dedicatus proprius Ep rediit, illam perfecturus, ad quam Aquila & Priscilla, & alij ex Iudæ dem Claudij edicto, Roma pulsi, vt fatetur, & docet ipsemet Baroni* Baron.to.1. An.58.n.55. *iam redierant?* Potuit, inquit rursus Baronius, *& illud perfacile accidi, dixerimus his temporibus Petrum Romæ egisse vt familiares alias ad lus eidem tabellario dederit litteras; adeo vt non opus esset per alios sa ipse suis priuatis litteris monens salutem plurimam impartitus esset. Ha manitatis officia inter Apostolos intercessisse, quis tam ab humanitate a gare præsumpserit? Hæc Baronius. Si hoc pacto historicas difficultates li re, sola arbitraria diuinatione, absque vllo prorsus iudicio aut fundamen erit in Historiis, præsertim sacris & diuinis, tam difficile, quod confictis, to nouis Epistolis perpetuò inauditis, non possit quisque facillimo negotio, pau absoluere, & in quocunque sensu, etiam Historia aduerso confirmare. Itane Scripturæ difficultates enodantur?* Nos verò tanquã Apostolicæ prudétiæ cc taneũ admittimus, relictos à Petro proficiscéte suo loco Episcopos; sed neg hac in parte Petrum officio suo defuisse; siquidé ob crebras suas peregrinati Linum & Clementem Coadiutores habuit, ac eorum ópera absens Roma rexit Ecclesiam, quod à Ruffino præfatione in Clementem animaduersum, a Epiphanio traditum miror non vidisse Spalatensem. *Quidam*, inquit, *requir quomodo, cùm Linus & Cletus in vrbe Roma ante Clementem hunc fuerint Episc ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi cathedram traditam: iusrei hanc accepimus esse rationem, quod Linus & Cletus fuerunt quidem ante mẽtem Episcopi in vrbe Roma, sed superstite Petro: vt illi Episcopatus curam ger ipse verò Apostolatus impleret officium. Sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fe vbi, cùm ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatũ habebat Episcopum: & modo vtrumque verum videbitur: vt & illi ante Clementem numerentur Episcopi, & Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem.* Roma, inquit Epiphanius, Epiph. hær. 27. *primi omniũ Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt. Inde Linus; tum Cletus. Post hunc Clemens Petri & Pauli temporum æqualis, de quo Paulus meminit ad Romanos scribens. Neq; verò miretur aliquis, quod ante ipsum in Pontificiam dignitatem alij Apostolis successerint, cùm Petri & Pauli esset æqualis, ijsdem enim ille tẽporibus vixit. Vtrum illis adhuc superstitibus impositis manibus Episcopus à Petro cõsecratus, eaque detrectata prouincia ab omni administratione vacauerit. Ita enim in quadam epistola scripsit: Recedo, exeo, insfet populus Dei, nonnulis vide- licet hoc modo consulens: nam in quibusdam commentarijs ita scriptum reperimus, an potius secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquido non constat.*

Ἐν Ῥώμῃ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ Ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος, εἶτα Κλήμης, σύγχρονος ὢν Πέτρου καὶ Παύλου, &c.

Quanquam vel hac quidem ratione poterant viuentibus adhuc Apostolis, Petro sci-
licet ac Paulo, Episcopi alij surrogari; quod ijdem illi prædicandi Euangelij gratia in
alias vrbes regionésque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non
posset. Siquidem Paulus in Hispaniam peruenit: Petrus verò Pontum ac Bithyniam
sæpenumero peragrauit.

Πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτως ἠδύνατο ἐπὶ περιόντων τῶν ἀποστόλων, φημὶ τῶν περὶ Πέτρον καὶ Παῦλον, ἐπισκόπους ἄλλους καθίστασθαι, διὰ τὸ τοὺς ἀποστόλους πολλάκις ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τὴν πορείαν στέλλεσθαι, διὰ τὸ κήρυγμα τοῦ Χριστοῦ, μὴ δύνασθαι δὲ τὴν τῶν Ρωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι.

Sed vehementius nititur ac vrget Spalatensis, *Quid verò*, inquit, *sibi volunt*
a Iudæorum Romæ habitantium verba ad Paulum: Nos neque literas accepimus
te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus est quid de te
lum. Rogamus autem te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia
que ei contradicitur. Si Petrum habuissent præsentem, & eius prædicationes au-
ent, non essent adeo noui & rudes, neque opus haberent vt Paulus aliquam eis
iorẽ sectæ ipsis nouæ notitiã traderet. Respondeo falsum iudicij Spalatensem,
existimarit hos primores iudiciorũ, de quibus agit Lucas, hac ratione addu-
, vt Paulum de secta Christianorũ consulerent, quod eius pleniorẽ notionẽ
ro non accepissent; non hæc eum cõueniendi illis causa fuit, sed quod cùm
erríma esset Pauli fama, tum propter eximiam doctrinã, tum ob crebriora
iracula, quorũ fulgor totum orbem peruaserat, rescire auerent, quod esset
e religione Christiana iudiciũ. *Rogamus autem*, inquiunt, *à te audire quæ* Eod. nu. 15. Act. 28.
Nam de secta hac notũ est nobis quia vbique ei contradicitur; Scilicet Pau-
lege valdè exercitatũ nouerant, ac propterea quid de recentiori Christia-
octrina, quæ cum lege pugnare videretur, sentiret, ab eo edoceri cupie-
t fortasse spem reciperant Paulũ ad auitam religionẽ reuocandi; Neque
ui hoc à Paulo quæsierunt, in albo erant fidelium, qui authore Petro
nomen dederant, sed de eorum planè numero qui fidem repudiantes
e suæ peruicaciæ, illud sibi à Paulo opprobrari audierunt; *Quia benè,* Act. 28. v. 25.
Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam Prophetã ad Patres nostros, dicens:
populum istum, & dic ad eos; Aure audietis, & non intelligetis: & viden-
tis, & non perspicietis. Quid igitur mirum est hos nil de Petro sollicitos
minimè eius pernoscendi & audiendi desiderio exarsisse? Et vt eum
non patiebatur fastus ac arrogantia insolentissimorum hominum, vt
em aliquam haberent. Cæterùm verba Lucæ, quod superius monui,
iana clariùs ostendunt eo ipso tempore, hoc est antequam Paulus eò Ibid. v. 15.
t, Romam fidelibus refertam fuisse. Sic enim ille, *Cùm audissent fra-*
, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cùm
lus grátias agens Deo, accepit fiduciam. Cùm autem venissemus Ro-
sum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. Hæc ostendunt
tis Romæ fuisse non paucos Christianos, quos opera Petri ad fidem
elioris notæ Scriptores tradunt, & in his Eusebius, & Hieronymus. Eod. nu. 15.
Chronologicis quibusdam obseruationibus, de sententia deiicere
rsarius? *Sciam verò*, inquit, *etiam ipsorum esse inania somnia, dum*
a pulsum faciunt edicto Claudij, quod edictum ex communi Scripto-
contigit anno 9. vt inferius ostendam. Anno ergo 8. Claudij secundum Act. 15.
omninò Romæ erat. Atqui secundum veram scripturalem Chrono-
onendam Hierosolymitanum Concilium incidit in annum Claudij Caiet. in
nen Petrus interfuit. Erat ergo simul Petrus eodem anno & Romæ ep. ad Gal.
is, scilicet per sui quandam transsubstantiationem corporis eiusdem in c. 2.

pluribus locis replicatiuam. Sanè etiam Caietanus affirmat cla
fuisse adhuc Hierosolymis circa Claudij annum sextum vel septi
qui hæc diligentiore trutina expenderunt, rectè omninò adu
Hierosolymitanum incidisse in annum Claudij non octauu
proinde tempus fuerit Petro excedendi ex vrbe, vt Hierosoly
ac Concilio Apostolis interesset. Itaque non solùm impiè, vert
bè hic Spalatensis; *Transsubstantiationis vocabulum* aduocat, a
rem impossibilem à nobis venditari persuadere possit.

SPALAT. Num. 16. Iam sibi monstra fingit; *Video*, inquit, *plurimis Scriptores vr*
tibus eos, qui Romanæ Ecclesiæ fundationem aut soli aut potissimùm
ferunt: illum enim sæpius adducunt Romam, sæpius Roma abducun
ducunt, neque inter eos satis constat quot annis Romæ sederit Episcop
Antiochiæ; & vter prius Romam venerit Petrus ne an Paulus? Nod
lubilis; mihi tamen omninò conandum est, vt ipsum soluam; remque
Scripturæ fontibus, quàm maximè fieri possit, elucidem, tanto sanè
bore, quanto non solùm sine alio manuductore per has salebras, sed etian
rentem Scriptorum mihi, Regia tamen via, sit incedendum. Præuiderat p
mihi videtur, Spiritus sanctus ex Petri nomine ac laboribus eiusdem, si q
Romæ exantlatis occasionem aliquando arreptum iri, vt Romana Eccles
bitam consurgere monarchiam, & alias sibi Ecclesias grauissimo cum sca
schismate intolerabili subdere niteretur; Ac propterea noluit, vt Canonic
ra quicquam de Petri Romam aduentu commemoraret: sed profundo sile
posteriores peregrinationes obuoluit, adeoque de Romana Cathedra ne vert
dem: Cùm tamen, si fide diuina, vt nostri volunt, credendum sit eundem ibi sed
se, imprimis necessarium fuerit vt diuinis oraculis dogma huiusmodi primari
daretur; nihilominus elatio Romana conata est vndequaque Petri Romana s
omni coniecturarum leuissimarum vmbra corradere, imò ex quauis lacuna exp
adeò vt Petrum omnino velit vel inuitum Romæ Ecclesiasticam, imò, quod lon
intolerabilius, etiam temporalem collocasse Monarchiam, quæ illi ne in me
quidem vnquam venire potuit, vt diuina fauente gratia paulatim confirmabo.

Respondeo nemini non esse exploratas historias etiam diuinas plurimi
fertas difficultatibus, à quibus ægrè se expediant, etiam eruditissimi viri, ne
tamen propterea illis fidem esse abrogandam: sic enim labasceret etiam pas
nis Christi historia, qua nihil sanctius habet religio Christiana, quippe
anno passus fuerit Christus inter Scriptores non conuenit. Et Irenæus
bilis inprimis Pater supra quadragesimum annum vixisse Christum, asse
rare non dubitat. Quod attinet ad varias illas peregrinationes Petri
raró Roma abscedentis, nec infrequenter se eò rursus recipientis, nescio
cur hic aqua hæreat Spalatensi, quandoquidem eædem penè difficulta-
tes occurrunt in explicandis peregrinationibus Pauli, quod illæ duæ in
Hierusalem profectiones in quibus mirè est hallucinatus Spalatensis, satis
ostendunt. Quod ad tempus attinet, nostra sententia est Petrum septem an-
nis Antiochensis Ecclesiæ habenas moderatum; Antiochiæ autem Episcopa-
tum constituisse antequam Romam se conferret, penè est omnium Scripto-
rum vox. Nec audiendus Onuphrius, qui istas profectiones Petri turbauit.
Diuinat verò, ac omninò ariolatur Spalatensis, cùm Spiritum sanctum fa-
cit

cit authorem obscuritatis, quæ in Petri historia deprehenditur, quasi propterea
ꝫ complexitates illas inuexerit, vt ambitionibus eorum, qui Romanam Monarchiam
essent asserturi, obuiam iret. Vanæ sunt istæ tuæ coniecturæ, mi homo. Pleraque
a volente Spiritu sancto prætermiserunt Scriptores, de quibus dubitare nefas
t; Neque verebimur eum, qui vnico Actorum Apostolicorum libello totam
postolorū historiam comprehensam contenderit à religione Christiana omnò esse alienum. Certè vt omittam tam varias tamque multiplices Ioannis,
idreæ, Mathæi, & reliquorum Apostolorum peregrinationes, quas ne attigit
idem Lucas, vnius Iacobi fratris Ioannis ab Herode gladio occisi necem recen-
nulla de maximorum Apostolorum martyrio mentione iniecta. Scilicet fe-
num illustrandum acommandum sumpserat Paulum: quanquam eius occa-
e alia tradat, quæ scilicet ad Paulum ducerent, ac sine quibus eius historia
i non posset. Vt ergo Apostolica illa historia Cathedræ Romanæ à Petro
æ non meminerit, habemus tamen eius erectionis tam firma præsidia, vt
b inferorum portis conuelli possint. Quod attinet ad Monarchiam spi-
m: neque enim Pompaticum, aut etiam terrenum imperium, quod som-
palatensis, inducimus, nituntur ista authoritate Christi, cuius hæc sunt
rum verba, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;
ues meas, pasce agnos meos; quibus eum primum designatum, ac demum
iæ Catholicæ impositum rectorem non dubitamus.

tiendæ iam nobis erant Chronologicæ difficultates, quas in hanc dispu-
inuexit Spalatensis; sed hoc nos labore leuauit eruditissimus Dionysius
s, instituta de profectione Petri Antiochena & Romana doctissima dis-
is, instituta. Hanc,
ne, quà fœda errata & lapsus Spalat. aperit, profligat & dispungit: Hanc,
ondum edita sit, hoc loco subiiciendam duximus, vt emaculatissimo la-
o nihil nobis visum sit aut limatius, aut accuratius, lector perfruatur. Igi-
ibet omnibus numeris absoluta optimi Chronologi dissertatio.

PETRI ANTIOCHENA, ET ROMANA SEDE DISSERTATIO.

vs Ecclesiæ traditio est, Petrum Apostolum vtramque & Antioche- *Dionysij Petauij è Soc. Iesu Dissertatio.*
ı & Romanam Ecclesiam fundasse: quod de Episcopali iis in vrbibus
cuta potissimùm Authores intelligunt. Quanquam & Christianam
abile est à Petro primùm in Vrbem importatam fuisse. Sed de Cathe-
nt, præcipuè Veteres illi locuti sunt, à quibus ea traditio manauit.
culorum authoritate, tot antiquorum testimoniis corroboratam fi-
ni demùm Hæretici conuellere, ac labefactare conati sunt. Quorum
trum ne Romam quidem vnquam aspirasse: alij paulò pudentiores
Veterum opinio tulit, ac diu post receptam illic Christianam reli-
enisse contendunt. Ex hoc posteriori grege Spalatensis nuper trans-
d Catholicos, vtinam quàm felici sorte, tam ex animo, ac bona fide
.IV. de Repub. Eccles. cap. 1. multis argumentis & coniecturis infi-
nium animis de vtraque per Petrum fundata Ecclesia sententiam
e expugnare nititur. Pugnat autem cumprimis ratione temporū,
icis calculis, quos ex Actis Apostolorum anxiè, ac scrupulosè sub-
in rem, & controuersiam tractandam sic incubuit, nulla vt in alia
s, atque ingenij sui vires explicuerit. Nec immeritò sanè: si qui-
s.

est nodus, vt idem ait, *vix solubilis.* Itaque *mihi,* inquit, *on*
Num. xvi. dem est *nodus, vt ipsum soluam, rémque ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus, quàm n*
est, vt ipsum soluam, rémque ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus, quàm n
sit, elucidem, tanto sanè grauiori labore, quanto non solùm sine alio n
has salebras, sed etiam contra torrentem Scriptorum mihi, regia tam
dendum. Postquam hac fiduciæ plena denuntiatione magnarum,
spe rerum Lectorem induxit hiantem, nouas illas commolit
& aduersus torrentem Scriptorum brachia dirigit. Ac cum tot
primo, Petrum nunquam Romanæ Vrbis Episcopatum gessisse
mero XVII ad XXXII & vltimum, Chronologicis, vti dictũ est, mon
non de Roma solùm, sed etiam Antiochia studet impellere. Quod
sit, omnia Petri ac Pauli itinera, & stationes relegit, annosque sin
vnaquaque gesta res est, aut Vrbs adita quælibet, curiosissimè pe
rùm in hac ipsa temporum descriptione, in qua longè cæteris exacti
luit, adeo se imperitum, & eius quod agebat ignarum, hebetémque
mirum sit, in eo homine, qui singularem quandam ac reconditam
siasticæ vetustatis scientiam professus sit, tantum esse stuporis, atque
tuisse. Et quoniam aduersus Chronologicam illam disputationem
istud præcipuè suscepimus; hanc nostram de Antiochena, & Ro
Cathedra dissertationem ita partiemur; vt subductis, & in summam
opinionis contrariæ firmamentis, primùm Chronologica quæ
ac veluti cardines figantur, quibus vniuersa quęstionis moles, vis
opinionis innititur. Hæc vbi, aspirante Deo, perfecerimus, tum fal
tiles Spalatensis hallucinationes nullo negotio detegemus, easque pe
Numeros indagatas, atque erutas omnium in oculis statuere, ac desig
bimur.

Prima Pars Dissertationis, in qua Spalatensis rationes summatim perstringuntur. Antiochenam Petri sedem primo loco Spalatensis aggreditur.
quam vehementiore studio, ac totis adeò neruis incumbens, omnes a
torum machinas admouet: quod ex illa sedis alterius, nempè Romana
ad tẽpus attinet, apta est omnis, & suspẽsa ratio. Itaque in Antiochena C
refellenda maiorem partẽ disputationis insumpsit, à Numero præsertim
XXVIII exclusiuè. Inde ad finem capitis Romanam oppugnat. Vis est a
gumentorum omnium in eo posita; vt ex Actorum libro demonstret,
tandiu in Palæstina, & Hierosolymis esse versatum, vt nonnisi serò adir
& quindecim fermè ab obitu Saluatoris annis, Antiochiæ fuerit; *vbi* pa
anno vno permanserit. Romam verò non ante duodecimum *Neronis* a
ac sub obitum suum peruenire potuisse; cùm hactenus in *Oriente,* & A
pagandæ Christianæ rei nauasset operam.

Quid contra Antiochenã Cathedram adferat. Igitur aduersus Antiochenam Cathedram, vt summatim colligam, hu
modum ratiocinatur. Petrus antequam ab Herode Hierosolymis in v
SPALAT. Num. XVII. coniiceretur, extra Iudæam pedem non extulit. Ideo ne Antiochenam qu
sedem, nedum Romanam ante illud tempus erigere potuit. Quod au em
carcerem suum extra Iudææ fines non excurrerit, ex Actorum Historia fic
ditur. Etenim post necem Stephani, Discipuli per Iudæam, & Samariam di
si sunt, præter Apostolos. Mox Samariam cum Ioanne Petrus mittitur, Act.
Secuta est paulò pòst Pauli conuersio, altero post Christi passionem an no
triennium, quàm conuersus erat, Paulus Hierosolymam venit, vt Petrum vi
ret, Gal. 1. Itaque nondum Petrus è Iudæa migrauerat. Secundum hæc, Pace
Ecclesias constituta, Petrus Iudæam, Galilæam, & Samariam peragrauit, Act
H

Hinc Hierosolymam reuertitur, Act.xi. Necdum ergo Antiochenam fundarat Ecclesiam. Cuius quidem prima fundamenta Christianis ab Cypriis & Cyrenæis iacta sunt, Act.xi,20: quo tempore ad Apostolos, qui erant Hierosolymis, fama Nu. xviii. peruenit, com.22. Vnde Petrus & Barnabas Antiochiam missi sunt. De Petro verbum nullum.

Postea cùm ingens fames Imperatore Claudio grassaretur, Paulus & Barna- Num. xix. bas collatam ab Antiochenis pecuniam Hierosolymam comportarunt. Paulum verò priuatim & illud mouebat, vt cum Apostolis Euangeliũ conferret, Act.xi 28; & Gal.II. Est enim secundus iste Pauli aduentus Hierosolymam, post annos à conuersione sua quatuordecim, vt ad Gal. scribens ipse testatur. Idem por- Num. xx. rò annus est Christi xlix, Claudij vi: quod ex Romanorum Imperatorum successione deducitur. Ná decimo quinto Tiberij anno, Christus ætatis agebat annum xxx. Tiberius annis xxiii imperauit, Caius iv, Claudius xiii. Ita conuersio Pauli incidit in annũ Tiberij vicesimũ, Christi xxxv. His adde xiv annos à conuersione Pauli ad secundũ aduentũ, cõficient anni xlix, nempè Christi xxxiv, & iv Tiberij; totidem Caij, & vi Claudij. Anno itaque Claudij vi, Christi xlix, fames illa contigit, de qua meminit Lucas Act.xi. Hactenus Petrus Iudæa sese continuit. Nam cùm Paulus ad collectas deferendas Hierosolymam per idem tẽpus venisset, cum Petro, & aliis quibusdam Apostolis caput contulit, vt ad Galatas scripsit; cũ iisque fœdus iniit, vt ipse Gentibus; Petrus Iudæis prædicaret Euangeliũ. Post hæc Petrus ab Herode vinctus, Iacobus capite truncatus est; Act.xii. Elapsus è carcere Petrus Antiochiam denique sese contulit. Apparetque non ante Claudij sextum, hoc est Christi xlix, Petrum Antiochiam vidisse. Et errant videlicet, qui anno Claudij secundo Romanã sedem à Petro fundatam memorãt; ...ĩ ne Antiochenæ quidem locus ante sextum Imperatoris eiusdem sit relictus.

Exinde Petrus Antiochia non longè pòst Hierosolymam ad Concilium re-...it, de quo Act.xv. quod anno Claudij octauo celebratum est, Christi li: à quo Nu. xxiii. & xxiv. ...npore si sexennium aut septennium Antiochenæ sedis inchoandum existi- Nu. xxvii. ...s, vix satis ad Romanam sedem obtinendam interualli reliquum feceris. ...c de Antiochena summatim Spalatensis.

De Romana porrò proxima superioribus, & connexa ratio est. Nam si re- *Quid aduersus Romanã disputet.* ...onstituta illîc est temporum partitio, euidens est, Paulum diu antè Petrum ...iam peruenisse; imò verò nonnisi postremo vitæ suæ tempore Petrum eô Num. xxix. xxx. xxxi. & xxxii. ...e. Etenim communis omnium consensus est, causam hanc Romam pro-...ndi Petrum habuisse, vt Simonem Magum, qui illîc grassabatur, compe-...atque eius conatibus intercederet. Quod cùm authores aliqui sub Clau-...tigisse scribant, ex eo refelluntur; quòd vnus tantùm ab omnibus Petri ...n aduentus, & cum Simone congressus agnoscitur; post quem breui-...to tempore à Nerone interfectus est. Vnde sequitur sub extremum vi-...empus, adeóque longè pòst aduentum Pauli, Romam aduenisse Pe-...inimeque verum esse, quod vulgò iactitant, Romanam Ecclesiam, aut ...Petro esse fundatam, cui & annis quatuor & viginti præsederit. Duo-...que Neronis anno, Christi lxviii, paulò antè martyrium Aposto-...trus Romam attigit, & Simonem ex aëre præcipitem deiecit. ...iis in fine Capitis Chronologicam Tabulam, quæ ab anno Christi ...11, & xii Neronis perducta, summam rerum ab Apostolis gesta-...ctitur.

ANNI		TABVLA CHRONOLOGICA A M. Antonio de Dominis Archiepiscopo Spalatensi contexta: ex Capite I. Lib. IV.	Scriptura.
IMPERATORVM.	CHRISTI.		
Tiberij. 15.	30.	Christus in Iordane à Ioanne baptizatus.	Luc. 3.
18.	33.	Christus passus.	
19.	34.	Stephanus lapidatus. Persecutio sub Stephano. Discipuli dispersi, præter Apostolos. Petrus & Ioannes in Samariam Legati.	Act. 7. 8.
20. 21. 22.	35. 36. 37.	Pauli conuersio: & prædicatio ipsius in Arabia, & Damasco.	Act. 9. Gal. 1.
23. Caij.	38.	Pauli primus Hierosolymam aduentus, post tres annos à sua cõuersione, vt videret Petrum; vbi mansit diebus 15. inde iussu Domini elabitur Tarsum.	Act. 9. & 22. Gal. 1.
1. 2. 3. 4. Claudij. 1. 2. 3. 4. 5.	39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.	Pax in Iudæa, Galilæa, & Samaria. Ecclesia in his locis crescit: Petrus in Palæstina sanat Æneam: suscitat Tabitham: ad Corneliũ accedit, reditque Hierosolymam. Interim Paulus in Syria & Cilicia, præsertim in sua patria Tarsi, subsistit.	Act. 9. 10. 11. Gal. 1.
6.	48.	Conuersio prima Antiochiæ; missio Barnabæ cò, qui sibi adiunxit Paulum Tarso abductum. Tunc secundus Pauli Hierosolymam aduentus cum Barnaba, post annos 14. à conuersione: qui cò tum collectas attulerunt occasione famis, quæ sæuiit sub Claudio. Contulit Paulus suam prædicationem cum Apostolis. Occisus est Iacobus ab Herode. Petrus in carcerem coniectus: inde liberatus pergit Antiochiam.	Act. 11. 12. Gal. 2.
7.	49.	Paulus reuersus Antiochiam, proficiscitur Cyprum: peragrat alias regiones, & reuertitur Antiochiam. Ibi reprehendit Petrum.	Act. 13. & 14. & 15. Gal. 2.
8.	50.	Pauli tertius aduentus Hierosolymam, pro controuersia legalium: fitque Concilium Hierosolymitanum, cui interest Petrus.	Act. 15.
8. 9.	50. 51.	Paulus reuertitur Antiochiam, inde spargit Euangelij semina in Macedonia, Thessalonicæ, Athenis, &c. peruenitque Corinthum; quo tempore à Claudio Iudæi Italia pulsi.	Act. 15. 16. 17. 18.
10. 11.	52. 53.	Paulus manet Corinthi sesquiannum: Et fortasse hoc tempore ex voto visitauit Hierósolymam.	Act. 18.
12. 13.	54. 55.	Paulus denuò Ephesi: ibique moratur per biennium; in Græcia per tres Menses.	Act. 19. 20.
Neronis 1. 2.	56. 57. 58.	Pauli quartus, (& fortasse quintus) Hierosolymam aduentus: ipsiusque vincula Hierosolymis, & Cæsareæ, per biennium.	Act. 21.
3. 4. 5.	59. 60. 61.	Paulus vinctus Romam abducitur; ibique in vinculis biennio prædicat.	Act. 28.
6. 7. 8. 9. 10. 11.	62. 63. 64. 65. 66. 67.	Paulus solutus prædicat Romæ, & in Occidente. Petrus verò post Concilium Hierosolymitanum in Oriente prædicat, in Ponto, Cappadocia, Asia, Bithynia, &c.	2. Tim. 4.
12.	68.	Simon Magus Romæ iterum debacchatur. Accurrunt Petrus & Paulus; prosternunt Magum; & martyrio coronantur.	

Hæc sunt præcipua Spalatensis firmamenta, quibus communem & receptam de vtraque per Petrum fundata sede sententiam oppugnat. Qua quidem in tota disputatione vnum illud obtinuit, non vt incertam eius, contra quam venit, historiæ veritatem faceret; sed vt certam imperitiæ stuporisque sui fidem insignibus documentis testatam relinqueret. Quod antequam Lectoribus planum facio, quandoquidem quæstionis cardo in annorum, ac temporum descriptione vertitur; & historicis duntaxat argumentis aduersarius innititur; quædam à nobis fundamenta iaci necesse est, & Chronologicæ aliquot, historicæque prius epochæ muniendæ sunt, è quibus cætera dependent, quæ in tota hac disputatione tractantur. Eiusmodi sunt imprimis Romanorum quatuor Imperatorū tempora, quibus illa, qua de agitur, historia continetur, Tiberij, Caij, Claudij, ac Neronis; tum Passionis Dominicæ, Conuersionis Pauli, Herodis annorum διαστήματα; tempus necis Iacobi, ac vinculorum Petri; famis illius, quæ Claudio imperante contigit; & si quæ sunt alia susceptæ disputationis elementa; quæ nos non ex arbitrio, ac temerè, vti Spalatensis, sed necessariis, quoad licet, ac manifestis argumentis eruta velut ἐν προθεωρίας λόγῳ præstruemus. *Altera pars Dissertationis; in qua falsa Spalatensis opinio refellitur.*

Chronologicæ demonstrationes partim ex communi nobilium Historicorum consensu; partim ex Astronomicis obseruationibus, & Mathematicis tabulis petuntur. Hæc enim artis illius principia sunt; quibus ignoratis, aut neglectis, omnem temporum fluctuare rationem, ac perturbari necesse est: vt ex Spalatensis Chronorthaphia paulò pòst constabit. *I. Romanorum Imperatorū aliquot epocha demonstratiuè colligitur.*

Quamobrem ad muniendam Romanorum Impp. qui quidem ad institutū nostrum pertinent, Chronologiam; obseruationes adhibebimus insignes duas, vel tres; de quibus nulla sit dubitatio. Prima est Eclipsis Solis, quę, vt refert Dio Lib. LX, incidit M. Vinicio II, Statilio Coruino Coss. Kalendis Augusti: quam ùm præuidisset antè Claudius, ne quis ex ea malum aliquod Imperatori por-ndi crederet, publico Edicto denuntiauit. Annus hic erat Claudij quintus. uippe illis Coss. quintus iniit annus Imper. Claudij, vti Scriptores omnes asse-rant. Nam primus ipsius annus cœpit Coss. Caio IV, & Cn. Sentio Saturni- XXIV Ian. quo Caius occisus est. Ab iis Coss. quintum locum habent in Fa- Vinicius II & Statilius Coruinus. Ergo quintus annus Claudij iis Coss. in-atur. Iam si Astronomicas Tabulas consulamus, reperiemus defectum illum incurrere in annum Christi XLV, Kal. Augusti.

lterâ Solis Eclipsis accidit, vt author est Plinius Lib. II, Cap. LXX, Vipsanio, nteio Coss. pridie Kal. Maias, in Campania hora diei inter septimam, & am. Hic est annus quintus Neronis currens. Cœpit enim Asinio Mar- Auiola Coss. tertio Eid. Oct. Porrò Eclipsis hæc incidit in annum æræ s LIX, Cyclo Lunæ XIII, Aprilis XXX, vti Tabulæ demonstrant. Ex iis Solis deliquiis colligitur duorum Impp. initium, Claudij, & Neronis. Claudij annus quintus iniit à Ianuario anni Christi XLV; necesse est à anni Christi XLI primum annum eiusdem Imperatoris cœpisse. Do-orici Romani Tiberium annis fere XXIII imperasse, hoc est XXII soli-nsibus septem; mortuum verò XVII. Kal. Apr. Cn. Acerronio Pro- Pontio Coss. Caius hunc excepit; qui imperium obtinuit, omnium criptorum, annis quatuor, minus duobus ferè mensibus: Mortuus & Saturnino Coss. Ianuarij XXIV. Claudius deinde annis imperauit ensibus VIII, diebus XX, Dione teste. Obiit XIII. Octobris. Nero de-

nique annis imperauit XIII, mensibus VIII. Obiit mense Iunio. Ex indubitatis hisce historiæ principiis cum obseruationibus illis, quas in medium adduximus, certissima eruitur epocha Romanorum IV Imperatorum, nec non obitus Augusti. Etenim Claudij annus primus, vt ostensum est, cœpit à Ianuario anni Christi XLI, & quintus eiusdem, anno Christi XLV. Primus ergo Neronis initiũ habuit ab Octobri mense anni Christi LIV, qui est annus Iulianæ editionis XCIX, Vrbis conditæ, DCCCVII. Quintus ergo Neronis ab Octobri cœpit anni Christi LVIII, & sequenti LIX currebat adhuc, quando eclipsis illa Solis Prid. Kal. Maias accidit. Ita decimus quartus Neronis & vltimus cœpit anno Christi LXVII, & octauus eius mensis desinit in Iunium anni LXVIII. At si in anteriora tempora regrediamur; quandoquidem Caij quartus annus cœpit anno Christi XL; primus eiusdem annus iniit anno Christi XXXVII, ex A. D. XVII. Kal. Apr. anno Iuliano LXXXII, Cn. Acerionio Proculo, C. Pontio Coss. sub iis enim mortuus est Tiberius, anno Vrbis DCCXC. Porrò Tiberij vicesimus tertius cœpit anno antecedente, Christi XXXVI, Iuliano LXXXI. Igitur primus eiusdem cœperit oportet anno Christi XIV, Iuliano LIX, quo & Augustus excessit, duobus Sextis Coss. XIV Kal. Sep. anno Vrbis DCCLXVII; quo eodem anno paulò pòst eius obitum Luna defecit: Septembris XXVII: Cuius deliquij Tacitus meminit, eiusque conspectu Romanos milites in Pannonia tumultuantes perterritos esse refert. Hactenus demonstratæ sunt Romanorum Imperatorum epochæ; Tiberij anno Christianæ æræ XIV; Caij, anno XXXVI; Claudij, XLI; Neronis LIV.

II. *Dominicæ Passionis annus.*

Quæ ad Dominicæ Passionis annum, nec non Natalis eiusdem pertinebant, ea diligenter explicata sunt in Animaduersionibus ad Epiphanium: ex quibus, circumscriptis, ne longiores simus, cæteris, summam opinionis illius, quam Epiphanio, aliisque Veteribus placuisse scimus, breuiter hoc loco colligemus.

Est igitur Epiphanij illa sententia; Christum à Iudæis crucifixum esse anno illo, qui Tiberium V, & Sejanum Coss. habuit; qui est Vrbis DCCLXXXIV, Iulianus LXXVI. Etenim Iulianus primus iniit anno Vrbis conditæ DCCIX: ita vt XLV anno Iuliano exeunte, Decembri mense, Natalis æræ Dionysianæ congruat; & primus eiusdem æræ proximè post Natalem incipiat anno Iuliano XLVI. Idem annus est Olympiadis CCII secundus currens Passionis tempore; cui tertius eiusdem Olympiadis successit circa æstiuum Solstitium. Tiberij verò XVIII eodem anno cœptus est ab Augusto mense. Verùm nonnulli Scriptores annos Tiberij, & aliorum Imperatorum non à propria ipsorum epocha; sed ab anni ciuilis initio numerant, quod eorum primordium antecessit. Itaque Epiphanius, & alij, qui Christum anno XVIII Tiberij passum esse dicunt, decimum octauum eum vocant Iulianum annum, quo decimus septimus desiit, & decimus octauus incepit; Is autem est Iulianus LXXVI, æræ communis XXXI, vt proximè demonstrauimus, Cyclo Lunæ XIII. Quod ergo Passioni sit ille dicatus annus æræ communis XXXI, multis rationibus adstruximus in Animaduers. ad Epiphan. P. 174, 175, & 176; & eam ostendimus opinionem fuisse Africani, qui anno II. Olymp. CCII passum asseuerat; Concilij Cæsariensis, cuius fragmentum habetur apud Bedam Opusc. de Æquinoctio. Patres enim huius Concilij Christum resurrexisse volunt VIII Kal. Apr. nempè Cyclo Solis XII. litera G. quæ hoc tantùm anno tricesimo primo æræ vulgaris occurrit, aut ante hunc, vicesimo quinto, cyclo Solis VI: vel tricesimo sexto, Cyclo Solis XVII. Verùm tam longè summoueri Passionis annum, rationum omnium momenta prohibent, vt ad æræ communis

XXXVI,

xxxvi, & Tiberij xxii prorogetur. Quinetiam Hieronymus Lib. de Scrip. Eccles. in Iacobo fratre Domini, testatur hunc annis xxx Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuisse; mortuum verò anno vii Neronis sub Pascha. Neronis annus primus iniit æræ communis anno LIV, vti demonstratum est: Septimus ergo conuenit in LX. De LX annis detrahe xxx, reliqui sunt xxx. Itaque xxxi æræ Episcopus Hierosolymorum creatus est Iacobus; quod & Eusebius in Chronico scribit. Idem Hieronymus refert illo ipso libro de Script. Eccles. Paulum anno vicesimo quinto post Passionem Domini, id est secundo Neronis, Romam cum vinculis esse missum, obiisse verò cum Petro anno post Passionem tricesimo septimo. Iam constat è superioribus Neronis annum secundum inchoatum anno communis æræ, LV; de quibus detractis xxv, supersunt xxx. Ideo sequenti anno, nempe xxxi Passio contigit. Paulus item anno Neronis exeunte xiii, sequente xiv mortuus est: adeoque Christianæ æræ sexagesimo septimo. Deduc annos xxxvii de LXVII, restant, vt paulò antè, xxx. Plura non addam. Hæc enim satis esse possunt, vt ex Epiphanij, Veterumque sententia Christum arbitremur anno Iuliano LXXVI, æræ Dionysianæ xxxi passum fuisse.

Est hic Herodis Chronologiæ cardo cum primis ad certam illorum tẽporum rationem eruendã opportunus; imo necessarius. Cuius ignoratione miserandum in modum Spalatensis suam inscitiam traduxit. Sciendum est itaque tres in Scriptura nominis eiusdem cõmemorari principes. Primus est infanticida. Secundus est Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, qui Christo illusisse legitur, & Ioannem occidisse. Fuit hic Herodis magni filius ex Marace Samaritana, & ab Augusto ex Patris sui testamento Tetrarcha factus, authore Iosepho, Lib xvii, Cap. xiii. Nam Archelao Iudæa cum Hierosolymis attributa, citra Regis titulum: Herodi isti Galilæa, & Peræa. Archelaus decimo anno Tetrarchiæ suæ apud Augustum accusatus, ab eo Viennam relegatus est. Iosephus Lib. xvii, Cap. xv. Dio scribit Coss. Marco Lepido, & L. Arruntio Herodem Iudæum à fratribus accusatum esse, & Viennam deportatum in exilium. Hic est annus Vrbis DCCLIX, Iulianus LI, æræ Christianæ vi. Proinde non dubium est, Archelaum Herodis nomine affectum ab hoc Historico. Quocirca post Archelai relegationem, Iudæa cum Hierosolymis sub Iudæorum Regulis esse desijt, & ad Romanorum Magistratuum translata potestatem est, & contributa Syriæ. Herodes Antipas Tetrarcha cùm Agrippæ inuidens Romam ad Caium Caligulam regni impetrandi caussa nauigasset, accusatus ab Agrippa Tetrarchia sua exutus, & Lugduni in Galliis exulare iussus est. Ioseph. Lib. xviii, Cap. xviii. Contigit hoc anno Caij quarto, æræ Dionysianæ XL. Galilæa tum Agrippæ concessa. Iste est Herodes tertius Agrippa nominatus, Herodis Magni nepos, Aristobuli F. qui varia vsus est fortuna; quam Iosephus Lib. xviii, Cap. viii, & ix, Lib. xix, Cap. iv describit. Primùm à Tiberio coniectus in vincula: mox eo mortuo à successore Caio honorificentissimè habitus, ac Philippi Tetrarchia cum Regis appellatione donatus est, addita Lysaniæ Tetrarchia; quod anno Caij quarto contigit, vt dictum est. Mortuo Caio, Claudius Agrippæ regnum amplificauit, additis Iudæa, & Samaria, quæ olim Archelao ademptæ fuerant. Ita vniuersam Herodis aui ditionem recuperauit Agrippa. Obiit verò, vt idem Iosephus prodit Lib. xix, Cap. vltimo, annum ætatis agens LIV, regni septimum; quorum quatuor primos sub Caio transegit. Nam Philippi Tetrarchiam Regis titulo tres annos obtinuit: quarto Herodis Antippæ Tetrarchiam à Caio meruit: reliquos tres egit

IIII. *Quis Herodes ille fuerit, & quo tempore regnaret, à quo Iacobus occisus, Petrus in vincula coniectus est.*

ſub Claudio, Iudæa auctus, & Samaria. Ita tertio anno, quam toti Iudææ regnare cœperat, exacto moritur, anno Chriſti Dionyſiano XLIV. Obiit Cæſareæ, quæ Stratonis Turris vocabatur, cùm ſpectaculis intereſſet, ac frequentibus populi acclamationibus numinis inſtar celebratus eſſet; quæ eſt ipſiſſima Lucæ narratio, Cap. XII Actorum. Igitur ex comparatione Ioſephi Lib. XIX, Cap. VII cum ſacra hiſtoria Act. XII, dubitari non poteſt, quin Herodes ille, de quo Lucas, ſit idem cum eo, cuius hiſtoriam Ioſephus expoſuit.

IV. *De fame illa quæ Act. XI, 28 ſub Claudio contigiſſe memoratur.*

Agabus ingentem famem Antiochiæ prædixit, quæ contigit toto orbe terrarum ſub Claudio Cæſare. Qua prædictione commoti Chriſtiani, contributione facta, ſubſidia miſerunt Hieroſolymam; quæ à Paulo & Barnaba eò portata ſunt. Enitendum itaque nobis eſt, vt famis iſtius tempus certis veſtigiis aſſequi, atque extricare poſſimus. Dio Lib. LXX, anno Claudij ſecundo, ipſo Claudio, & C. Licinio Largo Coſſ. ingenti fame laboratum eſſe narrat, cui Imperatoris diligentia egregiè ſubuenit. Ioſephus porro Lib. XX. Αρχαιολ. Cap. II famis alterius meminit, quæ ſub eodem Imperatore contigit, anno eius quarto, vel quinto. Hæc procul dubio non eadem eſt ac ſuperior; tametſi in Annalibus promiſcuè habentur. Euſebius igitur in Chronico famem illam ab Agabo prædictam, quam etiam Lib. Hiſt. II. Cap. XI cum ea, quam Ioſephus refert, confundit, in annum Claudij IV conijcit. Hunc ſecutus eſt Oroſius Lib. VII, Cap. VI. Mihi ſecundo potius anno Claudij competere videtur: Non ſolùm quia fames illa, quam Lucas memorat, totum orbem peruaſiſſe dicitur: illa verò Ioſephi, Iudææ fuiſſe pene ſolius; verùm etiam quod priorem famem ex Lucæ narratione colligimus viuo adhuc Agrippa graſſatam fuiſſe. Si quidem ante Petri carcerem, & Iacobi cædem, Paulus, & Barnabas collatitium æs Hieroſolymã portarunt, quod ad famis ſubſidium vltro ſibi Chriſtiani Antiochenſes indixerant. Ergo haud longo poſt tempore contigit. At Herodes Agrippa Claudij anno ineunte quarto periit, Chriſti XLIV. Quo quidem anno quadrageſimo quarto nondum alteram illam incubuiſſe famem, cuius Ioſephus meminit, ſed anno quadrageſimo quinto, Claudij quinto, ita ex Ioſepho concluditur; Scribit is, Lib. XX, Cap. I, mortuo Agrippa, filium eius Agrippam Iuniorem, qui Romæ apud Claudiũ erat, ab eo quod Iudæi poſtulabant impetraſſe, vti Pontificia veſtis in illorum poteſtatem traderetur. Cuius tẽpus ex reſcripto Claudij ad Iudæos ibidem notatur. Κλαύδιος Καῖσαρ Γερμανικὸς δημαρχικῆς ἐξουσίας, τὸ πέμπτον ὕπατος ἀποδεδειγμένος, τὸ τέταρτον αὐτοκράτωρ, τὸ δέκατον πατὴρ πατρίδος Ἱεροσολυμιτῶν ἄρχουσι. Hunc locum, vti in Frobeniana editione legitur, neceſſario hîc deſcripſimus, vt erroris admoneremus, in quem vitioſa illius interpunctio Illuſtr. Annalium Scriptorem compulit. Cuius ipſi occaſionem dedit Ruffinus Ioſephi deprauator ineptiſſimus; qui ſic illa verba reddidit. *Claudius Cæſar, Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis, quinquies Conſul, ordinarius quater, Imperator decies, pater patriæ, Hieroſolymorum principibus.* Ex quo in Annalibus Eccleſ. anno XLVI, Num. IX, Ioſephus acerrimè reprehenditur, quod hæc, quæ illîc geſta narrantur, referat ante annum quinti Conſulatus Claudij; qui fuit Imperij eius annus decimus; itemque ante famem illam toto orbe graſſatam, quæ anno ſecundo Claudij contigit. Verùm ex mendoſa Græcæ illius editionis, & Ruffinianæ verſionis interpunctione querelæ iſtæ natæ ſunt. Scribe igitur: *Claudius Cæſar Germanicus Tribunitiæ poteſtatis quintum, Conſul deſignatus quartum; Imperator decimum, Pater Patriæ,* &c. Notum illud, ex multiplicata Tribunitia poteſtate annos Imperij colligi; quod Dio Lib. LI teſtatur.

Pag. 607.

Quare

Quare annus iste Claudij quintus est, non autem ante Consulatum quintum, quem anno Imperij vndecimo gessit. at quartum consulatum anno Imperij VII, Christi XLVII. sed ante biennium, id est Christi anno quadragesimo quinto, cùm ageret Imperij quintum, designatus iam Consul, rescriptum illud edidit. Quid enim Ruffino venit in mentem, vt ἀποδεδειγμένον verteret ordinariũ? Porrò Iosephus proximè sequenti capite, sub idem tempus, quo rescripsit Claudius, famem incidisse refert, cui Helena Adiabenorum regina opem attulit. Vnde perspicuum est, Claudij quinto, non quarto, vt Eusebius, Orosius, alijque memoriæ prodiderunt, famem ingruisse, cuius meminit Iosephus; nec eandem esse cum altera, quæ Act. XI. memoratur; vt iidem Scriptores asseuerant.

Concludamus ergo famem illam, de qua Act. XI, incurrere in annum II Claudij; vti Dio testis est; qui annus est æræ Dionysianæ XLII.

V. *De anno Conuersionis Pauli, carceris Petri, ac necis Iacobi.*

Post Christi Domini Passionem, & in cœlum Ascensionem breui interiecto tempore, eodem anno certè, Stephanum occisum à Iudæis, Baronius haud temerè colligit; eique nos assentimur. Quo tempore Christiani, qui Hierosolymis erant, vbique dispersi sunt, Act. VIII, 4. Saulus deinde ex persecutore Christi discipulus factus est. Id autem quoto anno contigerit, accuratius expendendum. Hieronymus in Catalogo Script. in Paulo, refert ipsum anno post Passionem Domini tricesimo septimo mortuum esse, Neronis XIV. Chrysostomus verò Homilia de Princip. Apost. Tomo V, scribit Paulum seruiisse Christo annis XXXV. Ostendemus paulò pòst, Apostolorum necem incidisse in annum æræ Dionysianæ LXVII, quo annus Neronis XIII desijt, & XIV inchoatus est. Si igitur de LXVII annis detrahas XXXV, reliqui sunt XXXII. Proinde anno circiter ineunte XXXIII æræ Dionysianæ, Iuliano LXXVIII, conuersus est Paulus.

Quod ad annum attinet necis Iacobi, & carceris Petri, ad hunc eruendum nullum aliud præsidium occurrit, quàm Herodis regnum. Constat Herodem illum Agrippam fuisse: quem nos ostendimus quatuor annis in Galilæa, cæterisque, præter Iudæam & Samariam, Iudaici regni prouinciis imperasse regio titulo præditum, idque imperante Caio: tres autem reliquos exegisse sub Claudio: qui simulatque imperium iniit, Agrippæ Iudæam & Samariam admensus est. Ex eo itaque tempore Iudææ totius regnum obtinuit, quod Herodes senior habuerat; ac tum Hierosolymis cum potestate regia præfuit; quæ hactenus Herodiadum ditioni subtracta ab Romanis Magistratibus administrabatur, ab eo anno, quo relegatus est Archelaus, ad primum Claudij, quo Agrippæ regno vrbs illa cum reliqua possessione veteris Herodis est attributa. Itaque ab anno Iuliano LI, quo Dione teste Archelaus relegatus est, ad Iulianum LXXXVI, Dionysianæ æræ XLI, quo Agrippa vrbe potitus est, annis XXXV Hierosolymis nullus ex Herodis posteris cum potestate præfuit; neque iurisdictionem vllam exercuit. Argumento est, quod Passionis Dominicæ tempore Pilatus in Christum sententiam tulit; Herodes tanquam priuatus eadem in vrbe versatus est. At posteaquam Herodes Agrippa Claudij beneficio Hierosolymam ad imperium adiunxit, ibidem pro rege sese gessit, & Iacobum damnauit; Petrum in vincula coniecit.

Quod autem anno primo Claudij ineunte, Christi quadragesimo primo, Agrippa Hierosolymis ac Iudæa donatus sit, ex rescripto Claudij, quod Iosephus Lib. XIX, Cap. IV refert, liquidò constat. Cùm enim statim post obitum

Caij, qui Ianuario mense decessit, nactus imperium Claudius Agrippam Iudææ totius, & Hierosolymorum adeo regem constituisset, hic in Palæstinam subinde Roma profectus est: cui digredienti Claudius literas dedit in Iudæorum gratiam, Alexandriam, & in Syriam perferendas. In iis literis Claudius δημαρχικῆς ἐξουσίας simpliciter dicitur: quod indicio est, primo anno imperij scriptas fuisse. Additur in secundo rescripto, ὕπατος χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον, id est designatus. Gessit autem Consulatum secundum anno Christi XLII, imperij secundo: designatus autem anno superiore fuit, hoc est Christi XLII. Agrippa verò statim, ac celerrimè, vt ait Cap. II Iosephus, Hierosolymam properauit, & Iudæos omnibus officiis comprehendere, ac demereri sibi conatus est. Quocirca probabile est, anno ipso Christi quadragesimo primo, quo ab Iudæis gratiā iniret, statim in ipso Hierosolymorum possessionis initio de Iacobo & Petro pœnas sumere voluisse. Ita anno vndecimo à Christi passione Petrus in vincula coniectus est. Lege attentius Cap. XI, & XII Act. Apost. Inuenies eodem quidem anno, sed paulò antequam fames illa grassaretur, cui subuentum est ab Antiochensibus, id euenisse, nempe anno Claudij II, Christi XLII paulò ante Pascha. Cùm enim com. 27, 28, 29, & 30 capitis XI narrasset Lucas, Agabum *significasse per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum; quæ facta est sub Claudio Cæsare*: ideoque contributione facta, subsidia per manus Barnabæ & Sauli Hierosolymam missa; mox Cap. XII subiicit: *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia*, &c. Et in fine Capitis: *Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio.* Credibile est, anno XLI Christi Agabum Antiochiæ vaticinatum esse; & eodem anno, vel ineunte XLII, Paulum cum Barnaba Herosolymam profectum, siue antequam Petrus vinciretur, siue post eius fugam. Omnino verò superstite adhuc Herode fames incubuit. Hoc si verum est, ergo ante XLIV nnum fame laboratum est. Nam Herodes hoc anno moritur. Quare necesse est anno XLII famem accidisse, eodémque Petrum esse vinctum.

VI. *De variis temporibus, quibus Paulus Hierosolymam profectus est, déque Concilio Hierosolymitano.*

Non mediocrem verò propositæ quæstioni lucē afferet variarū profectionū Pauli, & Cōcilij Hierosolymitani enucleata ratio. Quater igitur, quantū è sacris libris colligimus, post cōuersionē suā Paulus Hierosolyma profectus est. Prima profectio est illa, cuius meminit Gal. I, 18, post tres annos à cōuersione, vt videret Petrū; anno Christi tricesimo sexto. Secunda legitur Act. XI, 30; quando cum Barnaba missus est, vt collatitiā stipem deferret. Tertia post annos à priori XIV cōtigit; à posteriori verò circiter octo; nempe Christi XLIX, Claudii IX. Gal. II, 1. Quarta profectio Act. XVIII describitur, quando & in vincula coniectus, & Romam perductus est. De tertia nonnihil ambigitur. Quidam enim quatuordecim illos annos, qui ad Gal. II, 1 leguntur, numerant ab ipsa conuersione Pauli; quod & illustrissimus Annalium scriptor secutus est. Sed rectius Hieronymus in illum locum annos istos XIV à prima profectione, quæ post triennium à conuersione contigit, putandos existimat: vt sit annus tertiæ profectionis post conuersionem decimus septimus, Christi XLIX, Claudii nonus. Conuersio Pauli contigit anno Christi XXXIII: decimus septimus ab eo est XLIX Christi. Proindemeritò Spondanus vir eruditus in Epitome, ad annum LI, Baronianos Annales corrigit, & authorem Hieronymum sequitur. Paulus verò in Epistola ad Galatas primæ tantùm, ac tertiæ profectionis meminit: de secunda mentionem nullam facit: fortasse quod leuiores ista causas habuerat; præcipuè vt collatam pecuniam deferret, non vt de functione sua, ac prædicandi munere

rum Petro, ac cæteris conferret, quæ primæ ac tertiæ profectionis occasio fuerat. Id enim agebat in ea ad Galatas, vt se Euangelium suum non ab vllo mortalium accepisse, sed à Deo solo, persuaderet. Quare illas tantùm profectiones attigit, quæ αὐθεντικὴν suam ἐξουσίαν, & authoritatem approbare possent. Primam quidem ideò commemorauit, vt nonnisi triennio post conuersionem, Petrum se, & alios Apostolos vidisse planum faceret; adeóque nec ab illis Euangelium esse perdoctum. Tertiam verò; quod ex ea constaret veram, ac legitimam suam esse doctrinam; quódque in ea specimen quoddam & exemplum doctrinæ illius extitisset, quam Galatis persuadere vellet. Secunda cùm nihil haberet istiusmodi, quod ad rem, qua de agebatur, attineret, ab Apostolo prætermittitur. Nunc de Hierosolymitani Concilij tempore porrò videamus. Hieronymus ex quorumdam sententia refert, caussam tertiæ illius post annos XIV profectionis fuisse, vt de controuersia illa, quæ Antiochiæ conflata fuerat, Act. XV cum Apostolis ac cæteris statueret. Quare vt Concilio interesset Hierosolymam aduolauit. Profectus est Paulus, vt ostendimus anno XVII post conuersionem, Christi XLIX, Claudij IX. Proinde eodem anno Concilium Hierosolymis habitum est, in quo Antiochensis illa controuersia ex Petri, & Iacobi authoritate decisa est. Ita sentit Orosius Lib. VII Cap. VI. Commodùm per idem tempus Iudæi omnes Roma pulsi sunt; quòd, vt mentitur Suetonius, *impulsore Chresto assiduè tumultuarentur*. Qua re factum est, vt & Petrus, & alij complures Roma in Orientem, & Hierosolymam redierint, non sine Dei nutu, vt de tanti momenti controuersia deliberare possent, ac primum illud celebrare Concilium.

Eusebius in Chronico ad annum Claudij secundum, ita ex Hieronymi fide Latinè loquitur: *Petrus Apostolus quum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur; vbi Euangelium prædicans* XXV *annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.* Vbi pro eo quod Latinè scriptum est, *mittitur*; Græcè fu[...] ἀπεστάλη, non malè coniecit Scaliger. Eusebio suffragatur Hieronymus in [Ca]talogo. Scribit enim Petrum Apostolorum principem post Episcopatum [An]tiochensis Ecclesiæ, secundo Claudij anno Romam aduenisse. Itaque diu [ant]e Claudij secundum annum Antiochiæ sedes à Petro constituta fuerat, pri[usqu]am Romam proficisceretur. Et quamuis primæ istius Antiochiam profe[ction]is Scriptura non meminit, est tamen verisimile, sub illud tempus à Petro [su]sceptam, quo, vt est Actorum IX, 32, varias prouincias obeundo pera[gebat]; quod quidem circa annum Christi XXXVII contigit, quo Tiberij vlti[mus d]esiit, & Caij primus iniit; isque annus est Iulianus LXXXII. Neque verò [i]d accipiendum est, quod dicimus, Petrum Antiochiæ sedem Episcopa[lem cons]tituisse, quasi perpetuò illic hæserit; sed vt ibidem aliquantulum moræ [traxerit,] indéque ad vicinas vrbes egressus, Antiochenses suos ex interuallo re[uiserit. Na]m ante annos aliquot Iacobus, vt idem narrat Eusebius, Hierosoly[mitanæ] Ecclesiæ ordinatus esset Episcopus. Ac fatemur quidem antequam Pe[trus sedem i]n Antiochiæ collocaret; in qua Christianis illis potissimùm, qui ex [Iudæis co]nuersi fuerant, primo Episcopatus sui tempore præsedit, à discipu[lis pos]t necem Stephani cùm alias in prouincias, & vrbes, tùm Antiochiam [...]t, fidei, & Ecclesiæ fundamenta esse iacta; quod Act. XI, 19 legitur. [S]ubinde post Stephani necem, & Passionem adeo Dominicam acci[...] Lucas pluribus interiectis cum Antiochensis Ecclesiæ progres-

VII. *Quo demum anno sedes Antiochena, tum Romana cōstituta sit, déq; vtriusque tempore.*

ſiones, & vberrima incrementa deſcriberet, primam illam originem attigerit, quæ multis annis anteceſſit: Quare non exiſtimandum eſt; eo demum tempore Antiochiæ Chriſtianam fidem receptam, quo ad Apoſtolos, & Hieroſolymitanā Eccleſiam eius rei fama perueniſſe dicitur, com. 22, quando Paulus, & Barnabas eòdem miſſi ſunt. Nam ſtatim à cæde Stephani, & in illa diſperſione Chriſtiana fides Antiochiam eſt importata. Verùm cùm maiora in dies incrementa caperet, nec iam ſe Iudaica gente contineret, ſed ad Gentiles quoque perueniret, eius rei fama, nimirum increbeſcentis Chriſtiani nominis, ac multiplicati fidelium numeri, Hieroſolymam peruenit. At verò Barnabas & Paulus Antiochiam miſſi ſunt anno circiter ante ſecundum Claudij, quo famem illam incidiſſe demonſtrauimus, vt ex com. 26 capitis eiuſdem, & ſequentibus liquet: Ergo Chriſti fere quadrageſimo profecti ſunt.

Ijſdem porro Scriptorum teſtimoniis Romanæ ſedis epocha firmatur; quam Petrus anno Claudij tertio, Chriſti XLIII primum in Vrbe conſtituit. Quippe Romam profectus eſt anno ſecundo Claudij, qui eſt Chriſti XLII, authoribus Euſebio, Hieronymo, Oroſio; cuius verba iſta ſunt Lib. VII Cap. VI: *Exordio regni eius* (Claudij) *Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit. Atque exin Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt.* Caſſiodorus, Coſſ. Saturnino II, & Venuſto Coſſ. *Petrus*, inquit, *Apoſtolus Romam mittitur; vbi Euangelium prædicans*, XXV *annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat.* Cuſpiniamus ad Caſſiodori Chronicon, & hunc locum, ſcribit apud alium Scriptorem pro illis Coſſ. alios ſubſtitui; nempe Tiberium Claudium II, & Longum. Conſulatus Claudij ſecundus in annum Imperij eiuſdem ſecundum incidit, Chriſti XLII. Addit & ſe in vetuſtiſſimo quodam Opuſculo Anonymi Scriptoris, quo Romani Pontifices à D. Petro ad Marcellinum vſque deſcripti erant, iſta legiſſe. *Petrus ann.* XXV, M. I. D. IX *fuit temporibus Tiberij, Caij, Claudij & Neronis, à Conſulatu Vinicij & Longini vſque Nerone, & Vetere*, &c. Hoc igitur perſuaſiſſimum antiquitati fuit; Petrum ſub annum Claudij II Romam veniſſe, ibique & Chriſtianam ſeuiſſe fidem, & Epiſcopatum annis XXV geſſiſſe. De quo ita Seuerus Sulpitius Lib. II. de Neronis agens Imperio: *Namque eo tempore diuina apud Vrbem religio inualuerat; Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo, poſteaquam ab iniuſto Præſidis iudicio Cæſarem appellauerat, Romam deducto.* Quocirca Petrus ante Pauli Romam aduentum Epiſcopatum illîc geſſit; imò verò primus Catholicam eòdem intulit fidem, (quod præ cæteris Dionyſius Corinthius vetuſtiſſimus Scriptor apud Euſeb. Lib. II Cap. XXIV comprobat, cùm ait Petrum Romanam Eccleſiam fundaſſe) ac peculiarem ſedem XXV annis obtinuit, ex Euſebij, Hieronymi, Oroſij, Caſſiodori, aliorúmque Veterum authoritate; quos ita numeramus.

Euſebius in Chronico, Hieronymus Catalogo, Caſſiodorus, & alij Petrum & Paulum Neronis anno decimo quarto à Nerone interfectos eſſe memoriæ prodiderunt. Quod in Annalibus Eccleſiaſticis ex eo refellitur ad A. LXIX, quòd cùm Neronis primus annus inierit ex ante diem XIII Octobris, & octo duntaxat menſes anni decimi quarti confecerit, vſque ad IV Eid. Iunij: Apoſtoli verò tertio Cal. Iul. necati ſint; fieri non poſſit, vt anno illius XIV martyrium fecerint, ſed antecedente, nimirum XIII. Verùm minimè reprehendendi

dendi, sunt antiqui illi, qui, vt plerique Scriptores solent, Imperatorum annos non ab eo die vel mense, quo primùm inaugurati sunt, sed à ciuili & populari anni principio, quod epocham illam præcessit, inchoasse videntur. Nam quod ad Eusebiũ attinet, ostendetur alibi annorum initia in illius Chronico ab Autumno deduci, quod Syromacedonum, & propemodum Alexandrinorum ciuile anni principium extitit. Neronis imperij primus annus, vt ex Astronomicis obseruationibus superius adstruximus, iniit ab Octobri mense anni Iuliani xcix, Vrbis conditæ DCCCVII, qui est æræ Dionysianæ LIV. Quare decimus quartus, quem ad octauum mensem vsque perduxit, cœpit ab Octobri mense anni Iuliani cxii, Vrbis conditæ DCCCXX, Christi LXVII, qui annus notatur in Fastis Consulatu Fonteij Capitonis, & Iulij Rufi. Eusebius annum XIV Neronis appellauit eum, qui reuera decimus tertius desinens erat, quòd paucis post mensibus decimus quartus cœperit. Vt igitur accuratè loquamur, passi sunt Apostolorum Principes anno Neronis XIII labente, Christi LXVII: quod cœlestia φαινόμενα, & alia rationum momenta validissimè demonstrant. Iam verò cùm anno Christi XLII, Claudij secundo, Petrus Romam adierit; sequente anno, qui est Christi XLIII, Romanam cathedram erexit, ineunte anno. Ab eo verò tempore ad Iunium anni Christi LXVII, solidi sunt anni XXIV, menses ferè VI: hoc est anni quinque & viginti duntaxat inchoati. Hac verò ratione cathedræ Antiochenæ competunt anni solidi ferè VI, qui & septem numerari possunt; si annos Iulianos vno paucisve inchoatos mensibus pro integris accipias. Nam à Februario mense anni XXXVII æræ Dionysianæ ad Ianuarium anni XLIII, septem Iuliani interiecti sunt. Ita annis ferè triginta & vno sedem vtramque Petrus administrauit.

Iam de Antiochena sede, & Episcopatu monuimus; non sic accipiendum ilid esse, quasi toto illo spatio, quo sedisse dicitur, stationem illic habuerit. Sed i potius, vt posteaquam semel ibidem cathedram, ac peculiaris Episcopatus lem collocauit, constitutis rebus, & Ecclesia fundata, vicariis relictis, varias Orbis partes ac prouincias, prout Spiritus sanctus impulerat, profectus sit: de identidem ad primariam, atque à se delectam Ecclesiam rediret. Quod lustrissimo Annalium Scriptore meritò proditum, frustra Spalatensis op- iat. Hoc enim ipsum Epiphanius noster Hæresi XXVII, Num. VI confir- vbi quod de Clemente dubitabatur, vtrum Petro adhuc superstite Romæ atus esset Episcopus, dissoluens, docet Petrum & Paulum, etiam post- Romæ consederunt, varias inde in orbis regiones egredi solitos, ne Ro- esset Episcopus, suas partes vicario cuidam Episcopo mandasse. Quod o præcipuè sentiendum est, quem tandiu ante Pauli in Vrbem aduen- mæ sedem habuisse, Veterum persuadet authoritas.

VIII. *De Petri cũ Simone Mago congressu.*

lissimum, & Antiquorum monimentis testatissimum est Petri Apo- Simone certamen: cuius accuratior inquisitio magnam ad proposi- onis disceptationem opportunitatem afferet. Iustinus Apol. II, Ire- I. Cap. XXI, & ex his Epiphanius Hær. XXI: tum Eusebius Lib. II. Hist. imonis historiam ita referunt, nullam vt illius certaminis mentionem alij exquisitæ inter Patres authoritatis Petrũ cum Mago illo comium, & eundem in sublime subuectum oratione deiecisse, pro comis tradiderunt. Ambrosius Lib. IV. Hexaëm. Cap. VIII, & in Cap.

VIII Epist. ad Rom. Maximus Hom. V de Petro & Paulo, Cyrillus Hier sol. Catech. VI. Philastrius, Seuerus Sulpitius Lib. II Hist. Theodor. Lib. Hæref. & alij magni ac minuti Scriptores infiniti. Rursus nonnulli Simon Claudio Imperatore Romam aduolasse, neque præterea quicquam, asseru Alij sub Nerone venisse, & cum Petro conflixisse narrant. Alij denique c tum congressus illius tempus omittunt. Quòd Neronis tempore Rom aduenerit; apertissimè inter cæteros docent, Sulpitius, Philastrius, & Ma mus, qui Petrum ideò interfectum à Nerone scribit, quod Simonem ex a deiecisset. Ex quorum omnium collatis inter se testimoniis illud liquet, du cem omninò Simonis aduentum Romanam in ciuitatem fuisse: primum Claudio; quando & Petrus illò vsque Magum insecutus dicitur: secundum i perante Nerone; quando à Petro & Paulo è sublimi oratione deiectus est. C ius quidem historiæ fidem longa iam vetustate corroboratam, & sincera p stantissimorum Scriptorum authoritate commendatam, temerè sollicitari n conuenit. De qua pluribus Illustr. Card. Baronius in Annalibus.

Hactenus disputationis nostræ fundamenta posuimus; præcipuis temp rum illustratis, explicatisque quæstionibus, ex quibus Spalatensis imperitiam stupiditatem Chronologica in re demonstrabimus. Sed prius historias ill quarum à nobis disputata sunt tempora, breui in Tabella Chronologica co plectemur, vt eam subiiciens oculis Lector, & cum Spalatensis Tabula co parans, ex eius salebris, & ambagibus emergat: tum verò mecum fuisse miret hominem, qui cuius scientiæ tam extremè esset imperitus, hanc adeò præ se f re, séque illa venditare non erubuerit.

Tabula Chronologica annorum à Paſſione Chriſti ad Petri, & Pauli Martyrium.

Anni Iuliani.	*Anni æræ Dionyſianæ.*	*Anni Imper. Rom.*	*Conſules.*	*Cathedræ Romanæ.*	*Epochæ memorabiles.*
LXXVI.	XXXI.	XVIII.	Tiberius Cæſar Aug. V. L. Ælius Seianus.		Chriſtus patitur. Stephanus lapidatur. Diſperſi Chriſtiani Antiochiam veniũt.
LVXXII.	XXXII.	XIX.	Cn. Domitius Ahenobarbus A. Vitellius Nepos.		
LXXVIII.	XXXIII.	XX.	Ser. Sulpitius Galba. L. Cornelius Sulla.		Saulus ad Chriſtum conuertitur.
LXXIX.	XXXIV.	XXI.	Paulus Fabius Perſicus. L. Vitellius Nepos.		
LXXX.	XXXV.	XXII.	C. Ceſtius Camerinus. M. Seruilius Rufus.		
LXXXI.	XXXVI.	XXIII.	Q. Plautius Lælianus. Sex. Papinius Gallienus.		Paulus Hieroſolymam poſt tres annos à conuerſione venit, vt videret Petrum. Gal. 1.
LXXXII.	XXXVII.	Caij I.	Cn. Acerronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.		Tiberio mortuo XVII. Kal. April. Caius ſuccedit A. III, M. X. D. IX. Petrus variis Iudææ peragratis locis, Antiochię cathedram ac ſedem conſtituit XXII. Februarij. Herodes Agrippa Philippi Tetrarchia donatur à Caio cum Regis titulo.
LXXXIII.	XXXVIII.	II.	M. Aquilius Iulianus. P. Nonius Aſprenas.		Petrus hoc, & ſequentibus annis varias obiens prouincias Pontum, Galatiam, Aſiam luſtrat, ibique diuerſas Eccleſias inſtituit.
LXXXIV.	XXXIX.	III.	C. Caligula II. L. Apronius Cæſianus.		
.XXXV.	XL.	IV.	C. Caligula III. Solus.		Herodes Antipas Lugdunum relegatur, eiuſque Tetrarchia Herodi Agrippæ tribuitur.
XXVI.	XLI.	Claudij I.	C. Cæſar Caligula IV. Cn. Sentius Saturninus.		Caio interfecto die XXIV. Ianu. ſuccedit Claudius. Herodes Agrippa Iudęam & Samariam à Claudio accipit: & in Iudæam proficiſcitur. Ibi Iacobo occiſo Petrum in vincula coniicit. Agabus famem prædicit. Act. XI.
:VII.	XLII.	II.	Claudius Imper. II. C. Licinius Largus.		Paulus collectas Hieroſolymam portat, Herodes Iacobum occidit; Petrum in vincula coniicit. Vnde hic elapſus Romam proficiſcitur.
I.	XLIII.	III.	Claudius Imper. III. L. Vitellius Nepos.	I.	Petrus Romæ Cathedram erigit.
	XLIV.	IV.	L. Quintius Criſpinus. M. Statilius Taurus.	II.	Herodes Agrippa moritur.
	XLV.	V.	M. Vinicius Quartinus. M. Statilius Coruinus.	III.	Eclipſis Solis Kal. Aug. contigit.
	XLVI.	VI.	P. Valerius Aſiaticus. M. Iulius Silanus.	IV.	

Anni Iuliani.	Anni æræ Dionysianæ.	Anni Imper. Rom.	Consules.	Cathedrâ Romanâ.	Epochæ memorabiles.
XCII.	XLVII.	VII.	Claudius Imper. IV. L. Vitellius II.	V.	
XCIII.	XLVIII.	VIII.	A. Vitellius. L. Vipsanius Poplicola.	VI.	
XCIV.	XLIX.	IX.	C. Pompeius Longinus. Q. Veranius.	VII.	Claudius Iudæos ab Vr pellit. Concilium Hi rosolymis habitum,cu Paulus interfuit.
XCV.	L.	X.	C. Antistius Vetus. M. Suillius Rufus.	VIII.	
XCVI.	LI.	XI.	Claudius Imper. V. Ser. Cornelius Scipio.	IX.	
XCVII.	LII.	XII.	P. Cornelius Sulla. L. Saluius Otho.	X.	
XCVIII.	LIII.	XIII.	D. Iunius Silanus. Q. Haterius Antonius.	XI.	
XCIX.	LIV.	XIV. Neronis I.	Q. Asinius Marcellus. M. Acilius Auiola.	XII.	Claudio mortuo III. Ei Oct. succedit Nero.
C.	LV.	II.	Nero Imperator. L. Antistius Vetus.	XIII.	Paulus Romam vinctu mittitur.
CI.	LVI.	III.	Q. Volusius Saturninus. P. Cornelius Scipio.	XIV.	
CII.	LVII.	IV.	Nero Imper. II. L. Calpurnius Piso.	XV.	
CIII.	LVIII.	V.	Nero Imper. III. Valerius Messala.	XVI.	
CIV.	LIX.	VI.	C. Vipsanius Poplicola. L. Fonteius Capito.	XVII.	Eclipsis Solis Aprilis xx
CV.	LX.	VII.	Nero Imper. IV. Cossus Cornelius Lentulus.	XVIII.	
CVI.	LXI.	VIII.	C. Cæsonius Pætus. C. Petronius Sabinus.	XIX.	
CVII.	LXII.	IX.	P. Marius Celsus. L. Asinius Gallus.	XX.	
CVIII.	LXIII.	X.	L. Memmius Regulus. Paulus Virginius Rufus.	XXI.	
CIX.	LXIV.	XI.	C. Lecanius Bassus. Marcus Licinius Crassus.	XXII.	
CX.	LXV.	XII.	P. Silius Nerua. C. Iulius Atticus.	XXIII.	
CXI.	LXVI.	XIII.	C. Suetonius Paulinus. L. Pontius Telesinus.	XXIV.	
CXII.	LXVII.	XIV.	L. Fonteius Capito. C. Iulius Rufus.	XXV.	Petrus & Paulus Simon Mago profligato à Nerc ne supplicio affecti fur Iunij xxix. currente xi eiusdem Imperatoris.

ALTERA PARS DISSERTATIONIS.

In qua Spalatensis Disputatio refellitur.

QVisquis hæc nostra Chronologiæ firmamenta diligenter excusserit, quibusque probata rationibus, imò verò demonstrationibus adstructa, stabilitaque sint, apud se perpenderit, cùm certissima illa esse iudicabit; tum ab illis abhorrentem Spalatensis Chronologiam, ac tam fœdè tempora permiscentem satis admirari non poterit. Nam ex illis, quæ capite superiori non probabilibus modo, sed necessariis argumentis eruimus, infinitarum hallucinationum, & intolerabilium errorum illius disputatio côuincitur. Cuius nos absurditatem mox in singulis Capitis sectionibus ostendemus. Nunc caput erroris ipsum, ac summam probationum omnium, & robur, quod superiori capite propositum est, καθόλου breuitérque diluendum est. I. *Euertitur præcipua vis argumentorum, quibus vtramque sedem oppugnat.*

Argumentorũ in eo vis erat posita, quod Petrus è Iudæa nonnisi sub annum Christi XLIX, Claudij sextum egressus fuerit: Is est vero à Christi passione decimus sextus; à quo ad Petri Paulique necem anni sunt circiter nouemdecim; qui, vt verum sit Antiochiæ pariter ac Romæ sedem ab illo fixam, in vtramque partiendi sunt. Quare illud saltem auferetur; non sex annis, vel septem Antiochiæ, Romæ verò quinque, & viginti sedisse.

Nos ei sic occurrimus: Falsissimum esse; Petrum ante annum Christi XLIX Iudæâ non exisse: Quippe Antiochiam longe ante id tempus excurrisse; quando varias peragrauit vrbes, ac prouincias, Act. IX, 32. De quo vide § VII superioris partis. Indidem etiam perspicuũ est, anno Claudij secundo Romam properasse Petrũ; qui est Christi XLII; vti sextus Claudij, Christianæ æræ quadragesimus sextus est, non quadragesimus nonus: quod § I indubitatis argumẽtis conuicimus: Ex quo illud præterea conficitur, quod in hoc toto negotio præcipua obseruatione dignũ est: Aliud esse de annis Christi veris, & ab eius Passione vel Natali numeris loqui, aliud de æra Dionysiana; quam infra verum Natalem aliquot annis incipere, iampridem Veteres Chronologi deprehenderunt. Sed pleriq; immane quantum deesse putauerunt, nimirũ annos XXII, vt Sigebertus, Marianus Scotus, Matthæus Paris, Paulus Forosemproniensis. Quorum est opinio alio loco refutanda. Alij vnum tantùm annum; vt Lucidus: duos alij; alij quinque vel quatuor addendos rati sunt, vt ad verum Natalem pertingeret. Quanquam Dionysiana æra non iccirco reijcienda est, sed nihilominus retinenda; vt pote quam tot Chronologorum, & Annalium vsus adsciuit. Salua igitur in omnibus Ecclesiæ, Romanorum Pontificum authoritate, & in præsens omissa Natalis Christi quæstione; nos præcipuas illas epochas iis annis consignauimus, in quos necessario competere certissima, atque euidentissima rationum momenta persuadent. Eiusmodi in vetustissimorum Scriptorum authoritate, & Astronomicis rationibus esse posita, nemo prudens, & harum rerum paululum intelligens ignorare potest. Ergo Claudij primum annum ex iis Astronomiæ fontibus æræ communis æræ XLI collocauimus; Passionem Domini in anno XXXI; Neronis XIV ineuntem, anno LXVII. ad quem à Christi Passione intercedunt anni XXXVII. Qui hæc vera esse negauerit; is Astronomiam funditus tollere, ac veteres omnes historias negare prius debet, atque è medio tollere. Porro ab anno Dionysianæ æræ XXXVII docuimus Antiochenam sedem

ad XLII esse perductam; imo ad Februarium anni XLIII: à quo ad finem Iunij ... ni LXVII viginti quinque circiter annis Romanum Episcopatum Petrus adi... nistrauit. Ad hæc non minus esse falsum, quod Spalatensis pugnat; Petru... Iudæa non migrasse ante annum illum, quo Paulus ad collectas deferendas I... rosolyma profectus est; quem etiam frustra decimumquartum à conuersi... computat, cùm nonnisi octo circiter annis, postquam Christianus factus est, profectio contigerit. Verùm tam hæc, quàm reliqua omnia portentosa men... cia, ac labes annorum fœdissimæ, in quibus Spalatensis Chronologia voluta... per singulas capitis Sectiones; quibus quidem ea, quam oppugnamus, dispu... tio continetur, facilius & ad Lectoris intelligentiam aptius exponentur.

II. *Spalatensis inscita ratiocinatio, N. XVII, & XVIII.* Orsus est argumentationem suam à Num. XVII. Vbi primum velut conc... sum id sumit, quod vehementer negandum est: Petrum antequam ab Her... vinciretur, Iudæa non exisse. Probat hoc non ratione vlla, sed crassissimo stu... dissimoque sophismate, hoc fere modo: Toto illo spatio, quod à Passione D... mini ad Petri carcerem interlapsum est, Petrus Hierosolymis, in Samaria, ac ... liqua Iudæa aliquoties repertus est, vt in Actis Apostolorum legitur. Nam Samariam profectus est cum Ioanne, Act. VIII. Item à Paulo post tres ann... quàm conuersus erat, Hierosolymis conuentus est, Gal. I. Exinde varias prou... cias obiit, Act. IX, X, XI. Igitur extra Iudæam nullibi terrarum fuit: neque Ant... chiam peruenit. Hoc acumen probationis: hæc Chronologica demonstrat... hæc hominis industria; qui insolubilem nodum ex ipsis se Scripturæ fontil... dissoluturum tam gloriosè receperat. Atqui ridicula, & vanissima est ista co... ctio. Quamuis enim certis illis temporum opportunitatibus & Hierosolymis in Samaria, & alibi Iudææ sit inuentus; non ideo necesse est iis in locis hæsisse ... petuò, nec aliò quoquam abiisse. Certè id in Scripturis nusquam legitur. P... triennium à Pauli conuersione Antiochiam adiit, ibique sedem Episcopa... constituit. Quod vt in priori parte, §. VII audacter affirmaremus, nulla nos S... latensis sophismata prohibuerunt.

N. XVIII. N. XVIII, Conuersionem Antiochenæ ciuitatis ineptissimè coniicit in id te... pus, quod Act. XI, 22 designatur; quando ad Ecclesiam, quæ erat Hierosolyr... perlatus nuntius dicitur Christianæ rei mirum in modum sese apud Antioc... nos efferentis. Nimis illud serum est. Tanto enim antè, statim post Stephani ... cem, in illa fidelium prima dispersione, conuersi sunt Antiochenses, Act. XI, Quare ridiculus atque hebes est Chronologus noster; qui pro eo, quòd Lu... longo interuallo primæ illius conuersionis meminit, cum de fidei illic increm... to ageret, tum demum inuectum in eam vrbem Christianismum putauit. N... Pauli & Barnabæ missio aliquanto postea contigit, quàm Petrus cathedram ... dem in loco statuerat.

III. *Dissoluuntur ea quæ de Collectis à Paulo perlatis Hierosolymã N. XIX, deq; fœdere cum Petro inito N. XX. traduntur.* Omnia deinceps susque deque miscet ac pertubat Chronologus. De quad... plici Hierosolymam aduentu Pauli, habes §. VI Part. I. Pessimè verò Spalate... profectionem secundam, quæ est Act. XI, 30, cum tertia confundit, quæ Ga... memoratur, quæque octo circiter annis illâ posterior est. Quod iudiciũ hom... fuit, cùm annis post conuersionem quatuordecim elapsis, stipem illam Ant... chensis Ecclesiæ Paulum Hierosolymam comportasse scripsit? Quid putic... excidere potuit? Fames illa, quam Agabus præuidit, cuique opitulati sunt An... cheni Christiani, secundo Claudij anno contigit, Christi XLII, post conuers... nem Pauli circiter decimo; vt §. IV demonstratum est. Quod vt in dubium vo...

tur, negari profectò non potest, viuo adhuc Herode contigisse. Hoc ad eô series ipsa narrationis apud Lucam, extremo capite XI, & initio duodecimi, satis arguit. Mortuus est Herodes Agrippa post annum Christi XLIII, ineunte XLIV, & Claudij IV, vti ex Iosepho planum fecimus; anno post conuersionem Pauli vndecimo, vel duodecimo. Quanam ergo scutica tantum delirium expiabitur, dum post annos à conuersione Pauli XIV, hoc est biennio ferè post obitum Claudij, famem illam incidisse ponit, quam viuo adhuc Herode grassatam Lucas indicat? Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν, inquit Cap. XII, I, ἐπέβαλεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας, &c. *Eodem autem tempore misit Herodes rex manus.* Quod, amabo, idem illud est tempus? Nempè cuius proximè antè, fine Cap. XI. meminerat; quando famem illam Agabus prædixit. Si fames anno Claudij secundo, Christi XLII conuenit; ergo ante annum istum, vel eo saltem ineunte, Paulus Hierosolymam collectas detulit, vndecimo à Passione Christi, à conuersione sua octauo, vel nono. Non igitur Claudij sexto fames incidit, triennio post Herodis obitum; neque Christi XLIX, qui est ab Herodis morte sextus. Et quamuis hæc Spalatensi concedantur omnia; Paulum vt Antiochenam illam pecuniam Hierosolymam deferret, suscepisse profectionem illam, cuius ad Gal. II. meminit, ac tum dextras cum eo Apostolos iunxisse reliquos; non tamen ex eo concludi potest, Petrum hactenus Iudæa sese continuisse, neque aliò identidem excurrisse.

Quod N. XX, Spalatensis obiicit, de fœdere illo quod cum Paulo Petrus pepigit, vt ille Gentilibus, hic Iudæis prædicaret Euangelium, obsoletum est ac rancidum. Olim ex Veleno Hæretico Bellarminus illud attulit, ac discussit Lib. II de Rom. Pontif. Cap. VII. Pacti sunt inter se ipsos Apostoli, vti Petrus Iudæis præsertim operam nauaret, Paulus Gentilibus; tametsi tam iste Iudæos, quam ille Gentiles ad Christum conuerterit. Vtriusque non pauca sunt [i]n sacris libris exempla. Vel Cornelius Centurio, cæterique Gentiles à Petro [co]nuersi satis indicant, Petrum operam etiam in Gentiles contulisse. Paulus ve[rò] persæpè in Actis Apostolicis apud Iudæos Sabbatis verba fecisse legitur, & [ex] illis permultos ad Christi fidem adduxisse. Idem & ad Hebræos luculen[tam] Epistolam scripsit; qua suum in illorum caussa studium non obscurè testa[tum] est.

[Q]uantus verò in Chronologia sit Spalat. hoc vno indicio monstrabitur. He[ro]dem N. XX, & XXI, & in Tabula Chronologica, dicit Iacobum affecisse suppli[cio], Petrum autem in vincula coniecisse, anno Christi XLVIII; Claudij sexto: [ci]rca sub idem tempus Paulum Hierosolymam ad collectas portandas ve[nisse], post annos à conuersione sua quatuordecim. Cuiusmodi verò ex hac [tempo]rum distributione portenta sequantur, paucis accipe. Annus Claudij pri[mus m]athematica demonstratione superiori capite, §. I, defixus est anno Chri[sti ...]. Mortuus est Herodes ille Iacobi, ac Petri persecutor anno Claudij tertio, [ineun]to, hoc est Christi XLIII, vel ineunte XLIV. Ergo Iacobi nex, & Petri car[cer qu]inquennio post Herodis Agrippæ mortem contigit ex accurata Spala[tensis Ch]ronologia. Ergo mendax erit historia Lucæ, qui ab Herode passos illos Apostolos narrat. Item Paulus ad Antiochensem collectam Hie[rosolyma]m perferendam sub idem tempus aduenit, paulò antè famem, quæ [Claudij se]cundo, Christi XLII anno contigit, vtique ante Herodis obitum. [Ergo] annus aduentus illius decimus quintus à conuersione Pauli; vt ei-

IV. *Spalatensis portenta Chronologica Num. XX. & XXI.*

dem Chronologo placet. Proinde cùm annus Christi XLII sit dec
tus à conuersione Pauli; conuersus erit anno æræ Christianæ vicesi
longè ante Passionem Christi. Expecto quid vel Chronologus iste,
ad immanes istos Commentarios operas contribuerunt, afferre p
tantam fatuitatem, & insaniam excusent. Audeant negare, prim
Claudij esse Christianæ æræ quadragesimum primum; Herodem a
dij vel exeunte tertio, vel ineunte quarto mortuum esse, adeoqu
dragesimo tertio, vel quarto. Tum illud euertant, quod necessari
tione colligitur, si anno Claudij quinto, vel sexto Iacobus occisu
Herodis mortem esse passum: si æræ Christianæ quadragesimo oct
to post eiusdem necem, Iacobi Martyrium accidisse. Etenim Ro
Imperatorum anni certissimis notis, & characteribus adstricti sunt,
Dionysianæ annis impliciti: ex quibus error omnis facilè deprehendi
ab inuitis inscitiæ confessio velut fidiculis exprimitur.

V.

Quatuor Spalatensis historici cardines euertuntur, ac reliqua Num. xxy. xxiy. xxiv.

Postremò quatuor sunt cardines, quibus ille Chronologiam
Num. XXII statuit, qui partim è superioribus conuulsi præcipitem s
ctrinam vniuersam trahunt; partim nihil ad eius institutum faciunt
est cardo: Christum ætatis anno XXXIII esse passum. Cui ita nos occ
quicquid de ætate ipsa Christi constituatur, quæ res in opinione pos
esse certissimum; neque Christum æræ Christianæ, siue Dionysian
XXXIII esse passum, neque XVIII annum Tiberij in annum istum c
re. Quod ex Animaduersionibus nostris ad Epiphanium euidentissimè
Etenim Augusti mors incidit in annum æræ Christianæ XIV, quod i
tus character eclipsis illius arguit, quæ paulò post eius obitum accidi
Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio, qui est annus editionis Iulianæ
proinde Christi XIV. (Primus enim Christi est Iulianus XLVI.) Quar
rij primus consurgit ex die XIX Augusti anni Christi XIV. Vnde
dem XVIII iniit anno Christi XXXI. Sed hæc accuratius superiori ca
sputata sunt.

Secundus cardo: anno vno post Ascensionem elapso, Christi
simo quarto item elapso, currente tricesimo quinto, Paulum esse c
sum. Neque hoc verum est, si ad æram Christianam referatur, qu
tat Spalatensis. Nam tricesimo tertio Christi anno conuersus est, bienn
Ascensionem. Deinde valdè ἰδιωτικῶς, & perplexè loquitur. Quid est
Paulum post elapsum ab Ascensione annum, Christi tricesimo quar
pso, currente tricesimo quinto esse conuersum? Si Domini Passio
num eius XXXIII incidit, vt ille censet; & post elapsum ab Ascensio
num conuersus est Paulus, acciderit hoc anno Christi XXXIV, non
Aut si XXXV conuersus est, vtique propemodum biennio post Ascensi
contigit.

Tertius cardo: quartodecimo post conuersionem Pauli anno, hoc est
secundum Pauli aduentum Hierosolymam contigisse, sexto nimirum C
anno. Hîc multiplex inscitia est, & puerilis hallucinatio. Ostensum est, a
XLIX æræ Christianæ esse decimum septimum à conuersione Pauli; Claud
rò nonum. Vide superiora; & imperitiam hominis animaduerte, qui se C
nologum profiteatur, cùm ne artis quidem illius prima rudimenta gustaue

Qu

Quartus cardo: annum illum, quo Iudæi Roma pulsi sunt à Claudio, fuisse
iperatoris huius nonum, Christi LI; quo anno Paulus post diuturnam pere-
nationem Corinthi prædicauit, Act. XVIII. Cùm igitur acta anni noni Clau-
Christi quinquagesimi tertij contineantur Capite XVIII Act. Capite verò XII
nprehendantur acta anni VI Claudij, Christi XLVIII, nimirum Petri carcer, &
indus Pauli Hierosolymam aduentus: necesse est capita interiecta, scilicet
.XIII, XIV, XV, XVI, XVII, trium annorum gesta complecti, adeóque tres annos
rcessisse. Petrus verò anno VI Claudij Herodis vinculis exemptus primùm
iochiam peruenit.

Iusquam insignius Chronologi stupor, hæsitatio, & ἀσυμμαχία se prodit.
:enim sine iudicio fundit, neque secum, neque cum veritate cohærent. Ita
o inconditè, & perturbatè loquitur, vt quid sibi velit ne ipse quidem nos
re possit. Annum Claudij nonum, quo pulsi sunt Roma Iudæi, comparat
anno Christi LI; vt ex Tabula Chronologica liquet, quam pag. 543. exhi-
Sextus quoque Claudij respondet Christi XLVIII. Cæterùm anni imperij
dij cum Christi annis adæquantur propemodum. Iniit quippe Claudius
rij XXIV Ideo singuli anni Claudij totos ferè Christi singulos exhauriunt.
e XII Act. describuntur ea, quæ anno Claudij VI, Christi XLVIII contige-
Capite XVIII, quæ anno Claudij IX, Christi LI. Inter annum XLVIII, & LI,
ntercedunt duo, non tres, vt Spalatensis asserit. Sed hæc leuia sint. Pergit,
ita ratiocinatur. Quoniam igitur statim fermè post vincula Petri, Paulus
nabas iubente sancto Spiritu missi sunt, Act. XIII, & in ea profectione an-
olidum consumpserunt; quo toto tempore Petrus Antiochiæ fuit; reuer-
lo circa quinquagesimum Christi annum, id est septimum Claudij, fa-
est scandalum Antiochiæ ab iis, qui legalium obseruationem Gentilibus
ant. Inter quos authores scandali Petrus, inquit, fuit. At, ô bone! si an-
udij sextus est Christi XLVIII, septimus non quinquagesimus est, sed qua-
mus nonus, vti & Tabula tua Chronologica fidem facit. Mox pagina se-
538. *Itaque*, inquit, *cùm non possimus reluctari iam confirmatissimæ asser-
lem Antiochenam Petro ante Romanam tribuenti, hoc ipso anno septimo ni-
Claudij, & Christi* 51, *Antiochia Petrum sibi sedem delegisse, vt ibi ab He-
secutione tutus aliquandiu conquiesceret, admitti posse videtur.* Hæc sunt
tissima. Modo Claudij VII erat Christi XLIX; deinde L, nunc idem LI est.
oc Chronologo facias? Mortuus est, Iosephi, & cæterorum consensu,
anno Claudij ineunte quarto, Christi XLIV. Et tamen Petrus annis post
is insidias pertimescit Christi LI. In Tabella Chronologica Spalatensis,
ntiochiam è vinculis fugit anno Claudij VI, Christi XLVIII. Cur non se-
ltem, nempè XLIX Cathedram figit? Postremò quid iste cardo Chro-
s tot ambagibus, ac mendaciis implicatus ad caussam pertinet? An illud
luci potest, Petrum ante carcerem Antiochiæ non fuisse? Atqui nos
m prius ostendimus. Iam hoc virulentum, execrandum, & Apostata
dignum cacoëthes, quod Num. XXIII Spalatensis aspersit: vbi inter
ntiochiæ scandalum excitarunt, de quo Act. XV, proculdubio Petrum
nunciat. Tantúmne temeritatis esse futili, & vnius assis Chronologo?
llum docuit? quo authore? qua coniectura confisus tantam Apostο-
ıcipi calumniam imponit? Ea verò falsissima, & putidissima est. Iam
teneat, cùm eodem Num. XXXIII legerit, Herodem Cæsaream vsque

Petrum esse persecutum? Vnde hoc diuinat, Herodem Antioch
ctum, vt Petrum persequeretur? Sanè hæc fatua sunt. Ego verò
elapsum fuga Petrum Herodem Antiochiam aspirasse sentio;
postea; Lucam verò, vt ea quæ ad Regem istum attinerent vno t
ret, ad eaque, quæ instituti sui erant, sese referret, mortis illius hist
de Petro narrationi subiecisse.

Annus Concilij Hierosolymitani est nonus Claudij, Christi x
dimus. Vtrum ante hoc Concilium, necne, Petrus à Paulo sit rep
ad caussam facit. Est enim illud Spalatensis explosum, annum x
numeratur, à Pauli conuersione deduci; quem nos ab ea monstra
cimum septimum. Sed neque Paulus, tametsi post narrationem re
moquarto anno gestarum contentionem illam cum Petro subi
eius tempus designat. Denique licet post Concilium id accidisse vel
quam nos Spalatensis παρεπιχειρήματα commouebunt. Putat aute
monstrari, dissensionem illam Petri & Pauli ante Concilium Hie
num accidisse, quia si iam definitio hæc præcessisset, non erat cur in
rent. Quasi eadem sit conditio facti illius, cuius caussa reprehensus e
eius, quod in Concilio decretum est. Statuit Concilium ne Gentiles
ne, ac cæteris Iudæorum ritibus amplius tenerentur: Petrus ne Iudæ
ret, paululum se ab Gentilium consuetudine segregauit. Ideo Paul
darguit. Ambo hæc planè seiuncta, & à se inuicem diuersissima sunt
hil est quod prohibeat ante Concilium Hierosolymitanum castig
lam accidisse.

Ridicula Spalatensis argumētatio Num. xxv. xxvj.

Per est verò ridiculum illud, quod Num. xxv ἀσυλλογίστως conclu
*trum in Iudæa Cathedram non habuisse; quia Hierosolymis totius Iud
Cathedra diutius perseuerauit, & sensim in Cathedram Christi est immu*
χτικώδης est, & plumbea ratiocinatio: imo sacrilega, & impia. Nam
Cathedra, quandiu in Iudæa fuit, Christi Cathedram exclusit: igit
Christus ipse, dum viueret, Cathedram vllam propriam habuit. Ne
ipse, sed Scribæ, & Pharisæi super Cathedram Moysis sedebant. Tum v
tuo Christo, nulla fuit Apostolorum Cathedra. Proinde nullum ius
Concilij, aut deliberandi, vel decidendi penes illos fuit. Quid est enim
thedra, quàm iurisdictio ac potestas? Quamobrem ex fatua ista Spalat
gumentatione, primum illud Hierosolymis habitum Concilium, cui I
Apostoli præfuerunt, irritum fuit, & authoritate caruit: quia nulla tum
lorum Cathedra, id est authoritas, iurisdictio, potestas in Iudæa fuit,
Moysis illic Cathedra perseuerauit; quę ad excidiũ vsque Hierosolymor
Præterea si nulla Hierosolymis erat Christi Cathedra, donec Moysis C
perstitit, nulla prorsus Ecclesia fuit. Nam sine Cathedra, quæ, vt dict
potestatem, & iurisdictionem significat, Ecclesia esse non potest. Hæc si
lida, fanatica, portentosa deliria.

Quid illud eodem Numero? *Neque Antiochiæ, neque Romæ Petrum
sedisse, qui non vt sederet, sed vt excurreret, Apostolatum accepit.* Quasi sec
sedem habere alicubi, cum de Episcopis, vel Apostolis vsurpatur, sit assid
hærere. Atqui Numero sequenti hoc tam absurdum, & ineptum effatum
nuntiat. *Sedes Ecclesiastica, sedes alicuius sunt per actualem sessionem, non
lam mentalem applicationem.* An tu necesse putas, perpetuò vt Episcopus i

...co subsideat, neque vel si alio migrandi necessitas ingruat, de statione sese ...oueat? Quis hoc tibi concedat? Vt in vrbe aliqua sedes constituatur; ad sum...ium sufficit, vt aliquando qui sedem istic optat, in vrbe illa fuerit; vt ad can... ...m si potest, aliquando redeat; si non potest, at neminem suo loco alterum ...esidem imponat. Antiochenam Cathedram obtinuit quandiu voluit Pe...us. Vbi Romam transferri sedem placuit, alium ordinauit, nimirum Euo...um, vt Eusebius, & Ignatius testantur. Qui posterior non tantoperè incessus fuit; quod Antiochiæ primùm discipulos Christianos vocatos esse scri..., cùm Petrus & Paulus fundarent Ecclesiam. Quippe & Antiochensibus ...s, eorúmque fundandæ ac stabiliendæ Ecclesiæ Petrus nauauit operam.

De Patriarchali sede, quam à Petro Antiochiæ primùm erectam Baronius ...t, Spalatensis strenuè nugatur. Quamuis enim Patriarchales sedes eo no...e distinctè, & exertè nondum per illa tempora vocarentur; constabat ta... illis sua iurisdictio, & potestatis, ac dignitatis amplitudo, quam Nicæna ...odus approbauit. Vnde meritò Petrus Antiochiæ Patriarchalem sedem ...tituisse dicitur, quatenus Orientalium Ecclesiarum principem illam esse ...

...ummam in Numero xxvii rationum suarum, hoc est παραλογισμῶν, & παρε...μάτων subducit. Petrum ante Concilium Hierosolymitanum Iudæa non ..., quod pro comperto sumit, mendacissimum est, & à nobis Cap. I. abun...utatum. Si Hieronymum audimus etiam ante Claudij secundum, Christi ... Pontum, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam peragrauit, & Iudæis, ...ic degebant, Christi nomen intulit. Secundum quæ Romam secundo an...udij profectus est. Proinde cùm Antiochiæ sedem suam anno æræ Chri... circiter tricesimo septimo, Tiberij vltimo, collocauerit, totum illud tem...eriectum; hoc est annos ferè quatuor, in obeundis illis Prouinciis, ac Iu...ui ἐν τῇ διασπορᾷ degebant, instituendis, & Ecclesiis erigendis insumpsit: ...lem vt identidem ad suos Antiochenos, & interdum Hierosolymitanos, ...stinos excurreret, Ecclesiarum omnium curam sustinens. VII. *Refellitur Num. xxvij.*

...mobrem quod aliquoties Hierosolymis, aut in reliquis Iudææ regioni... Antiochiæ demum versatus esse, & ibidem repertus à Paulo legitur, non ..., quin aliis temporibus longè latéque peruagatus Iudæis potissimùm ...endis operam adhibuerit: donec anno secundo Claudij Romam adiens ...æis solùm, sed etiam Gentibus plenius & vberius Christianam lucem .... Hæc ad Hieronymi, & aliorum Veterum mentem, ac sententiam ... congruunt. Nimis est enim Spalatensis insulsa ratio; qui ex eo tan...od identidem in Iudæa, vel Antiochiæ, Petrus versatus sit, concludit ... quam esse digressum.

...idem probabile, ait Spalatensis, *Petrum quoque tandem Romam venisse.* ..., inquis? Satis tibi dixisse videris ea de re, quam negare, vel non cre...dis est, non hominis. Itaque ne Hæresiarchæ quidem ipsi, qui nihil ...it, inficiari istud audent. Sed breuissimo illi tempore, Spalat. vix vno ...atum esse Romæ Petrum somniat. Quorum insaniam, ac protet...is retrò vetustas iugulat: vt ex Cap. I. Dissertationis huius liquet. Vbi ...one Mago, cuius historia potissimùm Spalatensis nititur, quantum ...iximus. Quærit tamen quibus authoribus duplicem vel Magi Simo- VIII. *Euertuntur ea, quæ Num. xxviij. xxix. xxx. xxxj. xxxij. continentur.*

bb ij

Simonis alterius & Apostoli Romam distinguamus aduer
nis, vel Simonis responsio. Veterum aliqui Simonem Magum anno Claudij sec
venisse; alij imperante iam Nerone scribunt. Bis ergo, & diuersis te
fuit. Rursus Petrum anno Claudij secundo, vt se Mago Simoni o
mam esse profectum referunt. Iidem magno authorum omnium
mæ sub Nerone passum esse cum Paulo prædicant. Quid clarius
quàm & sub Claudio, & sub Nerone Romana in vrbe esse versa
hæc nihil præter os, & frontem quod opponat Spalatensis habet.

Cætera, quæ ad finem vsque capitis pertexuit, partim friuola i
superiori capite facilè discutiuntur. Quale est inter alia, quod Petru
anno Neronis XII Martyrio affectos esse defendit: cùm id exeunte
ante XIV initium mensibus consensu omnium acciderit, Capito
Coss. qui est annus æræ Dionysianæ LXVII, non vt est in Annalibu
cis, LXIX: vt antè demonstrauimus.

Hactenus doctissimus Petauius: in cuius sententiam manibus
discedimus, dignamque iudicamus, quam omnes docti amplecta
si quis nouitate perturbetur, meminerit quæ noua sint, non protinu
& inesse in doctissimi Chronologi rationibus pondus, quod etiam
tati authoritatem conciliare possit. Verùm nec recens inuentum e
dum initam hanc rationem tollendarum difficultatum, quæ in im
disputatione de Antiochena & Romana Petri profectione occurru
qui de Annalibus Ecclesiasticis inaudierunt; sed diligentiorem ac c
rem operam, in his eruendis posuit Petauius, qui omnes anfractus
nes quibus illa quæstio inciditur, emendauit ac expleuit, scrupulósq
exemit. Si quis autem præfractior in eum irruerit, sentiet nobilissimu
tam lacertos habere, inuictumque illi esse robur experietur.

DISCV

DISCVSSIO SECVNDI CAPITIS LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

aratione à Iudæis sumpta, qui ab vna
ribu Iuda nomen duxerint, ostenditur no-
ne Ecclesiæ Romanæ, totam Ecclesiam Ca-
olicam censeri ac cōprehendi: Oppositiones
alatensis dissoluuntur: Duo ipsius errata
ipso limine disputationis notantur, ac re-
untur: Trifariam dici posse Catholicam,
quo sensu Romana hoc nomen consecuta
xplicatur: Athanasius Spalatensi non in-
ctus: Hieronymus & Augustinus de-
ti: Ecclesia Romana fons, radix &
, reliquarum caput: Cypriano Eccle-
rincipalis: Eugenij Carthaginensis,
entij Lirinensis, Ambrosij, Theodore-
ieronymi, Possidij testimonia pro au-
tate Catholica Ecclesiæ Romanæ: Ca-
Spalatensis absterguntur: quatuor Epi-
rum ordines, & gradus: Pontifex hos
s comprehendit, ac omnes sacri mune-
rsonas sustinet: Sirmondus in hanc
itatus: Obiectiones Spalatensis depul-
ontificis authoritas nusquam restricta
acilijs: Episcopus Romanus Metropo-
rouinciæ Romanæ, Primas Italiæ,
is Patriarcha, Rector vniuersæ Ec-
tudit: Nugæ Spalatensis de Canone
Nicæno refelluntur: Ruffinus nota-
oritur in Sicilia Anathemate percul-
ntifice: Quid nomine suburbicaria-
tellexit prolixè disputatur: Pontifex
vocatus: Specialis eius Diœcesis
incmarum: Verus Canonis Nicæni
us: Schismaticorum exilium qui-
bus limitibus definitur: De Canonibus Ara-
bicis Nicænis: Pro Patriarchatu Occiden-
tis Pontificis asserto veterum testimonia, po-
tissimùm Basilij & Hieronymi: Longè
alio sensu ab Orthodoxis Occidens tribui-
tur Pontifici, quàm à schismaticis Græ-
cis: Primatum Pontificis Nicæni Patres
agnouerunt: Chalcedonensium de ea re iu-
dicium: Item Imperatoris Valentiniani:
Pontifex semper Metropolitas sub se ha-
buit, etiam in speciali sua Diœcesi: Vetus
Canonis Nicæni editio ex Bibliotheca Va-
ticana: Baronius & Bellarminus defensi:
Nicolai primi Canonis Nicæni interpre-
tatio: Quàm latè pateret Religio Chri-
stiana in Oriente tempore Concilij Nicæ-
ni ostenditur: Nouæ Spalatensis nugæ pro-
fligatæ: Cyprianus Catholicus assertus: Ec-
clesia Romana fidei prærogatiua ac poten-
tia influxu vniuersalis ac Catholica: Theo-
dori Studitæ pro Pontifice testimoniũ: Ro-
ma Religionis Metropolis non πολιτείας
Athanasio: Baronius defensus, & à ca-
lumniis Spalatensis vindicatus: Socratis
locus emendatus: De Episcopis Pontificis
Suffraganeis: Prosperi Romanæ Ecclesiæ en-
comium: Diuersorum Patrum de ea re sen-
tentia explicatur: Cyprianus, Augusti-
nus, Beda, Hieronymus, Chrysostomus
quàm Romani fuerint: De Bulgaria &
inscriptione tumuli seu Epitaphio Stepha-
ni sexti.

VNAM esse Christi Ecclesiam vniuersalem militantem, & visibilem toto orbe diffusam; omnes in Christum credentes, Christique baptismate ablutos in se complectentem, iam ostendi, libro 3. capite 1. eiusque partes integrantes, & homogeneas esse Ecclesias particulares, maiores quidem aut minores, sola mole seu multitudine, prout maior aut minor fidelium numerus assumatur, qui fidemque loco; seu vna eademque ciuitate, aut vna eademque Diœcesi, in SPALAT. Num. 1.

verbo Dei & Sacramentis participet. Cùm itaque Ro
fide, Synaxi, Christi retinet, & peculiari ac certo numero, nimirum R
dum fidem in se omnes Christi fideles quotquot sunt in mundo morta
tur; neque videat Ecclesiam Romanam esse vnam Ecclesiam partialem
quis non existentem; sicut alia particularis est Mediolanensis, alia Neapolita
guntina, alia Lugdunensis, & sic de cæteris? Est ergo ante omnia Eccl
vna particularis Ecclesia Episcopalis, cùm propria sua & limitata D
Monarchici non negant. Etsi dicas omnes Christi fideles, quotquot sunt
do, Romanam Christianam fidem complecti, indeque eam fieri vniuers
ram ego, num hæc Romana fides sit quædam fides peculiaris, solius Roma
propria; an fides Christi Catholica, illa quam Ecclesia Catholica, hoc est
totius mundi Christiani Ecclesia, talem qualem Christus & sancti Apost
tradiderunt, tenet? Si est propria ipsius tantùm; pereat talis Ecclesia, &
quia vera fides Christi Catholica est, & per totum mundum sparsa: at ve
Catholica, non minus verè & propriè dici possunt omnes, & singulæ Ecc
Romana, in omnibus articulis veræ fidei consentire, quam etiam Romana, c
bus & singulis alijs. Ita etiam omnes consentiunt, cum Mediolanensi, V
Hispalensi, & reliquis; quarum nulla propterea est vniuersalis; sed omnes
fidei & charitatis glutino, vt loquitur Cyprianus, colligatæ. De ijs porro qu
vnitate schismate sunt separatæ, agam postea libro 7.



VAMQVAM duodecim Israëlitarum numerosissimæ T
fuerint, quę à duodecim filiis Iacob descenderunt, originer
duxerunt, à Iuda tamen fortissimo ac generosissimo Duce
nes Iudæi sunt appellati, omnesque Tribus Iudaicæ dictæ,
Augult. l. 1. in Genes. scilicet, vt ait Augustinus, *à stirpe Iudæ regnum veniebat Iu*
Genes. 49. iuxta Iacobi oraculum; *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux de femore e*
donec veniat qui mittendus est, & erit expectatio Gentium. Namque quod de m
Tacit. hist. lib. 5. te Idæ vnde Iudæi, quasi Idæi dicti sint Tacitus scribit, *à mendaciorum loqua*
Tertull. in Apolog. *ssimo* esse meritò contendit Tertullianus. Ad hunc igitur modum, licet toto o
diuersæ semper fuerint Christi Ecclesiæ, sunt tamen omnes ab vna Romana
pellatione sortitæ, vt nomine Ecclesiæ Romanæ nō illam pomœrio ac mœnib
Romanis cōprehensam, sed omnes omninò quæ in communione sunt Pōtific
intelligant orthodoxi. Nimirum Romæ Apostolicum Principatum fixit Petr
Apostolorum Primogenitus, Caput & Princeps, cuius cùm potestas ad omne
sese fundat Ecclesias, eius quoque nomen subeunt. Qua ratione *Catholica &*
vniuersalis Ecclesia audit, nullis limitibus circumscripta, sed ad Orientem, Oc-
cidentem, Septentrionem & Nouum orbem diffusa. Receptam à tot seculis
Spalat. Num. 1. doctrinam impugnandam hoc capite suscepit Spalatensis. *In hoc capite*, inquit,
labor meus eò tendit, vt ostendam per multorum seculorum testimonia, Ecclesiam Ro-
manam, aut considerari & cōmemorari tanquam Ecclesiam vnam singularem, parti-
cularē, sub suo singulari & peculiari Episcopo, sicut cæterarū quæcumque, aut si quid
vlteriùs ei additur, hoc esse vel ius Metropoliticū in suam particularem Prouinciam,
vel ad summum ius Patriarchale pro suo proprio, & ab aliis distincto Patriarch
Num. 1. Sed in ipso limine bis impingit. Primùm, quod *Ecclesias particulares, parte*
grantes & homogeneas vniuersalis Ecclesiæ faciat: Quod stultum dogma su
ribus libris profligauimus. Secūdùm, quod Ecclesiam Romanam, quam n

olicam seu vniuersalem dicimus, *ex peculiari ac certo populo nimirum Romano*
onsulari arbitretur. Neque enim cùm nos Romanam Ecclesiam dicimus, pecu-
rem illum populum Romæ, aut in confinio Vrbis agentem intelligimus, sed
nnes omninò per totum terrarum orbem dispersos fideles, quos eiusdem fidei
ofessio, eorumdem Sacramentorum communicatio, cum Romano Pontifi-
legitimo suo Pastore consociat, ac coniungit. Vanum est itaque quod obie-
it Spalatensis, *Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam particularem, non minus ac*
ediolanensem, Moguntinam, aut Lugdunensem. Neque enim hoc sensu vsurpa-
is hoc loco, cùm Catholicā & vniuersalē dicimus, sed quo sensu dispersas per
um terrarum orbem Orthodoxas *Ecclesias* complectitur, quemadmodum
a Asia, Europa, ac Africa dispersæ *Iudaicæ* Tribus, vna Iudaica Ecclesia non
res censebantur, seque religionis nomine fratres dicebant, qui vbiuis terra-
erant Iudæi.

ied vt hoc Catholicum dogma illustremus, ac contra Spalatensem pugne-
, omninò obseruandum est *Catholicam* dici posse *Ecclesiam* tribus modis:
cet *præcisè & per se, participatione, & influxu.* Præcisè & per se dicitur Ca-
ica, cui ratio nominis constat, ac omnium omninò Ecclesiarum Vniuersi-
n *comprehendit* ac complectitur, extra quam scilicet nulla alia fingi pos-
it hoc sensu Ecclesia *Catholica seu Vniuersalis*, ea est quam per totum terra-
orbem, ab Oriente vsque ad Occidentem, fulgoris sui radios fundere ac
ere docent Origenes & Cyprianus, quamque vult Augustinus ad omnia
ora, loca, & hominum genera sese fundere, vt hac ratione distinguatur à
oga certo tempori adstricta, vni Templo addicta, & in vno populo pro-
a. *Participatione* dicitur Ecclesia Catholica, quæ in communione est vni-
atis; quâ ratione omnes Ecclesiæ particulares & priuatæ, cùm Catholicæ
bra sint & partes, vniuersitatis rationem participant, ac hoc nomine Ca-
æ dici possunt. *Influxu* dicitur Ecclesia *Catholica*, quæ cùm reliquarum
sit, authoritatis prærogatiuâ vim suam illis influit, ac eiusdem fidei pro-
em inspirat. Priore acceptione in priuatarum Ecclesiarum albo repo-
est Romana; quò referri debent quæ totis integris sectionibus, quartâ,
i, sextâ, septimâ, octauâ, nonâ, in hanc rem congerit *Spalatensis.* Hac si-
n ratione summi Pontifices se Romanos, & Vrbis non Orbis Episcopos
nt, & ab aliis etiam Diœceseos Romanæ administratores & Episcopi sunt

Sed qui eos Episcopatui Romano addictos censuerunt, non semel eis
orbis procurationem concesserunt. Sic verbi gratiâ, vt Spalatensem non
iàm suis exemplis refellamus, Gregorius, *qui in quadam sua Synodo non* Spalat.
ion fateri, suam curam Episcopalem in ipsa Romana Ecclesia particulari esse Num. 5.
, mille locis Ecclesiæ Romanæ Principatum supra omnes Ecclesias præ-
c omnibus etiam legem ponit, vt est suprà à nobis demonstratum. Sic
s non contentus Ecclesiam, *Romanam antiquißimam, omnibus cognitam,* Num. 6.
s Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatam Ecclesiam dixisse, ac cum
nsi & Ephesina numerasse, addendum curauit; *Ad hanc Ecclesiam,* Ro- Num. 8.
scilicet, *propter potentiorem principalitatem, necesse esse omnem Ecclesiam*
e. Sic Athanasius Ecclesiā Romanā haudquaquam *Ecclesiam Italiæ,* quod Athan. ep.
iit Spalatensis, non aduertens hîc Italiam angustiùs accipi, & Athana ad solit. vi-
iolanum esse Italiæ Metropolim, ac reliquas quæ in tractu erant, cui tam agent.
Italiæ præerat, (quare Dionysium Mediolani, *quod & ipsum,* in-

Καὶ Διονύσιος ὁ ἀπὸ Μεδιολάνου, ὅς ἐστι καὶ αὐτὴ μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. Athan. ad solit. vit. agent. p. 640.

quit, *Metropolis est Italiæ*, in epistola ad solitariam vitam agente-
indigitat,) sed *sedem Apostolicam Romanæ ditionis Metropolim* voca-
Romam intelligit, & primo loco ponit, & magnam Romã nuncup-
Orthodoxos recensens Episcopos, qui sibi impensius fauerent, nu-
gna Roma, ἀπὸ τῆς μεγάλης Ῥώμης, *atque vniuersa Italia, Calabria, A-*
pania, Brucia, Sicilia, Sardinia, Corsica, tum ex vniuersa Africa, Ga-
nia, Hispaniis, &c. An non igitur cachinnis excipiendus est Spala-
Italiam, Romanam Ecclesiam ratus, hæc in Orthodoxos effudit? *R-*
men, inquit, seorsim oblitus est nominare, sed eam vno fasce cum cæte-
Italicus, vt ex illis vnam, generali Italiæ nomine est complexus. Imò verò (
dierum non sine hæresis suspicione lueret,) Italiam ipsam in primâ acie non

Ἀπὸ τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης Καλαβρίας τε καὶ Ἀπουλίας, καὶ Καμπανίας, Βρεττίας τε, καὶ Σικελίας, Σαρδοῦς τε, καὶ πάσης τῆς Ἀφρικῆς, τῶν τε Γαλλιῶν, καὶ Βρεττανίας, καὶ Σπανίας.

Sic Hieronymus, qui quoties de Papa loquitur illum Romanæ Ec-
cat Episcopum, etiam illum & vocat & agnoscit totius Ecclesiæ caput
munionis Ecclesiasticæ vinculum. Hinc ad Damasum; *Beatitudini tu-*
Cathedræ Petri, inquit, communione consocior. Super hanc Petram ædifica-
clesiam scio; Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus e-
Quare quod *Vrbem orbi* alibi opponit, & *orbem vrbe maiorem esse* vrge-
quod priuatum abusum nulla Pontificis, aut Ecclesiæ Romanæ authorit-
tum quem propterea *vnius vrbis consuetudinem* vocat, profligandum ac-
nandum sumpsisset. *Cæterùm,* inquit, *omnes Apostolorum successores sunt. S-*
cis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? quid mihi p-
vnius vrbis consuetudinem, quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leg-
clesia vindicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos p-
pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles
Cæterùm etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi: licet p-
latim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaco-
viderim, & in domesticis conuiuiis benedictiones coram Presbyteris dare.

Spal. eod. num. 8. Spalat. Num. 9. Hier. ep. 86. Euagr.

Quod verò de Augustino affertur, *eum Romanam Ecclesiam fecisse parti-*
larem, equidem verum est sensu à nobis tradito. Namque de consuetudi-
quadam locali illi est sermo, sed errori fecisse obnoxiam, est omnino falsum,
præterea eodem loco Petrum agnoscit *Caput Apostolorum*; Quod certè in pr-
uatum Episcopum non conuenit. Quid porrò sentiret de fide Pontificis, ip-
contra Iulianum aperuit. *Puto,* inquit, *tibi eam partem orbis sufficere debere, i-*
qua Primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio corona-
re. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc peri-
culosissimam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Et hæc quidem de pri-
mâ acceptione Ecclesiæ Catholicæ.

Spalat. Num. 10. Epist. 86. ad Casulan. Aug. cont. Iulian. Pel. l. 1. c. 2. to. 7.

Secundâ acceptione, nedum Romana, verùm & quæuis alia priuata, *Catho-*
lica dici potest, propterea quod quemadmodum participatione vnius speciei
plures homines sunt vnus homo; ita eiusdem fidei professione ac eorumdem
Sacramentorum communicatione omnes per orbem terrarum Ecclesiæ vna
sunt Ecclesia, *vna columba, vna perfecta.*

Cant. 6.

Tertiâ acceptione sola Romana censeri potest *Catholica*, quæ vna reliquarũ
Caput, fons, radix, & origo, authoritatis prærogatiua vim suam illis infl-
tanquam Princeps & Regina. Quo sensu eam Cyprianus Ecclesiam princip-
vocat, à quâ Sacerdotalis vnitas exorta sit. Hoc enim sensu metas nullas ip-
S

›iritus sanctus, imperiumque sine fine dedit, vt proinde à Patribus omnibus Ca-
it Ecclesiarum iure optimo nuncupetur. Sic namque Eugenius Carthaginen-
Episcopus apud Victorem Vticensem, Arianis Vandali Regis sui potentiâ
tis, de fide conferre volentibus respondit, *Sic est hoc quomodo dicatur homini,* De perse-
per aëra feratur & voliter, quod moris non est humanæ naturæ. Dixi enim, si no- cut. VVan-
um fidem quæ vna & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad ami- dal. lib. 2.
suos. Scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobis-
ι communem fidem nostram valent demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana,
CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM. Qua ratione etiam Vin-
tius Lyrinensis, & Ambrosius sedem & Ecclesiam Romanam Caput Orbis,
Caput Imperij Romani vocat. *Lecta sunt*, inquit Vincentius Lyrinensis, *in* Common.
cilio Ephesino epistolæ S. Fœlicis Martyris, & S. Iulij vrbis Romæ Episcopo- adu. hæres.
. Et vt non solùm CAPVT ORBIS, *verùm etiam latera illi iudicio testimo-* cap 42.
perhiberent, adhibitus est à Meridie Beatissimus Cyprianus, à Septentrione
mbrosius, &c. Quid etiam si defuisset, inquit Ambrosius vna cum Collegis, Amb. ep. 4.
Aquileiæ conuenerant ad Imperatores Theodosium & Valentinianum,
n totius Orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam atque illam Sacro-sanctam
tolorum Sedem ne turbari sineret, obsecranda foret Clementia vestra: inde
in omnes veneranda communionis iura dimanant. Rationem reddidisse
ar Theodoretus. *Tenet enim*, inquit, *sancta ista sedes gubernacula regenda-* Epist. ad
ncti orbis Ecclesiarum. Propterea refert Hieronymus, ex vniuersa Ecclesia Renat.
o terrarum orbe responsa suo seculo peti solita à sede Apostolica Roma-
nte annos, inquit, *plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum* Hier. ep. ad
næ Vrbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationi- Ageruchiā
ponderem, &c. Scilicet sedes Petri Roma, vt loquitur Prosper, *pastoralis* de Monog.
caput facta est mundo. Hoc igitur sensu planè Catholica est, *quia per to-* De ingrat.
e fundit, vniuersoque moderatur orbi. Hinc Possidius in vita Augusti- cap. 2.
lesiæ Romanæ iudicium Ecclesiæ Catholicæ iudicium vocat. *Innocentius* Possid. c. 18.
zimus, inquit, *Apostolicæ sedis Antistites, suis diuersis temporibus Pelagia-*
ntantes, atque à membris Ecclesiæ præscindentes, datis literis ad Africanas
is & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus
cis censuerunt. Et hoc tale de illis Catholicæ prolatum iudicium, etiam piissi-
perator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreti-
ri debere constituit. Sic Ambrosius de obitu Satyri. *Aduocauit ad se Episco-* De obit.
vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam, percontatusque ex eo est, vtrum Satyr. lib. 1.
scopus Catholicis, hoc est cum Romanâ Ecclesiâ, conueniret. Sic & Hierony-
ntra Ruffinum. *Fidem suam quam vocat?* inquit. *Eam ne qua Romana pol-* Hier. apol.
ia? An illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam respon- 1. adu. Ruf.
o Catholici sumus. Et alibi: *Sed tu scito*, inquit, *nobis nihil esse antiquius,* Id. ep. 68.
risti iura seruare, nec Patrum transferre terminos semperque meminisse ad Theoph.
n fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina
loriatur.

›mo restrictus hanc Romanæ Ecclesiæ amplitudinem reuincire ac re- SPALAT.
iatur. *De limitatione*, inquit, *in ipsa Romana Ecclesia tum suæ propriæ* Num. 2. in
tum suæ Metropoliticæ iurisdictionis multa adfero, quæ limitatio excludat fine.
s Ecclesias, quæ non sint in Romana Prouincia, ab ipsius Romanæ Ecclesiæ
æ iurisdictione, atque ita excludat, vt nullo pacto vniuersalitatem illam

quam ipsa prætendit limitatio dicta toleret aut admittat. De Patriar-
dignitate nequaquam vniuersali, egi pluribus lib. 3. cap. 10. agam, &
huius libri Capitibus, ac præsertim nono. Itaque ex multiplici capit
coarctari summi Pontificis potestatem contendit, scilicet tum ex li
scopatus, quos certè angustiores esse negare non possunt Orthodox
vltra Romanum Episcopatum non sese fundant, tum ex finibus M
quorum sunt etiam definita spatia, tùm ex metis Diœceseon, quas 1
cumscriptas habent, hocque argumentum magna animi contentior
orbem eripiat Pontifici.

Hoc vt benè intelligatur, & eius rationes facilè soluantur, Adu
est nostros Episcoporum quatuor gradus facere, quos Synodo Chal
Can. 9. & 17. designatos potentissimis rationibus ostendit doctissimus Sirmondus,
tatis callentissimus. Nempè Episcopos singularum Ciuitatum, qualis
Differtat. 2. Censurę de Suburb. c. 2 Et adu. li. 2. cap. 5. tia erat Vercellensis, Metropolitanos Prouinciarum, qualis Mediolanei
Primates Diœceseωn quos Græci ἐξάρχους vocant, quales erant in Diœce
tica Episcopus Cæsariensis, in Asiana Ephesinus, in Thracica Hera
Addunt verò hos inter se gradus ita comparatos esse, vt superior inferiore
per complectatur. Nam qui Metropolitanus est Prouinciæ, idem Episco
Ciuitatis suæ; & qui Primas est Diœcesis, idem & Metropolitanus Pro
suæ, & suæ item Ciuitatis, Episcopus: atque ita deinceps qui Patriarcha est,
tas Diœceses habens, est quoque Primas Diœcesis, Metropolitanus Proui
& Ciuitatis, Episcopus. Qui verò celsiore loco Pontifex est κεφαλὴ κεφαλῶν,
modò Episcopus, sed & Metropolitanus, & Primas, & Patriarcha audit, r
imminutione summi Magistratus. Episcopus quidem Vrbis Romæ, in
Presbyteros solus ordinat, & reliqua munia exequitur Episcopi: Metropo
verò Prouinciæ Romanæ, in qua Episcopos conuocare & Concilia cogere,
causarum appellationes excipere solet, cœteraque præstare quæ Metropolita
in sua cuique Prouincia communi iure conueniunt. Primas autem Italiæ,
qua ipsis Metropolitis, verbi gratia Mediolanensi, Aquileiensi, Rauennati it
dicit. Patriarcha demùm totius Occidentis, in quo *immediatè & per se*, vt lo-
quuntur, & Episcopos & Metropolitas, & Primates regit ac moderatur, non
secùs ac Antiochenus omnes Orientis Antistites, Alexandrinus verò Ægypti,
Libyæ, Pentapolis, & Thebaïdos. Postremò denique summus Pontifex non
modò Episcoporum, Metropolitarum, Primatum, sed & Patriarcharum Ca-
put ac Princeps, ad quem ex toto orbe appelletur, vt suo loco ostendemus.

His ita constitutis ac declaratis contendunt nostri ac planè euincunt, infe-
riores illos gradus summam Capitis Ecclesiæ dignitatem haudquaquam cir-
cumscribere. Non repugnare verò eundem Pontificem tot tamque diuersas sa-
cri muneris partes ac personas sustinere, appositissimis exemplis ostendit poli-
Sirmondus in Censf. differ. 2. c. 8. tissimus & tersissimus scriptor. *Quemadmodum*, inquit, *in singulis Prouinciis*
Metropolitani, quamuis peculiarem singuli Episcopatum & Ciuitatem habeant cui
præsunt; iidem tamen integras quoque Prouincias nutu & potestate sua regunt: aut
sicut in exercitu Imperator, etsi peculiarem cohortis cuiuspiam, vel alæ præfecturam
subeat, non eò fit vt copiarum omnium Dux idem & Caput esse non possit. Si
Ecclesia Catholica, reclament licet, terramque cœlo misceant Romana sedi pe
les, vnum eundemque Pontificem Maximum diuersas sacri muneris partes &
sonas sustinere videmus, adeò vt priuatæ Romanorum Ecclesiæ, vt proprius

piscopus, & Prouinciam Romanam vt Metropolitanus, Italiam vt Primas, Occidentem regat vt Patriarcha; idem tamen vniuersæ simul Ecclesiæ, τῆς οἰκουμενικῆς, ... sibi Petri persona commissas, vt legitimus Petri successor, clam teneat.

Hoc igitur impugnandum sumpsit infelicissimus senex. *Fatentur*, inquit, *ieromonarchici, neque diffiteri possunt, Ecclesiam Romanam & esse vnam partirem cum suo particulari Episcopatu, & esse vnam Metropolitanam cum pro- Prouincia ab aliis distincta: aliqui etiam fortasse admittent illam esse vnam Pa- rchalem ab aliis diuersam, sed interim esse etiam vniuersalem, & Papalem cum sdictione in vniuersam Christi Ecclesiam. Quam Papalẽ iurisdictionem aliqui vo- n ipsomet Patriarchatu Romano cõsistere. Huic tamen Papatui restrictiones illas tropoliticæ & Patriarchalis potestatis plurimùm obesse optimè norunt: ideoque, vt post videbimus, tantoperè laborant, vt restrictionem iuris Metropolitici præ- tam in vno Canone Nicano, euitent. Non enim dicunt restrictionem illam com- e Romanæ Ecclesiæ, quatenus est sua propria Prouincia Metropolitana. Ce- illam adhuc habere aliam maiorem iurisdictionem, nimirum Papatus; Sed co- r excludere ipsam Romanam ab illis limitationibus & restrictionibus. Sciunt illas cum Papatu stare non posse, & Papatum nullas omninò pati restrictiones, o ille superadditur Episcopatui ordinario, Metropolitico & Patriarchali. Vt urio alicuius exercitus statim euehatur in supremum Ducem, & totius exer- nperatorem, illéque velit adhuc tanquam Centurio suos centum milites sub uam sub peculiari Centurione, retinere, proculdubiò hos centum milites impe- thoritate, non centuriali gubernabit, & consequenter nullis restrictionibus, alij centuriones obligantur, ille tenebitur: absorbet enim imperialis authori- n centurionalem; & potest omnia in illam suam peculiarem cohortem, cuius Centurio est, & Imperator, quæ alij non possunt Centuriones in suas proprias s. Quod si Imperator hic, retento officio Centurionis, legibus impediretur, os milites, qui non sint sub illius centuria, ius vllum exerceat, profectò is Cen- itùm esset, non Imperator: ac propterea limitatio omnis & restrictio pugna- ùs cum ipsius potestate Imperiali. Cùm itaque Romana Ecclesia subsfet li- ibus omnibus & restrictionibus, tum Episcopatuum simplicium in propria quàm Metropolis in propria Prouincia, & Patriarcha in suo Patriar- liceat ei proprios limites excedere, proculdubiò Papalis esse non poterit. Et Papatum habet annexum, cùm Papatus absorbere ponatur in se omnes es, Metropoliticas, & Patriarchales potestates, profectò Romana Ecclesia Ter amplius obliganda restrictionibus illis, & consequenter neque vlla ra- vnquam reponenda ac recensenda inter meras Episcopales, meras Metro- & meras Patriarchales Ecclesias; eam tamen reponi & agnosci verè parti- m demonstrabo.* Sed fallitur omninò & fallit: siquidem nullæ restri- duntur Pontificiæ dignitati, siue ratione Episcopatus priuati, siue ra- oritatis Metropoliticæ, siue ratione Primatus, aut etiam Patriarcha- us amplitudinẽ coërceant, aut solidam illam in omnes orbis terrarum otestatẽ conuellant: Tantummodo quod omnes Episcoporum gra- os amplectatur, distinguenda sunt vniuscuiusque potestatis iura, quid o illo, tanquam ab Episcopo, in vrbe vrbisque parœcia præstetur; iam à Metropolitano in Prouincia Romana; quid vt Primas habeat a; quid vt Patriarcha in Occidente; quid postremò, vt Papa & sum-

SPALAT. Num. 3.

Pontifex in Ecclesia vniuersa. Rem similitudine explicat Rō mus Pontifex, inquit, in Gallia nostræ Prouinciis, quas Duces olim aut dus: *Sicut, inquit, possidebant, nunc postquam in Regis potestatem redactæ sunt, Regibus possidebant atque Ducis aut Comitis. Et quamuis Princeps idem vtr iura Regis, alia tamen Ducis Comitisve iure imperat, alia Regis nam sustineat, Maiestatem lædit, qui Regis titulo, Ducis aut Comitis non apud nos*

Propempt. lib. 2. c. vlt.

Vellicat hanc nostrorum rationem Spalatensis. *Quòd si,* inquit, *Ir retento officio Centurionis, legibus impediretur, ne in alios milites, qu illius Centuria, ius vllum exerceat, profectò is Centurio tantùm esset, no ac propterea limitatio omnis & restrictio, pugnaret penitùs cum ipsius p periali. Cùm itaque Romana Ecclesia subsit limitationibus omnibus, & nibus tam Episcopatuum simplicium in propria Diœcesi, quàm Metrop pria Prouincia, & Patriarchæ in suo Patriarchatu, nec liceat ei proprio cedere; proculdubiò Papalis esse non poterit. Et si Papatum habet semper cùm Papatus absorbere ponatur in se omnes Episcopales, Metropoliticas, e chales potestates, profectò Romana Ecclesia iam non esset amplius obliga ctionibus illis; & consequenter neque vlla ratione esset vnquam reponen censenda inter meras Episcopales, meras Metropoliticas, & meras Pa Ecclesias.*

Spalat. Num. 3.

Nec vero exemplum, quo vtitur, nostram sententiam euertit. Etsi e. turio imperator factus Centuriæ suæ, si modo eam retineat, iam sum imperet, non absorbet tamen ea dignitas Centurionis authoritatem; fretus, centum illis suis peditibus militiæ leges præscribere possit, nec supremam aduocare potestatem. Sic verbi gratia Agamennon My Rex, postea vniuersi exercitus Græci Dux bello Trojano declaratus, sui nensibus imperabat, & vt Rex eorum priuatus, & vt ductor totius exer hunc igitur modum Pontifex Romanus & totam Ecclesiam regit, qu *& Rector totius vniuersitatis*, quod ei nomen Imperatores tribuunt; & suas legiones, Centurias, & Manipulos quâ Patriarcha, quâ Primas, quâ polita, & quâ Episcopus, gubernat. Itaque quod suprà monebamus, scopus Romanus ab aliis dicitur, & talem se nominat ipse, & Metropolit qui vni Prouinciæ Romanæ ius dicat; & Primas quoque Italiæ celebrat subiiciantur etiam ipsi Italiæ Metropolitæ; ac postremò Patriarcha agnoscitur, cuius specialis Diœcesis sit Occidens; ac prætetea *Rector vniuersæ habetur*: quę vt minimè pugnare videat Spalatensis, sua ipse adap empla. *De Damaso*, inquit, *sic scribit Theodoretus: Hic Damasus Episcop manus fuit, in illius Ecclesiæ administratione successor Liberij.* Et tamen de Damaso scribit vetustissimus author commentarij in Paulum, qui Am nomine præfertur; *Cùm totus*, inquit, *mundus Dei sit, Ecclesia tamen domi dicitur, cuius hodie Rector est Damasus*. Sic & Leo licet Romanus Episcop catur, Rectorem tamen eum etiam vniuersitatis Imperatores indigitant. *igitur*, inquit Valentinianus, *sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meritu princeps est Episcopalis coronæ & Romanæ dignitas ciuitatis, sacra etiam Sync marit authoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumpt temperare nitatur. Tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rem suum agnoscat vniuersitas.* Hæc satis sint ad refellendas obiectiones, à ro tertio ad decimum-tertium.

Spalat. Num. 4.

In epist. ad Tim. cap. 3.

Theod leg. Nouell. tit. 24.

Sed iam potentiores & validiores machinas admouet. *Nibil verò*, inquit, SPALAT. Num.13.
qui rem nostram confirmat, quàm Nicani magni Concilij Canon sextus. Is enim
gatur, prout publicè expositus omnibus patet, ex eo quod Romanus Patriarcha
prius limitibus propria Prouincia ex antiqua consuetudine se contineret, nec ex-
illam consecrationes faceret; Alexandrino quoque suos prascribit limites, vt
etiam sicut & Antiochenus ac caeteri cuiusque Prouincia Metropolitani, qui
proprium habebant Prouinciam, similiter vt Romanus intra Prouincia sua
rios limites se contineret. Si verò Canonis eiusdem non tam verba quàm perse-
sententia, prout ab antiquis Patribus & Authoribus fuit acceptus & intelle- Concil.
proferatur; manifestum fiet, in eo Concilio, illo Canone reducta ad legem ex- Const.
im antiqua Ecclesiarum communissima consuetudine, tribus Patriarchis, Ro- Can.2.
, Alexãdrino, Antiocheno, sicut & caeteris Metropolitanis prascriptũ fuisse, vt
ue sua tantùm Prouincia propria curam gereret, maximè in Episcopis ordinãdis;
mo eorum ad alienam Prouinciam ordinandam se extenderet. Qua sententia à
; vt passim proponuntur, aut parum aut fermè nihil discrepat. Respondeo
ehîc Spalatensem, quos sequatur Authores Schismaticos, tùm Græcos
atinos, quos mirari subit non vidisse falsum falsissimum esse, vllos limi-
ntifici posuisse Concilium, aut eius potestatem religasse. Equidem Ægy-
Libyam, & Pentapolim Alexandrino Patriarchæ attribuit, ac Antio-
reliquis Ecclesiis sua seruari priuilegia iubet, Pontifici verò metas nul-
it, Prouincias nullas assignat, sed hoc solùm de illo addit, Ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν
ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι. *Quoniam illa est etiam Romano Episcopo con-*
. Percurrant igitur ac euoluant omnes Synodos Oecumenicas Schismati-
rehendent nunquam dubitasse eas Alexandrino & Antiocheno poten-
Episcopis suos terminos constituere. Verùm nunquam eò audaciæ pro-
vt Pontifici Romano fines vllos præscriberent. Sic primo Concilio Oe-
co Constantinopolitano decernitur, vt[a] *secundum regulas constitutas,*
dria quidem Episcopus ea quæ sunt in Aegypto tantùm gubernet, Orien
Episcopi solius Orientis curam gerant, seruatis honoribus Primatus Ec-
ntiochena, qui in regulis Nicana Synodi continentur: Sed & Asiana Dia.
copi ea qua sunt in Asia, & quę ad Asianam tantummodo Diacesim per-
bernent; Pontiani Episcopi Ponticę tantùm Diacesis habeant curam;
verò, ipsius tantummodo Thracię. At ne syllaba quidem de limitibus
ditionis. Sic Chalcedonensi sancitur, vt[b] *Antiochiensium sanctissima*
as Phenicias & Arabiam sub sua habeat potestate; Sanctissima verò
morum Ecclesia tres Palastinas itidem sub propria habeat potestate: ac
ost euectum ad thronum Patriarchalem contra fas Antistitem Con-
olitanum, ita de eius limitibus censuerunt Patres; *Vt, inquiunt, &*
Asiana & Thracica Diacesis Metropolitani soli, praterea Episcopi
m Diacesium quæ sunt inter Barbaros, à pradicto throno sanctissima
opolitana Ecclesia ordinentur. Sed nusquam illis venit in men-
mitationis quam cogitat, & verè somniat cum Schismaticis Spala-

[a] Κατὰ τοὺς κανόνας, τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. τοὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπους, τὴν ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν, &c.

[b] Conc. Chalced. Act.7. Ὥστε τὸν μὲν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας, τὰς δύο Φοινίκας, καὶ τὴν Ἀραβίαν ἔχειν ὑπὸ τὴν ἰδίαν ἐξουσίαν. Ἰουβενάλιον δὲ τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον τῆς Ἱεροσολυμιτῶν, τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν, τὰς τρεῖς Παλαιστίνας ὑπὸ τὴν ἰδίαν ἐξουσίαν ἔχειν.

Can.28. Ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς, καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, &c.

at ille. *Ita Canonem hunc intellexit ex antiquis Ruffinus, à Concilij* SPALAT. Num.14.
poribus vix quadraginta annis remotus, sic enim hunc Canonem in
redactum refert; Vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma, vetusta Ruffin. hist.
seruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic Suburbicarum Ecclesiarum solli- lib.1.c.6.
rs.

citudinem gerat. Respondeo hîc multa adferri posse ad eleuanda fini, quæ non sint à nostris dissimulata. Occurrit primùm homi &nequitia, quem constat plusquam Vatiniano odio in Ecclesia exarsisse, à quâ esset anathemate perculsus; quod subindicat An

Anast.ep.3. ad Ioan. Hier. Epis. *Ruffinus,* inquit, *de quo me consulere dignatus es, conscientię suę h diuinam Maiestatem, apud quam se integro deuotionis officio ipse v debeat approbare.* Significat verò apertissimè Hieronymus de Ana contra Ruffinum agens, qui eam ex Hieronymi officina prodiis

Hier.Apol. 2.in Ruff. inquit, *fictam à me epistolam suspicaris, cur eam in Romana Ecclesia requiris? &c. Vade potius Romam, & præsens apud eum expostula, c senti & innocenti fecerit contumeliam primùm, vt non reciperet expe tua, quàm omnis, vt scribis, Italia comprobauit: & baculo tuarum vti rarum contra canes tuos. Deinde vt epistolas contra te adorientem n cauterium tibi hæreseos dum nescis inureret.* Iterum refellens Ruffini qui fidei suæ confessionem ab omnibus Italiæ Episcopis esse suscep

Id. Ibid. ret: *Miror,* inquit, *quomodo probauerit Italia, quod Roma contemps susceperint, quod sedes Apostolica condemnauit.* Et rursus alia Apologia

Hier. in-uect. 1.li. 2. eid. aduersus Ruffin. *Romanis auribus ingeris, quod translatum totus orbis expauit? aut c interpretaris, vt eum hæreticum arguas; nihil de Græco mutes; & hoc ip tione testare, quod prudentissimè Papa Anastasius in epistola, quam cont ad Episcopum Ioannem, suo sermone complexus est, me liberans, qui id arguens, qui facere noluisti. Ac ne forsitan, hoc quoque neges, subieci exen vt, si non vis audire fratrem monentem, audias Episcopum condemnanter* verò est Gennadius in asserenda Ruffini pietate, quem constat hæres &vinculo excommunicationis innodatum, in Sicilia diem clausisse e quod ænigmaticôs expressit Hieronymus in procemio I. commentar.

Hieron. in procem. Comm. in Ezech. chielis ad Eustochium. *Scorpius,* inquit, (Ruffinum intelligit) *inter E & Porphyrionem* (sic enim legendum, non Porphyrium) *Trinacria h mitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessauit.* scilicet Hieronymus ad Gigantum fabulã, qui aduersus Superos conspir Enceladũ Titanis & Terræ filiũ; & Porphyrioné Sisyphi filiũ, quos fulm ac deustos Iupiter Etnæ Siciliæ mõti suppofuit, nominat, & cum eis Ruf fert, locum & meo iudicio etiã genus mortis notans. Fieri igitur potuit v irarũ plenus, corruptela & deprauatione Canonis Nicæni, acceptam à R Ecclesia iniuriã vltum ire voluerit. Accedit portentosa Latini sermonis im & in vertendis Græcis summa oscitantia & supinitas: qua de re Hieror

Hier.Apol. 1. *Ego,* inquit, *scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam quid ris, & Heraclitum me legere putem, tamen non doleo, nec me pœnitet tardita*

Apol. 2. *enim in legendo patior quod tu pateris in scribendo.* Et de quadam eius epist quens; *Omne iter dictionis tuæ,* inquit Ruffino, *absque Palladis arte salet*

Id. Ibidem. *voraginibus vitiorum inciditur.* Et rursus: *Ego Philosophus,* inquit, *Rhetor, maticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, trilinguis. Hoc modo & tu guis eris, qui tantam habes Græci Latinique sermonis scientiam: vt & G*

li.1.Apol.1. *Latinum, & Latini te Græcum putent.* Et Apologia prima. *Tu,* inqui *in Latinis mussitas, & testudineo gradu moueris potius quàm incedis, vel cè debes scribere, vt apud homines Græci sermonis ignaros, aliena sci dearis; vel si Latina tentaueris, ante audire grammaticum, ferula*

subtrahere, & inter paruulos ἀθηνογέρων, *artem loquendi discere*. Similia habent ex sectariis Iosephus Scaliger & Iunius. Hic quidem: *Ruffinus*, inquit, *litterarum priscarum pestis fuit, qui nec veritate nec fide in vertendis authoribus vsus est, vt Hieronymus ostendit, & boni norunt*. Item, *Ruffinus dente magis quàm naso valuit; atque haud scio an non etiam dum alios liberè dente rodere & truncare voluit, ipse sibi nasum abstulerit*. Ille verò; *Quis*, inquit, *ignorat inscitiam Ruffini?* Et rursus: *Mos est*, inquit, *Ruffino omittere, peruertere, mutare ex animi libidine. Sumpsit sibi Ruffinus*, inquit Erasmus Rotoderamus, *in vertendis penè singulis quæ transtulit, præsertim in libris Origenis & Eusebij Cæsariensis historia. Verùm hæc non est libertas interpretis, sed licentia potius contaminantis aliena scripta*. Et quidem in huius ipsius Concilij aliis Canonibus vertendis mirè hallucinatum eum nostri clarissimè ostendunt. Sed meo iudicio his recusationibus opus non est, atque viris doctis Sirmondo & Aleandro omninò assentior, qui negant aut consultum mendacium aut hallucinationem ei tribuendam, cùm verisimile non sit in re apertissima eum labi potuisse, aut tam perfrictæ frontis fuisse, vt aduersus perspicuam & omnibus exploratam veritatem pugnandum sibi duxerit. Vna igitur obscuritas ei opprobrari potest, nec quisquam eum tenebricosiorem fuisse negauerit. Videndum igitur quid per *Suburbicarias* intellexerit. Sectarij omnes, Suburbicarias Ecclesias quibus Romana Diœcesis continetur, eas Ruffino dici existimant, quæ in regionibus sint suburbicariis. *Suburbicarias* autem *regiones* eas dicunt, quæ intra centesimum ab Vrbe milliarium, vt ipsi quamquàm falsò putant, sitæ, ad præfecturæ Suburbicariæ Diœcesim pertinuerint, & in Præfecti vrbis Diœcesi fuerint, vt eorum iudicio Episcopi Romani potestas non latius se fuderit, quàm Præfecti Vrbis. Reclamant verò nedum Orthodoxi, quorum agmen ducunt Baronius & Bellarminus, verùm etiam ipsi Ecclesiæ Romani iurati hostes Schismatici Græci. Sic enim Zonaras ad Canonem sextum Nicænum; *Alexandrinum igitur Episcopum*, inquit, *iis qui in Aegypto, Libya, ac Pentapoli sunt, præsidere, Antiochenum subiectis sibi Prouinciis, Syriæ nimirum, Cælesyriæ, Ciliciæ vtrique, Mesopotamiæ, ac alios Episcopos, suis quemque regionibus, quemadmodum & Ecclesiæ Romanæ Præses, in Occidentales Prouincias principatum diuturna consuetudine obtinet, præesse iubet*. Et Balsamon ad eundem Canonem: *Sextus & septimus Canon*, inquit, *statuunt quatuor Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochensem & Hierosolymitanum (de Constantinopolitano enim in aliis Canonibus tractabitur) ex antiquis moribus honorari; & Alexandrinum quidem Episcopum præesse Prouinciis Libyæ, & Aegypti, & Pentapolis: Antiochenum similiter Syriæ, Cælesyriæ, Mesopotamiæ, & vtrique Ciliciæ: Hierosolymitanum autem Prouinciis Palæstinæ, Arabiæ, & Phœnices. Quoniam*, inquit, *& Romanus Episcopus præest Occidentalibus Prouinciis*.

Hanc aduersariorum suorum confessionem arripiunt Orthodoxi, atque cùm in Ruffino *Suburbicarias regiones* legunt Pontifici assignatas, ex æquo & bono eas totum Occidentem interpretantur, quo Patriarchatus Pontificis describatur. Non igitur *Suburbicarias regiones* illas quæ ad centesimum lapidem Vrbis se porrigerent, intellexisse Ruffinum arbitrantur, sed eas omninò quæ Vrbis Episcopo parerent, quem *Vrbicum* dictum norunt, qui veteres authores triuerunt. Pontificem enim Romanum, *Vrbicum Episcopum*, Paulinus appel-

Iun. aduers. Bellar. li. 2. cap. 4.

Ioseph Scalig.

Eras. Rot. præf. in Hilar.

Zonar. in Can. 6. Syn. Nic. primæ.

Τὸν Ἀλεξανδρείας οὖν ἐπίσκοπον θεσπίζει, τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει προέχειν, καὶ τὸν Ἀντιοχείας τῶν αὐτῷ ὑποκειμένων ἐπαρχιῶν, &c. καθὰ καὶ τὸν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντα, τῶν Ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησε.

Balsam. ad Can. 6. Syn. Nic.

Καὶ τὸν Ἀλεξανδρείας προέχειν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει ἐπαρχιῶν, &c. ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης ἐπισκόπῳ προέχειν τῶν Ἑσπερίων ἐπαρχιῶν.

Paulin. ep. 1. Optat. l. 1.

Zephyrinumque Optatus etiam *Vrbicum* vocat. Itaque con lat: Zephyrinumque sequimur, *Suburbicarias* Ecclesias cùm dixit Ruffinus, o quos iam sequimur speciali Romani Pontificis Diœcesi, vt loquitur Hincn sias quæ speciali, hoc est, totius Occidentis Ecclesias complexus est. Alio nentur, hoc est quo de Suburbicariis loquuntur, qui Præfecti Vrbis ditioı quam quo de accepit Ruffinus. Nec hoc insolens aut nouum, quamquam bunt, accepit ingenuè fatear locum Ruffini, vt pro rei adiunctæ modo plenum ingenuè varient vocabula: Sic enim Orientis nomen non vno mod tionem varient Comitem Orientis audimus, & cùm Præfectum Prætorij Oric cùm Comitem eadem Asia occurrit, aut animo obuersatur, cùm Proconsul Asiæ n eadem Asia & cùm Vicarius Diœcesis Asianæ; nec eadem Italia quæ à Vicario It tur, & quæ à Præfecto Prætorij Italiæ administratur, vt eruditè dis mondus. Quemadmodum igitur aduersariorum sententia illo alio dictæ sunt *Suburbicariæ regiones*, quæ Præfecto Vrbis, aut potiùs Vic bis parebant: Ita *Suburbicariæ* Ecclesiæ ritè nominantur omnes, quæ ir Episcopi, hoc est Romani Diœcesi sint, & potestate. Firmant pluribı sententiam Sirmondus & Aleander. Non est igitur quod nos torquea vestigandis regionibus Vrbicariis, quarum limites ex appellatione C Vrbicarij vestigatum iuit Baronius. Tamen *Suburbicarias regiones*, Sul nas, hoc est Vrbi vicinas, & ad centesimum lapidem protensas, rescripti peratorum euincere contendit aduersarius. *Valentinianus enim*, inquit *Vrsicinum Antipapam in Galliis exulare iusserat, eidem indulgentiam imper ita rescripsit ad Ampollium. Dudùm Vrsicini inquietudine prouocati, fau concordiæ populi Christiani, quieti etiam Vrbis sacratißimæ prouidentes, vn terim loco, intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicæ, sta ramus iure cohiberi; scilicet ne applicatione motum latæ dissensionis incommo spargeretur. Verùm naturæ nostræ mansuetudine leuigati, ita memorato ab dendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, vel certè Suburbicarias regio. pedem inferat, neque nequitiæ suæ contagionem conetur infundere. Et ad Ma minum Vicarium Vrbis Romæ de eodem; Discedendi copiam ei fecimus sub conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neque ad Vrbem Romam, vel r giones Suburbicarias valeat commanere.*

Spalat. Num. 10. Apud Bar. tom. 4. ann. 371. init.

Ibid. nu. 3.

Atqui Suburbicarias quidem vrbes aut regiones audio, quæ vicinæ eran vrbi; sed *Suburbicarias* illas fuisse, quibus ditio Pontificis contineretur, noı audio: Neque verò illæ intelligi possunt, si modò mens Concilij Nicæn benè expendatur. Namque propositum illi fuit Alexandrinum Episcopum cum Romano conferre, quâ vterque in numero Patriarcharum est; nec audiendi sunt qui Synodum censent Episcopi Alexandrini Diœcesim cum Prouincia Romani Pontificis, quam Pontifex peculiari Metropolitanorum iure administret, quamque totam intra centesimum lapidem fuisse sectarij contendunt, non verò cum eius Diœcesi comparare. Siquidem peruersa rerum vice haud paria inter se conferret, Prouinciam cum Prouincia, Diœcesim cum Diœcesi, Patriarcham cum Patriarcha, & Metropolitam cum Metropolitan; sed ineptissimè Prouinciā cum Diœcesi, Diœcesim cum Prouincia, Pa cham cum Metropolitano componeret: neque enim in Suburbicariis vlla possunt Metropoles, quæ Ægypti, Libyæ ac Pentapolis amplitudinem æq

iquidem in illis Metropoles nullæ erant, vt proinde ridiculus sit Spalatensis, ui Diœcesim in illis comminiscitur. Fortasse verò colligit ex eo Suburbicarias las Diœcesim fuisse Pontificis, quod Schismaticorum exilium illarum limitius definiretur; quodque qui Episcopatum aliquem turbarent extra eius fines legarentur ac deportarentur. Sed certas Schismaticorũ exilij metas nõ fuisse, hoc sum Imperatorum rescriptum ostendit. Sic enim Gratianus & Valentinianus A. ad Aquilinũ de Vrsicini qui aduersus Damasum schisma fecerat, exilio scriunt. *Vrsicinum quidem*, inquiunt, *Gallia coercet, & ne motus aliquos inquiet exerceat, cohibet. Agrippina secessio. Isaacem remotus Hispaniæ angulus titudamnationis inclusit.* Audis Vrsicinum factionis Caput in Galliam, alterum Hispaniam relegatos. Vt proinde appareat haud semper qui Episcopatus turrent, præcisè extra illorum terminos deportari solitos.

At nos premit Spalatensis Arabicorum Canonum authoritate. *Sed & in abicis, inquit, quos tanti faciunt Turrianus & Pisanus, aliique nostri Romasses, primi Concilij Nicæni Canonibus; sextus hic, quem præ manibus habemus non, octauo inter illos loco positus, Ruffini paraphrasi optimè respondet. Sic enim itur; Constitutum est, vt Episcopus Ægypti, id est Patriarcha Alexandrinus præat, & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, Ciuitatum & tellorum, quæ sunt circum eam, quia sic conuenit. Siquidem similiter Episcopus Ro, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium Ciuitatum, & loco quæ sunt circa eam. Ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est Patriarcha, potem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum locorum quæ circum eam sunt, in aliis item locis seruari debet, quod in præterito constitutum est. Suburbicariæ r Ecclesiæ Ruffini, in Nicænis Arabicis Canonibus, sunt Ecclesiæ Ciuitatum & rum quæ sunt circa Romam, quæque consequenter Romanam propriam efficiunt inciam.* SPALAT. Num. 16. Tom. 1. Conc. edit. Bin.

De Arabicis hisce Canonibus nihil statuimus. Cæterùm, vt octauus respon Ruffini paraphrasi, Ciuitates & loca quæ circa sunt Pontificem, quarum statem habere eum dicit, totum Occidentem complecti necessum est, quáuidem proportione, Ægypto, Libyæ, ac Pentapoli respondere debent, verò ab his numero superari: Omnino verò superarentur, si intra Suburias regiones gerentur Ciuitates, & loca quibus imperat Pontifex. Sic intelligendum Canonem illum suadent, quæ de Antiocheno Patriarcha n habentur. *Similiter autem & in Antiochia, & in aliis Prouinciis, sua egia seruentur Ecclesiis.* In Arabico verò sic effertur: *Ac similiter EpiAntiochiæ, id est Patriarcha potestatem habeat Prouinciæ illius totius, & locorum quæ circum eam sunt. Et in aliis locis seruari debet, quod in præterito tutum est.* Neque enim credo voluit Synodus angustiores esse terminos turæ Antiocheni, aut etiam Alexandrini. Cæterùm potentissimis argus ostenditur Ruffinum per *Suburbicarias Vrbes*, vniuersum Occidenon regiones vrbi vicinas intellexisse. Nam præterquàm quod ineptè dùm centesimi ab Vrbe lapidis Ciuitates, cum integrâ Ægypti Diœceest cum multarum Ciuitatum ac regionum complexione componeret; a est posterioribus seculis cùm ad Patriarchatus gradum est euectus Conopolitanus Præsul, ad instar Romani Patriarchatus eius præfecturam tutam fuisse: Atqui tantum abest vt centesimo lapide definita sit, vt ex

 Oriente ei tres amplissimas Diœceses attribuerint Chalcedonensi Asianam, & Thracicam. Præ illius finibus igitur ridiculi essent v. termini centesimo milliario, si Superis placet, descripti. Præterea Patriarchatus Romani intelligere potuit Ruffinus, quàm quo nes Patriarchatus eius Synchronos acantagonista. Hieronymus verò perp Hieronymus quâ Patriarcham spectans, Occidentem totum ei tribuit.

Hier. apol. 2. in Ruffin. ficem *hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eo* inquit, *Origenem antè laudauimus, nunc damnatum toto orbe damnemus. quo animos copulemus, & duos Orientis & Occidentis* Τροπαιοφό *dextras, sequamur.* Et rursus aduersus Vigilantium: *Quid facient,* inquit, *totiu Ecclesiæ? Quid Aegypti, & sedis Apostolica, quæ aut virgines Clericos aut continentes?* Ac rursus: *Si eis placet,* inquit, *hæreticum me cum Occide*

Hier. Marco Presb. Epist. 77. *ticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso Petroque condemnent.* Et alibi: *V*

Id. ep. 79. *est beatum quoque Papam Anastasium eodem feruore, quia eodem spiritu tantes in foueis suis hæreticos persecutum, eiusque literæ docent damnatum dente, quod in Oriente damnatum est.* Itaque Pontifici Occidentem trib

Basil. ep. 10. quo Patriarcham agat. Basilius quoque Pontificem, *Orientalium* pr *Coryphæum* vocat. Sed aduertendum omninò est Orthodoxos Patres, lon mente Pontifici Occidentem attribuere, quàm attribuant nuperi Græci

ª Chrysost. hom. 87. in Ioan. matici. Hi enim totam ditionem Pontificis Occidentis terminis claudun fas illi esse vllum in Ecclesias Orientis imperium vsurpare clamitant. Illi equidem Occidentem tanquam specialem ei Diœcesim assignant, sed præ ea totius orbis administrationem tanquam supremò totius Ecclesiæ Pasto tribuunt. Sic Chrysostomus: ª *Si quis percunctaretur,* inquit, *quomodo Iac sedem Hierosolymis acceperit: responderem hunc totius Orbis Magistrum pr fuisse; Petrum.* Sic Basilius qui Pontificem Occidentalium Coryphæum di eundem vniuersæ Ecclesiæ Caput nouit ac veneratus est. Sic enim ad transir rinos Episcopos, hoc est ad Damasum Pontificem, & Occidentales scribe ᵇ *Siue caput,* inquit, *vosipsos vniuersalis Ecclesiæ reputatis,* (Pontificem alloqu tur) *non potest pedibus dicere caput, non est mihi opus vobis: siue in reliquum vos E clesiasticorum membrorum ordinem locatis,* (ad reliquos Occidentis Episcopo sermonem flectit) *non potestis nobis dicere, qui in eodem corpore vobiscum consti tuti sumus, non estis mihi necessarij.* Ac rursus ad Damasum; ᶜ *Etiamsi, inquit habitationibus sumus alter ab altero quàm longissimè dissiti ac dirempti: ratione tamen huius coniunctionis, sumus propinqui inuicem. Quoniam igitur pedibus caput dicere non potest: non estis mihi necessarij: planè neque nos amicitiam nobis renunciare sustinebitis.* Imploranti suam opem Basilio tandem suppetias tulit Damasus, & ea quâ potiebatur authoritate vsus, Orientis quoque curam suscepit, & excitatas in eo turbas restrinxit ac sedauit. Liberium scilicet decessorem suum imitatus, de quo sic Sozomenus ᵈ: *Controuersia,* inquit, *cum contendendi studio, vti credibile est, in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus de ea certior factus scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, vt vna cum Sacerdotibus & Episcopis Occidentis Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romanâ semel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuersia finem habere visa est.*

ᵇ Basil. ep. 77. Εἴτε κεφαλὴν ἑαυτοὺς τοῦ σύμπαντος ἐκκλησίας λογίζεσθε, οὐ δύναται ἡ κεφαλὴ εἰπεῖν τοῖς ποσί, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω· εἴτε ... [illegible]

ᶜ Basilius Epist. 70. Εἰ δὲ πλεῖστον ἀλλήλων διεστήκαμεν ταῖς οἰκήσεσιν, ἀλλὰ τῷ γε λόγῳ τῆς συναφείας ... [illegible] ... οὐ δύναται ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσὶν εἰπεῖν, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω ... [illegible]

ᵈ Sozo. lib. 6. c. 21. [illegible] ... τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἡσυχίαν ἦγον ... [illegible]

Vltimò, Pontifici solas Vrbicarias quæ centesimo lapide clauderentur, non buisse Synodum Nicænam, hinc apparet, quòd quocunque modo legatur non, omninò constat Primatum Ecclesiæ Romanæ eam agnouisse, ac suo culo probasse. Namque cùm non vno modo lectus esset Canon ille sextus in ncilio Chalcedonensi, & Paschasinus sedis Apostolicæ Legatus sic extulisset; od Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Teneat autem & Ægyptus, vt scopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo est consuetudo, &c. Constantinus verò deuotus Secretarius Consistorij ex da- odice ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitanorum sanctissimæ Eccle- ecitasset: Antiquæ consuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus Episco- mnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc consuetudo est. In hac tamen lectionum diuersitate, gloriosissimi iudices (nec adulabantur nec famulabantur Pontifici, sed regiæ vrbis Constantinopoleos Episcopi olij causam agebant) in hunc modum pronuntiarunt. Ex his quæ gesta sunt, b vnoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum & honorem num secundum Canones antiquæ Romæ, Dei amantißimo Archiepiscopo con- i. &c. Vidit & hoc Valentinianus Imperator, cuius hæc verba extant in lla; Cùm sedis, ait, Apostolicæ Primatum, sancti Petri meritum, qui Prin- Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacra etiam Synodi firma- ioritas. Firmauit scilicet Primatum habere Ecclesiam Romanam. At verò imatum, sed simulacrum Primatus oportuit esse, si intra centesimum la- est illius Ecclesiæ præfectura coacta, & ad angustiores istos terminos co- . Quâ ratione concidit commentum illud de Suburbicariis, quibus defini- lunt aduersarij præfecturam Pontificis: adeoque si quâ caput Ecclesiæ ur, vniuersus ei orbis est attribuendus; si quâ Patriarcha, totus Occidens nandus.

Cõc. Chalc. act. 16.

Ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. ἐχέτω τοίνυν καὶ Αἴγυπτος, ὥστε ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθές ἐστι.

Ibid.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων ἔχειν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθές ἐστι.

Ibid.

Ἐκ τῶν πεπραγμένων, καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως, περινοοῦμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι.

Valen. nou. leg. tit. 24.

Od verò monet Spalatensis; Tempore Concilij Nicæni, quando primùm quæ ad illud tempus perpetuò fermè sub Ethnicis Imperatoribus Christiana secutoribus gemuerat, Dei benignitate nacta est pium, & fidelem Imperato- istianam Religionem nondum fuisse vsque adeò dilatatam extra Italiam, vt tuerit habere Prouincias bene ordinatas cum suis Metropolitanis, quorum ures haberent Suffraganeos. Non magis ad Occidentem pertinet, aut angit, quàm Orientem, aut Ægyptum, aut Libyam, aut Pentapolim, que turbæ, & tumultus essent aduersum Religionem Christianam, ac ibus Ecclesia graues pateretur aduersarios. Sed quod addit Metropo- liis, Hispaniis, & Africa se subduxisse Pontifici, nec ad eam pertinuisse rum illarum Metropoleωn consecrationem, omninò falsum esse ex , quem tamen testem aduocat, apparet. Sic enim ille de Salonitano . Salonitanæ verò ciuitatis Episcopus, inquit, me ac Responsali meo nescien us est; & facta res est quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod s, ad eundem præuaricatorem qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi priùs à Serenis- nis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iußissent; quod ei sub excommunicationis ne mandaui. Et semper fuisse Metropoles in speciali Pontificis Diœ- ncmari verba ostendunt. Sancta Romana Ecclesia cui sollicitudo om- arum in beato Petro Principe Apostolorum est commissa, plures Metro- ua speciali Diœcesi habet: sed & Antiochena sedes, nonnullos Metro-

SPALAT. Num. 17.

Greg. epist. l. 4. ep. 34.

Hinc. ep. 6. c. 4.

 in sua Diœcesi habet. Aggreditur iam Spalatensis ad rei politanos in sua Diœcesi... Baronij & Bellarmini Cardinalium interpretati nis Nicæni sexti, quibus modis eos exagitat, quòd sextum illum Canonem muti dignis modis Episcopi Romani morem à Patribus inductum aliter i quodque Episcopi velit, atque ad factam potestatem à Pontifice Alexan quàm ipse velit, quicquid est illi imperij in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim po, quicquid mutilum esse Canonem, vt nunc extat, plura euincunt. primùm, editio quam ex Vaticano profert Sirmondus, quæ plenior ac c tus editio quam videtur. Sic autem concipitur. *De Primatu Ecclesiæ Romanæ,* rior videtur. *ciuitatum Episcopis. Antiqui moris est, vt Episcopus vrbis Romæ habe tum, vt suburbicaria loca, & omnem Prouinciam suam sollicitudine gu* cedit Nouella Valentiniani, de qua egimus suprà, ac aperta gloriosissin dicum in Concilio Chalcedonensi confessio: & quicquid blaterent l ritatis, idipsum firmat Paschasini, Leonis Magni in eodem Concilio L citatio, quem constat Canonem Nicænum cum ipsa Primatus mentic iunxisse; Ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔχε τὰ πρωτεῖα: *Ecclesia Romana sen buit Primatum.* Neque enim credibile est in augustissimo orbis terrarui sessu voluisse Pontificium Legatum, cui credo aliqua frons erat, falsum nem obtrudere, ne falsitatis conuictus, & se & Dominum suum pessun Quod attinet ad morem Episcopi Romani, cuius in eo Canone est menti hil est in doctissimorum Cardinalium interpretatione quod reprehendas. lunt referri morem ad Pontificis indulgentiam, qui ante omnem Concilic definitionem consueuerit permittere Episcopo Alexandrino regimen Æg Libyæ, & Pentapolis, quod scilicet Græcis innixi, nullam in Canone comp tionem Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ viderint. Sic enim habent G ca: Ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι: *Quoniam & Episcopo I mano hic mos est*: Neque enim se aliis versionibus in quibus esset expressa coi paratio teneri existimarunt, vt eas sequerentur. Cæterùm nolim contentiosi pro ea sentētia pugnare, imò me assensorem habet Spalatensis, institutam à Co cilio comparationem inter Ecclesiam Romanam & Alexandrinam, ac Roma nam propositam veluti ideam & exemplar, ad quod formaretur Alexandrina. Sic enim Nicolaus primus. *Si instituta Nicænæ Synodi,* inquit, *diligenter inspi ciantur, inuenietur profectò, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.*

Sirmond. Differt. 2. c. 4. Can. 6. Syn. Nic. ex Bibl. Vatic.

Act. 16.

Nicol. 1. ep. 8.

Spalat. Num. 21.

Quod autem obiicit Spalatensis, supponere igitur Canonem etiam Romanam Ecclesiam proprios ex eadem consuetudine habere limites; de speciali Diœcesi, de qua suprà ex Hincmaro, omninò verum est. Sed præter illam specialem Diœcesim, quæ Occidentis limitibus terminatur, cura Pontifici incumbit vniuersarum per orbem Ecclesiarum. Quod verò rursum obiicit Nicolaum primum ad Petrum non se reducere, quod facit Baronius, est falsitatis & impostu ræ plenum. *Animaduertendum est,* inquit, *quia non Nicæna, non denique vlla Synodus, quamquam Romanæ contulit Ecclesiæ priuilegium, quæ in Petro nouerat se... totius iura potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen... pisse, sicut beatus Præsul Bonifacius attestatur vniuersis Episcopis per The... constitutis scribens. Institutio vniuersalis nascentis Ecclesiæ, de beati Petri sum... nore principium, in quo regimen eius & summa consistit.* An non igitur ad Pe...

Nicol. lib. 1.

erbis vtar Spalatensis, se reducit Nicolaus? Hoc est, an non Petrum coronæ piscopalis Principem, vt loquuntur Imperatores, fontem facit ac scaturiginem ontificiæ potestatis? Hic verò explodendum venit commentum Spalatensis, io argumentum Bellarmini aduersus Ruffinum *instructum* eludere conatur. credibile dixerat Bellarminus Romano Episcopo esse assignatam angustissi-um regionem, nimirum Suburbicariam tantùm, aliis verò Patriarchis amplissiam.

Excipit Spalatensis: *Respondeo*, inquit, *Euangelium prius in partibus Orien-bus optimè inualuisse, & postea in Occidentem peruenisse: ideoque plures regio-erant Christianæ in Oriente tempore Canonis, quàm in Occidente. Quid mirum vt si latius se extenderent Patriarchatus Orientales, quàm Occidentales? Addo iprà Suburbicarias regiones non solis sex vicinißimis Episcopatibus contineri, sed is præfecturis vltra quartam quæ erat vrbana, & facilè posse totam Italiam dici vrbanam.* Hoc igitur falsum esse plura ostendunt. Nam præterquàm quod Occidente opera potissimùm Petri & Pauli exculto Euangelium latius enisse, quàm vllo alio orbis terrarum loco nos veteres historiæ docent: Terni locus, quàm numerosa esset plebs Christiana in occiduis partibus satis in-*Externi*, inquit, *sumus*, Imperatores Romanos alloquitur, *& vestra omnia imus, vrbes, insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, rias, Palatium, Senatum, forum; sola vobis relinquimus Templa.* Hæc certè ad Occidentem quàm ad Orientem pertinent, & propterea Nicæni Conmporibus hostes Ecclesiæ Romanæ Eusebiani, acerba & ironica illa Epid Iulium scripta indignabantur, ac conquerebantur se posteriores ideo ὅτι μὴ μεγέθει ἢ πλήθει ἐκκλησίας πλεονεκτοῦσι. Et Zonaras quamquam schisma-uthor, quàm latè pateret ditio Pontificis, quamque longè superaret di-reliquorum Patriarcharum illis ipsis temporibus ostendit, ad Canonem icensem. *Romanæ Ecclesiæ ditioni*, inquit, *eo tempore omnes ferè Occidentis e subiiciebantur: Macedoniæ nimirum, Thessaliæ, Illyrici, Peloponesi, & e Epirus dicitur, quæ postea in Constantinopolitani iura transiere, vt proin-'um prouocationes ex his locis referri sit consentaneum.* Sed & Leo sapiens Occidentem cóplexam fuisse ditionem Pontificis, verùm etiam Mace-Epyri, Achaïæ, Peloponesi Metropoles multas cóprehendisse docet, quæ factione Episcoporũ Constantinopolitanorum, inde auulsæ ad Con-politanam postea sedem trãslatæ sint. *Auulsi*, inquit, *à Diæcesi Romana, throno Constantinopolitano subiecti Metropolitani Thessalonicensis, Corin-'icopolitanus, Atheniensis, Patrensis.* Hæ scilicet sunt Prouinciæ, quas s à Constantino & Hirene, Nicolaus primus à Michaële Imperatore ant. Cætera quæ totis huius capitis sectionibus vrget Spal. diligentiori ion subiicio, hoc enim solùm probare contendit Pontificem Romanũ copum particularem, Ecclesiam quoque Romanam quâ item priua-esiam; rursus Pontificem quâ Patriarcham, & Ecclesiam Romanam archalem suas restrictiones & limitationes habere, quæ vniuersitati ofiò verò *ex ipsa pharetra Vaticana*, inquit, *spicula* mutuatur, quibus nos :. Nempè ex Baronio refert certos & constitutos Episcopos, qui omnes ii Episcopi ordinationem immediatè spectarent, & Synodis eius in-in Campania Tiburtinum, Anagninum, &c. In Marsis Furconen-icanum, Valuensem, Tratinum, &c. In Thuscia Nepesinum, Viter-

Spalat. Num. 24.

In Apol. c. 37.

Sozo. hist. Eccl. l. 3. c. 7

Zonar. in Can. 5. Cóc. Sardic.

Τὰ κατὰ ... τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ αἱ ... ἐκκλησίαι, αἱ Μακεδονίας ... Θεσσαλίας, αἱ τῆς Ἰλλυρικοῦ, αἱ τῆς Ἑλλάδος, ἢ ... Πελοποννήσου, ... Ἠπείρου, αἱ ... Κωνσταντινουπόλεως ...

Leo sap. in Diatyp.

Adria. ep. 1. Nicol. ep. 8.

Perusinum, &c. Nec meminit nos quâ Metropolitam bienſem, Perusinum, &c. Quâ de re egimus ſuprà abundè, & de locis Patrum cem ſpectare. ... tos alios addit non maioris ponderis, diximus.

Spalat. Num. 33. Ad calcem autem capitis nititur quaſdam noſtrorum obiection que Cyprianum nobis eripere. Sed de Cypriano plura ſuperioribu que totum orthodoxis vindicauimus. Lubet tamen Spalatenſem au

Cypr. l. 1. ep. 3. *cient mihi imprimis, inquit, dicta Cypriani, quibus ille videtur Rom agnoſcere principatum. De Donatiſtis ſuis Africanis, ait; Nauigare au Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotali à ſchiſmaticis & profanis literas ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, qu Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſ. tamen Cyprianus totus eſt nobiſcum, vt iam vidimus, ſibi ipſi contrarius erit. Conſiderauit igitur fidem Chriſtianam ex Oriente in Occidentem prim mam perueniſſe, ibique Petri & Pauli Principum Apoſtolorum prædica egregiè fuiſſe firmatam, indeque in reliquum Occidentem, atque etiam in diſſeminatam; adeò vt nulla eſſet tunc Eccleſia in Occidente, quæ ſi orthodo cum Romana fide non conueniret; & probatio fidei cuiuſque Eccleſiæ ad ipſa manam, tanquam ad Lydium lapidem examinanda perferretur, vt inde omn cleſiæ fidem diſcerent, vnde primùm ſuum ortum habuerant; & omnes parite in vnitatem conuenirent, quia omnes Romanæ æquè conſentirent, iuxta illud Ge triæ axioma; Quæ eidem ſunt æqualia, inter ſe ſunt æqualia: Quod alij in Phi phia ſic vertunt; Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

Spalat. Num. 34. *Atque hinc Cyprianus Romanam Eccleſiam vocat principalem, quia prima Occidente, à maximis Apoſtolis fundata, & ab ea cæteræ; & vnitatem ait Sacer talem inde exortam, quia Epiſcopi omnes Occidentales ea tanquam communi vin lo, & exemplari in vnitate fidei inter ſe conueniebant, quia cum Romana fide conſ tiebant. Ideoque, vt audiuimus, Romanæ tunc fidei puritatem vel maximè ext Iſta porrò Primatum iuriſdictionalem in Romana Eccleſia nullum ponunt, vt l ſeptimo adhuc pluribus perſequemur. Imò verò Primatum hunc Romanum à priani mente tunc etiam quando illa ſcribebat, fuiſſe remotiſſimum facilè quiſque uertit, dum in eadem Epiſtola paulò pòſt, illum videt in eos excandeſcere, qui ex na vltra mare iudicia Romæ quærebant, quæ in propriis Eccleſiis quæri debuē*

Ibid. *ait enim; Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtū vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum: & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſuī Domino redditurus. &c. Principalis igitur illa Eccleſia, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, non niſi portionem ſuam propriam gregis ſibi adſcriptam habebat, & alij Epiſcopi non tenebantur vlli rationem reddere ſui actus in ſua Eccleſia regenda, niſi ſoli Deo. Non ergo Romana habebat ſupra illas Principatum. De his tamen adhuc agam cap. 8. inferius. Afferunt noſtri pro Eccleſia Romana, dicta etiam illa Cypriani, in quibus Eccleſia quandam vocat fontem, radicem, matricem. &c. Sed illa de vniuerſali Eccleſia proferri, non de Romana, oſtendi libr. 1 cap. 11. num. 17. & libr. 3. cap. 1. num. 12. 18.* Sed hæ meræ ſunt nugæ. Neque enim Cyprianus originem diſſeminati Euãgelij expendit. Si nãque originem expendiſſet, vel Hieroſolymam ſpectaſſet, quam Tertullianus Religionis matricem vocat, quòd ex Sion exerit lex,

Aug. ep. 178 *& verbum Domini de Hieruſalem*: vel Græciam, à quâ Auguſtinus in Africam delatum Euangelium oſtendit; Quare & *terram Græcorum* nominat, vnde vbi-

que

que destinata sit fides; ac rursus *in Oriente Ecclesiam esse, vnde Euangelium in Afri-*
cam venerit, asseuerat; Africanarumque Ecclesiarum *radicem* vocat, à quâ *pre-*
cisi essent Donatistæ; quorum nescio cur hîc à Spalatensi sit facta mentio, cùm
de illis non sit locutus Cyprianus. Demum *principalem Ecclesiam* vocat Cypria-
nus, certè eo sensu quo Irenæus *potentiorem principalitatem* Ecclesiæ Romanæ
adscribit, & in ea *Cathedra Apostolicæ semper viguisse principatum*, Augustinus
docet, vt nos superioribus libris, inuictissimis argumentis euicimus; quæ omnia
ad imperium, & authoritatem, non ad originem pertinent. Quod verò repetit
ex eodem Cypriano, *de portione gregis singulis Pastoribus* adscripta, *quam regat*
vnusquisque ac gubernet, sui actus Domino rationem redditurus; est à nobis suo loco
explicatum de mente Augustini. Et illud quod habet de radice, fonte, sole, ma-
trice; est etiam à nobis Ecclesiæ Romanæ assertum & vindicatum. Aliud iam
argumentum nostrorum versat ex Cypriano.

Obijciunt tamen rursus, inquit Spalatensis, *pro Romanæ Ecclesiæ vniuersitate,* SPALAT. Num. 35.
eundem Cyprianum dicentem; Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, Cypr. l. 1. ep. 8.
& Cathedra vna super Petram Domini voce fundata: aliud altare constitui, aut
Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest.
Quisquis alibi collegerit, spargit; adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcun-
que humano furore instruitur, vt dispositio diuina violetur. Vnam Cathedram su-
per Petram fundatam intelligit Cyprianus Ecclesiam vniuersalem toto orbe diffu-
sam, non intra Romanæ vrbis mœnia coarctatam, vt probant illa quæ de vno Altari,
& de vno Sacerdotio ab eodem proferuntur, ad excludendas sectas hæreticorum &
schismaticorum. Sed rursum sunt hæ corruptelæ sententiæ Cypriani, qui non vno
loco Cathedram Romanam locum Petri, ac proinde Ecclesiam Romanam, Ec-
clesiam supra Petrum Domini voce fundatam intelligit. Qua de re etiam supe-
rioribus libris, vt superfluum sit de his plura dicere.

Quod verò vt tandem finem imponat capiti, vltimo loco addit, *Ecclesiam* SPALAT.
Romanam esse Ecclesiam Particularem, nec huius speciei *vllam instituisse Chri-* Num. 36.
stum, quæ aliis esset dux, norma, & forma credendi; est à nobis initio capitis di-
spũctum & explosum: Nec cogitat Spalatensis Ecclesiam Romanam, quam vt
meram Ecclesiam particularem & priuatam spectat, fidei prærogatiua, poten-
tiæ & authoritatis influxu vniuersalem esse, vt proinde non citra contumeliam, SPALAT.
imò sacrilegium eam facti schismatis postulet, quasi ab Ecclesia vniuersali de- Num. 37.
sciuerit, membrum eius esse renuerit, & ab eius se radice auellere non erubuerit. SPALAT. Num. 28. in fine.
Ac rursus per summum scelus ac impudentiam, cùm Donatistarum & Ana-
baptistarum improbissimis factionibus confert; imò *Luciferianam & Anti-*
christianam vocat; ambitus & carnalis prudentiæ accersit; scilicet vt sibi iustam
causam ab ea recedendi fuisse, improbus perfuga, imperitis persuadeat.

Sed subit mirari quî Theodorum Studitam, quod Pontificem Patriarcham
Occidentis sæpius vocarit, in numero eorum posuerit, qui ad has restrictiones
& coarctationes impegerint. Nam piissimi Patris ad Paschalem Pontificem,
cuius opem deposceret in Orientis turbis, hæc sunt verba. *Adiuua nos*, inquit,
qui hasà Deo partes suscepisti, manum præbe quoad fieri potest. Ex eo enim apud
Deum habes potestatẽ, quia vniuersis præsides, & ad hoc es constitutus. Sed & vanis-
simum de Suburbicariis cõmentum refellunt illa Athanasij in Arianos Põtificis
afflictores; *Ne Liberio quidem*, ait, *Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia*
ducti, vel *quòd illa sedes Apostolica esset, vel quod Roma Metropolis esset Romanæ*

Theo. Stud. Βοήθησον ἡμῖν ὁ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πεπηγμένος εἰς τὸ τοιοῦτον· χεῖρα καθ' ὅσον οἷόν τε ἐστι. ἔχεις τὸ ἰσχύειν παρὰ Θεῷ ἐκ τοῦ πάντων πρωτεύειν, ἐν ᾧ καὶ ἐτέθης.

Athan. ad solit. vitam agẽt. p. 644. Οὐδὲ Λιβερίου τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κτλ.

Rectè enim Baronius interpretatur Romanā Ecclesiam
ἀρχὴν ἐποιήσαντο, ἀλλὰ καὶ μέχρι τοῦ ἐκεῖ τῆς μανίας ἐξέτειναν, καὶ οὐχ ὅτι ἀποστολικὸς ὁ θρόνος ᾐδέσθησαν, οὐδ᾽ ὅτι μητρόπολις ἡ Ῥώμη τῆς Ῥωμανίας ἐστί.
ditionis: Rectè enim Baronius interpretatur Romanā Ecclesiam
Metropolim Ecclesiarum totius Imperij Romani. No
nasij esse Metropolim veteres vniuersum Imperium Romanum intellexer
τῆς Ῥωμανίας, veteres vniuersum Imperium Romanum intellexere
autem Religionis non πολιτείας dixisse ex eo apparet, quòd Ariani
ibid. profert, quamquam εἰρωνικῶς, expressis verbis Ecclesiam Rom
φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν appellitét. Sed Baroniū vexat. *Nec*
ait, *hanc ipsam glossam, Monarchiam Romanam Ecclesiasticam destr*
Romanæ Ecclesiæ Ecclesiastica potestas extra Romanum Imperium, tes
non extenditur, cur Papam facimus omnium Christi Ecclesiarum totius
narcham? Tunc profectò extra Romanum Imperium fides Christi in m
regionibus. Nam vt ait Prosper, Gratia Christiana non fuit contenta e
tes habere quos Roma; multosque iam populorum sceptro Crucis Christi
derat, quos armis suis ista non domuit; quæ tamen per Apostolici Sacerdo
patum, amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis. Aliæ quoq
erant gentes Christianæ extra Ῥωμανίας, quæ scilicet Romano Imperio n
rent. Namque disertis verbis Epiphanius Ῥωμανίαν à Perside, in quâ mu
Christiani, diuersam facit; & Athanasius ipse meminit belli *Persarum,* c
tentu causarentur Episcopi Ariani, sibi liberum non esse Romam *profici*
rùm & ad illius imperij Ecclesias non secus, ac ad eas quæ in Ῥωμανίᾳ *erant*
tificis se fundebat potestas. Quare Pataræ Liciæ Episcopus *in causa Siluer*
teresse multum inter Imperatorem & Pontificem, Iustiniano significauit;
tos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse vnum; Sicut ille Papa est super E
siam mundi totius, à sua sede expulsus. Quare non *cogitur Baronius fateri,* quo
tat Spalatensis, *ex seculari potentia, Romanæ Ecclesiæ pendere dignitatem.* Cæte
hîc occasione verborum Athanasij de Liberio, obiter monuerim, quod aduc
doctissimus Aleander, subesse mendum apud Socratem in Epistola Liberij
Orientales Episcopos, quâ se Italiæ Episcopum, quod etiam suprà retulit Spal
tensis, nuncupat. *Adeò enim est insolens ea loquendi formula,* inquit ille, *vt vn*
excepto Socratis loco, nusquam alibi eam reperias. Quod autem hîc refricat Spal
tensis de paritate Episcoporum, est centies à nobis difflatum & dispunctum.

Pergit verò ostendere Pontifici fuisse suam Metropolim certis limitibus de
finitam, fuisse & suos Episcopos Suffraganeos, vt vocant, in quos vnos solos po
testatem haberet, vt inde probet ad totius orbis Ecclesias eius imperium non se
effudisse. Sed hæc, vt ostendimus, nos non lædunt; habere enim Pontificem
Romanum quâ Metropolitam, suam definitam Prouinciam; quà verò Patriar
cham, certam suam Diœcesim, quis vnquam nostrum est inficiatus? Sed extra
fines aut Metropoleos, aut Diœceseos potestatem nullam habere, hisque limiti
bus suum imperium contineri, vel illud falsum esse ostendit, quod suprà ex Pro
spero referebat Spalatensis. Roma *per Apostolici Sacerdotij principatum amplior*
facta est arce Religionis quàm solio potestatis. Et illud eiusdem; *Quicquid non possi*
det armis, Religione tenet. Pontificem verò in aliarum Diœceseon Episcopos po
testatem habere in causa Athanasij, de cuius condemnatione agebatur, Iulius
ostendit, qui & Eusebianis & orthodoxis diem dixit, ipsosque orthodoxos suis
sedibus in Oriente restituit. Imò Constantius Imperator Arianus, & sacrorum
nostrorum dirus hostis, Romani Pontificis authoritatem, non inter Episcopos
modò, sed & in Episcopos aliarum Diœceseon probè agnoscere se vehementi
illo studio ostendit, quo neruis omnibus contendit, vt authoritate quoque Li-
berij,

Spalat. Num. 28.
Prosp. de vocat. gentium l. 2. c. 6
Liberat. in Breu. c. 22.
Ibid. nu. 28.
Spalat. Num. 4.
Aleand. dissert. 2. c. 3.
Spalat. Num. 29.

berij, sententia ab Episcopis in Athanasium lata confirmaretur. Quâ de re sic Ammianus Marcellinus; *Hunc per subscriptionem*, inquit, *abijcere sede Sacerdotali, paria sentiens cæteris, iubente Principe, Liberius monitus perseueranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare nefas vltimum, sæpè exclamans, apertè scilicet recalcitrās Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen authoritate quoque, quâ potiores æternæ vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti.* Vt igitur Theodorus Studita Pontificem vocet, *Patriarcham Occidentis*; Vt Ambrosius, *Ecclesiæ Romanæ subiectos faciat certos Episcopos*; Vt Gregorius Episcopus, *Romanæ Ecclesiæ addictos habeat, & ad Pontificem*, vt loquitur, *pertinentes*; Vt Martinus, *Apostolicæ sedis Pontifices numeret, suos Episcopos recensens*; Vt Leo secundus, *Concilia sanctæ sedi subiacentia prædicet, vt etiam Suffraganei fuerint Pontificis, quibus Aurelianus Imperator commisit componendam litem de domo quadam Ecclesiastica exortam*: Vt Luitprandus, *Romanæ Metropolis Suffraganeos & Cardinales, Presbyteros & Diaconos ponat*; Metropoliticô, aut etiam Patriarchico illo iure non definitur, aut describitur potentia Pontificis, sed ad quascunque terras sol lustrat, sese fundit. Marcell. l.15.nu.18. Spalat. Num.28. Apud Baro. to.9.an.321. Eusebl.l.7. c.24.

Et quamquam Spalatensis recocta crambe nos excruciet, ac toties profligatam suam Episcoporū æqualitatem rursus obtrudat, cum probationes deficiunt. Quas enim ex Cypriano & Augustino rursus inculcat, superioribus libris dispunximus, falsumque esse ostendimus, aut Cyprianum se parem Pontifici fecisse, ad quem etiam pro exautorādo Arelatensi Episcopo Nouatiano scripserit; aut Augustinum Carthaginensem Ecclesiam Romanæ, *in quâ semper viguisse Principatum* asserat, exæquasse. De Gregorio etiam vidimus abundè. Beda verò Ecclesiam Romanam maximè ornat, quàm *primùm in toto orbe Pontificatum* vocat: Primùm enim dicit non solùm *ordine & dignitate*, sed etiam *potentia & authoritate*. Porrò quid de Petro Pontificatus Romani fundatore senserit Origenes, ostendimus suo loco. Quàm verò fuerit Romanus Hieronymus, quàm syncerè Pontificem coluerit, atque quàm indubitatè pro capite Ecclesiæ habuerit, duæ ad Damasum scriptæ Epistolæ satis produnt, vt in his immorandum diutius non sit. Neque verò parcior est in ornando Pontifice Chrysostomus, qui hoc agmen claudit. Quod verò existimat Spalatensis concertationem inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesiam, pro subiectione Bulgariæ de quâ suprà, optimè etiam confirmare *hanc Ecclesiæ Romanæ*, vt loquitur, *particularitatem*, vt sit vna ex Patriarchalibus cum suo limitato Patriarchatu, potentiam Pontificiam non labefactat, aut imminuit. Nam præter ius Metropoliticum, aut etiam Patriarchicum, est Pontifex totius Ecclesiæ Caput & Pastor, suntque ista in eo distinguenda, vt suprà monuimus. Epigraphen tumuli Stephani sexti, etiamsi marmori insculpta non esset, ne attingeremus quidem. Rexerit populum & Vrbem, quod habet Tumuli inscriptio seu Epitaphium, sed Vrbem rexit, à quâ in totum terrarum orbem semper iura manarint. Spalat. Num.30. Spalat. Num.32.



DISCVSSIO TERTII CAPITIS LIBRI QVARTI.

Conspectus Capitis.

Spalatensis cum Balaamo collatus, maledicturus Ecclesiæ triumphos eius celebrat: Patres eam commendantes magna pompa in hanc scenam inducit: Eius fraudes aperiuntur ac depelluntur: Eius inconstantia: Probra & contumeliæ in Ecclesiam Romanam: Hierosolymam Romæ præfert: Refellitur & ostenditur origine quidem primam esse Hierosolymam, sed non authoritate: Hieronymus explicatus: Sanctitate loci propter Passionē Saluatoris prælata Hierosolyma: Quamquam Cæsariensi Ecclesiæ subiecta, quod ad authoritatem spectat: Petri, cui primatum tribuerit Christus, meritò factum vt Ecclesia Romana, Caput orbis censeretur: Id visum & agnitum Patribus Nicænis: Ex Concilio Romano sub Fælice III. Eusebianorum aduersus Ecclesiam Romanam calumnia depulsa: Eorum vanitas ac leuitas authoritate Gregorij Nazianzeni dispuncta: Erasmi censura in librum quæstionum veteris & noui testamenti, qui falsò Augustino tribuitur: Verus Augustinus explicatus: Pauca de furtiuo Canone Chalcedonensi: Hugo Aetherianus orthodoxis assertus: Baronius declaratus & defensus: Quorsum Alexandriæ Antiochia prælata: Zozimus, Gelasius, Nicolaus primus, propugnati: De ficta donatione Constantini Imperatores dignitatis Ecclesiasticæ assertores, non authores: Eorum de hac re testimonia Valentiniani, Gallæ Placidiæ, Iustini ac Iustiniani: De Phoca impio Patricida: Primatum Romanum authore Christo Apostoli Petrus & Paulus fundarunt, maximè verò Petrus, Apostolorum coryphæus: Synodi suis Decretis declararunt, Imperatores edictis firmarunt: Furibunda Spalatensis prædictiones, quibus perniciem Pontifici & Ecclesiæ Romanæ vaticinatur: Liber Apocalypsis obscurissimus, à Sectariis immaniter detortus: Quo sensu Babylon dicta antiquis Roma, de vrbe, non de Ecclesia intelligendi: Occurritur obiectionibus Spalatensis, atque profligantur: Sedis Apostolicæ Romanæ firmitas: Multa de antiqua Babylone notatu dignissima: De pura Imperatorum: Aliæ Spalatensis ... ctiones depelluntur: Quo sensu accipiendum, Exite de Babylone popule meus: Hieronymus subiratior Clerum Romanum aliquando insectatur, sed sanctissimam ... dinem non violat: De loco Epistolæ ad Thessalonicenses: De decem Regibus Spalatensis nugæ: Ecclesiam Romanam Principibus exosam reddere semper conati Sectarij: Paradini coniectura librata.

Spalat. ... m. 1.
Tertull. de præscrip. & ... o ep. 66. ... an. 21.

Primam & maximam Ecclesiæ Romanæ gloriam, illam ego facilè asseruerim, quod in ea fundanda, docenda, instituenda, & perficienda, duo primi & maximi laborarunt Apostoli, Petrus, & Paulus; addit, vt vidimus, Tertullianus, & cum ipso Leo etiam Ioannem; quem supra cæteros diligebat Iesus. Et Clemens libro primo recognitionum Barnabam, ait, Romæ tempore Tiberij, primum prædicasse, quod tamen mihi non videtur probabile. Iidem verò Apostolorum Principes, Ecclesiam hanc sanguine suo, & reliquiis exornarunt. Hinc illa primum obtinuit & præcipuum priuilegium, vt sit sedes Apostolica; imò in toto Occidente fortasse

fortasse sola; & consequenter Mater & Magistra plurimarum Ecclesiarum; omnium (vt arbitror) quotquot sunt in toto Occidente; hoc est in tota Europa, ab Illyrico vsque ad vltimas Britannias: in tota Africa, & in partibus Orientalibus, in tota Aegypto, Marco Alexandriam à Petro Roma misso. Omnes enim harum regionum Ecclesiæ, mihi videntur propagines Romanæ Ecclesiæ; ex qua, tanquam ex promptuario & seminario generali illæ seminatæ sunt, & multiplicatæ, siue viuentibus adhuc Apostolis ipsis, illius primis fundatoribus, qui vel per se, propria excursione, vel per Discipulos ipsorum, salutarem Christi doctrinam per istas sparserint regiones, siue postea quoque successu temporum, aut immediatè ex Romana Ecclesia missi viri Apostolici, plures Ecclesias Christo pepererint, aut mediatè, aliarum Ecclesiarum à Romana iam fundatarum opera, & labore conuersio, & ad Christum reductio facta fuerit populorum. Leo ep. 7. & sup. l. 3. c. 12. nu. 55.



OLIM pseudo-Propheta Balaam à Rege Ballac accersitus, vt diris execrationibus Israëliticum populum fœlicissimè progredientem perderet, eius mentem suo spiritu occupante Deo, ea rerum facta est conuersio, vt quod habet Tertullianus, *non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsa hora spiritus suggerebat, benedictionem pronunciarit*: Itaque cùm tentaret maledicta & execrationes in Dei populum iactare, diuina vi prohibitus, & illud effari, quod sibi diuinitùs inditum esset coactus, tandem in Israelis laudes erupit, hasque voces illi elicuit Deus: *Quàm pulcra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi Cedri propè aquas.* Idem mihi omninò videtur euenisse Spalatensi, secuto, vt est in Epistola posteriore Petri, *viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.* Namque cùm Ecclesiam Romanã maledictis exagitare, eiusque gloriæ obtrectare statuerit, iam encomia, ac laudes eius celebrat. Quid enim illustrius de illa dici possit, quàm quod hac prima sectione habet? *A Principibus Apostolorum satã eam & excultam, fundatam & institutã fuisse, vnde sedes Apostolica Mater & Magistra Ecclesiarũ, quæ sint in toto Occidente, hoc est, in tota Europa ab Illyrico vsque ad extremas Britannias: In tota Africa, & in partibus Orientalibus: In tota Aegypto Marco Alexandriam à Petro Roma misso* meritò agnoscatur? Et sint tot Ecclesiæ eius propagines, eam verò præterea illustret vrbis splendor & dignitas temporalis? Nec contentus in has voces erupisse, clarissima Ecclesiæ lumina eximios Patres, *hac de re mirificè differentes*, ac eam extollentes inducit. Orditur verò ab Eusebio: *Eusebius Pamphili*, ait Spalatensis; *Cæterùm, inquit, quis non obstupescat secum cogitans, atque animo versans, non humanum hoc fuisse opus, vel ex eo quod nunquam alias sub vno Romano Imperio plurimæ orbis gentes esse potuerunt, nisi secundum Iesu tempora; nam simul ac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines versatus est, etiam res humanas ad summum peruenisse contigit, quo primùm tempore videlicet Augustus plurimarum gentium Dominus euasit: id verò fuit, cùm & Cleopatra capta est, & Ptolomæorum successio Aegypto dissoluta: atque ex illo in hunc vsque diem quod ab initio Orbis, & ab ipsa, vt ita dicam, hominum origine steterat, Aegypti regnum euersum est. Ex illo Iudæorum quoque natio à Romanis in seruitutem redacta: Syrorum ita, & Cappadocum, & Macedonum, & Bithynorum, & Græcorum, ac denique reliquorum omnium, qui Romano Impe-*

Lib. 4. in Marcionẽ.
Num. c. 24. v. 5. & 6.
2. Petr. 2.
SPALAT. Num. 2. in fine.
Num. 3. Euseb. de demonstr. Euang. l. 3. c. vlt.

Hoc autem non sine Deo, vna cum doctrina, quæ de Sal
rio cesserunt. Hoc autem non fateatur? Reputans non facilem Ie
ferretur, introiisse in orbem, quis non fateatur? Reputans non facilem Ie
externarum regionum peragrationem futuram fuisse, si gentes inter se di
desque fuissent, neque vllum prorsus, ob multiplices Principatus, inter ill
cium: quibus sanè sublatis Principatibus, intrepidè iam atque impunè ne
positum compleuerunt: cùm supremus Deus, & iter illic expeditum ac fa
raret: & superstitiosorum in ciuitatibus animos, terrore maioris Imperij
Reputa enim tecum parumper, si nulla res impedimento fuisset ijs, qui erro
multos Deos tenebantur, ne doctrinam Christi oppugnarent, quàm multa
ciuiles seditiones, & in vrbibus, & in agris vidisses, quot vexationes, quot
mediocria illa quidem, si superstitiosi illi suæ ipsorum potestatis fuissent, ac
ius Imperij habuissent? Nunc autem hoc quoque supremi Dei fuit opus, mai
dam terrore supremæ alicuius potentiæ, proprij verbi inimicos habere iam
tos: id enim proficere in dies, & apud cunctos homines crescere volebat. Hac
bius, Ambrosij quoque, imò verius Prosperi hac de re luculentam habemus c
rationem.

SPALAT. Num. 4. Cùm Apostoli, inquit, repleti Spiritu sancto linguis omnium gentium loqu
tur; conueniebat, excita miraculo diuersi generis hominum multitudo, vt Eu
Prosp. de vocat. gentium l. 2. c. 6 lium Christi, in eis qui aderant, totus mundus audiret: Confluxerant autem,
Act. 2. scriptum est Parthi, & Medi, &c. Audientes eorum linguis prædicari magn
Dei, quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longè lateque p
curreret. Ad cuius rei effectum credimus, prouidentia Dei, Romani Regni latitu
nem præparatam; vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Christi, prius iure vn
consociarentur impietatis: quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limi
habere, quos Roma, multosque iam populorum sceptro Crucis Christi illa subdider
quos armis suis ista non domuit: Quæ tamen per Apostolici Sacerdotij Principatum
amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis. Roma itaque occasio ne s
magni Imperij facta est arx Religionis; quia illa ad fidem conuersa, occasio fuit
commoditas, vt ei subiectæ nationes ad eandem fidem conuerterentur, imò etia m
subiectæ; & ab ea tanquam à præcipua arce & fonte doctrinæ, & fidei tuto di
rent id, quod ipsam Apostoli diligentiori cultura docuerant. Scitè autem opposuit
Prosper Romæ, arcem Religionis solio potestatis; & non solium potestatis Ecclesia-
sticæ, solio potestatis Imperialis, vt inde instrueremur Religione, & non iurisdictione
Romanam Ecclesiam eminere. Fuit sanè Imperium Romanum occasio magnæ dila-
tandæ, in suis initiis Ecclesiæ, vt Ambrosius verè & pulcherrimè differit: Tædio,
Ambr. in Ps. 45. inquit, bellorum ciuilium, Iulio Augusto Romanum defertur Imperium, & ita præ-
lia intestina sedata sunt: Hoc autem eo profecit, vt rectè per totum orbem Apostoli
mitterentur, dicente Domino Iesu; Euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam
interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, vt Thomæ India, Matthæo Persia.
Sed tamen quo plura obirent spatia terrarum in exortu Ecclesiæ, potestatem Romani
Imperij, toto orbe diffudit, & dissidentium mentes, terrarumque diuortia, donata pace
composuit. Didicerunt omnes homines sub vno terrarum Imperio viuentes, vnius Dei
Prosper li. de ingratis. omnipotentis Imperium, fideli eloquio confiteri. Prosper verò cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet, &c.

Facta

Facta est Roma caput Pastoralis [illegible] onoris mundo: quia inde diffusi sunt Pastores in vniuersum penè mundum, vt Leo [illegible] tim explicabit.

Prosperum & Ambrosium [illegible] atus Leo, eodemque imbutus sensu dicebat: vt au-tem huius inenarrabilis gratiæ pe[illegible] otum mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præp[illegible] auit, vt multa Regna vno confœderatur Imperio, & citò peruios haberet populos præ[illegible] dicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciui-tatis. Beatissimus Petrus Princeps [illegible] Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis quæ in om[illegible] ium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corp[illegible] effunderet. Ita & Chrysostomus reddens ratio-nem, cur verisimile sit, fidem Ro[illegible] norum in totum mundum fuisse, vt Paulus affir-mabat, peruagatam, ait: Neque e[illegible] m obscura & ignobilis vrbs erat, verùm tanquam in fastigio quodam sita, vndequa[illegible] e illustris.

SPA[LAT.] Nu[m.] Leo [ser.] de N[at.] Pet. & [Paul.]

Chrys. ep ad R[om.] hom. 1.

Sed ante hos, Optatus eodem [illegible] mè respexit, quando Donatum qui dixerat; Quid est Imperatori cum Ecclesia? Obi[illegible] rgauit, ita scribens; Iam tunc meditabatur contra præcepta Apostoli Pauli, potestati[illegible] s & Regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apo-stolum audiret, quotidie rogare debuerat. Non enim Respubl. est in Ecclesia; sed Ecclesia in Republ. est; id est in Imperio Romano, quod Libanum appellat Christus in Canticis Canticorum, cùm dicit; veni de Libano sponsa mea, id est de Imperio Ro-mano; vbi & Sacerdotia sunt, & pudicitia, & virginitas quæ barbaris gentibus non sunt, & si essent, tuta esse non possent. Et paulò antè: Montem sanctum, qui est Ec-clesia, dicit per omnem orbem Romanum caput sub toto cœlo extulisse. Imperatoris itaque, & consequenter Romanæ ciuitatis imperantis pietatem & religionem, ma-ximo adiumento esse censuit Optatus, ad religionis & pietatis, fideique in toto Impe-rio propagationem. Propterea Augustinus, in dignitate & amplitudine ciuitatis Car-thaginensis, videns periculum totius Africanæ Ecclesiæ inficiendæ, si Carthagine scan-dalum fieret, de secundo Tigisitano contra Cæcilianum pacem Ecclesiæ turbante ait, Tanto magis enim timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quanto erat Carthago ciuitas ampla, & illustris, vnde se per totum Africæ corpus, malum, quod ibi esset exortum, tanquam à vertice effunderet. Huc vsque Spalatensis; Quamquam au-

SPALAT. Num. 6. Optat. l. 2 cont. Parm.

Aug. e[p.]

tem hic dolos versat, ac propterea amplitudinis Imperij Romani, & magnitudi-nis vrbis meminit, vt Ecclesiæ Romanæ Prærogatiuam ex vrbis maiestate or-tam ostendat, tamen quod nos non fugiat, in constituendis dignitatum Eccle-siasticarum gradibus, aliquam ciuilium dignitatum rationem habitam fuis-se, maximè initio surgentis Ecclesiæ, in eo refellendo tempus non teremus: quandoquidem & ipsi Imperatores in sedis Apostolicæ primatus caussis etiam *Romanæ ciuitatem dignitatis* ponunt, scilicet cùm Romani sui primatus ho-norem Petrus intulisset, ac diuino nutu defixisset, splendor ciuitatis eum reddi-dit illustriorem, multumque dignitatis conciliauit: Primaria tamen & legiti-ma caussa primatus, *meritum* Petri fuit, quod ipsi docent Imperatores, ac plu-ribus infrà sumus demonstraturi. Illo verò errore depulso, quo Ecclesiæ præ-rogatiuam vrbis magnitudini & dignitati acceptam haberi vult, reliqua quæ ad vrbis & Imperij Romani maiestatem extollendam, & commendandam pro-fert Spalatensis, intacta relinquimus; contenti, docuisse in *caussis remotis* esse illa numeranda ac reponenda: sed acrius instat prælium. Nam quemadmo-dum Balaamus, post celebrata Israëlis encomia, à proposito inconstantissimè resiliit, mutatisque sedibus, nouo furore impulsus, susceptam impia mercede

Prouinciam, & tantiſper intermiſſam potius quàm omiſſam r
ledictis Iſraelem exagitauit. Ita hic noſter vates, quaſi ſui ipſi
laudibus ornarat, probris afficere, ac deformare aggreditur. A
ceſſendæ Romanæ Eccleſiæ quærit, & occaſionem captat ex d
Spalat. Num.7. ſolymitanæ, quam ei omnino præferre, ac anteponere conatur
trem omnium Eccleſiarum Romanam dixiſſet, adiiciendum putat
Spalat. Num.8. *men,* inquit, *Maternitatis priuilegio, Romanam Eccleſiam Hieroſc*
gè debet anteire: Hac enim, ſicut re vera eſt, ita & paſsim vocatur
nium Chriſti Eccleſiarum, quia ex ea emiſsi ſunt omnes Apoſtoli: A
ſu, ipſa quoque Romana, imò & omnes quantumuis Apoſtolicæ, fu
Apud Theo. 5.c.9. *cleſia Hieroſolymitanæ. Eam propterea Matrem vocant Patres C*
Conſtantinopolitani generalis: Eccleſiæ, inquiunt, Hieroſolymitanæ,
Hier. in Iſa. c.2. *nium aliarum Mater, Cyrillum eſſe Epiſcopum ordinatum. &c. Hier*
Hieruſalem, inquit, primùm fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſemin
Iuſtin. ad Hormiſ. *trem Chriſtiani nominis eam vocauit Imperator Iuſtinus: vt nemo au*
inter Epiſt. Hormiſ. *quit, ab ea ſeſe diſcernere. Auguſtinus* verò initium *Chriſti Eccleſiæ poni*
poſt ep.71. *ſolymis; & applicat illud Pſalmi; Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus*
hoc eſt; Regnum, inquit, potentiæ tuæ, incipit à Hieruſalem. Quia Apo
Auguſt. in Pſal.109. *quit Iuſtinus Martyr, Hieroſolymis egreſſi vbique prædicauerunt. Et rurſus*
Iuſt. Apolog.2. *ſtinus: Remiſsio peccatorum, inquit, in Chriſti nomine prædicatur: vbi pr*
Auguſt. in Pſ.147. *tur? Per omnes gentes: vnde? Incipit ab Hieruſalem: communica huic Ec*
quare litigamus? Cœpit enim hæc Eccleſia ab Hieruſalem iſta terrena, vt ga
de Deo in illa Hieruſalem cœleſti: ab hac enim incipit, in illa terminat: in illa
Eccleſia erit, ab iſta exordium fidei ſumpſit. Quinimo Paulus ipſe, Eccleſias
gentes collectas, ab Eccleſia Hieroſolymitana, ex Hebræis ad fidem Chriſti
uerſis, congregata, initia ſumpſiſſe apertè *teſtatur; dum charitatem Macedon*
& Achaorum narrat, à quibus eleemoſynas collegerat pro Eccleſia, quæ er
Hieruſalem, iuxta conuentionem factam cum Petro; vt hic in circunciſione, ill
rò inter gentes Euangelium prædicaret; ita tamen vt pauperum memor eſſet:
Gal.2. Rom.15. *bauerunt enim, inquit, Macedonia & Achaïa collationem aliquam facere in*
peres ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis, & debitores ſu
rum: nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in car-
nalibus miniſtrare illis. Quia ergo Gentiles, Macedoniæ & Achaïæ, fidem ſuſce-
perunt ex Hieruſalem ad eos delatam; idcirco, inquit Paulus, debuerunt ſpiritualia
Spalat. Num.9. *carnalibus compenſare. Paupertas porro fidelium Hieroſolymitanorum, inde erat,*
Tyr. de bello Sac. l.15. c.18. *quod Hebræi cùm eſſent, à Magiſtratibus Hebræis bonis omnibus ſpoliabantur, vt*
cum Chryſoſtomo docui, libro 1. capite 12. num. 40. Meritò itaque Villelmus etiam
Tyrius Epiſcopus, dum narrat de Synodo quadam facta Hieroſolymis; Eam dicit
celebratam fuiſſe in primitiua, & Eccleſiarum Matre ſancta Sion. Eccleſiæ Hie-
roſolymitanæ laudes maligno dente non carpimus, nec eius gloriæ obtrecta-
mus, ſed quæ profert Spalatenſis, hoc ſolùm efficiunt fuiſſe eam *omnium Eccle-*
ſiarum Matrem, ſcilicet *origine*, non *authoritate*. Quare Hieronymus Hieroſoly-
Ep.17. mam vocat *Athenas Chriſtianorum*, quod ex ea primùm Chriſtiana Religio pro-
dierit. *Origine* igitur prior eſt Hieruſalem, quia iuxta diuinum oraculum, *exiuit*
ex Sion lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Et, vt loquitur Tertullianus,
De præſcr. adu. hær. Apoſtoli *primò per Iudæam* (cuius eſſet Hieroſolyma Metropolis) *conteſtata*
fide

fide in Iesum Christum & Ecc[illegible]siis institutis, dehinc in orbem profecti can-
dem doctrinam eiusdem fidei [illegible]ationibus promulgauerunt: *Authoritate ve-*
rò omnium Ecclesiarum paren[illegible] non est, cum Synodo Nicæna quamquam
ei suus honos seruetur, iubeatur [illegible] sub ditione esse sui Metropolitani, nempe Cæ-
sariensis Episcopi: Alibi verò o[illegible]endo cur ea ciuitas, in qua, vt scribit Tertul-
lianus, essent olim *Sacerdotes, &* [illegible]*emplum, & Matrix Religionis, & fons non pu-*
teus salutis; noluerit Christus su[illegible] Ecclesiæ hoc est Religionis Christianæ caput
& arcem esse, quam sciret fundi[illegible]s euertendam, ob grande illud nefas interfecti
filij Dei. Pergit tamen Spalaten[illegible]s Primatum asserere Hierosolymitanæ Eccle-
siæ. *Quantum verò*, inquit, *ex hoc capite Hierosolyma præcedat Romam, habes fu-*
siorem apud Hieronymum disputationem in ea epistola quam scripsit ad Marcellam;
in qua satis ostendit Hierosolyma[illegible] suo adhuc tempore fuisse, veræ fidei, & discipli-
næ Ecclesiasticæ magistram celeberrimam; Longum est, inquit, nunc ab ascensu Do-
mini, vsque ad præsentem diem, per singulas ætates currere; qui Episcoporũ, qui Mar-
tyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam;
putantes minus se religionis minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum
accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euange-
lium de patibulo coruscauerat. Et in hac comparatione Romæ cum Hierosolymis, ne
verbum quidem de Primatu Ecclesiæ Romanæ, in qua resideat Monarcha Ecclesiæ
vniuersalis, attigit; profectò tantam eius dignitatem silentio non præteriturus, si eam
aliquam agnouisset. Est itaque dignitas non exigua, nec leuis gloria Ecclesiis, à qui-
bus aliæ & fidem accipiant, & disciplinæ Ecclesiasticæ instructionem: iurisdictionẽ
tamen, & imperium nullum super alias inde consequuntur. Ac certè si hoc nomine
mater Ecclesiarum audiat Roma, iure optimo omnium auia dicetur Hierosolyma.
Prærogatiua itaque hæc pariendi filias, & eas docendi, atque instruendi non est solius
Romanæ Ecclesiæ propria, sed in omnibus est sedibus Apostolicis; & propterea sicut
prærogatiua hæc cæteris, ac præsertim Hierosolymitanæ, primatum potestatis nullũ
tribuit, ita neque Romanæ potest tribuere. Sit igitur magistra quandiu recta docet,
quandiu Apostolicam doctrinam puram seruat, nec eam mistione impurorum inter-
turbat liquorum, certè Domina *non erit, neque sola omnium Ecclesiarum despotico do-*
minatu gubernatrix. Instruxit Romana *multas Ecclesias, iisque & fidem tradidit, &*
disciplinam, sed prima documenta regendæ Ecclesiasticæ vniuersalis disciplinæ, toti
Christiano orbi Ecclesia tradidit Hierosolymitana: cuius prima decreta fuerunt,
antequam etiam Euangelium fuissent conscripta, communissima materia Apostoli-
carum prædicationum, quibuscum initio sancti Apostoli, & Discipuli Domini fide-
lium cœtus colligebant. Paulus enim perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans
Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Et; Cùm per-
transissent Paulus, & Silas ciuitates, tradebant eos custodire dogmata quæ erant de-
creta ab Apostolis, & Senioribus qui erant Hierosolymis. Et nihilominus Hieroso-
lymitana Ecclesia nullũ habuit Primatũ, sed subiecta fuit Cæsariensi: vt toties vidimus
in præcedentibus. Quod ad primũ attinet; Hieronymus epistola ad Marcellam, no-
mine Eustochij & Paulæ Romam cũ Hierosolyma confert, ac quid inter eas vr-
bes intersit, explicat, non ratione authoritatis, aut dignitatis Ecclesiasticæ, sed
ratione sanctitatis locorum Hierosolymamque præfert, quod cruorem Domi-
ni hauserit, vt multò accommodatiorem instituto Monachorum, cuius candi-
data erat Marcella, ostendat, ac proinde in animum eius inducat, vt relictâ Ro-
mâ ad loca sancta se conferat. Occurrit verò obiectioni eorum, qui eam appel-

Lib[illegible] Ma[illegible] cap.[illegible]

Spal. Num. Hier.[illegible]

Act.

Hier.[illegible]

larent Sodomam & Ægyptum, terramque maledictam: *Male.*
inquit, *nominant, quod cruorem Domini hauserit; Et quomodo bene*
tant, in quibus Petrus & Paulus, Christiani exercitus Duces, sang
pro Christo? Si seruorum & hominum gloriosa confessio est; cur Domi.
sit gloriosa confessio? Et Martyrum vbique sepulcra veneramur, & sa
lam oculis opponentes, si liceat, etiam ore contingimus: & monumentu
Ep.17. *minus conditus est, quidam existimant negligendum?* Et cùm vrgeren
passione Domini infamatam, respondet: *Quid sibi voluit Paulus*
mam festinare, vt ibi faceret Pentecosten? qui retinentibus se locutus
Ibid. *Quid facitis flentes & conturbantes cor meum?* Ego *enim non solùm lig.*
mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu Christi. Quid.
cti & illustres viri, quorum vota & oblationes post prædicationem Christi.
qui erant Hierosolymis, deferebantur? Longum est ab ascensu Domini vsq
sentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum,
quentium doctrina Ecclesiastica virorum venerint, Hierosolymam putant
se religionis minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepiss
tum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de
lo coruscauerat. Igitur illustres viros, qui se Hierosolymam contulerant,
memorant Paula & Eustochium, quarum est nomine scripta à *Hieronym*
stola, vt Marcellam quoque ad loca sancta pertrahant, in quibus essent to.
ctorum agmina, maximè Monachorum & Virginum chori: de his enim
Hier.ep.17. ad Marc. tissimùm loquitur, quòd epistolæ verba indicant: *Certè,* inquit, *flos quidam*
pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & Virginum
rus est. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat. Diuisus ab orbe nostro.
tannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi ta
& Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Persas, q.
Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsámque iuxta Ægyptum, fertilem Monachorum
Pontum, & Cappadociam, Syriam Cœlen, & Mesopotamiam, cunctaque Orie
tis examina? Quæ iuxta Saluatoris eloquium, dicentis: Vbicunque fuerit corp
Matth.24. *illic congregabuntur Aquilæ: concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis virtu*
tum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio. Tot penè psallentium
chori, quot gentium diuersitates, & inter hæc quæ vel prima in Christianis virtus est,
nihil arrogant sibi de continentia supercilij. Humilitatis inter omnes contentio est.
Quicunque nouissimus fuerit, hic primus putatur. In veste nulla discretio, nec ulla ad-
miratio. Vtcumque placuerit incedere, nec detractionis est, nec laudis. Ieiunia quo-
que neminem subleuant: nec defertur inediæ, nec moderata saturitas condemnatur.
Suo Domino stat vnusquisque aut cadit. Nemo iudicat alterum, ne à Domino iudi-
cetur. Et quod in plerisque Prouinciis familiare est, vt gemino dente se lacerent, hic
penitus non habetur. Procul luxuria, procul voluptas: tanta in ipsa vrbe orationum
loca, vt ad ea peragranda dies sufficere non possit. Cùm igitur piissimis fœminis de
sanctitate locorum sermo esset, necesse non habuerunt, nec eorum nomine Hie-
ronymus, vllam primatus Romani mentionem facere, quippe quiad aut hori-ta-
tem & dignitatem Ecclesiæ pertineat, non verò ad sanctitatem loci. Quod ve-
rò vrget Spalatensis, *Hierosolymam omnium Ecclesiarum parentem, nullum supra*
reliquas Ecclesias imperium obtinuisse, contrà verò Cæsariensi parere iussam fuisse,
nostram firmat sententiam, & longè infra Romam collocandam esse. Ne-
que verò Romana Ecclesia idcircò reliquarum Ecclesiarũ *Parens dicitur,* quòd
cas

eas ad pietatem Christianam informarit, fidemque tradiderit & disciplinã, quòd etiam in Hierosolymitanam quadrat, suadet locus Actorum: sed quod ita volente Deo eam sibi sedem delegerit Petrus, penes quam summam rei Ecclesiasticæ esse pronunciauit Christus, propterea vt dicebamus *meritò Petri*, eam dignitatem tribuunt Imperatores: cùm igitur meritum Petri dicunt, veram & genuinam causam primatus aperiunt, ad quam etiam respexisse Nicænos Patres authores sunt septuaginta septem Episcopi in causa Acatij Romæ sub Fœlice III. congregati: *Quotiens*, inquiunt, *contra Italiã propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor Præsulum sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta solicitudinem sibi Ecclesiarum omnibus competentem cuncta constituat, qui caput est omnium: Domino ad Beatum Petrum, dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Quam vocem sequentes trecenti & octo sancti Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque authoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt: quam vtramque vsque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante custodiunt.* Quod itaque addit Spalatensis, probasse se *omnes Apostolos fuisse æquales, Romanam sedem non fuisse peculiarem sedem Petri, Petro non dari peculiarem successorem*, & in hanc rem Canonem Nicænum profert, mendacissimæ loquacitati est deputandum. Sed quàm festiuus est, & suauis, qui Eusebianos, hoc est cœnum & pestes Orientis nobis opponat. *Ecclesiam Romanam*, inquit, *supra cæteras efferri solitam, aduerterant Eusebiani Episcopi, Athanasij persecutores; ægréque ferebant Iulium Papam quoddam Imperium exercere; ideoque ei opponebant omnes Episcopos iure diuino esse pares, neque ex magnitudine ciuitatum honorem crescere Episcoporum. Atque hanc oppositionem Iulius, vt veram admisit, indéque eos reprehendit, quod nihilominus illi facilè suas mutabant sedes, vt à minori ad maiorem transuolarent ciuitatem. Iidem quoque Orientales in Iulium commoti, rursus ei obijciunt, sola vrbis magnitudine se ab eo separari: cæterùm Orientales Ecclesias, & antiquitate, & doctrinæ fonte, & more probitate Romanam superare.* Scilicet qui gloriæ filij Dei obtrectarunt, aut saltem obtrectatoribus fauerunt digni sunt, quos iudices in causa Ecclesiarum adhibeamus. Certè & ab Athanasio, & à reliquis Scriptoribus Ecclesiasticis summa eorum impudentia notatur, & procacitas, quàm vt frangeret Iulius Pontifex, noluit de magnitudine Ecclesiarum cum illis acrius contendere, contentus argumentum in eos retorsisse, ac illos magnarum Ecclesiarum ambitores ostendisse: Quâ de re nos alibi. Quod verò addunt, *Orientales Ecclesias, & antiquitate, & doctrinæ fonte, & morum probitate, Romanam superare*, à leuitate & vanitate Græcorum est; Sic Nazianzenus iuniores Episcopos Orientales inducit, qui, vt authoritatem suam Occidentalium authoritati anteponerent, hanc rationem afferrent, quod Christus in Oriente natus esset, atque in Oriente Sol oriretur. Risit hanc eorum vanitatem Nazianzenus, & hinc liquere quàm in cæteris rebus acutâ mente essent, cùm hîc tam perspicaces & ingeniosos se præbuissent.

Ratio porrò quàm scita; aspice,
Debere nostras nempè res solem sequi,
Ortum hinc trahentes, vnde regnator poli,
Nobis, amictus carne, primum splenduit.

Non erat igitur cum Græcis hominibus leuissimis ac vanissimis miranda

Ep. Syn. Cont. 2. sub Fœlice 3.

Spal. nu. Iul. ep.

Sozom. c. 7. in f. 8. n. 16

quidem sed non credenda iactantibus ineptiret, aut etiam eis fidem haberet. Sed iam meliores profert testes Augustinum, Concilium Chalcedonense, Hugonem Ætherianum, & Baronium ipsum, vt dignitatem Ecclesiæ Romanæ ex vrbis maiestate ortum habuisse ostendat. *Augustinus*, inquit, *elationem Romanorum Leuitarum in vrbis magnificentia fundatam reprehendit; nam Falcidium quendam elationis illius promotorem, Diaconos Presbyteris, duce stultitia, & Ciuitatis Romanæ iactantia, asserit coæquasse, & addit; Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcircò honorabiliores putantur, quàm apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium Ciuitatum. Illo igitur adhuc tempore Clerus Romanus aliunde se supra alios efferre non potuit, nisi ex eo quod esset Clerus Imperatricis ciuitatis. Sed immemores, inquit Author illarum quæstionum, elatione mentis: eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debebant custodire. Alibi verò Aug. ipse, ex ciuitatis amplitudine, Episcopi etiam authoritatem crescere fatetur; hæc enim de Carthagine, & Cæciliano habet:* Erat transmarinis vicina regionibus, *& fama celeberrima nobilis; vnde non mediocris vtique authoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum.* Sed quod attinet ad primum locum proculdubio Augustini non est: *Hoc opus*, inquit Erasmus, *vt persuadeam Augustini non esse, non arbitror pluribus vtendum argumentis. Cordatum Lectorem admonuisse abundè satis esse puto. Arguit hoc tota phrasis ab Augustini Charactere abhorrens.* Cæterùm quod author ille Leuitarum & Diaconorum Romanorum insolentiam notans, ex vrbis dignitate eam ortam obseruat; Eorum quidem leuitatem ac vanitatem prodit, sed non facit vt à maiestate vrbis pendeat Ecclesiæ dignitas, namque fatui fatua loquentis, siue Falcidij, siue alterius, quem etiam suggillat Hieronymus, ea vox fuit Diaconos æquandos esse Presbyteris: Quod si aliquid eis splendoris contulit dignitas vrbis, an non Presbyterorum quoque ea gloria fuit? Nam vt rectè argumentatur ille; *Si inferiores sunt, crescunt propter magnificentiam ciuitatis, quantò magis qui potiores sublimandi sunt?* Sed & alia causa fuit vanitatis Diaconorum, nimirum quod thesauri Ecclesiæ eis essent commissi, quos in pauperes distribuerent. Verùm [illegible] que occasio potuit esse inanissimæ gloriationis: causa legitima esse non potuit. Quod spectat ad secundum locum, qui verè sit Augustini, non negamus dignitati Ecclesiasticæ splendorem & maiestatem conciliare vrbium amplitudinem, ac potentiam, quæ harum Antistites etiam illustriores reddat, sed eam ipsam genuinam esse summi gradus, inficiamur. Neque verò Augustinus Cathedræ Apostolicæ principatum, quem semper in Ecclesia Romana viguisse prædicat, ab vrbis potentia esse, vel illo loco vel vllo alio asseuerat, sed à Petri cui pascendas oues suas Dominus commisit, Primatu, quem in thronum Romanum inuexerit.

4. d. c.18 17.

Persequamur reliqua. Concilium Chalcedonense, inquit, *apertè fatetur, propter Imperium Vrbis, Romanam Ecclesiam sua priuilegia habuisse, & propter idem Imperium Constantinopolitanam quoque eadem debere habere priuilegia: quin etiam idem statuerat formam regiminis Ecclesiastici debere sequi ciuiles dispositiones ciuitatum, si qua, potestate Imperiali nouaretur. Quæ verò huic decreto de priuilegiis Constantinopolitanæ Ecclesiæ à Legatis Romanis fuerunt opposita, & quæ nostri opponunt, discutiam capite sequenti, vbi de Constantinopolitano agam Patriarchatu seorsim. Nam quod ad præsens negotium spectat, nemo quicquam opposuit eis quæ dicta*

dicta sunt, propter Imperium vrb[...] priuilegia Romanæ Ecclesiæ fuisse à Patribus da-
ta. Nam & Hugo Ætherianus [...]tus Monarchicus hoc decretum assumit, absque Hugo
vlla oppositione. Sicut & planur[...] est ex eadem vrbis Constantinopolitanæ sæculari Ether.l. 3. hær.c.16
dignitate, Patres 2. & 4. Concil[ij] Oecumenici, Constantinopolitanam quoque Ec-
clesiam paribus exaltasse priuileg[ijs]. De Concilio Chalcedonensi videro capite
sequenti, ostendamque furtiuu[m] esse Canonem, quo illud de tributo primatu
Romanæ Ecclesiæ, propter vr[bi]s & Imperij amplitudinem continetur. Sed
quod attinet ad Hugonem Æt[he]rianum, miror hominem, quem superiore li-
bro sibi planè ignotum diceret [...]uius nomen eleuaret, cuius authoritatem ne
nauci quidem faceret, iam test[...] proferri, & dignum qui audiatur existimari.
Sed illum in caput suum suborn[a]uit testem, sic enim ille adiectionem, filioque Id. Ibid.
Symbolo Pontificis authoritat[e] factam propugnans: *Nulla, inquit, calumnia
notandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causa interpretationis dictionem vnã,
dico autem ex Filio procedere Spiritum, sanctorumque plurium Episcoporum, scien-
tissimorum Cardinalium consensu habito apposuerit: licuit enim ei, semperque lice-
bit, fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, si vbi aliquid obscurè
scriptum sit, & de voluntate Scriptoris argumentari, indicio voluntatis illius relicto
facere, hoc persuadente. Is enim est cui oues & agni commissi sunt, & idcircò non so-
lùm scripti recitator esse debet, verum interpres illorum quæ adscripta non sunt: vt ca-
put ouium Dei pastor, quod sancta & vniuersalis secunda Synodus, his verbis sanci-
uit. Episcopus quidem Constantinopoleos habeto primatum honoris post Romæ Epi-
scopatum: quod ipsa sit noua Roma. Iustinianus quoque piissimus Imperator, in sua
videq. talem legem promulgauit. Sancimus iuxta sacras Synodorum constitutiones,
sanctissimum antiquioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: beatissimũ
verò Episcopum Constantinopoleos nouæ Romæ, secundum ordinem habere post Apo-
stolicum thronum antiquioris Romæ. Et rursus idem Imperator Epiphanio sanctissimo
Antistiti Constantinopoleos, in quadam epistola scribit inter cætera: Hunc per omnia
seruamus statum concordiæ sanctissimarum Ecclesiarum, & circa sanctissimum Pa-
pam antiquioris Romæ Patriarcham, cui, & horum similia scripsimus. Non enim su-
stinemus quippiam, quòd ad Ecclesiasticam spectet constitutionem, non illius referri
beatitudini, vt capiti omnium existenti Sanctorum Dei Sacerdotum, nimirum quo-
tiens in istis partibus hæretici exorti sunt, consilio rectoque iudicio illius venerabilis se-
dis venerunt in destructionem. Ast quid Synodicam vel Imperatoriam sanctionem in
memoriam reduco? maius his testimonium habet Coryphæi Petri successor, Christi,
scilicet, Saluatoris nostri, qui vt solum Petrum in tributi solutione sibi exæquauit, ita
& eundem solum orbi præfecit vniuerso, vt Theologus Ioannes perhibet: Cùm igitur,
inquit, cœnassent, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Iona, diligis me plus his? dicit ei:
Etiam Domine, tu scis quia amo te: dicit ei, Pasce oues meas: hunc locum Ioannes qui
meritò Chrysostomus nuncupatur, aperit interpretatione huiuscemodi: Et quid vti-
que prætereundo alios: cum Petro disputat de huiusmodi, quia Petrus est præstantissi-
mus Apostolorum, os Discipulorum, & princeps chori: propterea & Paulus ascen-
dit Hierosolymam, ipsum videre præ alijs. Dicit ergo ei: Amas me, fratrum habeto
curam: tertiò autem ipsum interrogat, præcipitque tertiò eadem: ostendens quanti ho-
noris faciat regnum propriarum ouium. Et post pauca. Quod si quis dicat: Quomodo
igitur Iacobus thronum accepit Hierosolymis? Illud vtique dicam: Quia Petrum
orbis ordinauit Didascalum: Et iterum: Cùm itaque magna ei dixerit, orbem com-
miserit, prædixerit martyrium, & amorem testatus sic ampliorem aliis, dum Petrus*

Ioannem *asciscere vult sibi socium; Domine, inquit, hic autem quid? Verùm Christus æqualem Petro consortem nullum associauit. Qua in re manifestum antiquioris Romæ præsulem potestatem à Petro accepisse fidem renouandi, vt verbis vtar Patrũ, habendi curam, & regnum omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Christianorũ: ergo qui resistunt primæ sedis, imò totius orbis Præsuli, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ iudicio plectentur.* An ergo censuerit Hugo Ætherianus prærogatiuam Ecclesiæ Romanæ ab vrbis pendere magnitudine, & Imperij maiestate?

Veniamus ad Baronium: *Baronius,* inquit, *profectò, qui ferre alios non potuit tribuentes Romanæ Ecclesiæ dignitatem ex sola vrbis pręcellentia; oblitus erat, se fortasse vel inuitum, in duabus aliis Patriarchalibus Alexandrina & Antiochena totam earum præeminentiam, ad solam sæcularem illarum Ciuitatum dignitatem reduxisse. Cùm enim non posset causam assignare, cur Alexandrina sit prælata Antiochenæ, cùm tamen Antiochena à Petro fundata sit, idque prius; Alexandrina verò à Discipulo Petri Marco & posterius? Quoniam, inquit, præfectura Alexandrina, Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præstabat Syriæ præfecturæ, ea de causa, &c. Atque ex eadem causa pergit ostendere Hierosolymitanam Ecclesiam fuisse Cæsariensi subiectam, quia Cæsarea fuerat à Romanis instituta totius Palæstinæ Metropolis. Si hæc ratio in his tribus Alexandrina, Antiochena, & Cæsariensi, sola & maxime militat, vt hæ suos haberent Primatus; cur eadem obsecro etiam in Romana non militabit, tot præsertim testimoniis id confirmantibus? Et certè Alexandrina Ecclesia fuit filia, vt vidimus Ecclesiæ Romanæ, quæ Ecclesia Romana ius Patriarchij in omnes suas filias obtinuit, & tamen ipsa Alexandrina, licet esset Romanæ filia, seorsim facta est prima post Romanam Patriarchalis; in omnibus priuilegiis, excepto solo dignitatis loco,* Rom*anæ æqualis, & plus in hac potuit dignitas illa temporalis vrbis Alexandrinæ, quàm spiritualis maternitas, quam à* Romana *Ecclesia agnoscebat.* V[illegible] primas ferret Alexandrina Ecclesia, eique Antiochena posthaberetur, id denique causæ fuisse, quod præfectura Augustalis, quâ potiretur Ægyptus, cuius illa caput erat, longè nobilior esset præfecturâ Syriæ, cuius princeps Ciuitas Antiochia, Comitum Orientis sedes, asserit Baronius. At verò aut Antiochiam, aut Alexandrinam à suis præfecturis habuisse, quod inter sedes Patriarchales reponerentur, ac numerarentur, non asseuerat. Sed Petrum eius rei non obscurè facit authorem, quem tamen velit ciuilium dignitatum rationem habuisse, quod nulli Orthodoxi sunt vnquam inficiati; Sed Marci quoque Euangelistæ habitam cesserationem, quod Bellarminus defendit, & nos alibi ostendimus, est omninò probabile. Quod verò *Hierarchicam totam inter Episcopos dignitatem, & pariter inter Ecclesias,* vt loquitur, *iure solo Ecclesiastico esse inductã*, probasse se satis libro tertio capite secundo gloriatur Spalatensis, est eius vanitati deputandũ. Ac eum abundè refellimus. Et vt verum sit Patriarchatus Alexandrinũ & Antiochenum *mero niti iure positiuo Ecclesiastico*, falsum est, Romanam Ecclesiam, cuius Cathedram Petrus insederit, alio iure quàm diuino suum possidere primatum. Et miror tam perfrictâ fronte fuisse aduersarium, vt Zozimum, Gelasium, Nicolaum primum nostræ sententiæ propugnatores acerrimos, veritus non sit cõtrarij dogmatis defensores ostentare. Et Zozimi quidem verba sunt: *His accedit Apostolicæ sedis authoritas, cui in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem quandam sanxere reuerentiam.* Honorem enim Petri reuerentiam

vocat, à Patribus Petro habitam propter summum Apostolatus fastigium, ad quod euectus sit à Christo illis verbis; Tu es Petrus; &, Pasce oues meas. Quo sensu etiam dixit Valentinianus Imperator, Petri meritum Romanæ Sedi primatum conciliasse. Quare etiam Spalatensis cogitur Zozimum repudiare; Sed non obstante, inquit, quam veritas elicuit confessione, postea idem Zozimus iure etiam diuino videbitur sibi quendam attribuere in Ecclesia Principatum. Non erat igitur quod eum pro solo iure positiuo testem induceret; Gelasium verò ad ius diuinum Ecclesiæ Romanæ Primatum reuocasse, tam est clarum, tamque apertum, vt in meridie nihil videre videatur Spalatensis, qui contrariam ei tribuerit sententiam. *Quamuis, inquit, vniuersæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodi constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit; Tu es Petrus inquientis, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues regni cælorum; Et quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cælis.* Quod ergo Canones, & multiplicem traditionem in hanc quoque rem citat, facit quia ius diuinum, Canones & Sanctorum Patrum regulæ expresserunt, & declararunt. Quo sensu Ioannes secundus ad Iustinianum scribens, vt etiam à Spalatensi refertur, ait: *Quam Romanam Ecclesiam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant.* Declarant, inquam, non efficiunt. Sed qua procacitate esse oporteat Spalatensis, & proteruia, qui Nicolaum primum acerrimum veri primatus Romani propugnatorem nobis opponat: *Nicolaus primus,* inquit, *suæ Ecclesiæ totum Primatum ad Conciliaria tandem reduxit decreta:* Itane est hominum audacissime? Quid igitur ista sibi volunt, quæ tu etiam nobiscum ex eius epistola 8. ad Michaelem Constantinopolitanorum Imperatorem legis? *Ecclesiæ Romanæ priuilegia, Christi ore* (audisne, Christi ore) *in Beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitùs obseruata, & à sanctis Synodis vniuersalibus celebrata, atque à cuncta Ecclesia iugiter venerata nullatenus possunt minui.* Ac rursus: *Ista igitur priuilegia huic Sanctæ Ecclesiæ à Christo donata, à Synodis non donata, sed iam solummodo celebrata & venerata: per quæ non tam honor quàm onus nobis incumbit (licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum, & in Beato Petro simus adepti) nos cogunt, nosque compellunt omniũ habere sollicitudinem Ecclesiarũ Dei.* Quid autem intellexerit per *meritũ Petri,* quod ex Zosimo citat, quod-que etiam habent Imperatores, de quibus infrà suo loco, explicauimus suprà De Hugone verò Ætheriano abundè diximus. Iam Imperatorum munificentiæ deputat Romani Pontificis ornamenta & honores, quod si illi mens est asserere Augustos illos Christianos, summi Apostoli reuerentia adductos, Ecclesiam quam caput orbis, ita volente Christo, constituisset, coluisse, obseruasse, acornasse, nos assensores habet; si authores fuisse dignitatis Ecclesiasticæ ac supremæ potestatis, nos aduersarios nactus est, quippe qui Antichristianam illam vocem esse iudicemus. Constantinum primum profert, sed folia farfari donantem, non quod magnum Imperatorem Romanæ Ecclesiæ exaltatorem, vt loquitur Bonifacius octauus, inficiemur. Verùm quæ nomine eius à Græcis venditetur donatio, Græcum verè commentum est, arte Pelasga inuentum & fabricatum. Donauit igitur multa Constantinus, quæ Ecclesiæ splendorem auxere

Gelas. in Decreto de apocryphis Scripturę loci.

Matth. 16

Num. 18. Ca. de summ. Trin. inter Clem.

SPALAT. Num. 19

& opes. At verò Primatũ neque dedit, neque verè dare potuit, qui Theodorus Balsamon harum mercium, seu potius fumorum inuent ditor. Valentiniani, Gallæ quoque Placidiæ, Iustini ac Iustiniani que Imperatorum in Romanam sedem beneficia agnoscimus, sed & Seruatores priuilegiorum, non authores facimus: Itaque vt Spala sequamur, non priuilegium dedit, sed priuilegiũ tutatus est Roman

Ep. ad Pulcheriam Augustam. Galla Placidia hoc rescripto. *Igitur tua clementia*, inquit, *secundũ Cath quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare dignetur, vt quia tumultuoso miserrimóque* apud Ephesum *Concilio constitutũ est, omni vi ueatur: vt omnibus integris permanẽtibus, ad Apostolicæ Sedis,* (iudiciũ) *in q Apostolorũ beatus Petrus, qui etiã claues regni cælestis suscipiens, Sacerdotij tũ tenuit, Episcopatus causa mittatur. Debemus enim primatũ in omnibus i conuersationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione co. & nostro Imperio, orbem gubernandũ seruandumque commisit*. Itaque Gall. dia piame herclè Princeps, *Petri meritũ*, quo sensu explicauimus, Primati etiam veram ac genuinam causam facit: Ac certè valdè contumeliosus est

Num. 22. in fine. gustos Spalatensis, cuius insolentissima habes verba ad finem sectionis *quæ*, inquit, *ego puto hæc ex Imperatorum pietate in Romanam Ecclesiam pri emanasse, sed ex solo superbiæ typho; vt ipsorum Imperialis Ciuitas tanto esset didior, & inde ipsi quoque gloriosiores*. Annuat qui volet, sed est eorum pie sanctissimis Patribus celebrata, & summis laudibus ornata. Iustinus epist. Hormisdam se pro concordia Ecclesiarum laborare scribit, studium prouocat, operam pollicetur, & veneratione suæ Apostolicæ Sedis author tem firmat; quod habet Platina: sed authoritatem non confert; Summ autem reuerentiam spirat, ad Ioannem Papam Iustiniani Epistola. *Reddi*

Iust. ep. ad Ioan. Pap. Cod. de sũma Trin. & fide Cath. *tes*, inquit, *honorem Apostolicæ Sedi & vestræ Sanctitati, (quod semper nobis in v & fuit, & est,) & vt decet Patrem honorantes vestram Beatitudinẽ, omnia, q Ecclesiarum statum pertinẽt, festinauimus ad notitiã deferre vestræ Sanctitatis niã semper nobis fuit magnũ studiũ vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statũ rum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permane intercedente contrarietate. Ideóque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis trac subiicere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus. In præsenti ergo qu miota sunt, (quamuis manifesta & indubitata sunt, & secundum Apostolicæ Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita & prædicata) necessarium duximus ad notitiã nostræ Sanctitatis perueniãt. Nec enim patimur quicquã quod ad Ecclesiarũ statum pertinet, quamuis manifestũ & indubitatum sit, quod mo- uetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium Sanctarũ Ecclesiarum. Per omnia enim, (vt dictum est) properemus honorem & auctoritatẽ crescere vestræ Sedis*. Phocam lubens faceret Spalatensis authorẽ magnitudinis Romanæ quam prædicamus, vt nefandi Principis infamia hunc splendorẽ Ecclesiæ

Num. 23. Platina in Bonif. 3. obscuraret: *Sed Phocas maximè*, inquit, *Romanã videtur extulisse Ecclesiã Bonifacio tertio annitente. Bonifacius enim ab eo*, inquit Platina, *magna tamen cõtentione obtinuit, vt sedes B. Petri Apostoli quæ caput est omniũ Ecclesiarũ, ita & diceretur & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Ecclesia Cõstãtinopolitana sibi vendicare conabatur, fauentibus interdum malis Principibus, affirmantibusque eo loci primam sedem esse debere, vbi Imperij caput esset*, &c. Sed sacer sit sæuus ille tyrannus Phocas, credo, nec crudelior, nec sceleratior fuit

fuit magno Cyro, quàm Hiero[illegible]olymorum instauratorem ac libertatis sanctæ ciuitatis Hierusalem vindicem [illegible] assertoré produnt Scripturæ, impietate quoque, credo, non vicit Nabuchod[illegible]nosorem, qui proposito edicto summi Dei gloriam tutatus est. Igitur Pho[illegible]n vanitatis Antistiti Constantinopolitani castigatorem agnoscimus, quippe [illegible]ui adnitente Bonifacio superbum Episcopum in ordinem coëgerit ac ambitu[illegible]eius represserit: namque ille cum à Romano Pontifice secundú se crederet par[illegible]icipatis honoribus in toto Oriente *Oecumenicus* audire auebat, quod Pho[illegible]s non tulit, Authorem verò Primatus Romani Phocam illi soli faciunt, qu[illegible]rum pridem in Ecclesiam Romanam odium exarsit. Restat Lambertus Imp[illegible]ator, qui ornandum quoque exemplo maiorũ Pontificem meritò censuit. Ita[illegible]e non inuiti concedimus ex tribus veluti fontibus *Primatum Romanum* ema[illegible]sse, *ex fundatorum Apostolorum veneratione*, vt habet Spalatensis, *Ex Patrum &* [illegible] *Conciliorum Decretis; ac demum ex Imperatorum conatu & statutis*: Apostoli [illegible]imirum Petrus & Paulus eam fundarunt. Præcipuè Petrus Apostolorum cory[illegible]hæus cuius *merito* illum acceptũ referunt Imperatores; Patres & Concilia su[illegible]is decretis declararunt; Imperatores edictis firmarunt, ac illibatum esse volue[illegible]nt. Non est igitur hominum se insolentius efferentium iactantia, quod Po[illegible]tifices scribunt, non *placitis Imperatorum, aut Synodorum decretis*, aut [illegible]llis humanis præsidiis, sed solo iure diuino niti primatum Ecclesiæ Romanæ, cuius etiam fidem *per multa sæcula* (per omnia dicere debuit) *sinceram, puram, ac illibatam* prædicat Spalatensis, cuiusque sedem pietatis asylum, ac vexatorum perfugium agnoscit. Sed instar Balaami in furorem & errorem abreptus pergit ariolari, & quasi præscius futuri interitũ & ruinam, furibundis prædictionibus Ecclesiarum Principi minatur ac vaticinatur verè φάτης. Mirabamur Apocalypsim tritum omnibus sectariis librum, cuius effatis obscurioribus adeóque incognitis simplicium dementant animos, à Desertore nostro prætermissum, sed mirationem excutit, & sanctissima oracula ad fabulas inflectens leui ac vecordi ariolatione, in perniciem tum Pontificis, tum Ecclesiæ Romanæ conuertit, & tanquam validissima vel potius venenatissima tela intorquet. Nihil igitur reueritus trophæa Apostolorum, aut Christi altaria, pessundata quoque illa fide, quæ iam sæculo Apostolorum, per totum mundum celebraretur, vastato Petri throno, sanctissima Cathedra proculcata, Romam Christianam funditùs euersa Religione in interitum abituram prædicit, & veluti entousiasmo correptus, impendentem Romæ Christianæ ruinam denunciat. Et tantus & tam enormis est hominis furor, vt veteres Patres suæ sententiæ Patronos ostentet. Audiamus bestiam sua verba resonantem: *Ne verò,* inquit, *propter expansas has plumas decoris & maiestatis plenas superbiat Romana Mater, cristasque tollat, sed potius Spiritus iamdiu elatos deponat, non possum non ei in memoriam reuocare tremendum Dei iudicium quotidie imminens, ac semper expe[c]standum, vt vel inde satis cognoscat, credibile non est voluisse Christum Dominum, illam cæteris suis Ecclesiis præferre, seu præficere, quæ sicut diuina benignitate ex Babylone Ethnica facta est olim Ecclesia Christiana nobilissima; ita postea iustissimo Dei iudicio, ex Ecclesia erat denuò in Babylonem conuertenda, & miserabili exitu, omni diuina protectione destituenda, ignéque non minus temporali quàm æterno concremãda. Nos Spiritum sanctum in Ioannis Apocalypsi loqui non dubitamus, vbi verò de Romana vrbe satis aperta habetur prophetia, duobus capitibus comprehensa, de ea tibi, veritatis studiose lector, hic pauca cursim, & summatim, prout à me intelligitur,*

Esdras.

Num. 24. in fine.

Nu[illegible]

Apoc. 17. & 18.

Tert. aduersus Iud. & l. 3. cōt. Marc. Bel. in App. ad libros de Rom. Pōt. c. 6. & Bar. to. 1. an. 44. n. 16. & seq. 1. Pet. 5. & Papias apud Euseb. l. 2. c. 15. & Hie. de Script. Eccl. in Mar. Hier. adu. Iouin. li. 2.

subnecto: tu quæso eam sedulo considera. Et hanc prophetiam verè de ipsa Rom vrbe ipsiusque potentia, & dominatu proferri ad literam, sicut septem colles & gnum quod tempore Ioannis illa habebat, super Reges terræ, coguntur fateri, ita T tullianus apertè testatus est, neque negant communiter nostri Theologi & Scrip res: Babylonem enim vocari contendunt Romanam Ethnicam, ex parte Ethnice in ea habitantium, & dominantium; quo eam nomine etiam Petrus (vt ipsi volu designauit: Ecclesiam verò quæ est in Babylone, intelligi fideles Christianos Roma vrbis. Fulcrum, vel potius bacillum quale quale ad hoc sustentandum mutuantur. Hieronymo, Romam sic alloquente: Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphem Christi confessione delesti. Horrenda verò illa, quæ proferuntur in hac prophet. aduersus Romam, ad persecutionem Antichristi referunt sub finem sæculi peruentur. Hæc sunt furiosi hominis vaticinationes & ariolationes.

Vnde tamen viuat vaticinator habet,

Sed quando hîc de summa Religionis agitur, erat quod Scripturam ænigmatibus, figuris & obscuritatibus plenam, quippe quæ *tot mysteria* habeat, *quot verba*, vt loquitur Hieronymus, tantisper seponeret, ac apertioribus & manifestioribus locis nos premeret coniector fatidicus, namque quod præclarè dixit in causa Ecclesiæ aduersus Donatistas Augustinus, & hîc quoque maximè locū habet: *Sic*, inquit, *& illa interim seponenda sunt, quæ obscurè posita sunt, & figurarum velaminibus inuoluta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari.* Quod Augustinus dixit occasione Donatistarum, qui, vt Ecclesiam sibi assererent, illud ex Cantico Canticorum afferebant, *vbi pascas, vbi cubes in meridie*, iactantes suam sectam in Africa, quæ ad meridiem esset, obtinere, quem locum, vt obscurum non posse ab illis vrgeri contendit Augustinus. Et quidem Tertullianus hæreticos *lucifugas Scripturarum* vocat, non quod Scripturis non vtantur, sed quod relictis apertioribus locis, obscurioribus delectentur, vt Lucem rebus eripiāt, ac tenebras animis offundant. Hos igitur præclarè noster imitatus est vates, quare inania in nos iactat tela. Quod attinet verò ad Patres à quibus ducere præsidium molitur, equidem verum est Babylonem ab eorū plerisque intellectam Romam; *Babylon*, inquit, Tertullianus, apud Ioannem, *Romanæ vrbis figura est*, quam propterea Hieronymus *purpuratam meretricem* vocat: & Augustinus alteram *Babylonem*, additque Orosius, *Romam per omnia Babyloni respondere.* Sed quibus ea opinio placuit, Romam non pro Ecclesia Romana, sed pro vrbe & Imperio Romano acceperūt, vt Roma illis sit *Babylon, meretrix purpurata, & Ciuitas illa sanguine sanctorum inebriata.* Sed Roma Ethnica non Christiana; Imperium Romanum, non Ecclesia Romana; qua ratione Tertullianus Babylonem figuram vrbis non Ecclesiæ prædicat, atque eo ipso loco seipsum clarissimè interpretatur: *Babylon*, inquit, R*omanæ vrbis figura est, proinde magna, & regno superba, & Sanctorum Dei debellatricis.* Sic Hieronymus epistola ad Marcellam, cùm propter magnā illam vitiorum segetem, quæ in amplissimis vrbibus succrescit, Romā, *purpuratam Meretricem* vocasset; asperius dictum molliuit. *Est quidem*, inquit, *ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & Martyrū: est Christi vera confeßio, est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, vel audire vel proloqui, & tantā frequentiā hominum saltem inuitum videre, à proposito Monachorum & quiete aliena sunt.* Vides, vt Hieronymus apertissimè

Li. de vnit. Eccl. c. 5.

Tert. lib. adu. Iudæos & li. 3. adu. Marci. Hier. ep. ad Marc. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei ca. 23. Oros. li. 2. c. 3. Apo. 17.

mè inter Ecclesiam & vrbem disti nguat, vides, vt vernantis fide-
tis Religionis gloriam Ecclesiæ tribuat, vrbi verò incommoda, q
rum institutum conuellant. Sed clariora sunt illius aduersus Iouini
quàm vt à Desertore obscurari possint: *Ad te loquar, inquit, quæ scri-*
te blasphemiam, Christi confessione delesti. Vrbs potens, vrbs orbis do
Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma aut fortitudi
est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris: virtu
celsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Saluator in
lypsi cōminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuit
Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum est. Squalet Capitolium: tem
Iouis & Caremoniæ conciderunt, cur vocabulum eius & vitia apud te vigeant? A
huc sub Regibus, & sub Numa Pompilio, facilius maiores tui Pythagoræ continen
tiam, quàm sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt.

Sed aduersus hanc interpretationem obiicit Spalatensis: *Si tamen tota per*
partes hæc prophetia attentius consideretur, liquidò apparebit, & Babylonem à
Ioanne vocari Romam iam totam Christianam; & propter ipsius immensa scelera,
tyrannicam nouam, post Imperialem potestatem, ad quam iam Christiana peruenerit,
non ex iniusta vllius persecutione, sed ex iusto Dei iudicio, illius scelera iustè, quia ita
placitum sit illi, per Reges fideles, & Deo piè ac religiosè seruientes, punientis, atro-
cia illa omnia ei obuentura. Atque ita Romæ destructionem tanquam impia & Deo
exosæ, ipsius Dei voluntate & iussione ac inspiratione per Reges iam pios & fideles
esse euenturam; quæ Roma Ethnica non contigerunt. Illa enim Roma ethnica fuit, n
est destructa: habuit quidem incursiones hostium, depopulati sunt illam, dum ac
magna ex parte esset Ethnica, Gothi & alia barbaræ Nationes; sed vltima
minatio nunquam ei adhuc contigit, illa nimirum de qua hæc prophetia ait
impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur in te
vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, non audietur in te amplius, & vox
& omnis artifex omnis artis, non inuenietur in te amplius, &
audietur in te amplius; & lux lucernæ non lucebit in te amplius, &
& sponsæ non audietur adhuc in te, &c. Roma verò post Barbarorum cl
resurgens redintegrata est, & Imperium in ea satis florens diu perdurau
Christiana facta est, & hodie vel maximè superfluit ac diffluit delicijs omn
dum ergo impleta est Prophetia Romanæ exterminationis, & tamen quana
nabitur, tunc de illa dicetur: Cecidit, cecidit Babylon. Roma igitur non Eth
plenè iam Christiana est, aut erit Babylon; est, aut erit habitatio Dæmoni
custodia omnis Spiritus immundi; & custodia omnis volucris immundæ &
est, aut erit meretrix magna, quæ aureo poculo & pleno abominationis propi
nem immunditiam & fornicationem: est, aut erit Bestia coccinea, plena nom
blasphemiæ: est, aut erit adeo peruersa & iniqua, vt Deus clamet, vel sit cla
rus seruis suis, accipiatis: Exite de illa populus meus; vt ne participes sitis delicto
eius, & de plagis eius non accipiatis. Bestia quam vidisti, inquit Ioannes, fuit, &
est, & ascensum est de abysso, & in interitum ibit: Loquitur sanè Ioannes pro tem
re, quo non ille viuebat & prophetabat, sed quo Prophetia erat adimplenda: & co
formatur cum Prophetia Pauli; vt finis mundi non sit expectandus, nisi prius discessio
fieret, hoc est, iuxta communem interpretationem Sanctorum, nisi prius Romanu
Imperium dissoluatur; cuius Imperij dissolutio & dissipatio iam aperiat viam Ant
christo ad omnem iniquitatem. Ita Ioannes ait, Bestia fuit, & non est: nempè R
manum Imperium non erit amplius; sed cadet & dissoluetur: ascensura tamen

abysso est eadem bestia, quia succedet Romæ eadem Romana potestas sub . quousque & ipsa exterminetur. Et decem Reges qui nondum erant quan scribebat, sed ab eo futuri prædicuntur, ex Romani Imperij ruinis erant ex dem bestiæ, quæ est illa noua Romana potestas ex abysso de nouo ascensura potestatem, tamdiu enim potens erit, quamdiu Reges ex Romani Imperij di exorti, ei fauebunt; & de eius poculo fornicationum inebriati, ab ea quoque sa, nonnihil in eorum humanis consiliis adiuti; & abominationibus falsita falso religionis nomine repleti, reuera tamen simul cum ipsa aduersus Agnum tes, cum illa consentient. Sed hi ipsi decem Reges tandem agnoscent veritatem nonnulli illorum eam agnouerunt, & ab agno victi, odient, inquit, Propheta, riam & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt (qu renum ipsius principatum sibi assument) & ipsam igni concremabunt; Deus en dit in corda eorum, vt faciant quod placitũ est illi, vt dent regnum suum bestiæ, consummentur verba Dei. Permißio nempè diuina erit, vt hi Principes regnante stiam confirment, & sustentent, donec consumentur verba Dei prædicta; hoc e nec agnus illuminet illos, & vincat: ponatque in corda eorum, vt odio habean nicariam, eamque penitus excidant.

Atqui primùm quod tot iactationibus succussa, euersa non fuerit, quod tot tempestatibus fuerit exagitata, cùm fluctibus propemodum obrui videre è medio ipso gurgite vndarum molibus deiectis, tandem eluctari & emerge superior euadere potuerit, mundũ vincere, dicere mótibus istis omnibus, vt pr cipites se darent in mare, nec Religionis cursum interciperent, ac remorarent Obstinatum animum frangere debuit ac inducere, vt crederet Ecclesiam illa reliquarum caput, per Deum vim habere cœlestem & immortalem, & robur i uictum. Sanè Orosius hoc inter Romam & Babylonem discrimen interceder sapienter obseruauit, quod cùm Babylon Assyriorum post 120. plus mi nus annos, capta & Imperio nudata fuerit, Roma tamen post eadem tempo ris interualla à Gothis quidem capta fuerit, Imperium tamen non amiserit: Lib.2.c.3. *Propter*, inquit, *religionis Christianæ cultum & meritum*. Qua ratione adductus, iam in diuersas partes abeo ab his, qui hic nomine Babylonis Romam intelligunt, quocunque modo spectatam, atque in eorum castra concedo, qui vniuersam impiorum hominum multitudiné, & bonós persequentium colluuiem interpretantur. Quá sententiá amplectitur Augustinus, ac clarissimis verbis docet. Enarrat.in Ps.61. & li. 20. de ciuit. Dei c. 9. Aretas in Apocal. Sanè Aretas, quanquam homo Græcus, & schismate implicatus, Romã Babylonem intelligi non posse, vt nec aliã vllam peculiaré vrbem, cómentariis in Apocalypsim docet & est, hoc aduersus aduersarios ineluctabile argumentũ. Cóstat eo modo accipiendũ Babylonem, quo sit accipienda Hierusalem, quam ei eo ipso Apocalypseos libro opponit Spiritus sanctus: nãque contrariorũ eadé est ratio, atqui certò certius est Hierusalem, non vnam certam ciuitatem intelligi, sed bonorum omnium qui vnquam fuerunt vel erunt innocentissimum cœtum, quem Augustinus Ciuitatem Dei vocat; Igitur nec Babylon vnam certam ciuitatem significat. Atque est hoc rursus aduersus Spalatensem inextricabile argumentum. Verba illa Apocalypseos, *Cecidit, cecidit Babylon*, quibus Romæ vltimum exitium minitari Angelum contendit, quo omninò sit abolenda, primùm de veteri Babylone dicta sunt, ac penè omnia Apocalypseos vaticinia, quibus Babylonis & purpuratæ meretricis ruina prædicitur ex Esaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis vaticiniis, quod nostrorum interpretum neminem aduertisse,

quod

quod sciam, mirari subit, hausta sunt & deprompta; sic enim apud Isaiam de Babylone per Medos & Persas euertenda. *Cecidit, cecidit Babylon*, imò casum eius miraculo, & stupori sibi fuisse asserit Deus, aut Prophetæ, vt interpretatur Hieronymus: *Babylon dilecta mea*, inquit, *posita est mihi in miraculum.* Dixerat Isa. 21 v. 9. & 4. c. 13. v. 19.
verò etiam supra Propheta onus Babylonis inclamans. *Erit Babylon illa gloriosa, in regnis inclyta, superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec Pastores requiescent ibi. Sed ibi requiescent bestiæ, replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones & syrenes in ludibriis voluptatis.* Quæro igitur à Spalatensi, num post hoc Babylonis excidium prædictum, post captam & direptam Babylonem à Medis & Persis, vrbs amplius non fuerit Babylon, num etiam hodie non extet? Certè florentissimam fuisse post acceptam à Medis & Persis cladem, historiæ loquuntur. Itaque implendo oraculo sufficit vastatam fuisse, prioribus ornamentis nudatam, & in alium iam statum commutatam fuisse. Cùm igitur non minores clades à Vvandalis & Gothis acceperit Roma, quàm à Persis & Medis acceperit Babylon, an aliquid deesse videbitur firmando oraculo, quod cecidisse eam significat, an non priore illo statu florentissimo excidisse, cecidisse est? Et præterea constat veterem Romam planè abolitam & extinctam, ac veluti in nouam vrbem veteres migrasse colonos: frustra enim iam Romæ, nisi in ruderibus Roma quæritur. Immanior ergo sit Spalatensis, qui post tot superba ædificia diruta, post tot templa solo æquata, post tot altaria effossa, tantam potentiam extinctam, post incensas tot Heroum domos, post expilatas tot opes, post tantũ cruoris effusi, post dissipata omnibus terrarum locis pulcherrimi Imperij membra atrociores adhuc vindinctas spiret, nec adhuc satis flagellatam Romam putet. Quod verò attinet ad *purpuratæ meretricis* nomen, haudquaquam, quod indocti & hæretici somniant, illo epitheto nostrorum Cardinalium amictus notatur: sed alludit Hieronymus ad Imperatorum & Magistratuum Romanorum purpuram; namque purpura antiquitus erat insigne Romanorum Magistratuum, in vsuque erat Imperatoribus, Regibus, iisque qui apud Principes cæteris dignitate anteirent. De Magistratibus extat illud Martialis,

Diuisit nostras purpura vestra togas.

Et norunt Docti dictam etiam purpuram Megalensem, quod ludi Megalenses Diis magnis, potissimùm verò Matri Deorum consecrati, olim celebrati sint Romæ, Magistratibus purpuratis in toga atque prætexta. Itaque Hieronymus *purpuratam Meretricem* Romam vocat, à purpura Imperatorum & Magistratuum. Quod autem, vt ad Spalat. reuertamur, vrget *nondum impletas Prophetias quæ excidium Romæ minentur, quod adhuc non ceciderit Roma, cùm tamen dictum sit, Cecidit Babylon*, etiam nostram sententiam firmat, & præterea qui Romam Ethnicam intelligunt, respondere possunt cecidisse *Babylonem*, quod Roma pristino statu suo omninò exciderit, Imperioque quod diu continuit, spoliata fuerit; quibus addi potest, amplius septicollem non esse quò Sectarij *septem reges*, & *septem montes*, & *septem capita* perperam referunt: namque populus Romanus non iam in septem collibus habitat, sed in campo Martio suas sedes habet. Sed de his plura alibi, nec cum omnibus Spalatensis, monstris hîc luctari animus nobis est. Sed & quæ ex suo cerebro aduersum perpetuò duraturã Ecclesiam Romanam profert, adeò sunt absurda, vt refutatione non indigeant. Lo-

cus ex Epistola posteriore ad Thessalonicenses, de discessione primùm ventura, quàm Imperij Romani dissolutionem interpretatur, adeo obscurus visus est Augustino, vt quid voluerit dicere Augustinus, se nescire sit professus. Sed quàm

SPALAT. Num. 29.

facetus est Spalatensis, in enumerandis decem Regibus, quos Antichristo operam suam locaturos, ac postmodum *repudiata eius obedientia* Romam euersuros, Apocalypsis loquitur: Scilicet potentissimos Reges Franciæ, Hispaniarum, Lusitaniæ, Angliæ, Daniæ, Germaniæ, Hungariæ, & Poloniæ, vtriusque Siciliæ, Principes Italiæ, quos vnum regem facit, indignis modis traducit, maiestatemque eorum violat, membra Antichristi, & bestiæ, atque purpurati scorti procos illos describens. *Et ausus erat dictis Reges, lacessere Thersites.* Sed quam vitiosa collectione; namque primùm Lusitaniam, & vtramque Siciliam ad vnum Hispaniarum Regem pertinere haud obseruat, Imperatorem Regem Hungariæ esse non aduertit, ac præterea Principes & Potentatus Italiæ, vt loquitur, prodigioso exemplo, pro vnico rege numerari posse asseuerat; ita

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Vt emissarios suos cogat, qui Romam funditùs euertant; Mihi certè Elleboro

SPALAT. Num. 30.

purgandus videtur, potiusquam refellendus. Sed instat Spalatensis: *Quomodo ergo*, inquit, *sermo hic ad Romanam Ethnicam potest pertingere? Fuit bestia & non est.* Ad primum responderent, qui Romam Ethnicam intelligunt fuisse bestiam & non esse, quia vt dicebamus florentissimo suo statu excidit magna conuersione, tum in vrbe, tum in Imperio facta; sic in eodem libro Apocalypseos ait sacer

Apocal. 21.

Euangelista: *Vidi cœlum nouum & terram nouam, prius enim cœlum & prior terra iam abijt:* quod nimirum tum cœlum, tum terra in alium statum iudicij tempore promouenda sint, non quod planè sint desitura. Ad secundum ex historiis constat omnino, veterem Romam fœderatos habuisse multos Reges, quorum opera vteretur ad potentiam augendam, & parentis eloquentiæ pro Rege labo-

Cice. Orat. pro Rege Deiotaro in fine orat.

rantis vox est: *Semper Regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit, sociorum verò & amicorum, sanctissimum.* Quod attinet ad illa verba, *Exite de ea populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Quæ etiam obiicienda censuit Spalatensis, Respondit Augustinus vnà cum reliquis orthodoxis in collatione Carthaginensi, id à bonis præstari, non corporali segregatione, sed spiritali vitæ dissimilitudine, & morum diuersitate. *Eo modo*, inquit, *obediunt boni præcepto dominico, quo ait discedite, inde & immundum ne tetigeritis:*

Aug. contr. Donat. post collationē to. 7. c. 5.

Nam, inquit Augustinus, *qui hoc non spiritualiter obseruandum putant, arrogantia vanitatis in illud incidunt, quod per eundem Prophetam detestatur dicens, Qui dicunt, noli me tangere, quoniam immundi sunt, hi fumus indignationis meæ.* Quod verò opponit Spalatensis Anselmum locum Apostoli, *qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*, intellexisse de sancta & necessaria separatione; separatione inquam corporali qua Ecclesiæ à Romano Pontifice deficiant, ob iniquitates Ecclesiæ Romanæ, coniectura est nullo Scripturarum, aut Patrum præsidio fulta, & supra Spalatensis discessionem ab Apostolo prædictam, communi Sanctorum interpretatione Imperij dissolutionem, & dissipationem significare asseuerabat. Neque verò Anselmus vir sanctissimus & innocentissimus, Ecclesiæ ve-

SPALAT. Num. 28.

ræ Catholicæ filiis persuasisset vnquam, quod facere molitur Spalatensis, vt ab Ecclesia Romana refugerent, & sanctam sedem pro qua ille tot subiit labores desererent, ac præterea mores attingit non doctrinam, quod etiam facit Hieronymus, de quo rursus nobis dicendum. *Ecclesiam profectò Romanam*, inquit

Spa-

Spalatensis, *Hieronymus Babylonem vocauit; & meretricem purpuratam, & ollam à facie Aquilonis ardentem: Ecclesiam, inquam, non vrbem; quia Babylonis Senatum, hoc est viros Ecclesiasticos, Senatum vocat Pharisæorum & imperitorum, quæ aduersus ipsum coniurauerat; Coniurauerant autem Clerici, non Curia Cæsaris Capitolina. Et hanc ipsam factionem vocat ollam ardentem. Ex eadem Apocalypsis Prophetia alibi idem Hieronymus, miserandum eidem Romanæ Ecclesiæ interitum asserit imminere: Lege, inquit ad Marcellam, Apocalypsim Ioannis; & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus; & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna; & facta est habitatio dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi. Et quamuis excipiat separetque, ibidem Hieronymus sacra à profanis; in ipsis tamen rebus Ecclesiasticis & sacris, iam tum videbat, nescio quid Babylonicum redolere: Est quidem ibi, inquit, sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & Martyrum; est Christi vera confessio; est ab Apostolo prædicata fides; & gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum. Sed ipsa ambitio potentia, magnitudo vrbis; videri & videre; salutari & salutare; laudare & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre, à proposito Monachorum, & quiete aliena sunt. Indicat mores sæculares, inter Christianos quoque & Religiosos, iam tum inualuisse. Neque negat eidem ciuitati, quantumuis tunc Christi confessione & deuotione satis celebri, vltimum exitium ex Apocalypsis Prophetia imminere: & de illa audiendum esse ait, Cecidit, cecidit Babylon magna; futuramque dæmonum habitationem, indeque lapsu irreparabili casuram. Quamuis pœnas hasce ei imminentes eam vitare posse asserat; si Niniuitarum instar ad pœnitentiam confugiat. Maledictionem, inquit, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.* Ad primum respondeo Hieronymum subiratiorem Clericis Romanis, qui mortuo Damaso Pontifice sanctissimo, & Hieronymi amantissimo, eius scripta mordere ac reprehendere ausi essent, eis Babylonios mores tribuisse, nimirum quod inuidia & odio flagrantes, quasi coïtione facta illum perdere statuissent. Eorum itaque causa in vrbem quam incolerent, inuehitur, *Babylonemque* vocat, ac *purpuratam meretricem*, scilicet alludens ad priorem statum vrbis Romæ, cùm nondum scriptam in fronte blasphemiam aboleuisset, quod nimirum illorum, vt vocat Pharisæorum mores, potius Babylonis incolas referrent, quàm Ecclesiæ ministros; vnde & eam factionem, *Ollam à facie Aquilonis ardentem*, vocat: sed hæc ad peccata pertinent & vitia hominum, non verò sacrum ministerium attingunt. Et vt intelligas de vrbe illi sermonem esse, non de Ecclesia, Babylonem dicit, in qua *iure Quiritum viueret*; atqui non in Ecclesia, sed in vrbe Roma *iure Quiritum* viuitur: item *Romuli & ludorum lupercalium*, & eius loci meminit, *qui fratris genuit paricidam*, quæ omnia nemo est tam cœcus, qui non videat non ad Ecclesiam, sed ad vrbem pertinere. De loco Epistolæ ad Marcellam diximus suprà, ac ostendimus idcirco *Babylonis* meminisse, & *purpuratæ meretricis*, cùm Roma Hierosolymam accerseret Marcellam Monachorum institutum professam, vt significaret magnam vrbem confusionis plenam minus commodam esse proposito, quod illa esset amplexata; quippe in qua sese efferret ambitio in illa hominum frequentia, quæ etiam inuitos pro-

Spalat. Num. 32. Hier. præf. in lib. Didy. de sp. s. Hierem. 1.

Hier. ep. 17.

Hier. ibid. & ep. 18.

Hier. adu. Iouin. l. 2. in fine.

fanis congressibus implicaret. Exitium verò illi imminere, nisi exemplo Niniuitarum pœniteat, prædicit, peccata hominum notans non authoritatem Ecclesiasticam conuellens: *At*, inquit Spalatensis, *si Roma adhuc Imperatores haberet, quantumcumque Christianos, vt erant tempore Hieronymi, causam excidij Romani fortè tribueremus iniquitatibus ipsorum Imperatorum, & curiæ ac sæcularium prorsus mundanè viuentium; & regentium; ipsis enim, vt patet Hieronymus, excidij futuri causam putauit esse tribuendam: cùm tamen iam Roma non sit amplius Imperatorum, nec sæcularium, sed tota Ecclesiasticorum & Curia Ecclesiastica; quis non videt è sacrario ipso malum erumpere? Et meretricium Romæ, non in regimine Imperiali, sed in Ecclesiastico exercendum? Paulinus quoque ruinam Romanam in Apocalypsi prædictam ex Curia Imperiali, & sæcularibus orituram existimauit, ait enim; Poteras Roma, intentas tibi illas in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent numera senatores tui.* Respondeo & Ecclesiæ Ministros suos habere næuos, sua peccata, ob quæ in vrbem desæuiat ira diuina adeoque in ipsos Ministros sceleribus contaminatos, iuxta illud, *A sanctuario meo incipite*, Sed oraculum est diuinum: *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, &c. visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam, &c.* Rectè verò Paulinus *conijciebat ex Imperiali aula, & ex secularibus ruinam Romanam orituram*, quod nimirum clades quas accepit, & quibus penè tota est deleta: idcirco ei euenerint, quod, vt est in Apocalypsi, *peruenissent peccata eius vsque ad cælum: & recordatus Deus peccatorum eius, eam perdere statuisset.* Quare in eadem Apocalypsi dicitur: *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini, in die indignationis iræ eius.* In memoriam venit, quia veterum eius scelerũ, id est cultus idolorum, immanium superstitionũ, sæuitiæ & crudelitatis in Martyres recordatus, pœnas de ea sumere statuit, reliquiis impietatis & ambitionis adhuc in ea grassantibus. Sic post multa sæcula sanguinem seruorum suorum, qui Hierosolymis effusus fuerat, vltus est Deus. Quod attinet ad nomen *filiæ Babylonis*, Cardinalis Baronius ponderans verba Paulini, de filia Babylonis quam Romam intelligit, hæc habet: *Quam*, inquit, *vrbem, cùm sic nominet filiam Babylonis, vt tamen in pluribus dicat eam præ se ferre filiam Sion, facile puto intelligit, ea nominis vnius vrbis varietate discriminatos esse Gentiles à Christianis; nimirum vt ea ex parte Roma Babylon dicatur, vbi adhuc in ea Gentilitia vigeret impietas, Sion autem in pluribus, vt pote quæ Christianis abundaret, in quibus cultus religionis verè micaret.* Heribertus verò Rosueydus curiosus antiquitatis indagator, qui vnà cum nostro Frontone Ducæo altero Societatis Iesu nobili ornamento, Paulinum commentariis illustrauit, aliò nomen filiæ Babylonis refert: *Existimo*, inquit, *potius Romam hoc tempore dictam Paulino Babylonem, vti & Hieronymo, ratione turbarum & illecebrarum, quarum Romæ magna erat copia, cùm Hierosolymis quies esset, vt clarè hic Paulinus. Ita Hieronymus Epistola 17. ad Marcellam, quam nomine Paulæ & Eustochij conscripsit; vt eam Roma Hierosolymam euocaret, proponit ei tumultus vrbis. Idem facit Epistola 18. quam suo nomine ad eandem Marcellam scribit.* Sed quocunque sensu accipiantur illa verba, faciunt sequentia ad laudem vrbis Romæ; *Quia iam*, inquit Paulinus, *& ipsa vrbs in pluribus filia Sion est, quàm filia Babylonis, & ideo miratur in humilitatis obscuro, & veritatis luce viuentem* (Mileniam intelligit) *& fidei incitamenta diuitibus, angustiarum solatia pauperibus ministrantem.* Cæterùm Paulinus apertum discrimen ponit inter filiam Babylonis

[Margin notes: Spalat. Num. 33. — Paul. ep. 31. — Psal. 88. — Spalat. Eod. nu. 33. — Apocal. 18. — Apocal. 17. — Tom. 4. an. 397. — Rosueydus ad ep. 10. Paulini. — Paul. ep. 10.]

nis & filiam Sion, nec vnquam filiam Sion in Babylonem euasuram dicit. Per *filiam Babylonis* sceleratos quoscunque Romæ agentes intelligit, per *filiam Sion* autem probos quoque, & pios, & religiosos, quos audituros dicit: *Exite de ea popule meus*, vt scilicet, quod monebamus ex Augustino, *spiritualiter* separentur, nec se contagione sceleris improborum, aut polluant, aut implicent, non verò vt corpore etiam eam deserant. Sed quàm lepidus est Spalatensis, & suauis concionator, qui Ecclesiam Romanam adhortetur, vt primatui nuntium remittat, quo iram Dei effugiat, quam in procinctu esse eique imminere vaticinatur. Leuis & vecors homo! Sed te sisto, pie & cordate lector, an non meministi verborum Christi, hypocritam pingentis, qui festucam in alieno oculo videat, trabem verò in suo non deprehendat? Iste disertus monitor priora Apocalypseos capita, quæ ad eum pertinerent, quippe in quibus improborum Episcoporum mores notantur, præteruolauit; nec sibi dictum aduertit, quod est scriptum Angelo, hoc est, Antistiti Sardicensi, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es, pænitentiam age.* Illud quoque Laodicensi rescriptum: *Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ, scribe: Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei: scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: quod Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ac sibi in posterioribus capitibus, quæ inuolucris plena in peruersum sensum aduersus Ecclesiam trahi possunt, acquiescendum sibi putauit, & figuris ludens, fræna linguæ laxauit, vt tum Ecclesiam Romanam, tum Pontificem, tum reliquos Ecclesiæ ordines affligeret, ac perderet. *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo.* Apocal. c. 3.



DISCVSSIO QVARTI CAPITIS LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Constantinopolitanorum Antistitum ambitus, occasionem præbet Mahometanis inuadendi nobilissimi Imperij, eos tamen excusare conatur Spalatensis, totamque afflicti Christiani orbis causam in Ecclesiam Romanam confert: Vt Constantinopolis veterem Romam potentia æquauerit, tamen primatum Ecclesiasticum sibi vendicare non potuit: Gelasij & Leonis: Furtiuus Canon Constantinopolitanus, à Spalatensi citatus, examini subiectus: à Cyzicenis Episcopis repudiatur Cyzicus Metropolis: Theophili Alexandri Patriarchæ factum expenditur: Legatorum Pontificiorum aduersus hoc decretum exceptiones: Baronius defensus: Suspicio fraudis in publicatione Canonis: Nunquam permissum Canones sancire Ecclesiæ præter sententiam Pontificis: In præiudicium Alexandrini Concilij conditus: Eius promulgatione violati Canones Nicani: Eius causa plures à Romano throno, & Antiocheno Diæceses auulsas: Concilium primum Constantinopolitanum beneficio Pontificis Oecumenicum: Eius Canon in gratiam Antistitis Constantinopolitani cusus, à Pontificibus explosus: In Concilio Chalcedonensi sanciri non potuit illud decretum: Vitia decreti Chalcedonensis, non Concilij, sed Clericorum Constantinopolitanorum opera inuectum: Hoc fatetur Anatolius: Hora minus apposita editus Canon, & absentibus Legatis Pontificis: A solis Antiochenis & Constantinopolis circumuicinis Episcopis procusus, qui Episcopi adduci potuerunt, vt subscriberent: Duæ ab eis corruptelæ in Canonem Constantinopolitanum inuectæ: Eusebij Dorylæi impostura: Leo hunc Canonem semper auersatus est: Ne publicetur intercedunt Legati Pontificis: Eum obliterat ac damnat Leo: Anatolij fraudes pro eo extorquendo, quem tandem sui delicti pœnitet: Haud citra fraudem Chalcedonensibus insertum furtiuum decretum: Soluuntur obiectiones pro vsu & praxi Canonis: Pontus & Asia ante Chalcedonensem Synodum ad Constantinopolitanum Episcopum non pertinuerunt: Quamquam in eas Prouincias aliquando inuolarunt: Legem sanciendo Canoni per fraudem à Theodosio Atticus extorsit: Cyzicenorum factum rursus expenditur: Aliæ Spalatensis obiectiones depelluntur: Leo contra Spalatensis calumnias defensus: Patribus Chalcedonensibus Pontifex caput Ecclesiæ, iure diuino: Hormisdas Pontifex declaratus: De Epiphanio Episcopo Constantinopolitano: Temporum iniuria, & Imperatorum fauorem secundi Patriarchæ locum inuasit Antistes Constantinopolitanus: Primatus Pontificis de iure diuino: Nugæ Spalatensis in soluendis nostrorum argumentis detectæ & profligatæ: Leo Imperator precibus Leonis adductus Ecclesiæ Alexandrinæ prospicit: Gelasius propugnatus contra magnitudinem vrbium: Gregorij moderatus animus, nihil tamen de dignitate remittit: Græcorum de primatu Romano falsa vaticinia: Ecclesia Constantinopolitana Romanæ semper subiecta.

TRES



TRES duntaxat Patriarchales sedes in toto Romano Christiano orbe agnouit Antiquitas; quia tres duntaxat fuerunt in Romano Imperio adolescente Ecclesia, vrbes maximè insignes, & dignitate seculari celeberrimæ: vt ostendi lib. 3. c. 10. Romana, Alexandrina, Antiochena, cùm nondū Byzantium fuisset imperij sedes & noua Romana. Postquam verò Byzantium facta est Constantinopolis & noua Roma, Imperijque Romani sedes; sicut æquum fuit ita, & placuit Patribus Concilij primi Constātinopolitani Oecumenici, Constantinopolitanam Ecclesiam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare; proximumque post Romanā dignitatis locum, supra alias duas, ei tribuere; & consequenter primum locum dignitatis, inter Ecclesias omnes Orientales illam habere voluerunt, idque huiusmodi dato Canone sanxerunt: Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma. Prius enim Byzantius Episcopus, si Gelasio credimus, ne Metropolitanus quidem erat; sed Heracleensis Metropolis Suffraganeus. Quanquam ipsa Byzantina Ecclesia Apostolicam sedem se habere soleat gloriari: Cui, siue Petrus primos dederit Episcopos sicut Alexandriæ, vt contendit Baronius ex quadam Agapeti Epist. in 5. Synodo generali lecta, siue Andreas, primus eam fundarit Ecclesiam, vt Græcorum volunt historiæ in Menologio, & vterque Nicephorus Constātinopolitanus in suo Chronico, & Calistus in sua historiæ lib. 8. c. 7. Vnde & Sergius Patriarcha, in ipsa sui promotione ad Constantinopolitanam sedem, preces Theodori Syceotæ postulabat, vt diuina gratia Episcopatu, & Apostolica sede dignus efficeretur. Neque verò negare possumus Cōstantinopolim, postquam sedes Imperialis facta est, ad maximam celebritatē & potestatem deuenisse, & Romana vrbe iam depressa, supra illam plurimùm caput extulisse. Nazianzenus sanè de Byzantio ait: Quæ nunc ciuitas in Europa præcellit vniuersa. Et: Ciuitatem Orienti præsidentem, vocat idem. Magnam, Regiam, vrbem, primam ciuitatū vocant Monachi Orientales ad Agapetum scribentes. In ea totius orbis populi aderant: Ac proinde, sicut prius Romana, dum esset & nomine, & re caput orbis, ipsum orbem instruebat in fide, vt suprà considerauimus; sic postea fecit Ecclesia Constantinopolitana: Magna reuera ciuitas, inquit Chrysostomus, ac totius orbis Metropolis: Quot Episcopi, quot Doctores huc venerunt, & à populo docti discedunt, ac legem illam non scriptam, sed cordibus insitam, hic discunt? Iam enim, inquit Sozomenus, non modò hanc appellationem (nouæ Romæ) vrbs ea adepta erat, Senatuque & ordinibus, & Magistratibus consimiliter vtebatur; verùm & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter, atque honores vtrimque in omnibus congruebant. Hæc sanè Patres illos permouerunt, vt Patriarchali & honore & officio in paritate cum ipsa Roma veteri ipsam Constantinopolim decorarent. Ea profectò vsi ratione, vt ipsimet innuunt in suo Canone, & explicat in parte Sozomenus; nimirum quandoquidem Roma vetus propter dignitatem duntaxat Imperialem in ea residentem, habuit suum Episcopum Patriarchali summa dignitate Ecclesiastica, cū tot priuilegiis & prærogatiuis eminentem, cùm iam Constantinopolis ad eandm Imperialem peruenit dignitatem, cum omnibus Imperialis residentiæ ornamentis, par omnino est vt ipsa quoque habeat suum Episcopū, Episcopo Romano in omnibus priuilegiis & prærogatiuis æqualem. Et ita reuera magnum illud Concilium Oecumenicum totam Romani Pontificis præeminentiam, ab ipsa sola Imperialis ciuitatis dignitate profectam cognoscit, & profitetur. Indeque iam parem voluit esse Romano Constantinopolitanum, in dignitate, humanisque priuilegiis & prærogatiuis.

Spalat. Num. 1. Conc. Constant. 1. c. 5. Gelas. ep. 11. Baro. to. 1. an. 44. n. 12. Apud Suriū die 22. Apr. in Theod. Naz. orat. in fun. Cæsi Id. orat. de laud. Basilij In Syn. Cōstant. sub Mana. act. 1 Gesta Agapeti apud Baro. to. 7. an. 536. n. 66 Chry. ho. 4. in verb. Isa. Vidi Dominum. Sozom. l. 7. c. 9.

Apud Stobæū ſer. 10.



ERE omnino à Timone illo hominum exoſore, στοιχεῖα τῶν κακῶν εἶναι ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν: *elementa malorum eſſe inſatiabilitatem & ambitionem*, pronunciatum fuiſſe, vel Antiſtitū Conſtantinopolitanorum exemplo docetur, quorum ambitione factum ſit, vt penè regno ſuo exciderit Chriſtus, & ampliſſimo orbis terrarum patrimonio ſpoliatus fuerit, ſiquidem dum æquari Romano Pontifici per fas & nefas cōtendunt, diſſidiaque ac ſchiſmata in Eccleſia ſerunt; occaſionem præbent Mahometanis inuadendi nobiliſſimi imperij, totoque Oriente Eccleſias populādi, ac pulcherrimi imperij membra diſſipandi. Scelestas eius cupidines accendit, & inflammauit vrbis ſplendor, in qua cùm rerum Domini Imperatores regnarent, ſedemque Imperij feciſſent: par quoque illis exiſtimarunt ad eam ſummam rerum Eccleſiaſticarum ſaltē toto Oriente reuocari, vt eius Epiſcopus *Oecumenicus* etiam diceretur. Hinc tot Orientis clades, hinc totius ferè orbis Chriſtiani exitium, & veluti fatalis ruina, vt mirari ſubeat, repertum, qui improbos illos conatus, quos ambitio rerum humanarum & diuinarum pernicies, flamma, & peſtis ſuaſiſſet, ſuggeſſiſſet, ac perſuaſiſſet, defenderet: ac etiam in cœlum laudibus extolleret, vt innocētes tot cladium inuidia oneraret. Id tamen odiorum in Pontificem rabie accenſus præſtitit abundè Spalat. ſuſcepto Conſtantinopolitanorum Antiſtitum patrocinio: toto enim hoc capite cauſam illorum agit, Pontifices etiam ſanctiſſimos lacerat, in his Leonem & quid non molitur? vt afflicti orbis Chriſtiani culpam in Eccleſiam Romanā totam conferat. Rem igitur ab ouo repetit, & vt ambitum Conſtantinopolitanorum propugnet, craſſiſſimum mendacium fundamenti loco ponit, atque vnam vrbis dignitatem Romæ primatum aſſeruiſſe contendit, vt ſcilicet tranſlati ad ſe Imperij iure, Conſtantinopolis parem ſibi omninò authoritatem vindicare, & potuerit, & debuerit; ſed hoc putidum commentum in ſuperioribus refellimus. Sit igitur Conſtantinopolis poſtquam Imperij ſedes facta eſt, ad maximam celebritatem, vt contendit Spalatenſis, euecta, antiquam Romam potentia & maieſtate æquauerit, ac meritò cecinerit Nazianzenus:

Greg. Naz Carm. de vita ſua.

Δύω μὲν οὐ δίδωκεν ἡλίους φύσις, Δισσὰς δὲ Ῥώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης Λαμπτῆρας, ἀρχαῖόν τε καὶ νέον κράτος.

Natura binos haud quidem ſoles dedit:
Dedit ipſa binas attamen (mundi faces)
Romas, vetuſtam ſcilicet, Romam & nouam.

Rurſus *ciuitatem Orienti præſidentem* vocarit, ac *magnam Regiam vrbem, primam ciuitatum Orientis*, Monachi nuncuparint, ipſeque Chryſoſtomus *magnam reuera ciuitatem, ac totius orbis Metropolim dixerit*. Quid hæc ad Primatum Eccleſiaſticum ei aſſerendum, aut conciliandum faciant? An ſeculari potentiæ iura ſubſternuntur diuina? An ab illa pendent, aut ab ea vim conſequuntur? Riſit hanc Græcorum vanitatem in Acatio magnus Pontifex Gelaſius: *Riſimus autem*, ait, *quod prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium apud Treuiros, multis temporibus non conſtitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes, vltra menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? &c.* Et rurſus: *Si certè de dignitate agitur ciuitatum, ſecundæ ſedis, & tertiæ maior eſt dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non ſolùm inter ſedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur, nam quod dicitis regiæ ciuitatis, alia poteſtas eſt regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præſentis regni non minuit, ſic Imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat. Sit clara vrbs illa poteſtate præſentis Imperij, Religio tunc ſub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta conſiſtit.*

Epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ.

ſtit: *Si potius hoc præſente propriam teneat ſine vlla perturbatione menſuram*. In ipſo etiam æſtu concertationis, cùm Anatolius ſecundũ à Romano Pontifice locum ſibi aſſerere Martiani Imperatoris authoritate eniteretur, planè ſimilia ad piiſſimum Imperatorem perſcripſit Leo: *Habeat*, inquit, *ſicut optamus Conſtantinopolitana ciuitas ſuam gloriam; at protegente dextera Dei, diuturno clemẽtiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen eſt ratio rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam Petram quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit, vlla conſtructio. Propria perdit, qui aliena cõcupiſcit. Satis ſi prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcopatũ tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem, nec vllo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſiones augeri.* Sed inſtat Spalatenſis, & furtiuum ac ſubdititium Canonem profert, quo ſe tueatur probetque ſplendorem ciuitatis Conſtantinopolitanos Patres permouiſſe, vt depreſſis Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, ſecundum à Romano Pontifice locũ, aliis loco pulſis aſſererent, ſanctionemque æquitatis plenam prædicat: *Sicut æquum fuit*, inquit, *ita & placuit Patribus Concilij primi Conſtantinopolitani Oecumenici, Eccleſiam Conſtantinopolitanam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare, proximumque poſt Romanam dignitatis locum, ſupra alias duas ei tribuere, & conſequenter primum locum dignitatis inter omnes Eccleſias Orientales illam habere voluerunt; idque huiuſmodi dato Canone ſanxerunt: Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem, poſt Romanum Epiſcopũ, propterea quod ſit noua Roma.* Addit verò Spalatenſis: *Viſa ſunt*, inquit, *hæc adeò iuſta, adeoque rationabilia toti tũc Eccleſiæ vniuerſali, vt nemo inuentus ſit per octoginta fermè annos, cui decretum hoc conciliare, in tantæ Eccleſiæ decus, & authoritatem factum, aut iniquum, ac indecens videretur; quive illud non, vt optimum, & æquiſſimum amplecteretur. Quis enim ante Leonem ei obſtitit? Et tamen aderant, cùm Alexandrinus Timotheus, tum Meletius Antiochenus, tum etiam Cyrillus Hieroſolymitanus; vt ex ſubſcriptionibus eiuſdem Concilij Patrum eſt manifeſtum, qui quia id æquum eſſe animaduertebant, tametſi ageretur de eorum præiudicio, quibus ipſe Conſtantinopolitanus præferebatur; nihilominus tamen plenè in ipſum decretum cõſenſerunt, eique ſubſcripſerunt.* Reſpondeo non vnum Leonem, cùm Antiſtites Conſtantinopolitani hoc Canone freti caput extulerunt, reclamaſſe; verùm etiam & alios in quos attributam ſibi poteſtatem exerere conarẽtur. Exemplo ſint Cyziceni, de quibus Socrates: *Mortuo*, inquit, *Cyzicenorum Epiſcopo, Siſinius Proclum Cyzici Epiſcopum deſignat. Quem ad illam vrbem profecturum anteuertunt Cyziceni, Dalmatiumque Monachum Epiſcopum ordinant. Hoc ab illis factũ eſt, neglecta illa lege, quæ iubet, ne quis Epiſcopus deſignetur, abſq; ſentẽtia & authoritate Epiſcopi Conſtãtinopolitani. Legem autẽ propterea neglexerũt, quod Attico ſoli* (*vt illi putabant*) *nominatim authoritatẽ illam concederet. Proinde Proclus cũ ſuæ ipſius Eccleſiæ adminiſtrationẽ non obiret, in Eccleſiis Conſtãtinopolis manſit: in quibus docẽdo permagnã laudem adeptus eſt.* Et quidem aduerſus Spal. hoc obſeruandũ ex Notitia Imperij, & alia Notitia Epiſcopatuũ, Cyzicũ inter Metropoles numerari. Quare inter ſubſcriptiones Patrum Chalcedonẽſium recenſetur Diogenes Epiſcopus Metropolis Cyzici: *Diogenes Epiſcopus Metropolis Cyzici, definiẽs ſubſcripſi.* Sic etiam apud Curopalatem Andronicus Palæologus ſenior, Expoſitione quo ſe ordine habeant ſubiectæ Metropoles throno Patriarchæ Conſtãtinopolitani. *Metropolitanus*, inquit, *Cæſareæ, Epheſi, Nicomediæ, Heracleæ, Ancyræ, Cyzici, &c.* Infra verò ipſe Curopalates enuntians thronos honoratiſſimos, quorũ Me-

Leo ep. 54. Ad Martia. Aug.

Spalat. Num. 1.

Spalat. Num. 2.

Socrat. l. 7. c. 28.

Τοῦ Κυζικηνῶν ἐπισκόπου τελευτήσαντος, ὁ Σισίννιος Πρόκλον ἐχειροτόνησε πρὸς ἐπισκοπὴν τῆς Κυζίκου. μέλλοντος οὖν αὐτοῦ ἄγειν ἐπ᾽ αὐτήν, φθάσαντες οἱ Κυζικηνοί, καὶ χειροτονοῦσιν αὐτοὶ ἀσκητικόν, ᾧ ὄνομα ἦν Δαλμάτιος. καὶ τοῦτο ἐποίησαν, ἀμελήσαντες τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως χειροτονίαν ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι.

Act. 16.

Διογένης ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Κυζίκου, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Curopal. de offi. Conſt. p. 220.

Ὁ Καισαρείας. ὁ Ἐφέσου. ὁ Νικομηδείας. ὁ Νικαίας. ὁ Ἡρακλείας. ὁ Ἀγκύρας. ὁ Κυζίκου.

Curop. ibi. p. 230. & 231.
Ὁ Ἀγκύρας, ἔξαρχος πάσης Γαλατίας. ὁ Κυζίκου, ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου.
Flor. l. 3. Epitome hist. de bello Mithrid.
Zonar. in Cōc. Chal. Can. 28.
Ταῦτα περὶ τῆς τιμῆς καὶ τῶν πρεσβείων διαταξαμένη ἡ ἱερὰ σύνοδος τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοπόλεως ταύτης διαλέγεται, ὡς περὶ τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ διοικήσεων, καὶ ταύτας εἶναί φησι, τὴν Ποντικὴν, καὶ τὴν Ἀσιανὴν, καὶ τὴν Θρακικήν. ὧν δὴ διοικήσεων, καὶ τὰς χειροτονίας τῶν μητροπολιτῶν μόνων ἀνατίθησι τῷ Κωνσταντινουπόλεως. εἴρηται δὲ τὸ μόνων, ἵνα μὴ καὶ τὰς τῶν ἐπισκόπων χειροτονίας ἐπιτρέψωσι τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ.
Spalat. Num. 21.

tropolitas Principes Græci vocant. *Ancyra*, inquit, *Princeps totius Galatiæ. Cyzici, Princeps totius Hellesponti.* Ac certè Florus Cyzicum nobilissimam vrbem, ac propterea hoc honore dignissimam describit. *Cyzicum*, inquit, *nobilis ciuitas, arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ littora illustrat: hanc ille* (Mithridates) *quasi alteram Romam toto inuaserat bello.* Vt proinde ius Constantinopolitano Patriarchæ fuerit ordinandi illius Episcopi, si modò Canoni Constantinopolitano sua authoritas constabat. Hoc enim Concilio Chalcedonensi, etiam sancitur, quo renouatum Canonem Constantinopolitanũ contendit Spalatensis. *His*, inquit, *de magnæ ciuitatis loco, & honore à sacra Synodo constitutis, Diœceses quoque, Ponticam, Asianam, Thraciam, eiusdem vrbis imperium agnoscere, earumque Metropolitanos Constantinopolitani Patriarchæ authoritate constitui iubet. Sed solos, inquit, Metropolitanos, ne Episcopos quoque alios creandi ius Constantinopolitanus sibi quandoque Antistes assumeret: nam id quidem, eorum Metropolitanis, quos penes antea quoque fuerat, est relictum. Idcirco namque etiam verba illa in Canone adiuncta, quibus ab vnoquoque Metropolitano Episcopos Prouinciæ suæ, alijs quoque adhibitis eiusdem Prouinciæ Episcopis, creandos esse declaratur. Sed tamen earũ quoque Diœcesium Episcopos illos, qui apud barbaras nationes degunt, quales Alani sunt, & Russi, illi quidem Pontice Diœcesi, hi verò Thraciæ adiuncti, à Constantinopolitano Præsule renunciari permissum. Verũ ne à diuinis Patribus, quæ ad creationem Metropolitanorum pertinent, vniuersa Constantinopolitani authoritati concessa esse putarentur, vt ipsi quæcunque collibitum esset, pro potestate statuere liceret idcirco, ab illo quidẽ, sed consentientibus tamen aliorũ suffragijs, atque ad eum delatis, Metropolitanos creandos esse decernũt.* Quare cũ legem qua ad postulationẽ Sisinij Theodosius Iunior eius Canonis vsum vrgeret Cyziceni Episcopi repudiarint, ac morẽ gerere, renuerint causati in vnius Attici gratiam ab Imperatore latam, argumento est non obtinuisse Canonem. Abeunt itaque in fumos, quæ ad hãc Socratis narrationem commẽtatur aduersarius: sed & Constantinopolitanum Antistitem secundos à Romano honores nactum non fuisse, ex eo validè probat Baronius, quod Theophilus Alexãdrinus post editum illum Canonem, ius sibi illũ ordinandi, tãquam primus Orientis Patriarchæ vendicarit, non enim secũdus Patriarcha à tertio ordinari poterat. Spalatensis obiectionem hanc *exilem esse* pronuntiat. *Quid enim*, inquit, *obstat Primatui Constantinopolitano, si Alexandrinus qui iam erat post illum proximus prætenderet, vacãte prima sede Constantinopolitana, ipsius iuris esse Constantinopolitanum Episcopum ordinare.* Sed quid respondebit ad factum eiusdem Theophili, Constãtinopolitanum Antistitem, Chrysostomum scilicet, exauthorantis ac de sede deturbãtis? Certè si par in parem imperium non habet, multò minus inferior in superiorem; Et quod dicit Spalatensis, *hãc prætentionem*, vt vocat, ex ambitionis spiritu erupisse, obiectionis vim non infringit, neque de iure contendimus, sed de facto, idque tantùm volumus, etiam Orientalibus, non agnitum Antistitem Constantinopolitanum, à Romano Patriarcha secundum. Sed rursus eo Canone passim vsos non fuisse Constantinopolitanos, apparet, tum ex Lucentij Apostolici in Concilio Chalcedonensi obiectione; *Si*, inquit, *hoc priuilegio vsi sunt à tempore Concilij Constantinopolitani, quid nunc requirunt? Si vsi non sunt, quid requirunt?* Tum ex verbis Leonis ad Pulcheriam Augustam: *Superbum nimis est*, inquit, *& immoderatum vltra fines tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietisque* Pro-

Cōc. Chal. act. 16.
Εἰ τούτων ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις τῷ βενεφικίῳ ἐχρήσαντο, τί νῦν ζητοῦσι, εἰ δὲ μὴ κατὰ κανόνας ἐχρήσαντο.
Epist. 58.
Spalat. Num. 16.

Prouinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre; atque vt venerabilium Patrum decreta soluantur, quorundam Episcoporum præferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus, æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere. Verùm de repudiato hoc Canone plura infrà. Nunc est Baronio succurrendum, quem acerbe vexat pseudo-Antistes: *Canonem*, inquit, *nihilominus illum Constantinopolitanum de Primatu eiusdem Ecclesiæ, post mille & ducentos ac vltra annos, primus Baronius suspicatus est, esse commentitium, & suppositum. Suspicionem ei mouerunt hæ rationes: Prima quod Anatolius à Leone per Epistolam 56. exagitatus, nequaquam se authoritate alicuius Canonis, à Constantinopolitano Oecumenico constituti, purgarit. Secunda ratio, quod Episcopi, qui sequenti anno Constantinopoli conuenerunt, in Epistola ad Damasum, nullam mentionem huius Canonis habuerint. Tertia, quod Timotheum Alexandrinum Episcopum, in cuius præiudicium hic Canon editus fuerat, hoc æquo animo sustulisse, non sit probabile. Quare cùm is nihil cōtraxisse legatur, Canonem de fide suspectum esse oportet. Quarta, quod superiori ac præcedenti Canoni aduersari videatur; adeoque fidem omnem excedat, eundem ab eodem Concilio editum fuisse; qua ratione quæso, inquit Baronius, ex præscripto Nicæni Concilij voluit sancta Synodus, quibuscunque Prouinciis iura sua integra esse seruata; si in præiudicium aliarum Ecclesiarum, vni Constantinopolitanæ tanta priuilegia contulit? Suspicio tamen*, pergit Spalatensis, *leuissima est, & prudenti viro, ac in rebus Ecclesiasticis versato indigna. Canonem enim etiam historiæ, vt verum, agnouerunt, illius enim & Socrates, & Sozomenus meminerunt. Et in Concilio Oecumenico Chalcedonensi eiusdem, vt Constantinopolitani Canonis mentio est; Imo & Legati Apostolici fatentur de hoc priuilegio Constantinopolitanæ Ecclesiæ, mentionem in Constantinopolitano Concilio factam perhiberi. Et quotquot ex Romanis Pontificibus contra Constantinopolitanum Primatum insurrexerunt, omnes Canonem quidem vti verum & genuinum agnouerunt, & nemo vt imposturam eum negauit, illum tantum vt iniquum & indebitum ab eis reputatum repulerunt. Et cur, quæso, Ecclesia Romana Canones Concilij Constantinopolitani primi non admisit, ijs solis exceptis, qui aduersus Macedoniū sunt definiti, nisi quia aderat Canon hic de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ? Leo verò, Gelasius, Gregorius, & Nicolaus, qui in Constātinopolitanum Primatum acrius sunt inuecti, de impostura nunquam sunt suspicati; neque est vlla causa id suspicandi. Ad primam rationem respondeo, ex his Leonis Epistolis satis apparere fundamentum totum Anatolij fuisse ante omnia Decretum Constantinopolitanum: Ait enim Leo ad eundem Anatolium scribens; Persuasioni tuæ, in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio. Quis non videt hæc ad Concilium Constantinopolitanum referri? Imo vt inferius ponetur, vnus Episcopus ad hoc missus, hoc idem Decretum Papæ ipsi Romæ intimauerat: qui illud etiam admiserat & approbarat. Ad secundam respondeo de prærogatiua illa noua, Patres illi siluerunt, quia nihil intererat Romani Pontificis, quod Constātinopolitana facta fuisset secunda sedes: Ipsi enim Romano Pōtifici suus ordine primus locus seruabatur. Id tamen factum fuit consentientibus illis, nempè Alexandrino & Antiocheno, quorum intereat, & quibus fiebat aliquod præiudium. Ea itaque sola Romano Pontifici significarunt; in quibus ad vnionem & communionem necessariam ipsius, & totius Occidētis requirebatur consensus; hoc verò priuilegium non erat tāti momenti, vt in eo esset necessarius totius Ec-*

Spalat. Num. 3.

Baro. an. 381 nu. 35. 36. & an. 382. n. 16 Binius notis in Can. 5 Concil. 1. Constan.

Spalat. Num. 4. Socr. l. 5. c. 8 Sozom. l. 7. c. 9. Conc. Chal. C 28. act. 15. Ibid. act. 16.

Greg. l. 6. ind. 15. ep. 31

Leo ep. 56.

Tert. adu. Iud. & l. 3. cõt. Marc. Bel. in App. ad libros de Rom. Põt. c. 6. & Bar. to. 1. an. 44. n. 16. & seq. 1. Pet. 5. & Papias apud Euseb. l. 2. c. 15. & Hie. de Script. Eccl. in Mar. Hier. adu. Iouin. li. 2.

subnecto: tu quaeso eam sedulo considera. Et hanc prophetiam verè de ipsa Romana vrbe ipsiusque potentia, & dominatu proferri ad literam, sicut septem colles & regnum quod tempore Ioannis illa habebat, super Reges terrae, coguntur fateri, ita Tertullianus aperte testatus est, neque negant communiter nostri Theologi & Scriptores: Babylonem enim vocari contendunt Romanam Ethnicam, ex parte Ethnicorũ in ea habitantium, & dominantium; quo eam nomine etiam Petrus (vt ipsi volunt) designauit: Ecclesiam verò quae est in Babylone, intelligi fideles Christianos Romanae vrbis. Fulcrum, vel potius bacillum quale quale ad hoc sustentandum mutuantur ab Hieronymo, Romam sic alloquente: Ad te loquar, quae scriptam in fronte blasphemiã Christi confessione delesti. Horrenda verò illa, quae proferuntur in hac prophetia aduersus Romam, ad persecutionem Antichristi referunt sub finem saeculi peruentura. Hæc sunt furiosi hominis vaticinationes & ariolationes.

Vnde tamen viuat vaticinator habet,

Sed quando hîc de summa Religionis agitur, erat quod Scripturam ænigmatibus, figuris & obscuritatibus plenam, quippe quæ *tot mysteria* habeat, *quot verba*, vt loquitur Hieronymus, tantisper seponeret, ac apertioribus & manifestioribus locis nos premeret coniector fatidicus, namque quod præclarè dixit in causa Ecclesiæ aduersus Donatistas Augustinus, & hîc quoque maximè locũ habet: *Sic*, inquit, *& illa interim seponenda sunt, quae obscurè posita sunt, & figurarum velaminibus inuoluta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari.* Quod Augustinus dixit occasione Donatistarum, qui, vt Ecclesiam sibi assererent, illud ex Cantico Canticorum afferebant, *vbi pascas, vbi cubes in meridie*, iactantes suam sectam in Africa, quæ ad meridiem esset, obtinere, quem locum, vt obscurum non posse ab illis vrgeri contendit Augustinus. Et quidem Tertullianus hæreticos *lucifugas Scripturarum* vocat, non quod Scripturis non vtantur, sed quod relictis apertioribus locis, obscurioribus delectentur, vt lucem rebus eripiãt, ac tenebras animis offundant. Hos igitur præclarè noster imitatus est vates, quare inania in nos iactat tela. Quod attinet verò ad Patres à quibus ducere præsidium molitur, equidem verum est Babylonem ab eorũ plerisque intellectam Romam; *Babylon*, inquit, Tertullianus, apud Ioannem, *Romanae vrbis figura est*, quam propterea Hieronymus *purpuratam meretricem* vocat: & Augustinus alteram *Babylonem*, additque Orosius, *Romam per omnia Babyloni respondere.* Sed quibus ea opinio placuit, Romam non pro Ecclesia Romana, sed pro vrbe & Imperio Romano acceperũt, vt Roma illis sit *Babylon, meretrix purpurata, & Ciuitas illa sanguine sanctorum inebriata.* Sed Roma Ethnica non Christiana; Imperium Romanum, non Ecclesia Romana; qua ratione Tertullianus Babylonem figuram vrbis non Ecclesiæ prædicat, atque eo ipso loco seipsum clarissimè interpretatur: *Babylon*, inquit, *Romanae vrbis figura est, proinde magnae, & regno superbae, & Sanctorum Dei debellatricis.* Sic Hieronymus epistola ad Marcellam, cùm propter magnã illam vitiorum segetem, quę in amplissimis vrbibus succrescit, Romã, *purpuratam Meretricem* vocasset; asperius dictum molliuit. *Est quidem*, inquit, *ibi sancta Ecclesia, sunt trophaea Apostolorum & Martyrũ: est Christi vera confessio, est ab Apostolo praedicata fides, & gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, vel audire vel proloqui, & tantã frequentiã hominum saltem inuitum videre, à proposito Monachorum & quiete aliena sunt.* Vides, vt Hieronymus apertissimè

Li. de vnit. Eccl. c. 5.

Tert. lib. adu. Iudæos & li. 3. adu. Marci. Hier. ep. ad Marc. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei ca. 23. Oros. li. 2. c. 3. Apo. 17.

mè inter Ecclesiam & vrbem distinguat, vides, vt vernantis fidei ac efflorescentis Religionis gloriam Ecclesiæ tribuat, vrbi verò incommoda, quæ monachorum institutum conuellant. Sed clariora sunt illius aduersus Iouinianum verba, quàm vt à Desertore obscurari possint: *Ad te loquar*, inquit, *quæ scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delesti. Vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris: virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Saluator in Apocalypsi cõminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum est. Squalet Capitolium: templa Iouis & Caremoniæ conciderunt, cur vocabulum eius & vitia apud te vigeant? Adhuc sub Regibus, & sub Numa Pompilio, facilius maiores tui Pythagoræ continentiam, quàm sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt.* Hieron. Lib. 2. adu. Iou. in fine.

Sed aduersus hanc interpretationem obiicit Spalatensis: *Si tamen tota per partes hæc prophetia attentius consideretur, liquidò apparebit, & Babylonem à Ioanne vocari Romam iam totam Christianam; & propter ipsius immensa scelera, & tyrannicam nouam, post Imperialem potestatem, ad quam iam Christiana peruenerit, non ex iniusta vllius persecutione, sed ex iusto Dei iudicio, illius scelera iustè, quia ita placitum sit illi, per Reges fideles, & Deo piè ac religiosè seruientes, punientis, atrocia illa omnia ei obuentura. Atque ita Romæ destructionem tanquam impiæ & Deo exosæ, ipsius Dei voluntate & iussione ac inspiratione per Reges iampios & fideles esse euenturam; quæ Romæ Ethnicæ non contigerunt. Illa enim dum ethnica fuit, non est destructa: habuit quidem incursiones hostium, depopulati sunt illam, dum adhuc magna ex parte esset Ethnica, Gothi & aliæ barbaræ Nationes; sed vltima exterminatio nunquam ei adhuc contigit, illa nimirum de qua hæc prophetia ait; Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur; & vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, non audietur in te amplius; & omnis artifex omnis artis, non inuenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius; & lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te, &c. Roma verò post Barbarorum clades statim resurgens redintegrata est, & Imperium in ea satis florens diu perdurauit; totaque Christiana facta est, & hodie vel maximè superfluit ac diffluit deliciis omnibus. Nondum ergo impleta est Prophetia Romanæ exterminationis, & tamen quando exterminabitur, tunc de illa dicetur: Cecidit, cecidit Babylon. Roma igitur non Ethnica, sed plenè iam Christiana est, aut erit Babylon; est, aut erit habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi; & custodia omnis volucris immundæ & odibilis: est, aut erit meretrix magna, quæ aureo poculo & pleno abominationis propinet omnem immunditiam & fornicationem: est, aut erit Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ: est, aut erit adeo peruersa & iniqua, vt Deus clamet, vel sit clamaturus seruis suis, accipiatis: Exite de illa populus meus; vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Bestia quam vidisti, inquit Ioannes, fuit, & non est; & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: Loquitur sanè Ioannes pro tempore, quo non ille viuebat & prophetabat, sed quo Prophetia erat adimplenda: & conformatur cum Prophetia Pauli; vt finis mundi non sit expectandus, nisi prius discessio fieret, hoc est, iuxta communem interpretationem Sanctorum, nisi prius Romanum Imperium dissoluatur; cuius Imperij dissolutio & dissipatio iam aperiat viam Antichristo ad omnem iniquitatem. Ita Ioannes ait, Bestia fuit, & non est: nempè Romanum Imperium non erit amplius; sed cadet & dissoluetur: ascensura tamen ex*

Spalat. Num. 27. — Apoc. 18. — Apoc. 18. — Apoc. 17. — Spal. nu. 28. — 2. Thess. 2. Chr. hom. 3. in ep. 2. ad Thess.

abysso est eadem bestia, quia succedet Romæ eadem Romana potestas sub alio titulo, quousque & ipsa exterminetur. Et decem Reges qui nondum erant quando Ioannes scribebat, sed ab eo futuri prædicuntur, ex Romani Imperij ruinis erant exorituri; eidem bestiæ, quæ est illa noua Romana potestas ex abysso de nouo ascensura, tradent potestatem, tamdiu enim potens erit, quamdiu Reges ex Romani Imperij dissolutione exorti, ei fauebunt; & de eius poculo fornicationum inebriati, ab ea quoque vice versa, nonnihil in eorum humanis consiliis adiuti; & abominationibus falsitatum sub falso religionis nomine repleti, reuera tamen simul cum ipsa aduersus Agnum pugnantes, cum illa consentient. Sed hi ipsi decem Reges tandem agnoscent veritatem, vt iam nonnulli illorum eam agnouerunt, & ab agno victi, odient, inquit, Propheta, fornicariam & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt (quia terrenum ipsius principatum sibi assument) & ipsam igni concremabunt; Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitũ est illi, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. Permissio nempè diuina erit, vt hi Principes regnantem bestiam confirment, & sustentent, donec consumentur verba Dei prædicta; hoc est donec agnus illuminet illos, & vincat: ponatque in corda eorum, vt odio habeant fornicariam, eamque penitus excidant.

Atqui primùm quod tot iactationibus succussa, euersa non fuerit, quod cùm tot tempestatibus fuerit exagitata, cùm fluctibus propemodum obrui videretur, è medio ipso gurgite vndarum molibus deiectis, tandem eluctari & emergere, superior euadere potuerit, mundũ vincere, dicere mõtibus istis omnibus, vt præcipites se darent in mare, nec Religionis cursum interciperent, ac remorarentur: Obstinatum animum frangere debuit ac inducere, vt crederet Ecclesiam illam reliquarum caput, per Deum vim habere cœlestem & immortalem, & robur inuictum. Sanè Orosius hoc inter Romam & Babylonem discrimen intercedere sapienter obseruauit, quod cùm Babylon Assyriorum post 120. plus minus annos, capta & Imperio nudata fuerit, Roma tamen post eadem temporis interualla à Gothis quidem capta fuerit, Imperium tamen non amiserit: *Propter*, inquit, *religionis Christianæ cultum & meritum*. Qua ratione adductus, iam in diuersas partes abeo ab his, qui hic nomine Babylonis Romam intelligunt, quocunque modo spectatam, atque in eorum castra concedo, qui vniuersam impiorum hominum multitudinẽ, & bonos persequentium colluuiem interpretantur. Quã sententiã amplectitur Augustinus, ac clarissimis verbis docet. Sanè Aretas, quanquam homo Græcus, & schismate implicatus, Romã Babylonem intelligi non posse, vt nec aliã vllam peculiarẽ vrbem, cõmentariis in Apocalypsim docet & est, hoc aduersus aduersarios ineluctabile argumentũ. Cõstat eo modo accipiendũ Babylonem, quo sit accipienda Hierusalem, quam ei eo ipso Apocalypseos libro opponit Spiritus sanctus: nãque contrariorũ eadẽ est ratio, atqui certò certius est Hierusalem, non vnam certam ciuitatem intelligi, sed bonorum omnium qui vnquam fuerunt vel erunt innocentissimum cœtum, quem Augustinus Ciuitatem Dei vocat; Igitur nec Babylon vnam certam ciuitatem significat. Atque est hoc rursus aduersus Spalatensem inextricabile argumentum. Verba illa Apocalypseos, C*ecidit, cecidit Babylon*, quibus Romæ vltimum exitium minitari Angelum contendit, quo omninò sit abolenda, primùm de veteri Babylone dicta sunt, ac penè omnia Apocalypseos vaticinia, quibus Babylonis & purpuratæ meretricis ruina prædicitur ex Esaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis vaticiniis, quod nostrorum interpretum neminem aduertisse, quod

Lib. 2. c. 3.

Enarrat. in Ps. 61. & li. 20. de ciuit. Dei c. 9.

Aretas in Apocal.

quod ſciam, mirari ſubit, hauſta ſunt & deprompta; ſic enim apud Iſaiam de Babylone per Medos & Perſas euertenda. *Cecidit, cecidit Babylon*, imò caſum eius miraculo, & ſtupori ſibi fuiſſe aſſerit Deus, aut Prophetæ, vt interpretatur Hieronymus: *Babylon dilecta mea*, inquit, *poſita eſt mihi in miraculum.* Dixerat verò etiam ſupra Propheta onus Babylonis inclamans. *Erit Babylon illa glorioſa, in regnis inclyta, ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham, non habitabitur vſque in finem, & non fundabitur vſque ad generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec Paſtores requieſcent ibi. Sed ibi requieſcent beſtiæ, replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones & ſyrenes in ludibriis voluptatis.* Quæro igitur à Spalatenſi, num poſt hoc Babylonis excidium prædictum, poſt captam & direptam Babylonem à Medis & Perſis, vrbs amplius non fuerit Babylon, num etiam hodie non extet? Certè florentiſſimam fuiſſe poſt acceptam à Medis & Perſis cladem, hiſtoriæ loquuntur. Itaque implendo oraculo ſufficit vaſtatam fuiſſe, prioribus ornamentis nudatam, & in alium iam ſtatum commutatam fuiſſe. Cùm igitur non minores clades à Vvandalis & Gothis acceperit Roma, quàm à Perſis & Medis acceperit Babylon, an aliquid deeſſe videbitur firmando oraculo, quod cecidiſſe eam ſignificat, an non priore illo ſtatu florentiſſimo excidiſſe, cecidiſſe eſt? Et præterea conſtat veterem Romam planè abolitam & extinctam, ac veluti in nouam vrbem veteres migraſſe colonos: fruſtra enim iam Romæ, niſi in ruderibus Roma quæritur. Immanior ergo ſit Spalatenſis, qui poſt tot ſuperba ædificia diruta, poſt tot templa ſolo æquata, poſt tot altaria effoſſa, tantam potentiam extinctam, poſt incenſas tot Heroum domos, poſt expilatas tot opes, poſt tantũ cruoris effuſi, poſt diſſipata omnibus terrarum locis pulcherrimi Imperij membra atrociores adhuc vindinctas ſpiret, nec adhuc ſatis flagellatam Romam putet. Quod verò attinet ad *purpuratæ meretricis* nomen, haudquaquam, quod indocti & hæretici ſomniant, illo epitheto noſtrorum Cardinalium amictus notatur: ſed alludit Hieronymus ad Imperatorum & Magiſtratuum Romanorum purpuram; namque purpura antiquitus erat inſigne Romanorum Magiſtratuum, in vſuque erat Imperatoribus, Regibus, iiſque qui apud Principes cæteris dignitate anteirent. De Magiſtratibus extat illud Martialis,

Iſa. 21 v. 9. & 4. c. 13. v. 19.

Diuiſit noſtras purpura veſtra togas.

Et norunt Docti dictam etiam purpuram Megalenſem, quod ludi Megalenſes Diis magnis, potiſſimùm verò Matri Deorum conſecrati, olim celebrati ſint Romæ, Magiſtratibus purpuratis in toga atque prætexta. Itaque Hieronymus *purpuratam Meretricem* Romam vocat, à purpura Imperatorum & Magiſtratuum. Quod autem, vt ad Spalat. reuertamur, vrget *nondum impletas Prophetias quæ excidium Romæ minentur, quod adhuc non ceciderit Roma, cùm tamen dictum ſit, Cecidit Babylon*, etiam noſtram ſententiam firmat, & præterea qui Romam Ethnicam intelligunt, reſpondere poſſunt cecidiſſe *Babylonem*, quod Roma priſtino ſtatu ſuo omninò exciderit, Imperioque quod diu continuit, ſpoliata fuerit; quibus addi poteſt, amplius ſepticollem non eſſe quò Sectarij *ſeptem reges*, & *ſeptem montes*, & *ſeptem capita* perperam referunt: namque populus Romanus non iam in ſeptem collibus habitat, ſed in campo Martio ſuas ſedes habet. Sed de his plura alibi, nec cum omnibus Spalatenſis, monſtris hîc luctari animus nobis eſt. Sed & quæ ex ſuo cerebro aduerſum perpetuò duraturã Eccleſiam Romanam profert, adeò ſunt abſurda, vt refutatione non indigeant. Lo-

cus ex Epiſtola poſteriore ad Theſſalonicenſes, de diſceſſione primùm ventura, quàm Imperij Romani diſſolutionem interpretatur, adeo obſcurus viſus eſt Auguſtino, vt quid voluerit dicere Auguſtinus, ſe neſcire ſit profeſſus. Sed quàm

SPALAT. Num.29. facetus eſt Spalatenſis, in enumerandis decem Regibus, quos Antichriſto operam ſuam locaturos, ac poſtmodum *repudiata eius obedientia* Romam euerſuros, Apocalypſis loquitur: Scilicet potentiſſimos Reges Franciæ, Hiſpaniarum, Luſitaniæ, Angliæ, Daniæ, Germaniæ, Hungariæ, & Poloniæ, vtriuſque Siciliæ, Principes Italiæ, quos vnum regem facit, indignis modis traducit, maieſtatemque eorum violat, membra Antichriſti, & beſtiæ, atque purpurati ſcorti procos illos deſcribens. *Et auſus erat dictis Reges, laceſſere Therſites.* Sed quam vitioſa collectione; namque primùm Luſitaniam, & vtramque Siciliam ad vnum Hiſpaniarum Regem pertinere haud obſeruat, Imperatorem Regem Hungariæ eſſe non aduertit, ac præterea Principes & Potentatus Italiæ, vt loquitur, prodigioſo exemplo, pro vnico rege numerari poſſe aſſeuerat; ita

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Vt emiſſarios ſuos cogat, qui Romam funditùs euertant; Mihi certè Elleboro

SPALAT. Num.30. purgandus videtur, potiuſquam refellendus. Sed inſtat Spalatenſis: *Quomodo ergo*, inquit, *ſermo hic ad Romanam Ethnicam poteſt pertingere? Fuit beſtia & non eſt.* Ad primum reſponderent, qui Romam Ethnicam intelligunt fuiſſe beſtiam & non eſſe, quia vt dicebamus florentiſſimo ſuo ſtatu excidit magna conuerſione, tum in vrbe, tum in Imperio facta; ſic in eodem libro Apocalypſeos ait ſacer

Apocal.21. Euangeliſta: *Vidi cœlum nouum & terram nouam, prius enim cœlum & prior terra iam abijt:* quod nimirum tum cœlum, tum terra in alium ſtatum iudicij tempore promouenda ſint, non quod planè ſint deſitura. Ad ſecundum ex hiſtoriis conſtat omnino, veterem Romam fœderatos habuiſſe multos Reges, quorum opera vteretur ad potentiam augendam, & parentis eloquentiæ pro Rege laborantis vox eſt: *Semper Regium nomen in hac ciuitate ſanctum fuit, ſociorum verò & amicorum, ſanctiſſimum.* Quod attinet ad illa verba, *Exite de ea populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Quæ etiam obiicienda cenſuit Spalatenſis, Reſpondit Auguſtinus vnà cum reliquis orthodoxis in collatione Carthaginenſi, id à bonis præſtari, non corporali ſegregatione, ſed ſpiritali vitæ diſſimilitudine, & morum diuerſitate. *Eo modo*, inquit, *obediunt boni præcepto dominico, quo ait diſcedite, inde & immundum ne tetigeritis:* *Nam*, inquit Auguſtinus, *qui hoc non ſpiritualiter obſeruandum putant, arrogantia vanitatis in illud incidunt, quod per eundem Prophetam deteſtatur dicens, Qui dicunt, noli me tangere, quoniam immundi ſunt, hi fumus indignationis meæ.* Quod verò opponit Spalatenſis Anſelmum locum Apoſtoli, *qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*, intellexiſſe de ſancta & neceſſaria ſeparatione; ſeparatione inquam corporali qua Eccleſiæ à Romano Pontifice deficiant, ob iniquitates Eccleſiæ Romanæ, coniectura eſt nullo Scripturarum, aut Patrum præſidio fulta, & ſupra Spalatenſis diſceſſionem ab Apoſtolo prædictam, communi Sanctorum interpretatione Imperij diſſolutionem, & diſſipationem ſignificare aſſeuerabat. Neque verò Anſelmus vir ſanctiſſimus & innocentiſſimus, Eccleſiæ veræ Catholicæ filiis perſuaſiſſet vnquam, quod facere molitur Spalatenſis, vt ab Eccleſia Romana refugerent, & ſanctam ſedem pro qua ille tot ſubiit labores desererent, ac præterea mores attingit non doctrinam, quod etiam facit Hieronymus, de quo rurſus nobis dicendum. *Eccleſiam profectò Romanam*, inquit

Cice. Orat. pro Rege Deiotaro in fine orat.

Aug. contr. Donat. poſt collationē to.7.c.5.

SPALAT. Num.28.

Spa-

Spalatensis, *Hieronymus Babylonem vocauit; & meretricem purpuratam, & ollam à facie Aquilonis ardentem: Ecclesiam, inquam, non vrbem; quia Babylonis Senatum, hoc est viros Ecclesiasticos, Senatum vocat Pharisæorum & imperitorum, quæ aduersus ipsum coniurauerat; Coniurauerant autem Clerici, non Curia Cæsaris Capitolina. Et hanc ipsam factionem vocat ollam ardentem. Ex eadem Apocalypsis Prophetia alibi idem Hieronymus, miserandum eidem Romanæ Ecclesiæ interitum asserit imminere: Lege, inquit ad Marcellam, Apocalypsim Ioannis; & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus; & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon magna; & facta est habitatio dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi. Et quamuis excipiat separetque, ibidem Hieronymus sacra à profanis; in ipsis tamen rebus Ecclesiasticis & sacris, iam tum videbat, nescio quid Babylonicum redolere: Est quidem ibi, inquit, sancta Ecclesia, sunt tropha Apostolorum & Martyrum; est Christi vera confessio; est ab Apostolo prædicata fides; & gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum. Sed ipsa ambitio potentia, magnitudo vrbis; videri & videre; salutari & salutare; laudare & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre, à proposito Monachorum, & quiete aliena sunt. Indicat mores sæculares, inter Christianos quoque & Religiosos, iam tum inualuisse. Neque negat eidem ciuitati, quantumuis tunc Christi confessione & deuotione satis celebri, vltimum exitium ex Apocalypsis Prophetia imminere: & de illa audiendum esse ait, Cecidit, cecidit Babylon magna; futuramque dæmonum habitationem, indeque lapsu irreparabili casuram. Quamuis pœnas hasce ei imminentes eam vitare posse asserat; si Niniuitarum instar ad pœnitentiam confugiat. Maledictionem, inquit, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.* Ad primum respondeo Hieronymum subiratiorem Clericis Romanis, qui mortuo Damaso Pontifice sanctissimo, & Hieronymi amantissimo, eius scripta mordere ac reprehendere ausi essent, eis Babylonios mores tribuisse, nimirum quod inuidia & odio flagrantes, quasi coitione facta illum perdere statuissent. Eorum itaque causa in vrbem quam incolerent, inuehitur, *Babylonemque* vocat, ac *purpuratam meretricem*, scilicet alludens ad priorem statum vrbis Romæ, cùm nondum scriptam in fronte blasphemiam aboleuisset, quod nimirum illorum, vt vocat Pharisæorum mores, potius Babylonis incolas referrent, quàm Ecclesiæ ministros; vnde & eam factionem, O*llam à facie Aquilonis ardentem*, vocat: sed hæc ad peccata pertinent & vitia hominum, non verò sacrum ministerium attingunt. Et vt intelligas de vrbe illi sermonem esse, non de Ecclesia, Babylonem dicit, in qua *iure Quiritum viueret*; atqui non in Ecclesia, sed in vrbe Roma *iure Quiritum* viuitur: item *Romuli & ludorum lupercalium*, & eius loci meminit, *qui fratris genuit paricidam*, quæ omnia nemo est tam cæcus, qui non videat non ad Ecclesiam, sed ad vrbem pertinere. De loco Epistolæ ad Marcellam diximus suprà, ac ostendimus idcirco *Babylonis* meminisse, & *purpuratæ meretricis*, cùm Roma Hierosolymam accerseret Marcellam Monachorum institutum professam, vt significaret magnam vrbem confusionis plenam minus commodam esse proposito, quod illa esset amplexata; quippe in qua sese efferret ambitio in illa hominum frequentia, quæ etiam inuitos pro-

Spalat. Num. 32. Hier. præf. in lib Didy. de sp. s. Hierem. 1. Hier. ep. 17. Hier. ibid. & ep. 18. Hier. adu. Iouin. l. 2. in fine.

nis & filiam Sion, nec vnquam filiam Sion in Babylonem euasuram dicit. Per *filiam Babylonis* sceleratos quoscunque Romæ agentes intelligit, per *filiam Sion* autem probos quoque, & pios, & religiosos, quos audituros dicit: *Exite de ea popule meus*, vt scilicet, quod monebamus ex Augustino, *spiritualiter* separentur, nec se contagione sceleris improborum, aut polluant, aut implicent, non verò vt corpore etiam eam deserant. Sed quàm lepidus est Spalatensis, & suauis concionator, qui Ecclesiam Romanam adhortetur, vt primatui nuntium remittat, quo iram Dei effugiat, quam in procinctu esse eique imminere vaticinatur. Leuis & vecors homo! Sed te sisto, pie & cordate lector, an non meministi verborum Christi, hypocritam pingentis, qui festucam in alieno oculo videat, trabem verò in suo non deprehendat? Iste disertus monitor priora Apocalypseos capita, quæ ad eum pertinerent, quippe in quibus improborum Episcoporum mores notantur, præteruolauit; nec sibi dictum aduertit, quod est scriptum Angelo, hoc est, Antistiti Sardicensi, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es, pænitentiam age.* Illud quoque Laodicensi rescriptum: *Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ, scribe: Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei: scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: quod Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ac sibi in posterioribus capitibus, quæ inuolucris plena in peruersum sensum aduersus Ecclesiam trahi possunt, acquiescendum sibi putauit, & figuris ludens, fræna linguæ laxauit, vt tum Ecclesiam Romanam, tum Pontificem, tum reliquos Ecclesiæ ordines affligeret, ac perderet. *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo.* Apocal. c. 3.



DISCVSSIO QVARTI CAPITIS LIBRI QVARTI.

Conspectvs Capitis.

Constantinopolitanorum Antistitum ambitus, occasionem prabet Mahometanis inuadendi nobilissimi Imperij, eos tamen excusare conatur Spalatensis, totamque afflicti Christiani orbis causam in Ecclesiam Romanam confert: Vt Constantinopolis veterem Romam potentia aquauerit, tamen primatum Ecclesiasticum sibi vendicare non potuit: Gelasij & Leonis: Furtiuus Canon Constantinopolitanus, à Spalatensi citatus, examini subiectus: à Cyzicenis Episcopis repudiatur Cyzicus Metropolis: Theophili Alexandri Patriarcha factum expenditur: Legatorum Pontificiorum aduersus hoc decretum exceptiones: Baronius defensus: Suspicio fraudis in publicatione Canonis: Nunquam permissum Canones sancire Ecclesia prater sententiam Pontificis: In praeiudicium Alexandrini Concilij conditus: Eius promulgatione violati Canones Nicani: Eius causa plures à Romano throno, & Antiocheno Diœceses auulsa: Concilium primum Constantinopolitanum beneficio Pontificis Oecumenicum: Eius Canon in gratiam Antistitis Constantinopolitani cusus, à Pontificibus explosus: In Concilio Chalcedonensi sanciri non potuit illud decretum: Vitia decreti Chalcedonensis, non Concilij, sed Clericorum Constantinopolitanorum opera inuectum: Hoc fatetur Anatolius: Hora minus apposita editus Canon, & absentibus Legatis Pontificis: A solis Antiochenis & Constantinopolis circumuicinis Episcopis procusus, qui Episcopi adduci potuerunt, vt subscriberent: Dua ab eis corruptela in Canonem Constantinopolitanum inuecta: Eusebij Dorylai impostura: Leo hunc Canonem semper auersatus est: Ne publicetur intercedunt Legati Pontificis: Eum obliterat ac damnat Leo: Anatolij fraudes pro eo extorquendo, quem tandem sui delicti pœnitet: Haud citra fraudem Chalcedonensibus insertum furtiuum decretum: Soluuntur obiectiones pro vsu & praxi Canonis: Pontus & Asia ante Chalcedonensem Synodum ad Constantinopolitanum Episcopum non pertinuerunt: Quamquam in eas Prouincias aliquando inuolarunt: Legem sanciendo Canoni per fraudem à Theodosio Atticus extorsit: Cyzicenorum factum rursus expenditur: Alia Spalatensis obiectiones depelluntur: Leo contra Spalatensis calumnias defensus: Patribus Chalcedonensibus Pontifex caput Ecclesia, iure diuino: Hormisdas Pontifex declaratus: De Epiphanio Episcopo Constantinopolitano: Temporum iniuria, & Imperatorum fauorem secundi Patriarcha locum inuasit Antistes Constantinopolitanus: Primatus Pontificis de iure diuino: Nuga Spalatensis in soluendis nostrorum argumentis detecta & profligata: Leo Imperator precibus Leonis adductus Ecclesia Alexandrina prospicit: Gelasius propugnatus contra magnitudinem vrbium: Gregorij moderatus animus, nihil tamen de dignitate remittit: Gracorum de primatu Romano falsa vaticinia: Ecclesia Constantinopolitana Romana semper subiecta.

Tres



RES duntaxat Patriarchales sedes in toto Romano Christiano orbe agnouit Antiquitas; quia tres duntaxat fuerunt in Romano Imperio adolescente Ecclesia, vrbes maximè insignes, & dignitate seculari celeberrimæ: vt ostendi lib. 3. c. 10. Romana, Alexandrina, Antiochena, cùm nondũ Byzantium fuisset imperij sedes & noua Romana. Postquam verò Byzantium facta est Constantinopolis & noua Roma, Imperijque Romani sedes; sicut æquum fuit ita, & placuit Patribus Concilij primi Cõstãtinopolitani Oecumenici, Constantinopolitanam Ecclesiam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare; proximumque post Romanã dignitatis locum, supra alias duas, ei tribuere; & consequenter primum locum dignitatis, inter Ecclesias omnes Orientales illam habere voluerunt, idque huiusmodi data Canone sanxerunt: Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma. Prius enim Byzantius Episcopus, si Gelasio credimus, ne Metropolitanus quidem erat; sed Heracleensis Metropolis Suffraganeus. Quanquam ipsa Byzantina Ecclesia Apostolicam sedem se habere soleat gloriari: Cui, siue Petrus primos dederit Episcopos sicut Alexandriæ, vt contendit Baronius ex quadam Agapeti Epist. in 5. Synodo generali lecta, siue Andreas, primus eam fundarit Ecclesiam, vt Græcorum volunt historiæ in Menologio, & vterque Nicephorus Cõstãtinopolitanus in suo Chronico, & Calistus in sua historia lib. 8. c. 7. Vnde & Sergius Patriarcha, in ipsa sui promotione ad Constantinopolitanam sedem, preces Theodori Syceotæ postulabat, vt diuina gratia Episcopatu, & Apostolica sede dignus efficeretur. Neque verò negare possumus Cõstantinopolim, postquam sedes Imperialis facta est, ad maximam celebritatẽ & potestatem deuenisse, & Romana vrbe iam depressa, supra illam plurimùm caput extulisse. Nazianzenus sanè de Byzantio ait: Quæ nunc ciuitas in Europa præcellit vniuersa. Et: Ciuitatem Orienti præsidentem, vocat idem. Magnam, Regiam, vrbem, primam ciuitatũ vocant Monachi Orientales ad Agapeium scribentes. In ea totius orbis populi aderant: Ac proinde, sicut prius Romana, dum esset & nomine, & re caput orbis, ipsum orbem instruebat in fide, vt suprà considerauimus; sic postea fecit Ecclesia Constantinopolitana: Magna reuera ciuitas, inquit Chrysostomus, ac totius orbis Metropolis: Quot Episcopi, quot Doctores huc venerunt, & à populo docti discedunt, ac legem illam non scriptam, sed cordibus insitam, hic discunt? Iam enim, inquit Sozomenus, non modò hanc appellationem (nouæ Romæ) vrbs ea adepta erat, Senatuque & ordinibus, & Magistratibus consimiliter vtebatur; verùm & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter, atque honores vtrimque in omnibus congruebant. Hæc sanè Patres illos permouerunt, vt Patriarchali & honore & officio in paritate cum ipsa Roma veteri ipsam Constantinopolim decorarent. Ea profectò vsi ratione, vt ipsimet innuunt in suo Canone, & explicat in parte Sozomenus; nimirum quandoquidem Roma vetus propter dignitatem duntaxat Imperialem in ea residentem, habuit suum Episcopum Patriarchali summa dignitate Ecclesiastica, cũ tot priuilegiis & prærogatiuis eminentem, cùm iam Constantinopolis ad eandm Imperialem peruenit dignitatem, cum omnibus Imperialis residentiæ ornamentis, par omnino est vt ipsa quoque habeat suum Episcopũ, Episcopo Romano in omnibus priuilegiis & prærogatiuis æqualem. Et ita reuera magnum illud Concilium Oecumenicumtotam Romani Pontificis præeminentiam, ab ipsa sola Imperialis ciuitatis dignitate profectam cognoscit, & profitetur. Indeque iam parem voluit esse Romano Constantinopolitanum, in dignitate, humanisque priuilegiis & prærogatiuis.

Spalat. Num. 1.
Conc. Constant. 1. c. 5.
Gelas. ep. 11.
Baro. to. 1. an. 44. n. 12.
Apud Suriũ die 22. Apr. in Theod.
Naz. orat. in fun. Cæs.
Id. orat. de laud. Basilij
In Syn. Cõstant. sub Mana. act. 1
Gesta Agapeti apud Baro. to. 7. an. 536. n. 66
Chry. ho. 4. in verb. Isa. Vidi Dominum.
Sozom. l. 7. c. 9.

Apud Stobæū ser. 10.



VERE omnino à Timone illo hominum exosore, στοιχεῖα τῶν κακῶν εἶναι ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν: *elementa malorum esse insatiabilitatem & ambitionem*, pronunciatum fuisse, vel Antistitū Constantinopolitanorum exemplo docetur, quorum ambitione factum sit, vt penè regno suo exciderit Christus, & amplissimo orbis terrarum patrimonio spoliatus fuerit, siquidem dum æquari Romano Pontifici per fas & nefas cōtendunt, dissidiaque ac schismata in Ecclesia serunt; occasionem præbent Mahometanis inuadendi nobilissimi imperij, totoque Oriente Ecclesias populādi, ac pulcherrimi imperij membra dissipandi. Scelestas eius cupidines accendit, & inflammauit vrbis splendor, in qua cùm rerum Domini Imperatores regnarent, sedemque Imperij fecissent: par quoque illis existimarunt ad eam summam rerum Ecclesiasticarum saltē toto Oriente reuocari, vt eius Episcopus *Oecumenicus* etiam diceretur. Hinc tot Orientis clades, hinc totius ferè orbis Christiani exitium, & veluti fatalis ruina, vt mirari subeat, repertum, qui improbos illos conatus, quos ambitio rerum humanarum & diuinarum pernicies, flamma, & pestis suasisset, suggessisset, ac persuasisset, defenderet: ac etiam in cœlum laudibus extolleret, vt innocētes tot cladium inuidia oneraret. Id tamen odiorum in Pontificem rabie accensus præstitit abundè Spalat. suscepto Constantinopolitanorum Antistitum patrocinio: toto enim hoc capite causam illorum agit, Pontifices etiam sanctissimos lacerat, in his Leonem & quid non molitur? vt afflicti orbis Christiani culpam in Ecclesiam Romanā totam conferat. Rem igitur ab ouo repetit, & vt ambitum Constantinopolitanorum propugnet, crassissimum mendacium fundamenti loco ponit, atque vnam vrbis dignitatem Romæ primatum asseruisse contendit, vt scilicet translati ad se Imperij iure, Constantinopolis parem sibi omninò authoritatem vindicare, & potuerit, & debuerit; sed hoc putidum commentum in superioribus refellimus. Sit igitur Constantinopolis postquam Imperij sedes facta est, ad maximam celebritatem, vt contendit Spalatensis, euecta, antiquam Romam potentia & maiestate æquauerit, ac meritò cecinerit Nazianzenus:

Greg. Naz Carm. de vita sua.

Δύο μὲν οὐ δέδωκεν ἡλίους φύσις, Δισσὰς δὲ Ῥώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης Λαμπτῆρας, ἀρχαῖόν τε καὶ νέον κράτος.

Natura binos haud quidem soles dedit:
Dedit ipsa binas attamen (mundi faces)
Romas, vetustam scilicet, Romam & nouam.

Rursus *ciuitatem Orienti præsidentem* vocarit, ac *magnam Regiam vrbem, primam ciuitatum Orientis*, Monachi nuncuparint, ipseque Chrysostomus *magnam reuera ciuitatem, ac totius orbis Metropolim dixerit*. Quid hæc ad Primatum Ecclesiasticum ei asserendum, aut conciliandum faciant? An seculari potentiæ iura substernuntur diuina? An ab illa pendent, aut ab ea vim consequuntur? Risit hanc Græcorum vanitatem in Acatio magnus Pontifex Gelasius: *Risimus autem*, ait, *quod prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium apud Treuiros, multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? &c.* Et rursus: *Si certè de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis, & tertiæ maior est dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non solùm inter sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur, nam quod dicitis regiæ ciuitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara vrbs illa potestate præsentis Imperij, Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta consistit.*

Epist. ad Episc. Dardaniæ.

stit: Si potius hoc præsente propriam teneat sine vlla perturbatione mensuram. In ipso etiam æstu concertationis, cùm Anatolius secundū à Romano Pontifice locum sibi asserere Martiani Imperatoris authoritate eniteretur, planè similia ad piissimum Imperatorem perscripsit Leo: *Habeat*, inquit, *sicut optamus Constantinopolitana ciuitas suam gloriam; at protegente dextera Dei, diuturno clemētiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum secularium, alia diuinarum, nec præter illam Petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit, vlla constructio. Propria perdit, qui aliena cōcupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatū tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri.* Sed instat Spalatensis, & furtiuum ac subdititium Canonem profert, quo se tueatur probetque splendorem ciuitatis Constantinopolitanos Patres permouisse, vt depressis Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, secundum à Romano Pontifice locū, aliis loco pulsis assererent, sanctionemque æquitatis plenam prædicat: *Sicut æquum fuit*, inquit, *ita & placuit Patribus Concilij primi Constantinopolitani Oecumenici, Ecclesiam Constantinopolitanam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare, proximumque post Romanam dignitatis locum, supra alias duas ei tribuere, & consequenter primum locum dignitatis inter omnes Ecclesias Orientales illam habere voluerunt; idque huiusmodi dato Canone sanxerunt: Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem, post Romanum Episcopū, propterea quod sit noua Roma.* Addit verò Spalatensis: *Visa sunt*, inquit, *hæc adeò iusta, adeoque rationabilia toti tūc Ecclesiæ vniuersali, vt nemo inuentus sit per octoginta fermè annos, cui decretum hoc conciliare, in tantæ Ecclesiæ decus, & authoritatem factum, aut iniquum, ac indecens videretur; quive illud non, vt optimum, & æquissimum amplecteretur. Quis enim ante Leonem ei obstitit? Et tamen aderant, cùm Alexandrinus Timotheus, tum Meletius Antiochenus, tum etiam Cyrillus Hierosolymitanus; vt ex subscriptionibus eiusdem Concilij Patrum est manifestum, qui quia id æquum esse animaduertebant, tametsi ageretur de eorum præiudicio, quibus ipse Constantinopolitanus præferebatur; nihilominus tamen plenè in ipsum decretum cōsenserunt, eique subscripserunt.* Respondeo non vnum Leonem, cùm Antistites Constantinopolitani hoc Canone freti caput extulerunt, reclamasse; verùm etiam & alios in quos attributam sibi potestatem exerere conarētur. Exemplo sint Cyziceni, de quibus Socrates: *Mortuo*, inquit, *Cyzicenorum Episcopo, Sisinius Proclum Cyzici Episcopum designat. Quem ad illam vrbem profecturum anteuertunt Cyziceni, Dalmatiumque Monachum Episcopum ordinant. Hoc ab illis factū est, neglecta illa lege, quæ iubet, ne quis Episcopus designetur, absq; sententia & authoritate Episcopi Constātinopolitani. Legem autē propterea neglexerūt, quod Attico soli (vt illi putabant) nominatim authoritatē illam concederet. Proinde Proclus cū sua ipsius Ecclesiæ administrationē non obiret, in Ecclesiis Constātinopolis mansit: in quibus docēdo permagnā laudem adeptus est.* Et quidem aduersus Spal. hoc obseruandū ex Notitia Imperij, & alia Notitia Episcopatuū, Cyzicū inter Metropoles numerari. Quare inter subscriptiones Patrum Chalcedonēsium recensetur Diogenes Episcopus Metropolis Cyzici: *Diogenes Episcopus Metropolis Cyzici, definiēs subscripsi.* Sic etiam apud Curopalatem Andronicus Palæologus senior, Expositione quo se ordine habeant subiectæ Metropoles throno Patriarchæ Constātinopolitani. *Metropolitanus*, inquit, *Cæsareæ, Ephesi, Nicomediæ, Heracleæ, Ancyræ, Cyzici, &c.* Infra verò ipse Curopalates enuntians thronos honoratissimos, quorū Me-

Leo ep. 54. Ad Martia. Aug.

Spalat. Num. 1.

Spalat. Num. 2.

Socrat. l. 7. c. 28.

Τοῦ Κυζικηνῶν ἐπισκόπου τελευτήσαντος, ὁ Σισίννιος Πρόκλον ἐχειροτόνησεν εἰς ἐπισκοπὴν τῆς Κυζίκου. μέλλοντος δὲ αὐτοῦ ἀπιέναι ἐπ' αὐτὴν, φθάσαντες οἱ Κυζικηνοὶ, καὶ χειροτονοῦσιν ἄνδρα ἀσκητικὸν, ᾧ ὄνομα ἦν Δαλμάτιος. καὶ τοῦτο ἐποίησαν, ἀμελήσαντες τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως χειροτονίαν ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι.

Act. 16.

Διογένης ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Κυζίκου, ὁρίσας ὑπέγραψα.

Curopal. de offi. Const. p. 220.

Ὁ Καισαρείας. ὁ Ἐφέσου. ὁ Νικομηδείας. ὁ Νικαίας. ὁ Ἡρακλείας. ὁ Ἀγκύρας. ὁ Κυζίκου.

Curop. ibi. p. 130. & 131. Ὁ Ἀγκύρας, ἔξαρχος πάσης Γαλατίας. ὁ Κυζίκου, ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, ὁ πρῶτος.

Flor. l. 3. Epitome hist. de bello Mithrid.

Zonar. in Cóc. Chal. Can. 28. Ταῦτα περὶ τῆς τάξεως καὶ τιμῆς διαταξαμένη ἡ ἱερὰ σύνοδος τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοπόλεως ταύτης διαλέγεται, καὶ περὶ τῶν ὑποκεῖσθαι μελλουσῶν αὐτῷ διοικήσεων, καὶ ταύτας εἶναί φησι, τὴν Ποντικὴν, καὶ τὴν Ἀσιανὴν, καὶ τὴν Θρᾳκικήν. ὧν δὲ διοικήσεων, καὶ τὰς χειροτονίας τῶν μητροπολιτῶν μόνων ἀνατίθησι τῷ Κωνσταντινουπόλεως. εἴρηται δὲ τὸ μόνων, ἵνα μὴ καὶ τὰς τῶν ἐπισκόπων χειροτονίας σφετερίσηταί τις τῶν Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπων.

Spalat. Num. 21.

tropolitas Principes Græci vocant. *Ancyra*, inquit, *Princeps totius Galatiæ. Cyzici, Princeps totius Hellesponti.* Ac certè Florus Cyzicum nobilissimam vrbem, ac propterea hoc honore dignissimam describit. *Cyzicum*, inquit, *nobilis ciuitas, arce, mænibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ littora illustrat: hanc ille* (Mithridates) *quasi alteram Romam toto inuaserat bello.* Vt proinde ius Constantinopolitano Patriarchæ fuerit ordinandi illius Episcopi, si modò Canoni Constantinopolitano sua authoritas constabat. Hoc enim Concilio Chalcedonensi, etiam sancitur, quo renouatum Canonem Constantinopolitanũ contendit Spalatensis. *His*, inquit, *de magna ciuitatis loco, & honore à sacra Synodo constitutis, Diœceses quoque, Ponticam, Asianam, Thraciam, eiusdem vrbis imperium agnoscere, earumque Metropolitanos Constantinopolitani Patriarchæ authoritate constitui iubet. Sed solos, inquit, Metropolitanos, ne Episcopos quoque alios creandi ius Constantinopolitanus sibi quandoque Antistes assumeret: nam id quidem, eorum Metropolitanis, quos penes antea quoque fuerat, est relictum. Idcirco namque etiam verba illa in Canone adiuncta, quibus ab vnoquoque Metropolitano Episcopos Prouinciæ suæ; alijs quoque adhibitis eiusdem Prouinciæ Episcopis, creandos esse declaratur. Sed tamen earũ quoque Diœcesium Episcopos illos, qui apud barbaras nationes degunt, quales Alani sunt, & Russi, illi quidem Ponticæ Diœcesi, hi verò Thraciæ adiuncti, à Constantinopolitano Præsule renunciari permissum. Verũ ne à diuinis Patribus, quæ ad creationem Metropolitanorum pertinent, vniuersa Constantinopolitani authoritati concessa esse putarentur, vt ipsi quæcunque collibitum esset, pro potestate statuere liceret idcirco, ab illo quidẽ, sed consentientibus tamen aliorũ suffragijs, atque ad eum d latis, Metropolitanos creandos esse decernũt.* Quare cũ legem qua ad postulationẽ Sisinij Theodosius Iunior eius Canonis vsum vrgeret Cyziceni Episcopi repudiarint, ac morẽ gerere, renuerint causati in vnius Attici gratiam ab Imperatore latam, argumento est non obtinuisse Canonem. Abeunt itaque in fumos, quæ ad hãc Socratis narrationem commẽtatur aduersarius: sed & Constantinopolitanum Antistitem secundos à Romano honores nactum non fuisse, ex eo validè probat Baronius, quod Theophilus Alexãdrinus post editum illum Canonem, ius sibi illũ ordinandi, tãquam primus Orientis Patriarchæ vendicarit, non enim secũdus Patriarcha à tertio ordinari poterat. Spalatensis obiectionem hanc *exilem esse* pronuntiat. *Quid enim*, inquit, *obstat Primatui Constantinopolitano, si Alexandrinus qui iam erat post illum proximus prætenderet, vacãte prima sede Constantinopolitana, ipsius iuris esse Constantinopolitanum Episcopum ordinare.* Sed quid respondebit ad factum eiusdem Theophili, Constãtinopolitanum Antistitem, Chrysostomum scilicet, exauthorantis ac de sede deturbãtis? Certè si par in parem imperium non habet, multò minus inferior in superiorem; Et quod dicit Spalatensis, *hãc prætentionem*, vt vocat, ex ambitionis spiritu erupisse, obiectionis vim non infringit, neque de iure contendimus, sed de facto, idque tantùm volumus, etiam Orientalibus, non agnitum Antistitem Constantinopolitanum, à Romano Patriarcha secundum. Sed rursus eo Canone passim vsos non fuisse Constantinopolitanos, apparet, tum ex Lucentij Apostolici in Concilio Chalcedonensi obiectione; *Si*, inquit, *hoc priuilegio vsi sunt à tempore Concilij Constantinopolitani, quid nunc requirunt? Si vsi non sunt, quid requirunt?* Tum ex verbis Leonis ad Pulcheriam Augustam: *Superbum nimis est*, inquit, *& immoderatum vltra fines tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietisque* Pro-

Cóc. Chal. act. 16. Εἰ τούτοις ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις τῷ βενεφικίῳ ἐχρήσαντο, τί νῦν ζητοῦσι, εἰ μὴ κατὰ κανόνας ἐχρήσαντο.

Epist. 58.

Spalat. Num. 16.

Prouinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre; atque vt venerabilium Patrum decreta soluantur, quorundam Episcoporum præferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus, æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle; nullus tamen potuit obtinere. Verùm de repudiato hoc Canone plura infrà. Nunc est Baronio succurrendum, quem acerbe vexat pseudo-Antistes: *Canonem,* inquit, *nihilominus illum Constantinopolitanum de Primatu eiusdem Ecclesiæ, post mille & ducentos ac vltra annos, primus Baronius suspicatus est, esse commentitium, & suppositum. Suspicionem ei mouerunt hæ rationes: Prima quod Anatolius à Leone per Epistolam 56. exagitatus, nequaquam se authoritate alicuius Canonis, à Constantinopolitano Oecumenico constituti, purgarit. Secunda ratio, quod Episcopi, qui sequenti anno Constantinopoli conuenerunt, in Epistola ad Damasum, nullam mentionem huius Canonis habuerint. Tertia, quod Timotheum Alexandrinum Episcopum, in cuius praiudicium hic Canon editus fuerat, hoc æquo animo sustulisse, non sit probabile. Quare cùm is nihil cõtraxisse legatur, Canonem de fide suspectum esse oportet. Quarta, quod superiori ac præcedenti Canoni aduersari videatur; adeoque fidem omnem excedat, eundem ab eodem Concilio editum fuisse; qua ratione quæso, inquit Baronius, ex præscripto Nicani Concilij voluit sancta Synodus, quibuscunque Prouinciis iura sua integra esse seruata; si in praiudicium aliarum Ecclesiarum, vni Constantinopolitanæ tanta priuilegia contulit? Suspicio tamen,* pergit Spalatensis, *leuissima est, & prudenti viro, ac in rebus Ecclesiasticis versato indigna. Canonem enim etiam historiæ, vt verum, agnouerunt, illius enim & Socrates, & Sozomenus meminerunt. Et in Concilio Oecumenico Chalcedonensi eiusdem, vt Constantinopolitani Canonis mentio est; Imo & Legati Apostolici fatentur de hoc priuilegio Constantinopolitanæ Ecclesiæ, mentionem in Constantinopolitano Concilio factam perhiberi. Et quotquot ex Romanis Pontificibus contra Constantinopolitanum Primatum insurrexerunt, omnes Canonem quidem vti verum & genuinum agnouerunt, & nemo vt imposturam eum negauit, illum tantum vt iniquum & indebitum ab eis reputatum repulerunt. Et cur, quæso, Ecclesia Romana Canones Concilij Constantinopolitani primi non admisit, ijs solis exceptis, qui aduersus Macedoniũ sunt definiti, nisi quia aderat Canon hic de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ? Leo verò, Gelasius, Gregorius, & Nicolaus, qui in Constãtinopolitanum Primatum acrius sunt inuecti, de impostura nunquam sunt suspicati; neque est vlla causa id suspicandi. Ad primam rationem respondeo, ex his Leonis Epistolis satis apparere fundamentum totum Anatolij fuisse ante omnia Decretum Constantinopolitanum: Ait enim Leo ad eundem Anatolium scribens; Persuasioni tuæ, in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio. Quis non videt hæc ad Concilium Constantinopolitanum referri? Imo vt inferius ponetur, vnus Episcopus ad hoc missus, hoc idem Decretum Papæ ipsi Romæ intimauerat: qui illud etiam admiserat & approbarat. Ad secundam respondeo de prærogatiua illa noua, Patres illi siluerunt, quia nihil intererat Romani Pontificis, quod Constãtinopolitana facta fuisset secunda sedes: Ipsi enim Romano Põtifici suus ordine primus locus seruabatur. Id tamen factum fuit consentientibus illis, nempè Alexandrino & Antiocheno, quorum intereat, & quibus fiebat aliquod præiudium. Ea itaque sola Romano Pontifici significarunt; in quibus ad vnionem & communionem necessariam ipsius, & totius Occidẽtis requirebatur consensus; hoc verò priuilegium non erat tãti momenti, vt in eo esset necessarius totius Ec-*

SPALAT. Num. 3.

Baro. an. 381 nu. 35. 36. & an. 382. n. 16 Binius notis in Can. 5 Concil. 1. Constan.

SPALAT. Num. 4. Socr. l. 5. c. 8 Sozom. l. 7. c. 9. Conc. Chal. C 28. act. 15. Ibid. act. 16.

Greg. l. 6. ind. 15. ep. 31

Leo ep. 56.

clesiæ assensus, modò Alexandrinus & Antiochenus consentirent. Ad tertiã, non contraxit Timotheus, quia de ipsius quoque assensu factus est Canon, quem æquum & rationabilem, vt dictum est, planè cognoscebat. Ad quartã respondeo; Eo priuilegio nullum præiudicium Nicænis Canonibus esse generatũ, qui inter sedes ipsas Patriarchales, nullum ordinem prioritatis, aut posterioritatis posuerũt; sed vt quæque suis se limitibus coërceret statuerunt. Priuilegium porro hoc nonnisi honoris primum locum Constantinopolitano Patriarchæ tribuit post Romanum. Et quãuis Prouincias aliquas nimirum Thraciæ & Ponti, aliasque Barbaras, quæ extra Romanum erant Imperium, quæque iam de more & consuetudine à Constantinopolitano ordinabãtur, eripuerint Antiocheno, qui iuxta regulas Nicænas fuerat totius Orientis declaratus Patriarcha, id tamen non est contra ipsas regulas Nicænas; quæ non vetuerũt, vt non liceat Ecclesiæ magnas Prouincias in minores partiri, & nouas erigere Ecclesias Metropolitanas; dummodo Metropolitanus quisque in alienã non irrumpat Prouinciam, sed intra suam se coërceat, & Patriarcha iuribus Patriarchalibus contentus, sibi subditos non turbet Metropolitanos, sic enim Can. 2. Idem Concilium Constantinopolitanũ præmisit, vt Thracia à Thraciæ, Põtus à Ponti Metropolitano ordinetur, licet & Thracia, & Pontus iure Patriarchali iam Constantinopolitano subijcerentur: hoc est, vt ipsi Metropolitani tum Thraciæ, tum Ponti à Constantinopolitano ordinentur, quod secundo prædicto Canoni nihil repugnat. At pro Baronio respondemus, nec leues, nec vanas esse coniecturas; namque primùm potuit quidpiam simile cudi, non quidem à Concilio Constantinopolitano, sed extra Concilium, à Græcis omnium hominum vanissimis, quibus semper studium fuit suam Constantinopolim honoribus augere, & fortasse per fraudem commẽtum suum pro Synodi Oecumenicæ placito ac decreto obtruserunt, ac inuexerunt, cuius propterea meminerint Socrates, Sozomenus, & factiosi illi, qui in Concilio Chalcedonensi ambitiosius secundos à Romano Pontifice honores Antistiti Constantinopolitano asserere, per fas & nefas moliti sunt. Non meminisse verò Canonis Anatolium à Leone tantoperè exagitatum, nec ab eo sui ambitus præsidium duxisse, cùm contrariis edictis premeretur mirum omnino videri possit (si modò extabat ille Canon.) Quod verò ex verbis Leonis colligit Spal. Anatolium totius suæ dignitatis firmamentũ in eo posuisse, siquidem verba Leonis ad eum sunt: *Persuasioni tuæ*, inquit Leo, *in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum, ante sexaginta vt iactas annos facta subscriptio*, causam eius non erigit, atque recurrit illud Legatorum, *si eo iure iam olim potitus erat quid attinebat*, tot tragœdias concitare, vt in consessu Chalcedonensi de ea re, etiam reclamantibus Pontificis Legatis, statueretur? Nimirũ imbecillum & infirmum decretum illud, seu verum, seu falsum agnoscebat, cui propterea fulciẽdo alia esset opus authoritate. De fraude verò Eusebij Dorylæi Episcopi, qui Romæ consensisse in hunc Canonem Leoné asserere ausus sit, dicetur suo loco. Ecclesia verò Romana propterea exceptione vti potuit, vt solos Constantinopolitanos Canones, qui Macedonium damnarent, probaret; quod hic Canon, veluti assumentum quoddam, in eorum albo appareret: Qua ratione etiã Pontifices Leo, Gelasius, Gregorius, & Nicolaus, vt de impostura conquesti non sint, quia tamen, tãquam spurium respuerunt, satis significarũt fraudis vestigia aliqua se deprehẽdisse. Graue verò præiudicium facit huic Canoni, altũ de eo Episcoporum, qui statim à Concilio ad Damasum perscripserunt, silentium, & valdè inuerecundum esse oporteat Spal. qui ad Pontificẽ Romanum nihil illum pertinuisse prȩsidẽter scribat: namque vt nulla sit ei iniuria facta, quod illum suo loco

Cõc. Chal. c. 28.
Conc. Constan. 1. c. 4.
Hier. ep. 61.
Leo ep. 56.

loco esse sineret, cùm tamen Alexandrinus & Antiochenus Antistites suis locis moti iniuriam summá accepissent, ad Pontificem Patriarcharũ caput res omninò referri debuit. Quare etiã Leo hanc vnã impugnati Anatolij ratione profert, quod Coepiscoporũ suorũ causam agat. *Non conuellantur*, inquit, *prouincialiũ iura primatũ, nec priuilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudẽtur Antistites. Nihil Alexandrinæ sedis, eius quam per sanctum Marcum Euangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ, tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante B. Apostolo Petro Christianum nomen exortũ est; in paternæ constitutionis ordine perseueret: & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes; aliud præsidentes, & magnus vnicuique honor est integritas sua.* Quid igitur? an rursus, adeo hospes est Spalatensis in historia Ecclesiastica, vt eum fugiat extitisse legem ab omni æuo in Ecclesia receptam, cuius meminerit Zozomenus, qua prohiberetur, *ne citra Conscientiam Episcopi Romani decreta, seu Canones Ecclesiis sancirentur.* Qua fronte igitur hunc Canonem ad Romanum Pontificem nihil pertinuisse asserit. Certè cum Damaso, qui secundò Cõstantinopolim cõuenerant Antistites, de Nectarij & aliorũ Episcoporũ qui in Synodo Constantinopolitana creati essent ordinationibus, perscripsissent, poterant & de mutatis sedibus Patriarchalibus scribere. Quod addit Spalatensis, *non contradixisse Timotheum Alexandrinum Episcopum, quia de ipsius assensu factus est Canon*, ne pilum quidem verisimilitudinis habet, nec eius rei vestigia vlla extant: Probabilius est, quod affert Baronius post discessum Timothei Alexandrini, in cuius præiudicium hic Canon vertitur, eum editum, ac perinde actis Concilij furtiuè superadditum fuisse: quod eò verisimilius videri debet, quod cum Concilio Chalcedonensi idem Canon nouo decreto firmatus fuisset, maximusque Antiochenus Episcopus vtcunque inuitus consensisset, postea tamen factæ sibi iniuriæ impatiens de ea apud Leonem conquestus sit; par enim iniuria fiebat Alexandrino tum Antiocheno. Quod postremo inculcat Spalatensis, eo priuilegio *nullum Nicænis Canonibus præiudicium esse generatum*, abundè à Leone refellitur pluribus ad Marcianum, ad Pulcheriam & Anatolium ipsum Epistolis, & vt non refelleret, res ipsa tamen clamat violatos Canones Nicænos. Quid enim? Annon vt secundus locus Constantinopolitano assereretur oportuit Alexandrinũ, eodem loco quo eum consistere voluerat Nicænum Concilium moueri? ac in tertium pulso in quartũ Antiocheno reiici? Annon præterea hanc corniculam alienis plumis ornari oportuit? Annon sunt auulsæ à Throno Romano, & ab Antiocheno Diœceses, quæ ei regendæ committerentur, imminuto aliorum magistratu? Sed demus furtiuum & subdititiũ non fuisse Canonem, quod tamen Baronius contendit, proculdubio, vt sit primi Concilij Constantinopolitani decretum, vel in ipso Concilio factum, vel postea ab Episcopis, qui postea Constantinopolim absoluto Concilio conuenerant, Oecumenici tamen Concilij Canon esse non potest: namque cùm Concilium illud Constantinopolitanum centum & quinquaginta Episcoporum, vt testatur Socrates, solos Orientis Episcopos habuerit, nec vlli Occidentis interfuerint Episcopi, Oecumenicum non alia ratione habetur, quàm quod à Pontifice, Damaso scilicet, vt testatur Photius, confirmatum fuerit. Quare cùm Pótifex pro spurio ac illegitimo hunc Canonem habuerit, nec eum Ecclesia Romana vnquam admiserit, nõn plus habet ponderis, quàm si furtiuus & subdi-

SPALAT. Num. 16. Epist. 56.

Ad 3.

Baron. ad 381. nu. 82.

Ad 4.

Lib. 5. c. 8

titius esset; Non recepisse autem Ecclesiam Romanam hunc Canonem, testes nobis sunt omni exceptione maiores, Leo & Gregorius: *Romana Ecclesia*, inquit Gregorius, *eosdem Canones vel gesta Synodi illius hactenus, non habet, nec accipit, in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedoniũ definitum.* *Frustra*, inquit Leo, *quorundam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negant effectus.* Sed iam, vt nutantem Canonem fulciat, ad Chalcedonensem Synodum confugit, quam Constantinopolitanorum patrocinium suscepisse contendit, vtque probabiliorem suam sententiam ostendat, Concilij historiã Græca fide contexit, cumque in multis non quidem in vniuersum ab omnibus Chalcedonensibus Patribus peccatum fuisse, sed à factiosis quibusdam Constantinopolitanæ Sedi nimium addictis nostri ostendant, sic rerum gestarum seriem adornat, vt simplicioribus fucum facere possit. Attexamus illius verba: *In Concilio Chalcedonensi*, inquit, (*fortasse ita instante & solicitante Anatolio, vt queritur Leo; nimirum cupiente se à molestiis, quas à Romanis Pontificibus Constantinopolitani patiebantur, post hanc Constantinopolitanæ Sedis euectionem, liberare,*) *fuit idem Constantinopolitanus Canon de primatu illius Sedis confirmatus. Ac primùm quidem iam introductam consuetudinem, vt causæ Ecclesiasticæ totius Orientis, quæ in propriis Prouinciis terminari vix possent, ad Sedem Constantinopolitanam deferrentur, Concilium hoc Chalcedonense bis confirmauit: vt si aduersus eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, vel de rusticis parochiis lis oriatur; petat aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur. Deinde verò ad Primatum dictum, & confirmandum, & declarandum accedens; ita statuit ac definit: Vbique Sanctorum Patrum definitiones sequentes; & Canonem, qui nuper lectus est centum & quinquaginta Deo amantißimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore Theodosio Magno, in Regia ciuitate Constantinopoli noua Roma agnoscentes; eadem quoque & nos definimus & statuimus, de priuilegiis eiusdem sanctißimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ nouæ Romæ, Etenim Sedi Senioris Romæ, quod vrbs illa imperaret, Patres iure priuilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti, centum quinquaginta Dei amantißimi Episcopi, æqua priuilegia tribuerunt sanctissimæ Sedi nouæ Romæ; rectè iudicantes vrbem quæ & imperio, & senatu honorata sit, & æqualibus priuilegiis, cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis; non secus ac illa, extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem; vt & Ponticæ & Asianæ, & Thraciæ Diœceseos Metropolitani soli, præterea & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur in prædicto sanctißimo throno, Sanctißimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ; nimirum vnoquoque Metropolita earum ipsarum Diœceseon, vna cum Episcopis Prouinciæ, ordinante Prouinciæ Episcopos; vt diuinis Canonibus promulgatum est. Metropolitas verò earum Diœceseon ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo, electionibus conuenientibus secundum morem factis, & ad eum perlatis.*

Paschasinus tamen, & Lucentius Episcopi, & Legati Romani post peractum negotium de rebus fidei, rogati à Patribus Concilij, vt communicarent etiam aliis gestis, quæ iuxta consuetudinem Conciliorum, post res fidei, etiam circa regimen Ecclesiasticum solent, Canonum editione, adiici; negarunt suam præsentiam: se alia suscepisse à Leone mandata asserentes. Idem quoque retulerunt iidem Patres Iudicibus Concilij, qui nomine Imperatoris aderant; & hi iusserunt, vt Concilium illa quoque inspiceret: atque ita delicentia iudicum Canones, inter quos est ille de Primatu Constanti-

Greg. li. 6. ind. 15. ep. 31.
Leo ep. 51. ad Anat.
Spal. Nu. 5. Leo ep. 56.
Concil. Chalced. c. 9. & 17.
Cõc. Chal. Act. 15. c. 28.
Spalat. Num. 6. Idem Cõc. Act. 16.

stanti-

stantinopolitano, consentiente sanè toto Concilio, sunt formati: neque in occulto quicquam gestum est; vt habent acta, neque furtim; sed recto ordine, atque canonicè. Paschasinus tamen & Lucentius Legati prædicti, conquesti sunt coram Iudicibus quædam gesta esse in Concilio, post ipsorum Legatorum, imò etiam Iudicum abscessum: prædictusque peculiaris Canon vt legeretur curauerunt, quo lecto, statim secuta est subscriptio totius fermè Concilij: cui subscriptioni statim Lucentius circumuentionem & coactionem obiecit. Sed omnes Episcopi clamauerunt, nemo coactus est. Tunc obiecit Lucentius, Canonem hunc esse contrarium Canonibus Nicænis: & in Concilio quidem Constantinopolitano primo, ante octoginta annos, mentionem factã esse huius priuilegij: sed in Synodicis Canonibus illud non haberi, atque sic arguit: si hoc priuilegio vsi sunt, à tempore Concilij Constantinopolitani quid nunc requirunt? si nunquam vsi sunt, quare requirunt? Tunc requisiti ipsi legati, an super hoc mandatum speciale haberent; protulerunt huiusmodi commißionem Sanctorum Patrum constitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari: Seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostro transmisimus, dignitatem: ac si qui fortè ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare; hoc qua dignum est constantia retundatis.

Tunc Iudices legi mandauerunt Nicænum Canonem sextum; qui vno modo lectus est à Paschasino Legato Papæ, prout ex Archiuis Romanis fuerat delatus; alio modo ex codice Græco, à Secretario Concilij est recitatus. Similiter etiam Canon *Constantinopolitanus Nicæno conformis est recitatus, cum adiectione priuilegij Ecclesiæ* Constantinopolitanæ. *Quibus perlectis, Iudices dixerunt: hi qui relecto tomo subscripserunt, Asiani &* Ponti *sanctißimi Episcopi, dicant, si voluntate propria, vel imposita sibi aliqua neceßitate coacti subscripserunt: & duodecim quidem ex ipsis singillatim se liberè & sponte subscripsisse sunt professi; rationes etiam varias adducentes, cur meritò debeant Constantinopolitano subesse Patriarchæ; inter quos Eusebius Dorylei: Sponte, inquit, subscripsi: quoniam & hanc regulam sanctißimo Papæ in vrbe Roma ego relegi; præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit. Et Calogerus* Claudiopolitanus: *Secundum sententiam, inquit, Sanctorum Patrum* 150. *voluntate propria, non coactus subscripsi. Ita etiam Antiochus Synopsis dixit: Spontè subscripsi, sequens Metropolitanum meum, & regulam* 150. *Et Eleutherus Chalcedonensis dixit: Sciens quia & per Canones, & per consuetudinem præcedentem, habet hæc iura* Con*stantinopolitana Sedes, cum voluntate subscripsi. Cæteri Episcopi Asiæ &* Ponti *clamauerunt; spontè subscripsimus. Inde Eusebius Ancyranus, qui non subscripserat, interpellatus à Iudicibus aliqua in sui excusationẽ dixit. His omnibus,* persequitur Spalat. *sic peractis, & auditis, visaque voluntate eorum Episcoporũ, de quorum videbatur agi præiudicio; Thraciæ nimirum,* Ponti *& Asiæ qui nouo Patriarchæ, prius consuetudine paulatim introducta, vt dicebat Eleutherus, deinde etiã* Canone *Concilij Constantinopolitani generalis, ac demum huius Concilij Chalcedonensis confirmatione, & declaratione libenter subiiciebantur: Iudices Imperiales suam protulerunt sententiam, in hanc formam; Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, secundum* Canones *antiquę* Romæ, *Dei amantißimo Episcopo conseruari. Oportere autem Sanctißimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, eisdem* Prima*tibus honoris, & ipsum dignum esse, & potestatem habere ordinare Metropolitas, in Asiana &* Pontica, *& Thrasica Diœcesibus: secundum hunc modum, vt decretò facto à* Clericis *vniuscuiusque Metropolis & possessoribus, atque clarißimis; super*

Spalat. Num. 7.

Ibid. act. 16.

Spalat. Num. 8.

Cõc. Chal. Act. 16.

hæc & à reuerẽdißimis Episcopis Prouinciæ omnibus, aut plurimis eligi, quemcunque præfati Metropolitanæ Episcopi dignum esse probauerunt. Referri autem ab omnibus eligentibus, Sanctißimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis, vt penes eum sit, si velit, hunc qui electus est deductum hic ordinari, aut secundum eius permißionem in Prouincia Episcopatus mereri Decretum: vniuscuiusque tamen ciuitatis sanctißimos Episcopos ab omnibus ordinari, aut plurimis Prouincię: reuerendißimis Episcopis potestatem habente Metropolitano, secundũ Patrum regulas definitam, etiã nihil communicante in illorũ ordinationibus Sanctißimo Archiepiscopo Regiæ Constantinopolis. Hæc à nobis inspecta sunt: Quæ autem videntur sanctum & vniuersale Conciliũ docere dignetur. Reuerendi Episcopi dixerũt: Hæc iusta sentẽtia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placẽt: hæc omnes dicimus hoc iustũ decretũ, quæ constituta sunt valeãt: hæc iusta sentẽtia, omnia ordinatè decreta sunt. Hic Lucentius suã interposuit contradictionem. Post illum Ioannes Sebastensis ad Iudices conuersus dixit: Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus: Viri illustrißimi Iudices dixerunt: quod interlocuti sumus tota Synodus approbauit. Huc vsque acta Concilij Chalcedonensis, in quibus patet magna cum maturitate in confirmatione illius priuilegij processum est, Liber. Breuiar. c. 13. *& obiectiones Legatorum Romanorum fuisse ventilatas: & ab ipso toto Concilio reiectas, vt planè fatetur etiam Liberatus Diaconus in suo Breuiario. Neque dubitari potest aliud fuisse legitimum conciliare Decretum, cuius plenam notitiam per* Cõc. Chal. Act. 16. Leo ep. 65. Spal. Nu. 9. Bar. tom. 6. an. 451. nu. 128. & seq. Euag. l. 2. c. vlt. in fin. Baron. ibid. num. 143. *Synodicas suas, Concilium ipsum dedit Papæ Leoni; vt & ipse actis & decretis Conciliaribus suum associaret assensum. Admisit verò omnia, & approbauit Leo, quæcunque in fidei causa definita fuerant: Canones non admisit. Volui tibi lector,* addit Spalatensis, *exactius acta Concilij Chalcedonensis referre, quia ea Baronius mutilata profert, vt liceat ei tandem concludere: Actionem illam vltimam in qua cõfirmatus est, Canon de Primatu Constantinopolitano, spuriam & clandestinam, fuisse ab Anatolio furtim adiectam. Cùm tamen, vt vidimus, actio illa tota iustificatißima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata præsentibus semper Legatis Apostolicis, licet contradicentibus, & diligenti facto examine, cum legitimis & liberis subscriptionibus, cum processu, examine, & sententia definita, conciliarique plena approbatione.* Sed quoniam tum Spalatensis, tum ante eum Chalcedonenses vera falsis, incredibilia probabilibus intexunt, sunt singula à nobis diligentius excutienda; vt, quibus in rebus tum ab illo, tum ab istis peccatum sit, aperiamus.

Cõc. Chal. Act. 11. Οἱ τῆς Ἀσίας εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι, προσπεσόντες τῇ ἁγιωτάτῃ συνόδῳ τῶν πατέρων, εἶπον· ἐλεήσατε ἡμᾶς· ἡμεῖς παρακαλοῦμεν τὴν ἁγίαν σύνοδον, ἵνα κατελεήσῃ τὰ παιδία ἡμῶν καὶ δι' ἡμᾶς καὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἀποθάνῃ. &c.

Quod attinet ergo ad Chalcedonense decretum, non vnum subesse vitium, sed plura notant nostri. Primũ vitium sit: Quod neque à Præsidibus Concilij, neque à Synodo ipsa, sed à solo Clero Constantinopolitano, maximè verò ab Acatio Archidiacono, studio augẽdæ dignitatis suæ Ecclesiæ laboranti, & priuato affectu abrepto inuectus fuerit & obtrusus: Hoc omninò colligitur ex actione vndecima, in qua cùm pars huius decreti, nimirum vt Metropolitani Episcopi Asiæ minoris ordinationes suas ab Episcopo Constantinopolitano acciperent. *Asiani Reuerendißimi Episcopi ante sanctißimam Synodum Patrum dixerunt: Miseremini nostri. Nos supplicamus Sancto Concilio, vt misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos & propter peccata nostra moriantur, vt nobis clementia condonetur. Nam si Baßiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filij nostri moriuntur, & ciuitas deperit. Gloriosißimi iudices dixerunt: Quoniam secundum voces sancti Concilij, neque Baßianus, neque Stephanus reuerendißimi Episcopi in Ephesiorum ciuitate sunt digni, Asiani autem Episcopi hîc reperti dicũt,*

Si

Si hic ordinetur alter Episcopus Ephesiorum conturbari ciuitatem, dicat sancta Synodus, vbi volunt Episcopum *Ephesinæ sanctissimæ Ecclesiæ* Canones *ordinari*. Et horũ quidem votis annuerunt reuerendissimi Episcopi, nam querentibus gloriosissimis Iudicibus à sancta Synodo vbinam vellent Synodum Episcopũ Ephesinæ Sanctissimæ ordinare, οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ὅπου ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ. Cumque ea de re

Act. 11.

litem Asianis mouissent Philippus Presbyter Constantinopolitanus, & Aëtius Archidiaconus vna vox fuit P*atrum* Canones *obtineant*, quo audito tumultum concitauerunt Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ, atque clamauerunt; *Ea quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant* (Canonem primi Concilij Constantinopolitani quem impugnauit Baronius intelligunt) *priuilegia Constantinopolis ne pereant*. Quare etiam cùm Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanus fraudis à Legatis Apostolicis postularetur, hoc responso factũ leniuit, *Consuetudo est in Synodis postquam ea, quæ sunt omnium præcipua, fuerint definita, & alia quædam necessaria, examinari atque formari. Habuimus, hoc est Constantinopolitana, Sanctissima Ecclesia, certa quædam, quæ agere deberemus.* Ex quibus verbis liquidò apparet, condendi pseudo-Canonis authores fuisse Clericos Constantinopolitanos proferendæ suæ Ecclesiæ gloriæ desiderio æstuantes ac flagrantes, non verò Synodum de eo cudendo primùm cogitasse; quare etiam in Clerum suum totam culpam coniecit Anatolius, cùm à Leone eius arcesseretur. *Illam culpam*, inquit, *quam de augenda potestate aliena, vt asseris, adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum Consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi frater Charissime, est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum, professio dilectionis tuæ attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit.* Alterum vitium fuit, quod hora minus apposita, & vt Iuris-consulti loquuntur incompetenti, editus fuerit hic Canon, post enim dimissos Patres, & solutum cõsessum, adeóque post tum Legatorum Pontificiorum tum ipsorum Senatorum ac gloriosissimorum Iudicum discessum; qua de re in hæc verba conquesti sunt Legati, postero die: *Hesterna die*, inquiunt, *postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra sequuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones Ecclesiasticos, & disciplinam æstimamus effecta.* Ex responso verò Iudicum constat vera omninò dixisse Legatos; namque gloriosissimi Iudices dixerunt: *Si qua gesta post nostrum discessum facta sunt, relegantur. Quod & factum est, & oblata scheda ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitano Berosianus Secretarius diuini Concilij legit, &c.* Consentit Liberatus in Breuiario. *Et alia, in qua post discessum Iudicum*, inquit, *& Senatorum & Legatorum Apostolicæ Sedis, regulæ constitutæ sunt Ecclesiasticæ, & quædam priuilegia deputata Constantinopolitanæ Ecclesiæ, vsurpante sibi hoc Anatolio eiusdem vrbis* Episcopo, *occasione accepta ex Dioscori damnatione.* Vnde apparet falsò Aëtium, vt se defenderet ad Iudices dixisse, *Rogasse se Dominos Episcopos de Roma*, vt communicarent iis gestis, quamquam renuissent, aut certè fatendum est non illo die, nec illa hora qua conditus est Canon, ad Legatos de eo retulisse.

Leo ep. 71.

Act. 16. Τῇ χθὲς ἡμέρᾳ ἀναχωρησάσης τῆς ὑμετέρας ὑπεροχῆς, καὶ τῆς ἡμετέρας ταπεινώσεως, ὑπομνήματά τινα λέγεται πεπρᾶχθαι, ἅπερ ἡμεῖς ὑπεναντίον τῶν κανόνων, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐπιστήμης, φάσκομεν γεγενῆσθαι.

Act. 16. Εἴ τινα ἄλλα ὑπομνήματα μετὰ τὴν ἡμετέραν ἀναχώρησιν πεπραγμένα ἀναγινωσκέσθω.

Ibid.

Lib. c. 13. in breuiario.

Tertium vitium fuit, quod tandem post multas prehensationes à Solis Episcopis Patriarchatus Antiocheni, & Prouinciarũ Constantinopoli vicinarum

procusus est, absentibus scilicet non solùm Patriarchatus Alexandrini Antistitibus, quos propterea abfuisse cõtendit Spalatẽsis, quod in sui Patriarchę Dioscori exautorati locum nullus adhuc suffectus fuisset, verùm etiam Illyrici Orientalis Macedoniæ Hellados Poloponensi Thessaliæ ac Insulæ Cretæ; adeóque ipsis Legatis Pontificis, qui totius Occidentis Episcopos referrent, ac eorum loco essent, ac pro iis loquerentur. Id verò Anatolij fraude factum, planum est, siquidem, quod eos aduersarios se habiturum sciret, sedulò cauit, ne adessent cùm de condendo Canone sermo institueretur.

Quartum vitium fuit, quod illi ipsi qui subscripserunt Episcopi, inuiti, & non nisi tergiuersando subscripserunt, qua de re conquesti sunt Pontificis Legati; hæc enim Lucentij ad Iudices verba sunt: *Primo gloria vestra perpendat, qua circumuentione cum SS. Episcopis gestum sit, vt non conscriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt* (Clerici Constantinopolitani) *subscribere sunt coacti*; vel vt habent Græca: *Videt ergo præ aliis vestra gloria, qua circumuentione actum est circa Episcopos, qua etiam festinatione factum est, vt præter sanctas regulas sub necessitate subscriberent Episcopi.* Neque verò vanã fuisse Legatorum querelam, quod obiicit Spalat. vox Episcoporũ clamantiũ, *Nemo coactus est*, ostẽdit. Id siquidem Anatolij & Clericorũ Constantinopolitanorũ ambitiosæ prehensationi est deputandum, qui freti authoritate Imperatorũ, etiam cum multa indignitate prehensarunt singulos Episcopos, vtque Regiæ vrbi hunc honorem impertirentur, Imperatoremque ac Senatum hoc beneficio demererentur. Patet istud ex sessione vndecima, in qua, cùm ordinandi Episcopi Ephesini ius sibi arrogare vellet, quòd postea concessa sibi Patriarchatus dignitate obtinuit, & spurio illo Canone est definitum, non sustinuerunt Asiæ minoris Episcopi, hancque iniuriam etiam profusis lachrymis deprecati sunt: *Miseremini nostri. Nos supplicamus sancto Concilio, vt misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos, & nostri filij moriantur, & nobis clementia condonetur: Nam si Baßiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filij nostri moriuntur, & ciuitas deperit. Gloriosißimi Iudices dixerunt: Quoniam secundum voces sancti Concilij, neque Baßianus, neque Stephanus reuerendißimi Episcopi Ephesiorum ciuitate sunt digni, Asiani autem Episcopi hîc reperti, dicunt: Si hic ordinetur alter Episcopus, Ephesiorum conturbari ciuitatem, dicat sancta Synodus vbi volunt* Episcopum *Ephesinæ Sanctißimæ Ecclesiæ Canones ordinari.* Itaque Episcoporum Asiæ minoris vna vox fuit, nulla ratione ad Constantinopolitanum Antistitem deuolui debere ius ordinandi Ephesini Episcopi, quòd tamen subdititio Canone, vt diximus, illi tribuitur. Sed Constantinopolitani Clerici clamoribus omnia compleuerunt, hocque ius asserere suo Antistiti moliti sunt. *Ea quæ Sanctorum*, inquiunt, *Patrum centum quinquaginta sunt, teneant priuilegia Constantinopolis, ne depereant. Ordinatio secundum morem ab Archiepiscopo nostro fiat.* Igitur ante illas Cleri Constantinopolitani indignas prehensationes, proculdubio hunc ambitum auersabantur Asiæ minoris Episcopi, vtque consuetudini staretur, contendebant, & alioquin futurum prædicebant, vt vrbes cædibus & sanguine complerentur, quare inconstantiæ & leuitatis, adeoque mendacij, meritò postulatur Diogenes Cizici Metropolita, qui cùm rogarentur Episcopi, num spontè subscripsissent, dixerit: *Coram Deo cum voluntate subscripsi.* Alia siquidem illa sessione consuetudinem propugnarat, qua in Prouincia soleret ordinari Episcopus Ephesinus, negato eo iure Constantinopolitano.

Concil. Chalced. Act.16. Ἴτε ὡς τίς κ῀ ἀπάτλω ἐπι- χείρα τοῖς ἐπισκόποις ... Num.6.

Act. 11. Ἐλεήσατε ἡμᾶς ... ἁμαρτίας ἡμῶν, ...

Ibid. Τὰ τῶν πατέρων τῶν ρν'. ...

Cõc. Chal. Act.16.

Quintum

Quintum vitium fuit, quod illi ipsi, qui prensationibus egerunt, vt hîc honos suo Antistiti deferretur, Concilij Constantinopolitani Canonem centum quinquaginta Patrum, quo se venditarent, duorum mendaciorum adiectione corruperunt. Prior corruptela fuit, quòd cùm Canone illo qualis tandem fuerit, solùm secundi à Romano Pontifice honores Constantinopolitano tribuerentur: *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem, post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma*, Pares omninò ac æquales à Canonis renouatoribus ei tribui curarint, [a] *Et eadem consideratione moti*, inquiunt, *centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, rectè iudicantes vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma priuilegiis fruatur, etiã in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem.* Posterior impostura fuit, quod Patres Constantinopolitanos Antistiti Constantinopolitano, ordinationes Metropolitarũ Ponti & Asiæ detulisse asseruerint, cùm de ea re nõ modò nihil statuissent, sed etiam contrariũ sanxissent. Verba Concilij sunt: [b] *Asianæ Diœcesis Episcopi, ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodò Diœcesim pertinent, gubernent. Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantùm Diœcesis, habeant curam: Thraciæ verò, ipsius tantummodo Thraciæ.* Quare etiam Socrates vnam Thraciam Nectario Cõstantinopolitano Episcopo in ea Synodo creato delatã ac designatam scribit: [c] *Nectario*, inquit, *ampla illa ciuitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obuenit. Ponticæ autem Diœcesis Patriarchatus Helladio Cæsareæ, Cappadociæ post Basiliũ Episcopo, &c. Patriarchatũ item Asianum Amphilochius Episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortitò capiunt.* Contendisse autem Clericos Constantinopolitanos à centum quinquaginta Patribus tributam suo Antistiti ordinationẽ Metropolitarũ Asiæ, ea reuera Episcoporum qui Canonem restaurarunt, verba indicant. [d] *Sanctorum Patrum decreta vbique sequentes, & Canonem qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorũ Episcoporũ agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de priuilegiis Sanctissimæ Ecclesię Constantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquę Romæ throno, quod vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuere. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi sanctissimo nouę Romæ throno ęqualia priuilegia tribuere, rectè iudicantes, vrbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma priuilegiis fruatur etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundã post illã existentem: vt & Ponticæ & Asianę & Thraciæ Diœcesis Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarũ Diœcesum, quæ sunt inter barbaros, à prædicto throno Sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur: vnoquoque scilicet prædictarũ Diœcesum Metropolitano cum Prouinciæ Episcopis Prouinciæ Episcopos ordinante, quemadmodum diuinis Canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, prædictarum Diœcesum Metropolitanos à Constantinopolitano Archiepiscopo conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis.* Fuisse enim hoc commẽtum Cleri Cõstantinopolitani, à quo essent illi Episcopi dementati, omninò ex sessione vndecima colligitur, nãque cùm ordinãdi Ephesini Episcopi, ius suo Antistiti vindicarent, clamauerunt: *Iustitia Bassianũ vocat, Regulę valeant. Gloriosissimi Iudices dixerunt. Nobis quidem videtur, neq; Bassianũ reuerendũ dignum existere, vt sit Ephesiorũ ciuitatis Episcopus, quoniã ex inuasione violenta Episcopatum sibimet vendicauit: neque Stephanum Reuerendum Episcopum, qui per coniurationes & tales adinuentiones Episcopatum sibimet acquisiuit.*

Cõc. Cõst. Can. 3. Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

[a] Concil. Chalc. c. 28. Καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν'. θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ.

[b] Cõc. Cõst. Can. 2. Καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπους, τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν μόνην οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Θρᾴκης, τὰ τῆς Θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν.

[c] Lib. 5. c. 8. Καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν, καὶ τὴν Θρᾴκην. τῆς δὲ Ποντικῆς διοικήσεως, Ἑλλάδιος ὁ μετὰ Βασίλειον Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν ἐπίσκοπος. &c. τὴν πατριαρχίαν ἐκληρώσατο. τὴν Ἀσιανὴν δὲ λαγχάνουσιν Ἀμφιλόχιος [ὁ] Ἰκονίου, καὶ Ὄπτιμος, &c.

[d] Cõc. Cha. Act. 15. Can. 28. Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, καὶ τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ρν'. θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν.

Rel. Cōc. Chalc. ad Leonem.

Ἡμεῖς θεραπεύοντες τούς τε εὐσεβεστάτους, καὶ φιλοχρίστους βασιλέας ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, τήν τε λαμπρὰν σύγκλητον, καὶ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν βασιλεύουσαν, εὔκαιρον ᾠήθημεν τὴν ἐν αὐτῇ περὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου βεβαιῶσαι τὴν τιμήν.

Sextum vitium fuit, quòd cùm iudices, hoc est, Senatores ab Imperatore ad Synodum missi, *vt paci ac tranquillitati, ne quis tumultus suboriretur, consulerent*, cùm augendæ & amplificandæ dignitati Constantinopolitanæ vrbis nimium studerent, necessitatem sua authoritate Episcopis imposuerunt in hunc Canonē consentiendi, namque cùm hac sanctione gratificaturos Patres Imperatori Synodo persuasissent, nō existimarunt Episcopi, integrū sibi esse, reluctari, ne Imperatorem offendisse viderentur, hanc causam sibi fuisse condendi Canonis Epistola ad Leonem significant: *Nos*, inquiunt, *curantes tam pijßimos, & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarißimum Senatum, & totam (sicut dicere conuenit) imperij ciuitatem opportunum credidimus esse, honoris eius confirmationē ab vniuersali Concilio celebrari, & velut hæc à tua sanctitate fuerint inchoata, eo quod fouere semper studeas, roborauimus præsumētes, dū nouerimus, quia quicquid rectitudinis à filiis fit; ad patres recurrit, facientes hoc sibi proprium.*

Rel. Conc. Chalc. ad Leo Papā.

Καὶ ὡς ἐκ τῆς σῆς ὁσιότητος ταύτην ἐναρχθεῖσαν, δι' ὧν ἀεὶ θάλπειν ἐσπούδακας, θαρρήσαντες ἐκυρώσαμεν· εἰδότες, ὡς πᾶν παρὰ τῶν τέκνων γνήσιον κατόρθωμα, εἰς τοὺς οἰκειώσαντας πατέρας ἀνατρέχει.

Septimum vitium fuit, quòd studio partium laborans Eusebius Dorilæi Episcopus, cuius testimonium ostentat Spalatensis, quòd dixerit, *Sponte subscripsi, quoniam & hanc regulam Sanctißimo Papæ in vrbe Roma ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepi.* Impostorem egerit, & deceptorem versutū ac callidum, quippe qui egregiè imposuerit Pontifici, quo eius authoritate Synodum circumueniret, ac in Constantinopolitanorū sententiam pertraheret, quod & obtinuit, nam persuasi Patres probatam eam regulā Pontifici, non dubitarunt eam sancire, quod ipsi innuunt ea Epistola ad Leonem: *Et velut*, inquiunt, *hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eo quod fouere semper studeas, roborauimus, præsumentes, dum nouerimus, quia quicquid rectitudinis, à filiis fit, ad Patres recurrit, facientes hoc proprium sibi. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim & pij Principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ Sanctitatis iudicium firmauerunt, & Constantinopolitana sedes suscipiet præmium, quæ omne semper studium vobis ad causam pietatis expleuit, & semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo coniunxit.* Quàm autem hæc falsa essent, & à mente Leonis aliena apparet, tum ex intercessione Legatorū, tum ex Leonis Epistolis, siquidem cùm de eo Canone contenderetur, rogati Legati Pontificij, numquid contrà præcepisset Pontifex: *Bonifacius Presbyter Sedis Apostolicæ Vicarius dixit: Beatißimus & Apostolicus vir Papa, inter cætera hoc nobis mandauit, & ex chartula recitauit: Sanctorū quoque Patrū constitutionem prolatā, nulla patiamini temeritate violari, seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem: Ac si qui forte, ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare, hoc, qua dignum est constantia retundatis.* Quod sincerè omninò dixisse eum, ac pro mandato accepto à Pontifice, ostendit Leo epistola ad Maximum Constantinopolitanum Episcopum. Item altera ad Anatolium, sic enim ad Maximum: *Si quid sanè ab his fratribus*, inquit, *quos ad sanctā Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apostolica sede sunt directi, vt excußis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores.* Sic verò ad Anatolium: *Absit à conscientia mea*, inquit, *vt tam praua cupiditas meis studiis adiuuetur, ac non potius & meo, & omnium, qui non alta sapiunt, & humilibus consentiunt, opere subruat.*

Cōc. Chal. Act. 16.

Βονιφάτιος, ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος, εἶπεν· ὁ μακαριώτατος, καὶ ἀποστολικὸς ἐπίσκοπος μεθ' ἕτερα πολλά, καὶ τοῦτο ἡμῖν ἐνετείλατο. καὶ ἀπὸ τοῦ χάρτου ἀνέγνω. τὸν ὅρον τῶν ἁγίων πατέρων μηδὲ μιᾷ προπετείᾳ ἐλαττοῦσθαι, ἢ μειοῦσθαι. &c.

Leo ep. 62. ad Maxim. Id. ep. 53. ad Anath. Cōstant. ep.

Octauum vitium fuit, quòd reluctantibus & hanc audaciam damnantibus, adeoque nomine Pontificis intercedentibus Legatis, is Canon procusus fue-

rit. hanc suam intercessionem inter acta Concilij reponi obnixè petierunt: Sic enim post assertum eum Canonem: *Sedes Apostolica quæ nobis præcepit, præsentibus humiliari non debet. Et ideò quæcunque in præiudicium Canonum vel regularum hesterna die gesta sunt, nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus vt circumduci iubeatis: sin aliàs contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus: vt ipse aut de sua Sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam.* Quod etiam ex Epistola Leonis ad Anatolium colligitur, & ipsi Chalcedonenses conqueruntur Epistola ad Leonem: [a] *Qui enim*, inquiunt, *locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est reuerendissimus Presbyter Bonifacius, iis ita constitutis vehementer resistere tentauerũt, proculdubiò à vestra prouidentia inchoari, & hoc bonum volentes, vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Inde enim fratres nostri*, inquit Leo ad Anatoliũ, [b] *ab Apostolica sede directi, qui vice mea Synodo præsidebãt, probabiliter atque cõstanter illicitis ausibus obstiterunt apertè reclamantes ne contra statuta Nicænæ Synodi præsumptio reproba nouitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare, &c.* Quî ergo hunc Canonem sancire potuerint Chalcedonẽses, cùm veteri Ecclesiæ instituto nemini liceret, *præter sententiã Romani Episcopi* regulas sancire Ecclesiis.

Nonum vitium fuit, quòd cum Canonis confirmationem à Pontifice Chalcedonenses demissè petiissent, vt ex eorum epistola apparet, non solùm annuere recusauit, verùm etiam decretum refixit ac damnauit. Patet istud ex epistola ad Pulcheriam: [c] *Consensiones*, inquit Leo, *Episcoporum, Sanctorum Canonũ apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Et Gelasius de anathematis vinculo: [c] *Quod firmauit*, inquit, *in Synodo Sedes Apostolica hoc robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & sola rescindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat vsurpandũ, non promulgatrix iterata sententiæ, sed cum Apostolica Sede veteris executrix.* Nec est quod Spalatensis obiiciat indulsisse affectui Leonem, cùm iura sua non propugnaret, sed iura Patriarcharum nempè Alexandrini & Antiocheni qui ægerrimè tulerunt, & Constantinopolitani & Hierosolymitani ambitiosos conatus Pontificémque sunt obnixè precati, vt eos repressos in ordinem cogerent: Sic enim & Cyrillus Alexandrinus de Hierosolymitano, & Maximus Antiochenus de ipso Anatolio apud Leonem conquesti sunt, vt ex epistola Leonis ad Maximum constat; *Quum*, inquit, *aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ priuilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis litteris studeat explicare, vt & nos consultationi tuæ absolutè & congruè respondere possimus. Nunc autem ad omnia generaliter prænunciare sufficiat, quod si quid à quoquam contra Nicænorum Canonum statuta, in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur exortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis.* [*] Nullus verò dubito Chalcedonẽses ea fuisse in Sedem Apostolicã reuerentia, vt sola ignoratione decreti Põtificij, hac in parte peccarint. Si enim exploratũ illis fuisset, hunc Canonem authoritate Leonis abrogatum fuisse, proculdubiò in illum non consensissent. Propterea etiã Ambitor Anatolius per summũ scelus & fraudem Strophis lusit, ac à Leone missum ad se abrogationis decretum, reliquos Episcopos celauit. Qua fraude ferè factum est, vt totus Oriens discordiis ciuilibus arderet; namque cum eadẽ

Act. 16. *Καὶ διὰ τοῦτο ἐπ' αὐτοῖς τοῦ συνεδρίου περὶ κανόνας τῇ χθὲς ἡμέρᾳ ἐπράχθη, ἀπόντων ἡμῶν, &c.*

[a] Ep. Conc. Chalc. ad Leon. Pap. *Περιεπλέξαμεν καταξίωσιν, ἁγιότητι, καὶ μακαριώτατε πάτερ. οἱ γὰρ τὸν τόπον τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος ἐπέχοντες ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι, Πασχασῖνος, καὶ Λουκήνσιος, καὶ ὁ σὺν αὐτοῖς θεοφιλέστατος πρεσβύτερος Βονιφάτιος, τοῖς οὕτω τυπωθεῖσι σφοδρῶς ἀντιτεῖναι ἐπειράθησαν, πάντως, ἀπὸ τῆς ὑμετέρας ἄρξασθαι. καὶ τοῦτο τὸ καλὸν προνοίας βουλόμενοι, ἵνα καθάπερ τῆς πίστεως, οὕτω καὶ τῆς εὐταξίας ὑμῖν λογισθῇ τὸ κατόρθωμα.*

[b] Leo ep. 55.

[c] Gel. Pap. 1. Rom. de Anathematis vinculo.

Leo ep. 62. ad Max. Episc. Ant.

[*] &c. *Iuuenalis Episcopus, ad obtinendum Palæstinæ prouinciæ principatum credidit se posse sufficere & insolẽtes ausus per com-*

mētitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens scripsit sui mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicans, & sollicita prece multū poposcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. &c. Leo ep. 59. Mart. Aug.

epistolâ & illius Canonis irritatio, & reliquorum Chalcedonensium decretorũ confirmatio contineretur, hoc Pontificis decretũ suppressum Anatolius occultauit, quâ ratione plerisq; Orientalibus persuasum fuit, Pontificẽ Concilij Chalcedonensis acta minus probasse, quod confirmationis ab eo factæ vestigiũ nullum appareret, quare etiam à Leone Martianus Augustus contendit, vt Sanctæ Synodi, fidem calculo suo probaret, ac firmaret; altero scilicet scripto, cùm de primo nō constaret. Habentur ista in epistolis Leonis ad Martianum Augustũ, & ad Pulcheriam Augustam: *Quod facilius*, inquit, *clementia vestra arbitretur implendum, si per vniuersas Ecclesias, definitiones Sanctæ Synodi Chalcedonensis, Apostolicæ Sedi placuisse doceantur. De quo quidem non fuit ratio ambigendi, cùm ei fidei omniũ subscribendo consensus accesserit, quæ à me secundũ formam Apostolicæ doctrinæ ac paternæ traditionis emissa est, & per fratrem meũ Lucianum Episcopũ talia, & ad gloriã vestram & ad Constantinopolitanũ Antistitem scripta direxerim, quæ euidenter ostenderent, me ea quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem litteris ea, quæ per occasionem Synodi malè sunt attentata, reprehenderam: maluit prædictus Antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitũ publicare.* Alterum vitium fuit, vel potius vitij indicium fuit, quòd post tot prensationes, post tot curas & labores, ipsum Anatolium sui ambitus

Leo ep. 72.

puduit, ac adulterino honori cessit, vt ex Leone & Gelasio colligitur: *Illam*, inquit Leo, *culpam quam de augenda aliena potestate (vt asseris) adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate nō potuit, non ad sola Clericorũ consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratũ mihi (frater charissime) est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiã placere non debuit. Sufficit in gratia cõmunis regressum, professio dilectionis tuæ, attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Quod Sedes Apostolica non consensit*, inquit Gelasius, *nec Imperator imposuit, nec Anatolius vsurpauit. Totumque (vt dictũ est) in Sedis Apostolicæ positũ est potestate. Ita quod firmauit in Synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem.* Vltimum vitiũ sit, quod perperam & falsò hic Canon reliquis Canonibus Concilij Chalcedonensis insertus, ac inter eos repositus sit, cùm namque legitimi Canones Concilij Chalcedonẽsis, numero 27. tantummodo fuerint, & hic 28. habeatur, cui alius nō melioris notæ sit additus 29. neuter inter legitimos censeri possit. Fuisse autem tantũ viginti septẽ Canones Chalcedonenses, docẽt Theodoretus, Dionysius Exiguus, Theodorus Anagnostes, & priscæ fidei exemplaria tum Græca, tum Latina, qua de re sic collector & interpres Romanus: *Canones*, inquit, *qui sequuntur non extãt in codicib. Græcis ms. quos habuimus huius Cõcilij, nec etiã in Latinis, neque in collectionib. Dionysij & Isidori. Cuius rei causa ea esse videtur, quia Anatolij CP. Episcopi circumuẽtione ac fraude, cũ Sedis Apostolicæ Legati è Synodo egressi essent, Patribus Cõcilij propositi, atque ab eis subscripti fuerãt: ex quorũ primo, qui est XXVIII. duorũ Patriarcharũ Alexandrini & Antiocheni priuilegia à Concilio Niceno eis data, infringebantur, & Primatus eius in Ecclesia post Romanũ Pontificẽ statuebatur. Quod beatus Leo indignè ferens eosdẽ reiecit & infirmauit, vt apparet ex ipsius Epist. LXI. ad Episcopos Synodi Chalced. & Epist. LXII. ad Maximũ Antiochenũ, & aliis. Recensentur tamen à Th. Balsamone, Io. Zonara & aliis Græcis Canonũ collectoribus, & cùm idem XXVIII. Canon relectus sit in sequenti actione, petentibus ipsius Apostolicæ Sedis Legatis, illos hic adscribẽdos putauimus, non vt eis aliquid authoritatis adiungatur, sed vt rei gestæ series non ignoretur.*

Gelas. de Anathem. vinculo.

Vt argumento sit posteriorum Græcorum fuisse hanc fraudem, cuius causa fortasse pronunciarit Gregorius à Constantinopolitanis falsatum Conciliũ Chalcedonense. Et certè si benè attendatur series actorum, apparebit, nec vigesimum octauum, nec vigesimum nonum Canonem, qui inscribitur, Canonis vllam speciem habere: sed lõgiores sumus in ea fraude aperienda, quã tamen propugnare non desinit Spalatensis. Verùm quæ sunt à nobis obseruata, eius commentis refellendis satis esse possunt, vt propterea thrasonicã illam iactantiam, aut potius insultationem, qua Baronium lacessit & insectatur, nihil moremur; Quis enim his imbutus non rideat hanc vanitatis plenam orationem? *Volui hic tibi, lector,* inquit, *exactius acta Concilij Chalcedonensis referre, quia ea Baronius mutilata profert, vt liceat ei tandem concludere: Actionem illam vltimam in qua confirmatus est, Canon de Primatu Constantinopolitano, spuriam & clandestinam, fuisse ab Anatolio furtim adiectam. Cùm tamen; vt vidimus, actio illa tota iustificatissima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata præsentibus semper tribus Legatis Apostolicis, licet contradicentibus, & diligenti facto examine, cum legitimis & liberis subscriptionibus, cum processu, examine, & sententia definitiua, conciliarique plena approbatione.* At verò Baronium ex alio capite Strophæ, vafriciei & proditionis (non cadunt ista in Sanctissimum, & Innocentissimum Cardinalem) postulat: quod cõminiscatur ipsum Conciliũ noluisse esse præsentes Ægyptios Episcopos, dũ in præiudiciũ sui Patriarchæ Alexandrini, Cõstantinopolitanus supra modũ euehitur. *Cùm tamẽ, vt vidimus, actio illa, ait, iustificatissima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata, præsentibus semper tribus Legatis Apostolicis licet cõtradicentibus; & diligenti facto examine, cum legitimis & liberis subscriptionibus cum processu, examine, & sententia definitiua, conciliarique plena approbatione. Falsum igitur est quod opponitur clam, & inscius Romanis Legatis, Canones illos fuisse cusos. Nam facti sunt certiores ipsi Legati, & rogati, vt gestis adessent, sed refugerunt Strophamin hoc, vafriciem & proditionem ponit Baronius; cùm tamen ipsius sit stropha, vafricies & proditio; in eo præsertim quod comminiscitur ipsum Concilium noluisse esse præsentes Ægyptios Episcopos, ne, inquit, reclamarent dum in præiudiciũ sui Patriarchæ Alexandrini, Constantinopolitanus supra ipsum euehitur. Et tamen maximo conatu ac ferme intolerabili importunitate ipsi Episcopi Ægyptij restiterunt, ne subscriberent, non Canonibus Chalcedonensibus, sed epistolæ Leonis de Verbi incarnatione, donec ipsorum Primas Alexandrinus Patriarcha crearetur. Qui ergo nimia obstinatione restiterunt, ne subscriberent tam necessariò dogmati contra Nestorianos, antequam haberent suum Patriarcham quem sequerentur; quomodo subscripsissent Canonibus Conciliaribus circa Ecclesiastica externa regimina? vt propterea vltimo Canone, Patres Chalcedonenses, eis compati voluerint; & à seueriori censura liberare. Et non erubuit Baronius, contra tam manifesta acta asserere Episcopos Orientis astu fecisse, vt Ægyptij non interessent. Qui tamen postquam noluerunt subscribere Epistolæ Leonis actione quarta, ordinationem sui Archiepiscopi, in locum Dioscori depositi, expectantes nulli amplius Actioni Conciliari interfuerunt: sed Chalcedone, penè ligati, & perpetuò de hæresi suspecti, priuatim subsistebant. Et tandem profectò Concilio, damnato Eutychete & Dioscoro, factáque subscriptione Epistolæ Leonis, reuersi sunt Alexandriam; ibique Proterium, Dioscoro viuenti, sed damnato substituerunt.*

Lib. 5. ind. 14. ep. 14.

SPALAT. Num. 9. Bar. tom. 6. an. 451. nu. 128. & seq. Euag. l. 2. c. vlt. in fin. Baron. ibid. num. 143.

SPALAT. Num. 9.

Bar. Ibid. num. 135.

Cõc. Chal. Act. 4.

Liber. Breuiar. c. 14.

Verùm si quod addit Baronius, benè perpendatur, crimine liberabitur, culpaque tota in Orientis Episcopos coniicietur: Palpasse enim Ægyptios ostendit,

addito Canone, quo excusandos esse eos; neque ob id vt Schismaticos habendos declarant, quod minimè vt alij subscriberent rebus in Synodo Chalcedonensi decretis, idque fecisse eos contendit, vt Ægyptij, omni authoritate in Synodo spoliati, nomine sui Patriarchæ, Anatolio Constantinopolitano se insolentius efferenti, negotium facessere, eique se opponere non possent. Iactis ruinosis fundamentis, de quibus nos egimus, vitiose ædificat Spal. & rursus illa obtrudit de magnitudine vrbium, vt splendorem vrbis primatum Constantinopoli asseruisse probet: verùm hæc sunt à nobis, vt illud quod addit de consuetudine, suprà dispuncta. Tamen vt subdititio Canoni authoritatem astruat, & pondus addat trium Imperatorum Leonis, Basilici, ac postremò Iustiniani, testimonia profert: Interim quod ædificarat diruit, inducto Leone Pôtifice, qui pódus illud detrahat & authoritate spoliet Canonem; nam Pontificum est, non Imperatorum de eis censere & ista sancire: *Palatia*, inquit Ambrosius, *Regum sunt, Ecclesiæ Sacerdotum.* Sed expendamus verba Spalatensis:

Spalat. Num. 11. Leo ep. 56. 57. 58. *Leoni tamen magno hoc priuilegium*, inquit, *Constantinopolitanum visum est intolerabile, ipseque primus omnium contra ipsum insurrexit acerrimè.* Quid igitur ad ista reponit? *Et tamen* ait, *tempore Leonis erat iam Sedes Constantinopolitana in pacifico possessu huius primatus, tum ex consuetudine, vt ostendi, tum ex Canone Constantinopolitani Concilij, imò ex legibus*

Leo ep. 58. *etiam imperialibus, vt mox dicam. Et longè falluntur qui negant antè Conciliũ Chalcedonense Sedem Constantinopolitanam vsam esse illo priuilegio, vt propterea Leo se acriter opposuerit. Erat enim profectò in vsu etiam ante Concilium Constantinopolitanum, vt dicebat Eleutherius Chalcedonẽsis: & ante Chalcedonense post Constantinopolitanum, multo magis; vt mox ostendam. Cur enim Leo dat in mandatis suis Legatis, quod suprà vidimus num. 6. vt opponant se conatibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nisi quia videbat illam iam frui tali priuilegio; & conaturam, vt adhuc melius occasione Concilij generalis confirmaretur? Ac propterea Legati Papæ in*

Côc. Chal. Act. 16. *Concilio Chalcedonensi ita arguebant: si his temporibus hoc beneficio vsi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam vsi sunt, quare requirunt? vsi enim sunt, vt iam probabo; & tamen confirmationem postulant, vt vsus, etiam Canone iam alterius Concilij generalis confirmetur; & sic se melius à molestiis Romanorum Pontificum obsistentium liberent & tueantur.*

Spalat. Num. 12. *Vsum verò*, addit ille, *facilè probamus. Primùm quia Eleutherius Chalcedonensis, supra nu. 7. testabatur in Concilio Chalcedonensi, Ecclesiam Constantinopolitanam habere iura illa Primatus, etiam ex præcedenti consuetudine, antequam ille Canon fieret in Concilio Constantinopolitano. Et vbi singulis Primatibus assignantur in eo-*

Socr. lib. 5. cap. 8. *dẽ Concilio Constantinopolitano suæ Prouinciæ, quas iuxta Nicænos Canones regere debeant, Constantinopolitano Episcopo assignatur Thracia, tanquam ipsius propria, quam iam haberet, Prouincia: sed in Concilio Chalcedonensi ex confessione Episcoporum Ponti, & Asiæ apparet, post Concilium Constantinopolitanum etiam Asiam & Pontum, sola consuetudine ad Constantinopolitanum accessisse; ideoque idem Concilium Chalcedonense Thraciam, Asiam, Pontum ei assignat, vt earum Metropolitanos possit ordinare. Deinde verò idem vsus post Concilium Constanti-*

Spal. nu. 13. Pallad. in Dial. de vit. Chr. & Bar. tom. 6. an. 402. & 403. Sozom. l. 8. c. 6. *nopolitanum, & ante Concilium Chalcedonense, confirmatur etiam ex dictis, quæ sequuntur: Ioannes Chrysostomus, libellos accusationũ aduersus Theophilum Alexandrinũ à Monachis Aegyptiis accepit, & iudicium agitauit: Asianos Episcopos indicat & condemnat: Visitat Asiam, & deponit Episcopos, etiam Metropolitanos, vt Nicomediensem. Atticus Constantinopolitanus Siluanum Philosophum,* Phi-

Philoppopolis donauit Episcopatu. Proclus, Thalassium Præfectum Prætorio facit Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopum. Honorius Imperator iura Patriarchatus Constantinopolitani ad Illyricum extendi debere, promulgata sanctione constituit, quæ talis est: Omni innouatione cessante, vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui vsque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Prouincias seruari præcipimus. Si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque scientia viri Reuerendissimi sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, sanctoque iudicio reseruari. Canonem verò Constantinopolitanum de Primatu illius Ecclesiæ Romano Pontifici fuisse delatum, & ab eo acceptum, sicut suprà testabatur Eusebius Dorylæi, ita codex Canonum, quem sibi Romana collegerat Ecclesia id confirmat; quia Canonem Constantinopolitanum, cum adiectione illius priuilegij habet, & tamen Canonem Chalcedonensem, quia illum nondum acceptarat, non habet; vt videre est in dicto codice Canonum, ex vetustissimis exemplaribus desumpto, & impresso Moguntiæ anno 1525. quo vsa est Ecclesia Romana per multa sæcula, antiquam immensa volumina iuris Canonici fuissent à Gratiano, Raymondo, & alijs centonum collectoribus consarcinata. Certè Nicolaus Canonem illum quem sextum vocat Constantinopolitanum, Romæ inueniri negare non potuit. Et nondum indictum fuerat Concilium Chalcedonense, cùm Eusebius Dorylæi, causam Eutychetis vehementius commendat Flauiano Constantinopolitano; qui & in ea coacta Synodo plurimùm laborat. Sic etiam causa Ibæ Edesseni supplici libello eidem Flauiano offertur. Et Anatolius in Concilio Chalcedonensi, cùm nondum in eo fuerat factum Decretum de Primatu Constantinopolitano post Legatos Romanos, in dicenda sententia primus est; vt patet potissimùm in damnatione Dioscori. Act.3. Expédamus singula. Pontum & Asiam ad Constantinopolitanum non pertinuisse ante Chalcedonensem Synodum ostendunt illa, quæ actione XI. & XII. in causa Bassiani & Stephani gesta sunt, náque cùm iis exauthoratis, ac dignitate Episcopali spoliatis dádus Ephesiis esset Antistes, ac eius ordinationem vrgeret Dorylæi Episcopus Eusebius, Reuerendissimi Episcopi dixerunt: *Miseremini nostri. Nos supplicamus Sancto Concilio, vt misereatur filiorum nostrorum, ne forte propter nos, & propter peccata nostra moriantur, vt nobis clementia condonetur. Nam si Baßiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filij nostri moriuntur, & ciuitas deperit. Gloriosissimi iudices dixerunt. Quoniam secundum voces Sancti Concilij, neque Baßianus, neque Stephanus Reuerendissimi digni sunt, qui in Ephesiorum ciuitate sint Episcopi, Asiani autem Episcopi hic reperti dicunt: Si hic ordinetur alter Episcopus, Ephesiorum conturbari ciuitatem: dicat sancta Synodus, vbi volunt Canones Episcopum Ephesinæ Ecclesiæ ordinari. Reuerendissimi Episcopi clàmauerunt: In Prouincia; Diogenes reuerendissimus Episcopus Cyzici dixit: Consuetudo hoc habet. Si factus fuisset à Constantinopolitano Episcopo, non habuerunt hæc agi. Ibi enim Salgamarios ordinant, & propterea euersio fit. Leontius reuerendissimus Episcopus Magnesiæ dixit; A sancto Timotheo vsque nunc viginti septem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati. Solus Basilius violenter hic factus est, & multæ cædes hinc ortæ sunt. Philippus reuerendissimus Presbyter Constantinopolitanæ sanctissimæ magnæ Ecclesiæ dixit: sanctæ memoriæ Ioannes Episcopus Constantinopolitanus quindecim Episcopos deposuit, profectus in Asiam, & pro eis alios ordinauit, & Memnon hic ordinatus est. Ætius Archidiaconus Constantinopolis dixit: & Castinus hic ordinatus est, Heraclides & alij cum voluntate nostræ vrbis Archiepiscopi ordinati sunt. Basilium si-*

Socr. l.7. c.36. Ibi.c.vlt.de sacro. Eccl. l.6.

Nic. ep. 8.

Apud Cóc. Chal. act.1. Inter ep. Leonis post ep.10. Apud Cóc. Chal. act.16

Act. 11.

militer beatæ memoriæ Proclus ordinauit, & beatæ memoriæ quidam Theodosius Imperator huiuscemodi ordinationi cooperatus est, & beatæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus. Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Canones obtineant. Voces Imperatori. Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ clamauerunt: Ea quæ sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant: Priuilegia Constantinopolis ne depereant. Ordinatio secundum morem ab Archiepiscopo nostro fiat. Gloriosissimi iudices dixerunt: Perspicimus quia hic deliberatione opus habet sanctum Concilium de ordinatione Episcopatus Ephesinæ Ecclesiæ. Vnde, si videtur, cras hoc perfectius disponatur. Soli Constantinopolitani reclamarunt, vt appareat, aliam Asianorum Episcoporum, aliam Cleri Constantinopolitani sententiam fuisse: neque enim negamus id sibi persuasisse, Constantinopolitanos, penes scilicet Antistitum suum esse ius Episcoporum ordinandorum, qua opinione deceptus etiam ipse Chrysostomus, vt eadem sessione vndecima refertur, quindecim Episcopos in Asiam profectus deposuit, & alios in illorum locum suffecit, quod habet etiam Palladius, & referunt Socrates ac Sozomenus. De Attico, qui Syluanum Philosophum Philoppopolis Episcopatu donauit. Respondeo Atticum dolis egisse apud Theodosium Imperatorem, vt lex conderetur, qua non solùm Canon ille subdititius Constantinopolitanus cõfirmaretur, verùm etiam potestas ei in Illyricum decerneretur, Asianis & Ponticis Ecclesiis iam subactis; sed vt monuimus suprà, cùm Sizinius ea lege fretus Cyzico Episcopum dare vellet, non tulerunt Episcopi illius Metropoleos, & Episcopum ipsi constituerunt, in gratiam vnius Attici factam legem causati. Sed in ea lege fœdè hallucinatus Spalatensis, existimauit Honorij esse, cùm proculdubio sit Theodosij. Verumtamen est ea lege fretos Antistites Constantinopolitanos Asiæ, Thraciæ, Ponti ordinationem sibi vendicasse, quò refero quæ, de Attico, de Proclo, ac similibus obiicit Spalatensis, vt illum vsum suum probet. Presserunt vestigia suorum prædecessorum posteriores Constantinopolitani Antistites, ac tandem peruicerunt, vt secundo loco essent à Rom. Pont. Sed quod addit Spalatensis, *Constantinopolitanum Primatum Romano Pontifici delatum, & ab eo acceptum*, tam falsum est, quàm est verum Dorylæi Episcopum Eusebium, quod suprà monebamus, Chalcedonensibus imposuisse: Itaque quamquam Romæ visus fuerit Canon, quod agnoscit Nicolaus; Tamen Pontificibus probatus non fuit, vt quæ de Flauiniano & Anatolio adduntur, in vsurpationum albo censeri debeant, & fauori Imperatorum deputari. Hoc certè inuictissimis rationibus ostendit Spalatensis, prolatis prolixis locis ex Epistolis Leonis, quibus non solùm, non admisisse Romanum Pontificem illud Decretum, verùm etiam acrius impugnasse demonstratur.

Socr. l. 7. c. 28.

Epist. 8.

Spalat. Num. 14.

Subiiciamus hæc ipsa loca, vt quid reponat Spalatensis, discutiamus; *Chalcedonense Decretum, hoc*, inquit, *de Primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ, omnium acerrimè tum Leo Pontifex Romanus est insectatus. Excanduit enim vehementissimè in Anatolium Constantinopolitanæ tunc Sedis Antistitem, quem putauit fuisse huius Decreti conficiendi, non sine dolosis artibus authorem. Audiamus ipsummet Leonem contra ipsum Anatolium in hac causa, & contra dictum Decretum rugientem; Ad Anatolium hac vox eius; Post illa ordinationis tuæ non inculpata principia doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum Canonum cõstitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena*

Leo ep. 56.

Ecclesia

Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: vt his locis iuri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis, ita præueniris excessibus, vt sanctam Synodum (Chalcedonensem) *ad extinguendam solùm hæresim, & confirmationem fidei Catholicæ, studio Christianißimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas; &, vt conniuentiam suam tibi det, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo: & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè sanctum ordinata conditio in aliqua vnquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur; neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre; cùm tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus authoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua quæ sanctißimis Canonibus inueniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio; quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodo negocio conuocatos, & definitione eius causæ, quæ erat curanda perfunctos, ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apostolica sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt: apertè reclamantes, ne contra instituta Nicæni Concilij præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret, nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multum mihi hæc scribendo commendas; Sed temetipsum quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas: superfluè non concedenda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens; quæ nullum vnquã poterunt nostrũ obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studiis adiuuetur; ac non potius & meo, & omniũ qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorũ Canonum condiderint, & apud nos & in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam, aliter quàm illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in ius tendat alienum, sed intra fines proprios, atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat; cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest Antistes requirere, si magis humilitatis virtute nitatur; quàm si Spiritu ambitionis infletur. Noli altum sapere, sed time; & Christianißimorum Principum piißimas aures improbis petitionibus, inquietare desiste: quibus certum habeo, modestia te magis quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio; nunquamque à prædecessoribus tuis, ab Apostolicæ sedis transmissa notitiam; cui ab initio sui, caducæ dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subiicere fomenta voluisti; eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam iniuriam verecundia fatigata praberet. Memento quid Dominus ei, qui vnum de pusillis scandalizauerit, comminetur; & sapienter intellige, quale sit Dei iudicium subiturus, qui tot Ecclesiis, tot Sacerdotibus, scandalum inferre non metuit. Fateor enim, ita me dilectione vniuersæ fraternitatis obstringi; vt nemini prorsus, in*

bis quæ contra se poscit, assentiam; possisque euidenter agnoscere, me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt saniore Concilio, ab vniuersalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Non conuellantur Prouincialium iura Primatum, nec priuilegiis antiquitus institutis, Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ Sedis eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam B. Petri Discipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante B. Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ Constitutionis ordine perseueret: & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes: & magnus vnicuique honor est integritas sua. Quæ cùm in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Constantinopolitanę vrbis magnificentia potest esse gloriosa, si per obseruantiam, & defensionem paterni Canonis, & exemplum probitatis, multi habeant Sacerdotes.

SPALAT. Num. 15. Leo ep. 57. Et ad Martianum Augustum, de eodem Anatolio conquerens ait: *Qui etiamsi præcipuis meritis, optimoque iudicio, legitimè fuisset, ac solemniter ordinatus contra reuerentiam Canonum paternorum, contra Sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adiuuari. Apud Christianum & verè religiosum, veréque Orthodoxum Principem loquor; multùm Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen est rerum sæcularium, alia diuinarum; nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio, propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit quod prædicto vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem; nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quod absit, conniuente violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et paulò pòst: Vnde quia conuenit fidei vestræ, vel gloriæ, vt sicut hæresis, Deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur; agite quod & Christianæ est probitatis & Regiæ; vt prædictus Episcopus pareat Patribus; consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenum, sine vllo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit, quod amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum & illicitos declinet excessus; ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat.*

SPALAT. Num. 16. Idem Leo ep. 58. Et Pulcheriæ Augustæ; *Confirmato autem, inquit, in vnitate Euangelij vniuerso mundo, & in eodem Spiritu sensus directis cordibus omnium Sacerdotum, optimum fuerat supra illa, propter quæ est sancta Synodus congregata, & quæ secundum pietatis vestræ studium, probabili sunt fine conclusa; nihil quod tanto bono contrariũ esset inferri, nec per occasionem Episcopalis Concilij, id in commune appeti, quod non licuit concupisci. Frater enim & Coëpiscopus meus Anatolius, parum considerans quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium*

dotium fuerit consecutus; non tam de adeptis gauisus, quàm de immodicis appetendis, supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam imperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cùm tam destruendis mox conatibus contradictio fratrum & Coëpiscoporum meorum vicem meam agentium fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum Canonum, quæ antè longissimæ ætatis annos, in vrbe Nicæna, spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita vt, si quis aduersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat, quæ si, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones; nullæ de ordinationibus lites; nullæ de priuilegiis ambiguitates; nulla erunt de aliena vsurpatione certamina; sed ea quæ iure charitatis rationabilis est, & morum, & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicunque voluerit inter vos maior fieri, &c. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis in summa transire. Constantinopolitanæ verò Præsuli Ecclesiæ, quia amplius quàm assecutus est concupiscit, quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum vltra fines proprios tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietisque Prouinciis & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabiliũ Patrum Decreta soluantur; quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoscat cui successit viro, & repulso omni spiritu elationis, Flauiani modestiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vsque ad confessionis gloriam prouexit, imitetur. Cuius si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret; non ambiendo humana, sed promerendo diuina. Hæc autem obseruantia eum illi animum spondet copulandum, & Apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanę Ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam. Quia si interdum immoderati præsules aliquas incidunt culpas; Ecclesiarum tamen Christi integra gratia perseuerat. Consensiones verò Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus; & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus; in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum, per trecentos decem & octo Antistites, Spiritus sanctus instituit, ita vt etiamsi multò plures alij, quã illi, statuere decernerent, in nulla reuerentia sit habendũ quicquid fuerit à prædictorũ constitutione diuersum. Hactenus Leo. Similia repetit, & inculcat in Epistolis quoque 63. 66. tom. 1. Epist. Decret. Rom. Pont. Hæc autẽ integra, & si longiora afferre volui, & non mutilata, vt Leonis sensus totus appareat: & mihi ad alia quoque in sequentibus inseruiant. Ex his tam prolixè à Spalatensi recensitis, omninò apparet Pontificem, in quo vno resideret potestas Canones corroborandi ac firmandi furtiuum illud decretum damnasse, neque verò probare potuisse. Quid igitur ad ista reponit Spalatensis Leonem Ambitus postulat, impatientem consortis facit, atque vt riualem deiiciat vanitatem, Nicænos Canones ostentantem inducit, ac demum in Constantinopolitani Antistitis dignitatem insurgentem. *In*

Spalat. Num. 17. *bis tamen ipsis,* inquit, *nihil magis vrget Leo, quàm Nicænorum Canonum iniuriã, ac violationem: atque hac prætensione armatus, Constantinopolitano priuilegia resistebat. Reuera tamen se solùm totius vniuersalis Ecclesiæ Monarcham esse cupiebat; neque facilè patiebatur socium, & æmulum in Ecclesiastico imperio, licet vno dignitatis gradu inferiorem. Non capit regnum duos.* Seneca in Thyeste. Leo ep. 57. *Habeat, inquit, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum, nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio: propria perdit, qui indebita concupiscit. Hæc profectò ad præiudicium Sedis Romanæ pertinere quisque nouit. Ideoque Legatis suis ad Concilium Chalcedonense missis mandat idem Leo, vt personæ suæ seruent dignitatem, Constantinopolitano Primatui resistendo; vt habemus suprà, num. 6. Hinc igitur illæ lachrymæ. Non potest pati nouum Primatum Constantinopolitanum, quia ille Romanum Primatum videbatur deprimere, dum nuper Patriarcha Constantinopolitanus assurgit ad omnimodam æqualitatem cum Romano. Atque hoc absolutam Romanam Ecclesiasticam Monarchiam conuellebat, quam sibi ex diuina per Petrum institutione iam effingebat.*

Spalat. Num. 18. *Nicænorum porrò Canonum iniuriam in hac Constantinopolitana euectione nullam ego obseruo: Nam, vt suprà etiam monui, Nicæni Canones nihil de ordine inter Patriarchales Ecclesias statuunt; sed potius supponunt æqualitatem inter illas; & illud duntaxat præcipiunt, vt suis se quisque detineat limitibus; nec in alienam erumpat Prouinciam, dum scilicet aliena est, finesque circumscribunt Alexandrino & Antiocheno, sicut iam Romano, ex ipsa consuetudine præscriptos esse cernebant; vltra quos extendi eis non liceret: Sed non prohibent quo minus possint fines eorum retrahi, & decurtari, nouarum Metropolum legitima erectione. Eam enim legem ponunt vniuersalem, vt cuique Metropolitano sua iura illæsa seruentur; non modò videlicet iis, qui tunc temporis erant Metropolitani; sed etiam reliquis omnibus, qui successu temporum exurgerent. Quemadmodum igitur consuetudo Ecclesiastica occasionem dedit Nicæno Canoni, fines Patriarchis & Metropolitanis præscribendi, ita quid obstat quominus vlterior consuetudo, alios siue Patriarchas, siue Metropolitanos instituat; eaque consuetudo Conciliaribus Oecumenicis firmetur decretis, sicut Nicænis anterior consuetudo firmata fuit? Et hoc Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse iam ostendi. Nihil ergo contra Nicænum Canonem faciunt Constantinopolitani & Chalcedonensis Concilij Decreta, licet Antiocheno Patriarchæ, pars aliqua magni sui Patriarchatus, eo præsertim consentiente, per Concilia generalia abscindatur: (nam Alexandrino nihil ereptum est suarum Prouinciarum) dummodo Constantinopolitanis suis finibus iam sibi legitimè assignatis contentus, non inuadat in fines alienos: quod potissimùm Nicæni Canones prohibuerunt, & in hac parte omnibus sunt seruandi; neque vllus Episcoporum numerus licet maior, vt vult Leo, post eos* Leo ep. 56. 58. 66. *conuellere, ac licitum facere, vt Patriarcha quicunque seu Primas aut Metropolitanus, possit in alienam Prouinciam extra proprios fines sibi legitimè præscriptos, se extendere; præsertim in ordinationibus Episcoporum seu Metropolitanorum faciendis. Nam aliquod priuilegium & consuetudo, & Canones, & leges Patriarchis, Ciuitatum præsertim Imperialium, supra reliquos Patriarchatus etiam indulsisse ostendam ca. 9. Non erat ergo Leoni occasio tantoperè resistendi, magnorum Conciliorum decretis: Ac certè anno vix dum post Concilium Chalcedonense tricesimo, Fœlicem tertium Papam video in Constantinopolitanum hunc primatum sponte consentire;*

Fatetur

Fatetur enim Acacium Constantinopolitanum habere sub se Episcopos ei subiectos: Ideoque miror cur Gelasius proximus Fœlicu successor eundem Primatum riserit, & impugnarit; quem etiam postea Innocentius tertius solemni constitutione stabiliuit, & Concilium Florentinum confirmauit. Quid ad hæc igitur reponit Spalatensis? *Conatus quidem est Leo Chalcedonense illud statutum infringere, & quantum in ipso erat cassare, & abolere, illis verbis ad Pulcheriam Augustam scriptis, videlicet, Consensiones verò Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus. Sed cassatio hæc in Romana duntaxat Ecclesia tantisper obtinuit, quandiu Primatui Constantinopolitano illa restitit, neque in suo Codice Canonum, vt dixi, voluit decretum illud retinere. Orientalis tamen Ecclesia Conciliare decretum legitimè factum, præcedentis tum Synodici decreti Constantinopolitani, tum antiquioris etiam consuetudinis confirmatiuum & firmum retinuit, & vsu ipso stabiliuit, atque ampliauit. Video enim Ioannem Constantinopolitanum suam Ecclesiam Romanæ coæquare; & vnam ac eandem facere: & in hoc cerno ei Hormisdam assentiri; imò & expressè paritatem cum Constantinopolitano profiteri. Video Epiphanium similiter Constantinopolitanum se Patriarcham Patriarchæ Romano æquare; suspendereque communionem aliquorum Episcoporum, quos Romanus iam in communionem receperat. Video Acacium suum priuilegium mordicus retinentem. Quinimò Episcopi Asiæ, pro sui restitutione libellum supplicem eidem porrigunt Acacio, non tanquam Legato Papæ (quo Baronius de more confugit) sed vt Patriarchæ supremo Orientis, vt pluribus explico infrà capite 12. n. 18. Video in Synodo Quinisexta Constantinopolitano Episcopo post Romanum suum confirmari Primatum. Video alium Ioannem Constantinopolitanum Concilium indicere, & causam Gregorij Antiocheni in eo agitare. Video coram Patriarcha Constantinopolitano aliam etiam de Diœcesi litem inter Antiochenum & Salaminensem definiri: Video Ignatium Constantinopolitanum ad Gregorij Syracusani Episcopi depositionem deuenisse: & pro Bulgaria suo Patriarchatui retinenda acerrimè cum Romano Pontifice eandẽ ad se attrahente decertasse. Video Photium litteras etiam Decretales scribentẽ, & vniuerso Orienti in Ecclesiastico regimine leges dantem. Video à Michaële Constantinopolitano Patriarcha Antiochenum, & Alexandrinum subiugari. Video Metropolitanum Corcyræ, cum suis Episcopis, qui erant in Italia, in magna Græcia dicta, exactissimam obedientiam Constantinopolitano Patriarchæ profiteri. Omitto recentiora; Priuilegium ergo Primatus Constantinopolitani fuit exactissimè perpetuò in Orientalibus Ecclesiis obseruatum.* Sed quod ad primum attinet iure optimo imminuti magistratus accusandus fuisset Leo Pontifex Maximus, nisi ambitiosos conatus Constantinopolitani se insolentius efferentis repressisset: & cum authoritate Christi, vnum tantum Pontificem summum Ecclesiæ impositũ rectorẽ agnosceret: quorsum & qua pietatis specie Constantinopolitanum tulisset perniciem legitimo hæredi molientem? Sagacissimus enim præsul Leo, videbat futurum, vt deiectis Alexandrino & Antiocheno etiam in Romanum Pontificem grassaretur Constantinopolitanus, atque hac ratione constituto à Christo Pontifici perniciem Ecclesiæ moliretur. Cæterùm Chalcedonensium cauillationem retundit Leo, his verbis: *Alia est rerum secularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.* An verò vt eius verba expendamus, falsus va-

Felix 3. ep. 1. Gel. ep. 2. Cap. Antiqua de priuil. Conc. Flor. sess. vlt. de litteris vnionis. SPALAT. Num. 19. Leo ep. 58. Inter Epist. Horm post ep. 34. Hormis. ep. 39. Idem ep. 77 Inter Hormisd. post ep. 69. ep. 3. Horm. ep. 69. Simplicij Epist. Euagr. l. 3. c. 8. & 9. Bar. to. 6. an. 477. n. 13. Synod. Quinisex c. 36. Apud Bar. to. 7. an. 587 nu. 2. Apud Suriũ die 11 Iunij in vita Bernabæ Nic. ep. 9. Ioa. 8. ep. 78 & Bar. to. 10. an. 878. nu. 44 & seqq. Bar. to. 10. an. 867. nu. 75. Leo 9. ep. 6. Apud Bar. tom. 12. an. 1180.

tes fuit Leo? Annon vnâ stante Româ aliæ sedes Patriarchales corruerunt, & dissipatæ sunt? Annon ipsa Constantinopolis, cuius tanta fuit honorum contentio, à sæuo & crudeli tyranno oppressa est? Quod spectat ad Religionem, & sacra Christianorum prostrata ac diruta iacet. Certè magno Constantinopolitano Episcopo sua proteruia stetit, ac ambitionis suæ grauissimas pœnas luit, allata toti Orienti pernicie ægrè auertenda. Itaque diuini viri Leonis vocem exaudiuit Deus, & verum fuisse vatem ostendit, scilicet non vno schismatis crimine se polluerat; sed præterea authore Photio in disputatione de processione Spiritus sancti, hæresim Ecclesiæ Romanæ affinxerat, cùm tamen ea labes eius esset, quippe quæ à Filio Spiritum sanctum procedere negaret. Nimirũ veteratoris ea fraus fuit, vt omnis reconciliandarum summarũ Ecclesiarum spes præcluderetur, Constantinopolitanâ fœdi erroris labe Romanam aspergente, contrà Romanâ aduersus Constantinopolitanam auitam fidem propugnante. Itaque dum scelus scelere cumulat, iustas ab ea sui furoris pœnas repetit Deus, ac tandem sua culpa perit Constantinopolis, quod scilicet Romanis Pontificibus recta monentibus auscultare renuerit. Quod Gennadius Patriarcha Constantinopolis statim ab excisa vrbe diuinissimè obseruat. *Quid*, inquit, *euenit nostra memoria, nunc sub Nicolao V. Pontifice Maximo? cùm Legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragases, ad eum missi adhuc supersint: quibus litteras dedit plenas timoris & horroris, vbi apertè cum execratione prophetizat excidium, & internecionem extremam infælicium Græcorum: in quibus post alia multa (cùm conuicia & probra resciisset, quæ à Græcis quotidie impudentissimè iactabantur) mirè & hoc dicit. Omnes gentes decretum quod sancitum est, receperunt: Græci verò neque receperunt; neque spes est eos vnquam esse recepturos; quæ super concordia & vnione decreta sunt, procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prætexuntur, excusationes & responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, vt non intelligat quæ in singulis dilationibus respondendo nugantur, optimè cuncta nouimus: Sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum Sacerdotẽ & Dominum; qui sterilem illam ficum vsque ad annum tertium iussit asseruari, agricola iam ad excindendam arborem se accingente, quia nullum fructũ ferebat. O magnam calamitatem, & 1453. capta est Constantinopolis, num potestis hæc vera non esse? minimè gentium, cùm id sit manifestum, & res ipsa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, si vos fortè à schismate & separatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis secundum Saluatoris de ficu præceptum. Si verò non excindemini, ne terram ociosam & inutilẽ reddatis hoc miraculorum miraculum maximum: quod (vt in epistola ipsa scribit Nicolaus Papa) Græcorum gens illa magna & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob diuinam vltionem ita in barbarorũ seruitutem adducta sit. Hæc enarranti mihi subit lamentari & deplorare excidium gentis nostræ, quanquam vos non intuemini.* Sed ad Chalcedonenses reuertamur. Cùm Canonem cuderent, dumtaxat magnitudinis & splendoris vrbium meminerunt, de remota tamen causa & impellente sunt locuti, quod attinet ad proximam & præcisam, non ignari, Christum Romani primatus authorem esse, qui nedum Petrum, verùm etiam Leonem ipsum ad eum honorem euexisset; propterea scilicet Leonis Epistolam *Beati Petri prædicationem* vocant, quod in Cathedra Petri sedens eam exarasset, ac ad Concilium misisset.

Gennad. in expos. pro Conc. Florent. c. 5. sect. 14.

Et

Et omninò constat ex relatione Concilij ad Leonem agnouisse eos authoritate Christi constitutum Pontificem vineæ, id est Ecclesiæ, custodem; sic enim de Dioscoro: *Insuper & contra ipsum*, inquiunt Patres Concilij Chalcedonensis, *cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem. Et excommunicationem meditatus contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.* Quare etiam eadem epistola, prætèrita illa magnitudine vrbium duas alias rationes proferunt, quibus in suam sententiam pertrahere Pontificem conantur. *Confidentes*, inquiunt, *quia lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuetè gubernando, illum spargentes, hunc sæpius expandistis, eo quod absque inuidia consueueritis vestrorũ bonorum participatione ditare domesticos.* Cogitandum ergo illis fuit hoc custode vineæ, & gubernatore Ecclesiæ à Christo imposito, in eo esse acquiescendũ, nec alium esse superinducendũ de quo nihil statuerit. Nec Synodorum quantumuis illustrium verũ vnius Christi esse, Rectorem Ecclesiæ præficere, vt propterea eam dignitatis æqualitatem Constantinopolitano asserere non debuerint. Sed hæc suprà expendimus. Quod verò attinet ad iniuriam Canonibus factam, perperam negat Spalatensis Canonibus Nicænis constitutum Patriarcharum ordinem, hoc furtiuo decreto turbari. Peto enim ab eo num veteri consuetudine receptum non esset, vt secundus à Pontifice Romano inter Episcopos haberetur Alexandrinus; Tertiò verò loco consisteret Antiochenus; hoc si negat, omnibus omninò & historiis & Conciliorum actis fidem detrahit: Atqui admisso subditio Canone Chalcedonensi, non iam secundus habetur Alexandrinus, sed suo loco pulsus Constantinopolitano cedere cogitur, ac in tertio consistere iubetur, reiecto in quartum Antiocheno. Cùm igitur veterem morem obseruandum duxerit Concilium Nicænum, proculdubio ordo, non tam ab eo præstitutus quàm firmatus, Chalcedonensi decreto turbatur, propter eaque Leoni Synodi Nicænæ acerrimo propugnatori, causa fuit conquerendi violatorum priorũ Canonum. Et vt Nicæni Patres potestatem liberam reliquerint aliis Conciliis, erigendarum nouarum Metropoleon, eminentioribus & excelsioribus illis thronis à Petro fundatis ac constabilitis, suus honos eripi non debuit, vt hominibus ambitiosis, traderetur. Quid igitur attinuit Cõstãtinopolitanos Antistites olim Heracleoti subiectos, nec aliis Metropolitis permixtos his Ecclesiæ proceribus prætulisse. Nimirum qui Pontifices Romanos superbiæ insimulat Spalatensis, Constantinopolitanorum fastum ac typhum defendendum suscepit, non charitate Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sed odio Romanæ. Verùm nec pondus, nec robur habet desertoris suffragium, contrà pro tribunali & pro authoritate sibi à Christo commissa, de iniusto & subditito decreto censet magnus Leo. Sed ea solertia & prudentia, vt quæcunque sunt à Chalcedonensibus de fide sapienter & orthodoxè definita, rata ac firma habeat, obelisco que solam spuriam sanctionem confodiat. Audiamus æquissimum censorem epistola ad Pulcheriam, cuius partem tantùm retulit Spalatensis: *Sanctis*, inquit, *& Deo placitis clementiæ vestræ studijs defensam contra hæreticos Catholicam fidem, & vniuersæ Ecclesiæ redditam pacem ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus, gratias agentes misericordiæ omnipotentis Dei, quod exceptis his, qui magis dilexerunt tenebras quàm lucem, neminem passus est Euangelica veritate fraudari, vt abstersa erroris caligine, in omnium cordibus purißimum lumen oriretur, nec de infir-*

Rel. Conc. Chalc. ad Leon. Papã.

Ἔτι καὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ τὴν ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος πεπιστευμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε.

Ibid.

Πεπισμένοι, ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν, συνήθως κηδόμενοι, πολλάκις ταύτην ἐπλάτυνατε, διὰ τὸ ἀφθόνως ὑπάρχειν ὑμῖν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν πρὸς τοὺς γνησίους μεταδοῦν.

Ad Pulcheriam ep. 55.

mis quorundam animis, tenebrosus ille exultaret inimicus, quem non solùm hi, qui illæsi steterant, sed etiam quos fecerat nutare, superauerunt, vt errore abolito, per totum mundum fides vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Confirmato autem in vnitate Euangelij vniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omnium Sacerdotum optimum fuerat, supra illa, propter quæ est sancta Synodus congregata, & quæ secundum pietatis vestræ studiũ, probabili sunt fine cõclusa, nihil quod tanto bono contrariũ esset, inferri: nec per occasionem Episcopalis Concilij, id in commune appeti, quod non licuit concupisci. Frater enim & Coëpiscopus meus Anatolius parum considerans, quanto pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gauisus, quàm de immodicis appetendis, supra mensurã sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cùm tam destruendis mox conatibus contradictio fratrum & Coëpiscoporum meorum vicem meam agentium fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum Canonum, quæ antè longissimæ ætatis annos, in vrbe Nicæna, spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita vt, si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat, quæ si, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones; nullæ de ordinationibus lites; nullæ de priuilegiis ambiguitates; nulla erunt de aliena vsurpatione certamina; sed ea quæ iure charitatis rationabilis est, & morum, & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, de infimis ad summa transire. Constantinopolitanæ verò Præsuli Ecclesiæ (quia amplius quàm assecutus est concupiscit) quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia, & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum vltra fines proprios tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietisque Prouinciis & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabiliũ Patrum Decreta soluantur, quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoscat cui successit viro, & repulso omni spiritu elationis, Flauiani modestiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vsque ad confessionis gloriam prouexit, imitetur. Cuius si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret; non ambiendo humana, sed promerẽdo diuina. Hæc autem obseruantia eum quoque illi animũ spondet, copulandum, & Apostolicæ Sedis dilectionem quam Constantinopolitanę Ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam: quia si interdum immoderati Præsules aliquas incidunt culpas, Ecclesiarum tamen Christi integra gratia perseuerat. Consensiones verò Episcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per

autho-

authoritatem B. Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotũ, per trecentos decem & octo Antistites Spiritus sanctus instituit, ita vt etiam si multo plures alij, quàm illi, statuere decernerent, in nulla reuerentia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorum constitutione diuersum. Prolixitatem itaque Epistolæ meæ, quæ necesse habui explicare, quid sentiam, rogo vt per fratrem & Coëpiscopum meum Lucianum, qui (quantum in ipso est) sollicitudinem susceptæ legationis est fideliter exequutus, & per filium meum Basilium Diaconem, pietas vestra dignanter accipiat. Et quia moris vestri est, pro pace & vnitate Ecclesiæ laborare, fratrem meum Anatolium Episcopum ex vestra insinuatione dilectum, salubriter in his, quæ ipsi profutura sunt, continere, vt gloria clementiæ vestræ, sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa. En quomodo Leo calculo suo decreta fidei probet, & in solum Canonem disciplinæ correctorem, censoriam virgulam exerat. Quod verò obiicit Spalatensis, *viguisse nihilominus decretum in Oriente*, suprà dispunximus, & inter malè feriatas Constantinopolitanorum vsurpationes, quibus suæ Ecclesiæ perniciem accersiuerunt, reposuimus. Falsus verò iudicij est Spalatensis in Ioannis Constantinopolitani Antistitis verbis referendis, & planè perperam Hormisdam Pontificem inducit, Constantinopolitanorum ambitui fauentem, nec enim Ioannes, cùm Ecclesiam Constantinopolitanam, vnam esse cum Romana Ecclesiam diceret, æqualitatem inducebat, secus & ipse Gregorius, qui tres sedes Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, vnam Petri sedem dixit, pares eas fecisset, quod longè sit ab eius mente. Sed propterea Ioannes vnam sedem dixit, vt se ab ambitu purgaret, significarétque Hormisdæ se in eius perseuerare communione, ac suam Ecclesiam, à Romana diuersam; idcircò non censere, quod in vnam fidem conspiraret, ac præterea quicquid honoris & decoris haberet, ab ea mutuaretur, quanquam video hanc fraudem fuisse Constantinopolitanorum, vt suam Ecclesiam vnam eandemque cum Romana dicerent, quòd Româ Constantinopolim migrassent, non modo Senatores, sed & Clerici Romani ad vrbem ornandam eò à Constantino Imperatore ablegati; Sed Hormisdam audiamus, & euanescent illæ nebulæ de parilitate Ecclesiarum: Siquidem ad Epiphanium scribens vices suas ei committit, quo sua authoritate fretus Orientales fidei reconciliandos in communionem Ecclesiasticam admittat. *Vt tutè*, inquit, *& sine redargutione vel alicuius erroris palliatione valeat peruenire, dilecte frater, personam meam in hoc te oportet subintrare, scientem in huiuscemodi materiis (sicut prædictum est) quid faciendum sit, quid custodiendum: sicque omnia prouidentem, vt non dubites de hac dispositione rationem reddere Deo. Ita quidem vt litteræ vestræ significent, eos, qui nobis communione coniungentur, tales esse, qui per nos sedi Apostolicæ nostris litteris misceantur, & ea quæ continentur in libellis, quos produxerint: Sic enim ab errore Seueri, & huic coniunctorum & similiũ liberabuntur, & damnum eorum, qui sanari non poterunt, sustinemus. Idcircò vobis imponere censuimus, ad vestram diligentiam onera nostra transferentes: quoniam non paruas probitatis tuæ iam demonstrationes dedistis hæreticis, obiiciendo, vt non oporteat de isto dubitare, assumere simul sanationis curam, cui contingit probum ostensum fuisse.* Et rursus: *De Thessalonicensibus*, inquit, *quorum ad nos Legati per informationẽ fidelissimi ac gloriosissimi Imperatoris filij nostri venerunt, vt nihil reliquisse videamur, volumus secundum ea, quæ (Domino nostro Iesu Christo inspirante) pla-*

Hormisd. ad Epiph. Const. to. 1. ep. dec. 77.

Ibid.

cuerunt, totam causam vestræ considerationi tractandam, etsi, quod oportet, impleuerint, formandam committere. Quod attinet ad Epiphanium, vt non nisi tergiuersando annuerit, annuit tamen fascesque tandem summisit capiti Ecclesiæ, cuius Vicarium egit in Orientem, vt eius authoritate abstentos Episcopos communioni Ecclesiasticæ restitueret. *Habeat,* inquit, *hanc sententiam circa me vestræ beatitudinis sancta fraternitas: vobis enim manifestam feci, & sub me Ecclesiis, hæc prædico, festinans per omnia eas, mihique & vestræ beatitudini vinculo charitatis adunari, quas omninò oportet esse vnitas, & inuiolabiles, & corpus vnum communis Apostolicæ Ecclesiæ, eundemque perpetuò custodire. Quantus enim circa vestram venerabilem fraternitatem, in omnibus sit amor, iubete perpendere: quia quos vestra Apostolica sedes condemnans in sacris diptychis recitare non iussit eos, nec ego inter sacra facio nominari mysteria.* Paruisse verò Pontifici, vel ex eo patet, quod ad eius nutum Acacij, Euphemij, Macedonij nomina è diptychis eradi fecerit: *Nomina,* inquit, *eorum inter sacra non sunt recitata mysteria, quæ sedi vestræ profana cognouimus.* Extat Imperatoris Iustiniani qui Iustino successit ad hunc Epiphaniū, Epistola, quâ Pontifex caput Ecclesiæ prædicatur: *Cognoscere,* inquit, *volentes tuam Sanctitatem ea omnia quæ ad Ecclesiasticum spectant statum: necessarium duximus hisce ad eam vti diuinis compendiis, ac per ea manifesta eidem facere, quæ iam moueri cœpta sunt, quanquam & illa eandem cognoscere sumus persuasi. Cùm itaque comperissemus quosdam alienos à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, impiorum Nestorij & Eutychetis secutos deceptionem, diuinum antehac promulgauimus edictum (quod & tua nouit Sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus, ita vt nullo quouis omninò modo immutauerimus, immutemus, aut prætergressi simus eum, qui nunc vsque coadiuuante Deo seruatus est, Ecclesiasticum statum, quemadmodum & tua nouit Sanctitas; sed in omnibus seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso Sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eiusdem referatur Beatitudinem, cùm ea sit caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum: vel eo maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia, & recto iudicio illius venerabilis sedis correcti sint.* Ac eiusdem etiam Iustiniani extat epistola, qua se omnes Ecclesias Romanæ vt parerent adegisse constat; *Reddentes honorem,* inquit, *Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, (quod semper nobis in voto & fuit & est) & vt decet Patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subiicere, & vnire Sedi vestræ sanctitatis properauimus. In præsenti ergo quæ commota sunt, (quamuis manifesta, & indubitata sunt, & secundum Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita & prædicata) necessarium duximus ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omniū sanctarum* Ecclesiarū. *Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & auctoritatem crescere vestræ Sedis.* Non itaque Epiphanius par Pontifici est habitus, neque principatu aut Iustini aut Iustiniani magnos

Inter Hormisd. epist. post ep. 72.

Rel. Epiph. inter ep. Horm. post ep. 72.

Epist. Iust. ad Epiph. apud Bar. to. 7. an. 533

Ep. ad Ioan. Papā Cod. de summa Trin. & fid. Cathol.

magnos illos Spiritus sibi sumere potuit. De Acatio, aliud quod respondeam non habeo, quàm quod de Tertulliano dixit magnus vir *Ecclesiæ hominem non fuisse*; nam non modò schismate, sed hæresi se polluit, proptereaque, anathemate eum percelluit Pótifex, qui & nomen eius, vt meminimus ex sacris diptychis deleri iusserit, etiam post fata impiissimi Antistitis executioni demandata censura Ecclesiastica, vt non alia lege Orientis Ecclesiæ, & in iis ipsa Constantinopolitana Romanæ communionem promeritæ sint, quàm eius expunctione, vt suprà in Hormisda vidimus. Synodus Quinisexta non Concilium, sed Concilij simulacrum fuit, meritóque *erraticam Synodum*, cui omnis fides sit detracta & abrogata, vocat Beda. Quare vt firmare tentarit furtiuum decretum Chalcedonense, robur nullum ei addidit. Alius ille Ioannes, quem profert Spalatensis, insignis hypocrita fuit, de quo candidi pectoris Pontifex ita sensit: *Eo tempore*, inquit, *quo fraternitas vestra in Sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quoue tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse te velle memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitiosæ desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Synodi quę apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorij causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissoluit, & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit.* Lis inter Antiochenam & Salaminensem, iudicem habet Constantinopolitanum, si quid ei narrationi, quam profert Spalatensis, credendum sit, & ex Imperatoris mandato, non quod ei ius vllum esset in eas Ecclesias. De Ignatio diximus suo loco: vno verbo quæcunque ad roborandũ decretum Chalcedonense, de Patriarchis Constantinopolitanis narrantur, vel in vsurpationum numero habenda sunt vel ad condescensionem Pontificis sunt referenda, qui bono pacis tandem inflecti se passus est. Sed impium Photium non erat, quòd cum eo coniungeret; quippe quàm crudelissimum tyrannum sit expertus, non secus ac Imperatorem Michaelem, qui huic Orientis turbini aduersus sanctissimum Martyrem impensissimè fauit, & sunt quoque spectanda tempora, quibus est tandem renunciatus ab Imperatoribus secundus Patriarcha Constantinopolitanus Antistes, Occidente concusso, totaque Italia; Roma etiam ipsa à Gothis vastata, florentibus verò Orientis rebus, ac etiam lasciuiente Constantinopoli, ob regios fasces sibi traditos, facile fuit Regiæ vrbis Antistiti conuulso Ecclesiarum statu secundum à Rom. Pontifice locum authoritate Imperatorum sibi comparare. Basiliscus tyrannus, qui pulso Zenone Imperatore rerum per tyrannidem potitus est, primus decretum Chalcedonense sanxit, ac firmum & ratum esse voluit. Secutus est Zeno, qui deuicto & interfecto hoste infensissimo, Imperij habenas iterum suscepit. Secuti sunt & alij Orientis Imperatores, etiam Orthodoxi, qui nimium vrbi regiæ fauentes, idem moliti sunt. Horum igitur temporibus cùm afflictissimæ essent res Occidentis, facilè impetrauit, Antistes Constantinopolitanus vt Patriarcha diceretur, adni-

Beda de sex ætatibus in Iustiniano Iuniore.

Greg. magnus lib. 4. ind. 13. ep. 38.

tenibus etiam Pontificibus, qui Imperatorum precibus fatigati, vt iis gratificarentur, & sibi fauentes haberent, remiserunt.

Spalat. Num. 20. Leo ep. 57. Itaque non infringunt ista rationes Leonis, sed temporum iniuria hoc de suis iuribus decedere passa est Ecclesia Romana. At obiicit Spalatensis: *Quod autem ait Leo aliam esse rationem rerum secularium, aliam diuinarum, vt gloria ciuitatis Constantinopolitanæ cum Primatu Ecclesiastico, nihil coniunctionis habeat, neque stabilis sit vlla constructio præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit. Respondeo Hierarchiam Ecclesiasticam inter Episcopos, esse de solo iure humano; & nego Primatus hosce ad res diuinas pertinere, vt iam ostendi: multò magis nego ex iure diuino Romanam Ecclesiam, aut vllam aliam particularem, vllam praeminentiam supra cæteras vnquam habuisse. Hoc itaque quod opinabatur Leo, subsistere non potest, qui facilè sibi etiam Scripturæ contraria solet* Leo ep. 56. *in gratiam huius Primatus persuadere: vt quando dixit; Antiochiæ prædi-* Act. 11. *cante Petro primum Christianum nomen exortum esse. Non enim Petro, sed Paulo & Barnaba prædicantibus illud factum est. Falluntur itaque quicunque volunt Romanam Ecclesiam suum habere Primatum ex ipsa Christi institutione, & à Petro Principe Apostolorum: ac multo plus falluntur, dum contendunt non potuisse Concilia, quantumuis generalia, vllam aliam Ecclesiam ad eiusmodi Primatum euehere; idque tunc maximè verum esse sibi persuadent, quando Romanus Pontifex in ea parte talia Concilia non approbarit; sed eis restiterit, & eorum decreta cassauerit, & aboleuerit. Falluntur, inquam; quia Christus nunquam Romam nominauit, neque de Romana Ecclesia speciali vnquã verba fecit; mera est igitur vanitas facere Christũ Romanæ Ecclesiæ specialem fundatorem. Nam Christus duodecim fecit Apostolos, cum æquali potestate, vt docui lib. 1. neque vllum eorum fecit vllius certæ ciuitatis proprium Episcopum, quos omnes voluit per vniuersum mundum excurrere, prædicare, & Ecclesias fundare. Itaque neque Petrus fuit vllius ciuitatis proprius Episcopus neque successorem vllum habuit peculiarem, vt iam ostendi, & vlterius cap. 6. huius confirmabo. Itaque totus Romanus Primatus sola Ecclesiæ consuetudine, & Conciliaribus decretis, Imperialibusque priuilegiis consistit. Cur igitur similiter consuetudo & Conciliaria decreta & leges Imperiales, non potuerunt aliam Ecclesiam ad similem Primatum attollere? Renitentia verò Romani Pontificis contra vniuersalia Concilia nihil officit, vt iam ostendi, & suo loco plenius pertractabo. Et quamuis plures occasiones concurrerint, in Romana Ecclesia quàm in Constantinopolitana extollenda humanæ profectò omnes & temporales, vt in sequentibus patebit; tamen præcipuæ ex iisdem etsi non omnes, vt Constantinopolitana efferretur, concurrerunt.* Atqui si Hierarchia Ecclesiæ, etiam incluso Pontificis primatu, de iure diuino In relatione Conc. ad Leonem. non est: Egregiè igitur ac splendidè mentiti sunt Chalcedonenses, qui hoc nomine Pontificem primùm venerari se agnoscunt, quod *vineæ*, hoc est, totius Ecclesiæ *custos* à Christo deputatus sit, quodque apud ipsum *radius* luceat *Apostolicus*; qua de re egimus suprà abundè. Verùm quæ ad Romanæ Ecclesiæ primatum pertinent, alio loco expendentur.

Spalat. Num. 21. Sed iam aggreditur ad soluenda nostrorum argumenta, & sua deliramenta confirmanda: O*biicies*. 1, inquit, *post Constantinopolitanum primum Conciliũ, & ante Concilium Chalcedonense, Sisinium Constantinopolitanũm tentasse, vt Cy-* Socr. lib. 7. cap. 28. *zici Episcopum Proclum faceret; sed resistentibus Cyzicenis, qui Dalmatium iam ordinari fecerant, nihil effecisse: Cur autem Proclus sedem non obtinuerit, Socrates hanc*

hanc reddit rationem: Hoc, inquit, à Cyzicenis factum est, neglecta illa lege, qua iubet, ne quis Episcopus designetur, absque sententia & authoritate Episcopi Constantinopolis: legem autem propterea neglexerunt, quod Attico soli, vt illi putabant, nominatim authoritatem illam concederet. Vides igitur, inquit Baronius, neque in ipso Hellesponto ius aliquod ex aliqua Synodo Oecumenica, vendicasse sibi Episcopos Constantinopolitanos; sed Attico id tantum fuisse concessum, nescio cuius legis authoritate. Ego verò hinc colligo libidinem dominandi, vt solet, facile potuisse mouere Patriarchas Constantinopolitanos, vt plus semper vellent, & conarentur, quàm eis, vel consuetudo, vel Canones tribuerent. Primatus enim erat duntaxat, in Metropolitanis certatum Prouinciarum ordinandis, non autem in ordinandis Episcopis, qui non essent Metropolitani, quorum ordinatio semper ad Metropolitanos spectat, etiam ex Canonibus Nicænis, qui violari non debent; neque vllum Concilium eos tentauit conuellere. Ac propterea Concilium Chalcedonense, ita quidem Constantinopolitano Episcopo firmauit priuilegia Patriarchatus, vt tamen expressè prohibuerit, ne in Episcoporum ordinationes se ingereret; sed contentus sola Metropolitanorum ordinatione, Episcoporum ordinationes suis relinqueret Metropolitanis. Itaque Atticus extorserat fortasse aliquam legem personalem ab Imperatore, vt liceret ei etiam Episcopos ordinare; cui Episcopi, & populi ob reuerentiam Imperialem, refragari non sint ausi: sed extincto Attico, lex quoque illa, seu priuilegium extinctum est; vnde meritò Cyziceni Sisinio Patriarchæ, rem indebitã & inconcessam attentanti restiterunt. Sed hanc obiectioñe falsò niti fundamento ostendimus, atque Spalatensem hac in parte ignorantia lapsum ostendimus, qui non viderit Cyzicũ in albo Metropoleon esse, quod eum docere potuerunt notitia Episcopatuum, Concilium Chalcedonense, & Curopalates. Sed bene est, quod hic quoque Constantinopolitani Antistitis ambitum notat. Aliud iam argumentum versat de Theophilo: *Obijcit,* inquit, *tertiò Baronius, quod Alexandrinus Theophilus ius sibi vendicaret ordinandi Patriarcham Constantinopolitanum: Ex quo probè si attendas, inquit, intelliges primam sedem post Romanam, Alexandrinam Ecclesiam tenuisse in Oriente, spretosque fuisse Canones, si qui Constantinopoli in Synodo facti sunt, quibus derogetur Alexandrinæ Ecclesiæ priuilegijs. Obiectio exilis est. Quid enim obstat Primatui Constantinopolitano, si Alexandrinus, qui iam erat post illum proximus prætenderet, vacante sede, prima Constantinopolitana, ipsius iuris esse Constantinopolitanum Episcopum ordinare? Sed hæc quoque prætensio ex spiritu ambitionis erumpebat. Heracleensis enim hoc ius habebat, sed non propterea Constantinopolitano Primatui oberat. Sicut neque concesserit Baronius obesse Primatui Romano, quod ab Ostiensi soleat Romanus Episcopus ordinari.* Sed hanc quoque exceptionem suprà profligauimus, ostendimusque ex facto Theophili omnino apparere Patriarcham Alexandrinum, se à Pontifice secundũ semper vendicasse, quippe qui de exauthorando Chrysostomo cogitarit, deque alio in eius locum sufficiendo, vide quæ à nobis suprà dicta sunt in eam rem. Rursus Anatolium in Scenam inducit: *Obijcit,* inquit, *quartò Baronius, Anatolium commotum magni Leonis rugitu cessisse illi Primatui, quem à Concilio Chalcedonensi extorserat, paruisseque Leoni, qui solus, inquit, irritum reddiderat, quod Concilium sexcentorum Patrum sententijs comprobasset: & Ecclesiam Constantinopolitanam regebat, perindè ac si in Romanæ vrbis suburbijs esset constituta. Atque hæc colligit ex Epistola Leonis ad Anatolium scripta; in qua & approbat Leo priuationem Archidiaconi, & quid de alijs delinquentibus, partemque in nece Flauiani habentibus faciendum et sit, & ex-*

Baro. to 5. an. 426 n. 4

Spalat. Num. 22. Baro. to. 5. an. 377. in fine.

Spalat. Num. 23. Baro. to. 6. an. 454 n. 13 & seqq.

Leo ep. 77.

cusationem Anatolij redarguit, qua ille à se culpam facti Decreti Chalcedonensis amouebat. Sed neque illud erat propriè regere Ecclesiam Constantinopolitanam; vbi ex ordinaria mutua charitate, solerent inuicem sese mutuo Ecclesiæ magnæ & Patriarchales, ac Primatiales consulere, & acta regiminis communicare, vt sese inter se iuuarent; & grauioris momenti causarum tractationes perficerent: quod in Epistolis Cypriani clarissimè apparet, vt posuimus suprà lib. 2. ca. 7. & infrà cap. 9. explicabitur. Neque vlla apparet Anatolij cessio, aut Primatus abiectio; sed in eo firma stabilitas, cum prudentia tamen, & religiosa charitate; qui ferens Leonis impatientiam, nihil vnquam voluit ad eum de suo Primatu, de quo fuerat acriter per litteras à Leone reprehensus, rescribere: Ad quas, inquit Leo, cùm non rescriberes, ipse te à colloquij mei consortio separasti. Vbi tamen Leo Imperatorem rogauit, vt Flauiani persecutionis rei Clerici, sui sceleris pœnas darent; idque Anatolius vt par erat, fuisset executus; vt in pace & communione cum Leone perseueraret, per suas litteras illum hac de re fecit certiorem; & hac occasione, non quod culpam vllam agnosceret; sed vt moneret non ipsius solius, sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericorum motū fuisse, vt in Concilio Chalcedonensi de illo Primatu ageretur: Sicque non deberet ei tantopere Leo succensere. Non tamen propterea vllam fecit sui Primatus abiectionem, in quo etiam post has litteras solertissimus perseuerauit, vt patet, quia Clerus Alexandrinus, & Episcopi Ægyptij in litteris suis ad Leonem Imperatorem, aduersus Timotheum inuasorem scriptis; Anatolium ponunt statim post Romanum; & reliquis Patriarchis Orientalibus anteponunt; imò & prius ipsum suis litteris conueniunt, quàm Romanum: & Leo Imperator grauissimam Ecclesiæ Alexandrinæ turbationem, totam Anatolio ipsi committit, vt ipse prouideat, quid verò respondeat Imperatori Anatolius, audi & vide. Sed nescio quid sit leges Antistitibus Ecclesiæ imponere, nisi quod Constantinopolitanis Leo Pontifex imperat, hoc loco habeatur. Nam præterquam quod sanctissimi Flauiani Martyris hostes plectendos sua authoritate sanxit, gratiam factam Ætio Archidiacono probauit, formam etiam præscripsit, & normam quam sequeretur Constantinopolitanus Antistes in reis reconciliandis. Verba eius sunt: *Cæteri verò,* inquit Leo, *quos per reatus inuoluerat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt suis ordinibus reformentur, his tantùm ad officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit.* Hæc scilicet non solam charitatem inter summas Ecclesias, ad quam confugit Spalatensis, spirant; verùm summā potentiam sonnāt qua præditus sit, qui sic præscribat. Cessisse verò honori, pro quo tantoperè cōtenderat, Anatolium, sequentia Leonis omnino probant: *Illam autem culpam,* inquit, *quam de augenda potestate aliena (vt asseris adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua volunate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi (frater charissime) est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit, sufficit in gratia communis regressum, professio dilectionis tuæ, attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit.* Quòd etiam Gelasius confirmat duobus locis, de quibus infrà. Perseuerat tamen homo contumax, atque obstinatè contendit Anatolium constantissimè comparatum sibi in Concilio Chalcedonensi honorē propugnasse, ac retinuisse; *Num,* inquit, *Primatum suum abiecerat. Ait enim; Orationi siquidem nostræ, opus est, Christianissime, & fidelissime Imperator, vt non circa meditationem à Diabolo peruenientium rerum, contra,*

Idem ep. 56
Idem ep. 77
Ibidem.
Post Conc. Chalced.
Leo ep. 71.
Idem ibid.
Ad Episc. Dardaniæ, & de vinculo Anathematis.
SPALAT. In fine 23. num. 24.

communem Ecclesiarum pacem occupemur. Quia verò, sicut apparet aduersarius, non sinit præsentem sine fluctuatione nauigare nos vitam; necesse est superna gratiæ gubernaculo vsos, oportere nos omnes, qui Deo authore sumus in Sacerdotio constituti, illius certaminibus obuiare; vnde etiam nunc in his quæ sunt præsumpta in Alexandrinorum Ecclesia non quieui, sed sequens vestræ Christianæ tranquillitatis intentionem, volentem, & Sanctorum Patrum regulas non sperni, & ciuilia iura seruari, quod me facere congruebat, scilicet sedem gubernantem huius Regiæ ciuitatis egi; & hæc manifesta vestræ pietati fient, per ea quæ scripsi tam Romano sanctissimo & venerando Leoni Pontifici, quàm omnibus vniuscuiusque Diœcesis venerabilibus Metropolitanis Episcopis, apud quos ingemui petulantiam contra Sanctorum Patrũ regulas perpetratam; & facta scelesta Timothei, sicut accusationes aduersus eum vestræ pietati, & nobis scriptæ testantur, qui conculcauit Ecclesiasticas sanctiones, legesque ciuiles; quique secundum quod scriptum est, malam potius partem libenter elegit, & quæ illis quæ in rebus decentibus deficiunt commodatur: ait enim; Impius dum ceciderit in profundum malorum spernit. Prouer. 18. *Significaui nihilominus eis, & de sancto beatoque nostro Concilio Chalcedonensi, quæ digna sunt. Ergo quoniam alijs hæc conuenienter exposui, pronior nunc extiti, vt cùm fiducia clarius, de rebus præsentibus, meam possim publicare sententiam. Notum igitur facio vestræ tranquillitati, quod piissimis vestris syllabis à nobis fieri præcepistis; quia constituo Timotheum quidem quantum ad integritatem sanctorum Canonum, aduersum quos semper, ea quæ gessit, & gerit hactenus irritauit, in ordinatione Sacerdotij nullatenus esse dignum, &c. Hic certè Anatolius, cùm magna procedit authoritate erga Patriarcham Alexandrinum. Quomodo ergo primatum abiecerat?* Respondeo primùm quod attinet ad Epistolam Alexandrinorum ad Imperatorem Leonem, idcirco ad eum confugisse, quod non nisi eius authoritate depelli posset illa pestis Ecclesiæ Alexandrinæ, sanctique Proterij interfector Timotheus, à cuius partibus starent omnes Ægyptij & Alexandrini, qui hostes se Concilij Chalcedonensis profiterentur. Quod spectat ad Epistolas Leonis ad Anatolium, & Anatolij ad Leonem, tantum abest his firmari furtiuum illum Patriarchatum, vt etiam his planè iuguletur; si enim potestatem parem Pontifici nactus erat, adeoque ius in Ecclesiam Alexandrinam habebat, quid opus fuit Imperatoris mandato? quid illa Principis commissione, quâ vnâ fretum, de Alexandrinis rebus cognouisse se scribit Anatolius. Ac præterea nonne acceptis ab Imperatore Leone litteris ad Pontificem confestim scripsit, & princeps ipse, Annon à Leone obnixè rogatus fuit Imperator, vt latronis illius ac parricidæ Timothei insolétiam frænaret, eúque mulctaret? Certè imperatoris hác curam fuisse, ne quid detrimenti respublica Alexandrina caperet, & illa flamma consopiretur, Liberatus ostendit. *Interea Leo sumit Imperium,* inquit, *ad quem tanti facinoris Catholicorum querela peruenit, ascendentibus ad imperialem ciuitatem cum Cleris aliquantis Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopis, qui erant à Timotheo sedibus suis pulsi. Supplicationes ab eis oblatæ sunt Leoni Imperatori, quatenus mors vindicaretur Proterij, & expelleretur Episcopali sede Timotheus Aelurus, tanquam non legaliter institutus. Hæc quidem egerunt Episcopi & Clerici, Synodi Chalcedonensis defensores. Sed & à Patre Timothei quidam Episcopi & Clerici Timothei ascendentes, functi legatione pro Timotheo Aeluro, dederunt & ipsi petitiones Imperatori, contra Synodũ sæpè facientes, vt eadem Chalcedonensis Synodus tolleretur. E contrà illi à parte Proterij vindictam sceleris postulabant.* Hoc ipsum indicant Leonis litteræ, cuius proinde Anatolius iussa capessisse se dicit, ac obse-

Ep. Anat. ad Leon. Imp. Epi. Leonis Pontif. ad Leon. Imp. Liber. in Breu. c. 15.

cundasse. Non negamus autem pleraque suprà attributam sibi ab Ecclesia potentiam, ac supra communem & ordinariam Episcoporum potestatem, etiam in aliis Ecclesiis egisse Constantinopolitanos Antistites; Sed Imperatores iura Ecclesiis non decernunt, Antistitum potestatem non faciunt, quamquam & Patroni & defensores Ecclesiarum audiunt. Et certum quidem est Leonis rogatu Pontificis, Leonem Imperatorem tum de Concilio Chalcedonensi firmando, tum de sopiendo Alexandrino tumultu cogitasse. Leonis Pontificis eum adhortantis verba sunt apud Christianissimum Principem: *Cùm*, inquit, *Clementiam tuam Dominus tanta Sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas: depellendo scilicet persuasores iuris alieni, & antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando: vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regiæ ciuitati non retribuat, quæ admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui venerabilis Imperator omnes, qui per totum orbem sunt Domini Sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare: in qua re specialius ambiunt, qui Apostolicæ fidei sectatores, Alexandrinæ Ecclesiæ præsederunt: agentes apud pietatem tuam ne homines hæreticos & meritò pro sua peruersitate damnatos, vti sua persuasione patiamini, cùm siue impietatem errorum aspicias, siue opus perpetrati furoris attendas: non solùm ad Sacerdotij honorem admitti nequeant, sed ab ipso Christiano nomine mereantur abscindi. Nam (quod exorata pietatis vestræ venia dixerim) quodam contagio splendorem vestræ serenitatis offuscant, cùm sacrilegi, parricidæ id audeant petere, quod ne innocentes liceat obtinere.* Et vt intelligas Anatolium in his turbis sopiendis haudquaquam Patriarcham egisse, sed regium ministrum, profitetur ipse ne dum se eorum quæ ad Religionem pertinerent curam suscepisse, verùm etiam rebus se immiscuisse politicis; *Proui*, inquit, *deceret regiæ ciuitatis Antistitem*, cui scilicet Imperatorum gloria cordi esse deberet. Verba eius sunt: *In his*, inquit, *quæ sunt præsumpta in Alexandrinorum Ecclesia non quieui, sed sequens vestræ Christianæ tranquillitatis intentionem volentem, & Sanctorum Patrum regulas, non sperni, & ciuilia iura seruari.* Nunquid igitur iura ciuilia ad Patriarchæ curam pertinent, non verò ad ministri regij sollicitudinem? Pergamus. *Obijcies quintò cum Gelasio*, inquit, *ridente quod Acacio vellent prærogatiuam comparare, quia Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis, ac dices; Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes, vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? Si certè de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis, & tertiæ maior est dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non solùm inter sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur, nam quòd dicitis Regiæ ciuitatis, alia est potestas regni sæcularis; alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum, sicut enim parua ciuitas prærogatiuam præsentis Regis non minuit; sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara vrbs illa potestate præsentis Imperij, Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat, sine vlla perturbatione mensuram: Postremò si sibi blandiuntur; & inde putant Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Martianum eiusdem Principem ciuitatis, posteaquam pro augmento vrbis ipsius Sacerdotis intercessor accedens, contra regulas*

Ep. Leonis Papæ ad Leonem Imperat. Ep. 75.

Anat. Episc. Ep. ad Leo. Imp inter Ep. illustr. person. pro Cõc. Chal.

SPALAT. Num. 25. Gelas ep. 11. & Bellarm.

regulas obtinere nil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum: quod Canonum regulas violari, nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium eiusdem sedis Antistitem, Clerum potius Constantinopolitanum, quàm se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum Papam Leonem sedis Apostolicæ Præsulem, cuius Synodus Chalcedonensis authoritate firmata est, quicquid vltra quam ab eodem, pro fide & communione Catholica, atque Apostolica illic agēdum, constaret esse delegatum per occasionem congregationis illius, præter Nicænos Canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ Papa Simplicio, Legato sedis Apostolicæ, sanctæ memoriæ Probum Canusinæ vrbis Episcopum, Leone Principe tunc petente præsente docuisse nullatenus posse tentari; neque his prorsus præbuisse consensum: atque ideo non ad ciuitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis Ecclesiasticæ paterna traditione firmatum, conuenienter obseruent. Hæc Gelasius. Excipit Spalatensis. *Vt ciuitas,* inquit, *sit Imperialis, non satis est si Imperator in ea pro cōmoditate Imperij, iuxta opportunitates rerum & negotiorum, degat tātisper; imò etiam ad longum tempus: sed ea est ciuitas Imperialis, in qua Curia, in qua senatus fixi sunt permanenter; in qua cōsules, in qua reliqui Imperij Magistratus adsunt, nec talem ciuitatem quis in toto Romano Imperio, vltra Romanam & Constantinopolitanam vnquam inuenit obseruauit, aut nominauit, sed neque nos dicimus præsentiam solā Imperialem statim facere, vt Ecclesia illis ciuitatis habeat prærogatiuas, sed postquam occasio Imperatoris & Curiæ, consuetudinem introduxit, vt negotia quoque Ecclesiastica, ac præsertim Episcoporum ordinationes, ad eam sedem deferantur; talemque consuetudinem Concilia postea generalia approbent, & confirmēt, & hoc nihil præiudicat religioni; neque inde religio, vllam admittit mutationem; sed in sola externa Ecclesiastica disciplina aliqua fit mutatio in melius semper, & non in deterius propter Ecclesiarum cōmoditatem, & Imperatoris res Ecclesiasticas adiuuantis, authoritatem & opportunitatē. Quod verò asseris de Martiano, id conatus est aliquo modo ex Leonis literis ad Martianum datis colligere: Certè Martiani literas non vidit, non enim extant, quod sciam; Leo verò, postquam certiorem reddidit Martianum, se in literis ad Anatalium datis, ea quæ de fide in Concilio Chalcedonensi definita fuerant, approbasse; addit, sed quia in eisdem literis, ea quæ per occasionem Synodi malè sunt attentata, reprehenderam; maluit prædictus Antistes meam gratulationem tacere, quàm suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos obseruantiam meam de custodia Canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et meritò geminatur gaudium meum: cum vobis religiosissimè placere cognosco, vt & fides Nicæna suam teneat firmitatem, & priuilegia Ecclesiarum illibata permaneant.* Sed quòd ad primū attinet, iugulat hoc responsum causam Anatolij; siquidem quòd Imperij necessitates id deposcerēt, vt non vno loco consisteret Imperator, sed modò hanc, modò illam vrbem incoleret, in eáque aulam induceret, propterea ab Imperatoris præsentia Ecclesiarum splendor pēdere non debuit, ne perpetuo nutaret, ac crebras mutationes subiret. Quod attinet verò ad diuturniorem alicuius vrbis incolatum, si iis ad conciliandum ius Patriarchicū sufficeret, planè constat, eius sibi asserendi sufficientissimam causam habuisse Mediolanum, in quo diutissimè, quòd norunt omnes historiæ periti, Imperatores suam sedem habuerint. Quod postremò contendit laudatū à Martiano Leonis zelū generalem, vt loquitur. *Quidni laudaret Martianus Papæ zelum illum generalem quem circa Canonū custodiam præ se ferebat?* Pudendum est

Leo ep. 63.
Spalat. Num. 26.
Leo ep. 63.
Spalat. Num. 27.

effugium, neque enim solū de seruandis in genere Canonibus Nicænis apud Imperatorem egit Leo, verùm nominatim ac speciatim pro eo Canone quo Alexādrinæ & Antiochenæ prærogatiuæ sancirentur, contēdit, ac si verum fateri licet, de his ad Imperatorem scribendi potissima causa fuit, quòd in Anatolium regiæ vrbis intuitu inclinaret ille, & verba Leonis à nobis citata id abundè testantur: *Illam autem culpam*, inquit, *quam de augenda potestate aliena (vt asseris, adhortatione cōtraxeras, efficaciùs atque sinceriùs tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi (frater charissime) est, quòd dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tūc etiam placere non debuit, sufficit in gratiæ communis regressum, professio dilectionis tuæ, attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit.* Vt ergo Gelasius Imperatoris nullas litteras viderit, satis est ex Leonis Epistolis eius mentem deprehendisse, neque enim Planus, aut fumorum venditor fuit Leo Pontifex, sed sincerioris fidei Antistes, cui propterea meritò crediderit, quare fidenter, hoc ipsum repetit alio loco: *Ne fortè*, inquit, *quod solent, dicant, quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta; Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundum scripturas sanctas traditionemque Maiorum, secundum Canones regulasque Ecclesiæ pro fide communi, & veritate Catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter admitti: alia autem quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes Apostolica gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicarijs sedis Apostolicæ contradicta, manifestum est; quæ sedes Apostolica, etiam petente Martiano principe, nullatenus approbauit, quæ Præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se præsumpsisse professus est, & Apostolicæ sedis Antistitis non negauit posita potestate: quæ ideo, sicut dictum est, sedes Apostolica non recepit, quia quæ priuilegijs vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet.* Quod verò negat Spalatensis, *in Pontificis potestate fuisse Concilij Chalcedonensis decretum rescindere*, cùm antiquo Canone Ecclesiæ à nobis centies prolato, quo cauetur, ne cuiquam liceat præter sententiam Romani Pontificis *Canones sancire*, omninò pugnat, & constat omne pondus Synodo Antiochenæ in Encæniis, & Ariminensi detractum Pontificis improbatione. Quod additur ex Hieronymo *orbem esse maiorem vrbe*, ad rem non facit, de consuetudine enim locali, de qua nos suprà, perperam à Diaconis Romanis citra consensum vllum Pontificis Romani inuecta loquitur. Præualuisse autem Concilium quintum contra Vigilium in fabulis numeramus; sed hæc alio loco expendentur; Pœnituisse Anatolium insolentioris ambitus est suprà à nobis demonstratum. De frustrato Leone pro roborando Decreto Concilio Chalcedonensi apud Simplicium contendente, certè dignus est Gelasius, cui hoc asserenti fides habeatur, cùm decessorum suorum res probè teneret. Videamus sequentia.

Leo ep. 71.

Gelas. de vinculo Anathematis.

Socrat. l. 2. c. 8.

Obijcies sextò, inquit, *Gregorium dicentem: Quis dubitat Constantinopolitanam Ecclesiam sedi Apostolicæ esse subiectam? Respondeo, id ita fortasse Gregorium sensisse, opinio hæc Romanorum Pontificum est satis propria, Constantinopolitanum Primatum nullum esse: Ego tamen puto Gregorium loqui de subiectione in ordine dignitatis; quia Romana prima est; secunda Constantinopolitana.* Sed primum moderatum

Spalat. Num. 28. Greg. l. 7. ind. 2 ep. 63.

deratum Gregorij animum, tam ab iniusto omni ambitu alienum fuisse, vt insolentius nunquam se extulerit, aut in aliorum iura inuaserit, seseque intra modestiæ fines religiosissimè semper continuerit, agnoscunt pij omnes, vt proinde immeritò à Spalatensi huius vanitatis postuletur; & quod subiectionem illam interpretatur de *ordine dignitatis*, vt scilicet Pontificis in Antistitem Constantinopolitanum potestatem eneruet, ex ipso Gregorio satis refellitur; quippe qui se appellantes, à Constantinopolitano Antistite damnatos susceperit, eorumque causas retractarit, ac etiam ab eo condemnatos absoluerit. Locus est insignis in Epistola eiusdem Gregorij ad Ioannem Constantinopolitanum, de Ioanne Presbytero iniustè damnato, quem liberum esse pronuntiat. *Nos*, inquit, *facto Concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta quæ erunt necessaria subtiliter perscrutantes ac tractantes, quoniam in nullo antedictum Presbyterum reum inuenire potuimus; præcipuè quia libellus quem delegatis à vobis iudicibus obtulit rectæ fidei per omnia synceritati concordat: ea propter eorundem iudicium reprobantes sententiam, nostra eum definitione Catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri misericordia, & gratia reuelante denunciauimus.* Huius etiam meminit Epistola ad Martianum Rauennatem; *Nunquid*, inquit, *non ipse nosti, quia in causa, quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem, & Coepiscopum nostrum orta est secundum Canones ad sedem Apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita?* An hæc solùm dignitatis ordinem, non verò potestatis vigorem spirant: sed de Gregorio diximus abundè suprà. Persequitur Spalatensis.

Greg. l. 5. ind. 14. ep. 15

Ibid. ep. 24.

Obijcies septimò, inquit, *Primatum hunc tot tyrannos Ecclesiæ Constantinopolitanos Patriarchas peperisse; qui contemptis Canonibus, alios deponerent Episcopos, alios subrogarent, alios transferrent, hos deprimendo, illos tollendo, &c. vt potissimùm de Photio narrat Nicetas. Respondeo Primatum Romanum quoque longè peiora, & immaniora nobis monstra peperisse. Neque id primatui legitimo & modesto, aut Decretis Primatum confirmantibus est tribuendum: sed ipsis Primatibus, malè Primatu abutentibus, & Principibus eosdem Primates in suis abusibus fouentibus; nec vt par est, eos compescentibus, & in officio retinentibus. Contra eundem quoque Photium Nicolaus primus excanduerat, & inter cætera ei, ac Græcis obiecerat ista: sed quid mirum si hoc isti prætendunt cùm etiam glorientur, atque probibeant, quando de Romana vrbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc & Primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse; & cum dignitatibus Regijs etiam Ecclesiæ Romanæ priuilegia translata fuisse, ita vt eiusdem inuasor Ecclesiæ Photius, etiam ipse se in scriptis suis Archiepiscopum, atque vniuersalem Patriarcham appellet. Hæc de Photio; aduersus quæ insurgit ipse Nicolaus, ex communibus & ordinarijs locis fundationis Romanæ Ecclesiæ, à Petro habita, & Paparum testimonijs. An verò Græci prætenderint, aut prætendant ita Primatum Ecclesiasticum à Romana ad Constantinopolitanam Ecclesiam transiisse, cum transitione Imperij, vt Romana suum perdiderit Primatum; dicam inferius cap. 7. Certè Canones illi relinquunt Romanæ Ecclesiæ primum locum quem habebat; ideo id Græci prætendere nullo modo debuerunt: Sicut neque verum est quod Baronius asserit, in altero extremo constitutus; videlicet, ita datum secundum locum Constantinopolitanæ post Romanam, cui primus suus locus mansit, vt ipsi Romanæ se subiectam esse Constantinopolitana semper sit professa; contenta, quod reliquis Patriarchalibus fuerit prælata: At inter Patriarchales Ecclesias nulla est prælatio, nulla propriè dicta subiectio, vt probaui li. 3.*

Spalat. Num. 29. Apud Baro. to. 10. an. 878. n. 51. 52

Nic. ep. 70. apud Baro. to. 10. an. 867. nu. 54.

Baro. to. 8. an. 680. n. 41

c.10. Sed ipsæ inter se sunt æquales, hoc est vnaquæque suæ regionis prima & suprema; solo ordine dignitatis inter se subordinatæ; vt primo loco sit Romana, secundo Constantinopolitana ex priuilegio, tertio Alexandrina; quarto Antiochena, quinto & vltimo Hierosolymitana, & ipsa ex priuilegio. Itaque secunda non subijcitur primæ, neque tertia secũdæ: & sic deinceps; hoc enim expressè & principaliter declarat Can. 6. Nicænus, vt nullus horum Primatum, seu Patriarcharum, aut Metropolitanorũ quicquam iuris habeat in alterius Prouinciam, aut potestatis exceptis tantũ quibusdã prærogatiuis, de quibus iã egi l.3.c.10. & agam inferius c.9. Priuilegiũ itaque Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ita eam prætulit reliquis duabus Patriarchalibus Alexandrinæ & Antiochenæ, vt tamen Romanæ non subijceretur, sed neque præferretur, sed ei penitus in omnibus prærogatiuis æquaretur, & solo ordine dignitatis postponeretur, vt in sequentibus explicabitur. Sed primùm fallit iniquiore Pontificis cum Antistite Constantinopolitano comparatione, vt enim etiam in tyrannos degenerassent Pontifices, quod tamen citra probationem impudenter asseritur, vitium *in modo imperandi*, vt loquuntur, non *in iure imperij*, resideret: penes enim Pontificem potestatem semper fuisse de omnibus per orbem Episcopis censendi, ac iudicandi suprà ostendimus. Sed Antistites Constantinopolitani cùm eos legitima authoritas deficeret, ne Ecclesiarum capita haberi possent, cùm Episcopos vexarunt, tyrannos se non modò in regiminis forma, verùm etiam in iure regnandi præbuerunt, ac ostẽderunt. Nescio verò cur ad asserendum Patriarchatum Constantinopolitanum à bipedum nequissimo Photio præsidium petat, & in eo ostentando sibi adeò placeat. Cœnum enim, pestis ac flamina Ecclesiæ ille conscelleratus Eunuchus fuit; cui etiam post sanctissimos Pontifices, anathematis notam Oecumenica Synodus octaua inussit. Etsi verò quorundam Græculorum opinio fuit excidisse Romanam Ecclesiam suo primatu, ac totum eius imperium in Constantinopolitanum translatum fuisse, illi tamen ipsi à suis confœderatis, hoc est, ab aliis schismaticis refelluntur. Audi Zonaram: *Cùm de aliarum Patriarcharum*, inquit, *iure superiori Canone definitum sit, de Constantinopolitano à Patribus hoc loco actum, eique primi honores priuilegiaque singularia, quippe nouæ Romæ, ac reginæ vrbium præfecto post Romanum Episcopum, decreta. Quod quidem ita accepere non multi, non vt inferiorem dignitatis gradum, sed temporis posteriorem ab hac constitutione edita seriem, ea loquendi formula, significari vellent. Erat siquidem vrbs antiqua Byzantium, quæ cum suis legibus vteretur, Seuero Imperatore triennio obsessa, rerum necessariarum inopia compulsis ad deditionem ciuibus, venit in Romanorum potestatem: ac mœnibus solo æquatis, iureque omni vrbis amisso, in Perinthiorum cessit imperium. Est verò Perinthus, quæ alio nomine Heraclea: atque hinc Heracliensi Antistiti, quod ab eo scilicet Byzantinus Episcopus olim renuntiari soleret, dicendi Constantinopolitani Patriarchæ authoritas huc vsque seruata. Eadem vrbs, à magno* Constantino *instaurata, ac de eius nomine Constantinopolis dicta, nouæ quoque Romæ titulo honestata fuit. Illa ergo particula, post, solum ordinem temporis, non inferiorem honoris conditionem indicari, quidam existimauere. Quam quidem sententiam suam, vigesimo octauo Synodi Chalcedonensis Canone confirmare nituntur. Ibi namque, mentione huius Canonis iniecta, hæc posteà subijciuntur. De priuilegijs sanctissimæ* Constantinopolitanæ *magnæ Ecclesiæ eadem nos quoque sancimus. Sanctissimam enim nouæ Romæ sedem, quod ea quoque sedes esset imperij, ijsdem, quibus antiqua Roma fruitur priuilegijs, meritò Patres decorauere, ireque optimo, quæ vrbs imperio ac senatu honestata; ac ijsdem cum vetere vrbium Regina,*

Ad Can. 3. Conc. Constant.

διὰ τὴν πρόθεσιν τὴν μετὰ ὑστέρου χρόνου δηλωτικὴν ἔφασαν εἶναι, καὶ οὐχ ὑποβιβασμὸν τῆς τιμῆς περὶ τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην.

gina, muneribus ornata foret, eam in Ecclesiastica quoque Republica, æqualibus cum illa honoribus extollendam, ac secundam ab illa collocandam esse iudicauere. Aequalibus igitur, aiunt, honoribus insignitam vrbem, eandemque dignitate inferiorem esse, quo pacto intelligi possit? Verùm Iustiniani nouella centesima trigesima, Imperatoriarum Constitutionum *libro quinto, titulo tertio, Canonem aliter explicat. Sanctissimum namque, ait, veteris Romæ Papam ex Synodorum placitis, totius Ecclesiastici ordinis principem esse, beatissimum verò Constantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ Episcopum, secundum ab Apostolica veteris Romæ sede locum obtinere, alijs omnibus honore superiorem esse decernimus. Quo ex loco, de subiectionis, non temporis solius ordine, ac de inferiori honoris gradu, Canonem accipiendum esse, facile est intelligere. Cùm alioqui præsertim, honoris æqualitas in vtraque sede retineri nullatenus queat. Nam siue ipsa Præsulum nomina recitanda, siue in eodem vtrique consessu assidendum, siue vtriusque chirographo eadem syngrapha sit firmanda, alterum certè præferri necesse est. Quicunque ergo particulam, post, solam temporis seriem, non inferiorem quoque dignitatis gradum significare contendat, is & vim huic loco afferat, & sententiam neque rectam, neque bonam eliciat. Quin & Trullanæ Synodi* Canone *trigesimo sexto, nostra explicatio apertissimè confirmatur. Post antiquæ, inquit, Romæ thronum, secundus* Constantinopolitanæ *sedi locus assignetur, post hãc Alexandrina, inde Antiochena, & post Antiochenam demum Hierosolymitana numeretur, vbi de inferiori dignitatis ordine, præpositionem intelligẽdam esse, ambigi non potest.* Constans itaque Græcorũ opinio est, primum locũ Pontifici Romano deberi, oportere autẽ secundũ à Romano audire Constantinopolitanũ, sed vsurpato Oecumenici titulo, vt scilicet toto Oriente Oecumenicus habeatur, quomodo toto orbe pro Oecumenico Romanus agnoscitur, verùm hũc ambitum non tulit Ecclesia, qua de re videro alibi. Certè conqueritur Nilus iniuriam fieri Græcis, cùm vendicati sibi primi loci ante Romanũ Pontificem arcessuntur; sic enim ille de primatu Petri: *Neque verò*, inquit, *illud in causa est, quod Latini affirmant, neque nobis Primatum arrogare velle, & in secundis post Romanum Principatum nolle consistere, idcirco pacem detrectare. Neque enim vnquam cum Romana Ecclesia de Primatu contendimus; neque de secundo loco nunc agitur. Sed neque vetus consuetudo, neque Patrum decreta nos latent, quibus Romana Ecclesia antiquissima omnium Ecclesiarum declaratur.* Sed in hoc est à posterioribus Græcis peccatum, quod *ordine* non *potestate*, primùm coluerint Pontificem; quicquid enim contrà effutiat Spalatensis, Orientalibus semper persuasum fuit, antiquiores illos intelligo, toti Ecclesiæ præesse, ac, vt ita dicam, ius in omnes Orientis Episcopos habere; nam nos historiæ docent, & Alexandrinos, & Antiochenos, & Constantinopolitanos cùm res postulabat, quod non infrequenter accidit, in ordinem cogi à Pontifice Romano, Anathemate feriri, etiam abdicari ac exauthorari, suos Patriarchas flagitasse, ac Decretis Pontificum, iudicatisque ab eis paruisse, & subit mirari tantæ molis librorum authorem non aliqua saltem recordatum fuisse, nec recurrisse animo, vel Anthimum Constantinopolitana sede, in quam Imperatorum fauore inuolarat, ab Agapeto Papa deiectum, vel ab vno Fœlice Romano tres Orientis Patriarchas, Petrum Alexandriæ, Acacium Constantinopoli, Petrum alterum Antiochiæ, sacrorum participatione depulsos, atque ab Ecclesiasticis diptychis erasos; vel Flauianum ab Ephesina prædatoria, Chrysostomum à Constantinopolitana tumultuaria Synodo, hunc ad Innocentium, illum ad Leonem Petrique Cathedram prouocantes. Mitto Iulij

Ὅτι αὐθάδης ἐστι, καὶ ἐν ὑπεροχαῖς, ὅτι τὸ μετ' ἐκεῖνον, ἤγουν τὸ μετ' ἐκείνης, ἢ λέγοντα τὸ χρόνου δευτερικὴν εἶναι τὴν πρόθεσιν, καὶ οὐχ ὑποβιβασμοῦ βιβασμὸν ἐστὶ, καὶ διανοίας ἀκούοντος οὐδ' ἀγαθῆς.

Nilus de Primatu Petri l. 1.

Papæ authoritate suas Ecclesias Athanasio Alexandriæ Asclepæ Gazæ, Marcello Ancyræ, &c. in Oriente redditas & restitutas. Hæc scilicet Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam, potestatem comprobant, atque nisi antiquos Patres planè contemnit Spalatensis, manus dabit, ac in veritatis partes concedet.

Spalat. Num. 30. *Obÿcies octauò*, inquit, *Constantinopolitanam Ecclesiam, licet Patriarchalem, subiectam esse Romanæ, eo quod Romana eam regat & dirigat, & rescriptis regulet. Extra, de elect. cap. scriptum: &c. vt præterita: & de maior. & obed. cap. inter quatuor. Respondeo tunc Latinos, Francos nimirum, & Venetos, erepta Græcis Constantinopoli, Ecclesiam illam Græcis similiter ereptam tenuisse: ideoque Romanus Pontifex in ea suam exercuit, Græcis tamen gementibus & frementibus, potestatem; sed breue fuit Latinorum in ea Regia vrbe dominium; imò & Christianorum, quod est profusis lachrymis deplorandum.* Hæc ex superioribus planè refelluntur, antequam enim Latinis colla submittere coacti fuissent, aut eorum Imperio premerentur, potestatem habuisse, nedum in Constantinopolitanam, verùm etiam in Patriarchales alias Ecclesias, quæ eam pro capite venerarentur ac colerent, exempla à nobis adducta clarissimè ostendunt. Sed de his rursus alibi.

Naucler. Gener. 41.



DISCVSSIO
QVINTI CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Rerum humanarum conditio: Non nisi sensim & moratè suas opes ostentant: Regum etiam potentia vires acquisiuit eundo: Cardinalium initio non tantus fulgor, cùm scilicet sub cruce adhuc ageret Ecclesia, quãtus postea apparuit, crescente nimirum Ecclesia, eorum creuit dignitas: De nomine Cardinalis: Onuphrij sententia depulsa: Bellarminus defensus: Cardinalatus apex dignitatum omnium, quæ sub Pontifice, Christo in terris militant: Baronij iudicium de titulis Ecclesiarum: Spalatensis de Cardinalibus nugæ, depulsæ: Quinam Ecclesiastici in sententia Gregorij incardinati dicerentur: De externis Clericis qui in aliquam Ecclesiam cooptarentur, est intelligendus: Cypriani locus in hanc rem à Baronio expensus: Immodestia Spalatensis: Ioannes octauus defensus: Alia Spalatensis nugæ detectæ: Eius de Cardinalibus paralogismi: Patres à quibus præsidium ducit, declarati: Rectum Bellarmini de Cardinalibus iudicium: Olim Episcopis inferiores: Nunc longè superiores: Huius conuersionis rationes, duæ potissimæ: Tributa illis Pontificum electio, & quia iam Pontificis Consiliarij audiunt: Legati Pontificij in Conciliis etiamsi Presbyteri tantùm essent, Episcopis anteibant: Probatur exemplo Philippi in Concilio Ephesino primo Legati: Splendor vrbis Romæ Clero Romano dignitatem aliquam conciliauit: Non tamen causa proxima: Diaconorum Romanorum leuitas & vanitas repressa à Hieronymo: Non erant illi Cardinales, nec omnium illa labes fuit: Spalatensis iniquiores querelæ, vanissimè ad ipsa tempora Bernardi protensæ: Refellitur ex Bernardo: Eius in Purpuratorum Patrum cultum contumelia: Sancta Romana Ecclesia Cardinales κατ' ἐξοχὴν dicti: Inscitia Spalatensis arguitur: Rectè Cardinalis Bellarminus ex sacris ordinibus, quibus Cardinales in Diaconos, Presbyteros & Episcopos initiantur, eorum dignitatem collegit: Sacerdotij quantus fulgor ex Patribus: Impius Spalatensis iocus de triobolaribus Presbyteris: Egregiũ B. Martini factum, defensum: Cardinales de potentia & mundano principatu cum Regibus nõ certant: Spalatensis de honore ineptè philosophatur: A Regibus culti Sacerdotes: Alexandri magni facinus egregium: Bellarminus iterum defensus: Stultum Spalatensis commentum de Canonicis Lateranensibus: Tria Cardinalium officia, quibus tota eorum dignitas nititur, diligentius explicantur: Meritò horum munerum prærogatiua ad Cardinales reuocatur: Bellarminus denuò defensus: Spalatensis refutatus: Iniquè Cardinales cum Diaconis, quos sugillat Hieronymus, confert: Improbè potestatem Pontificis circumscribit: Bellarminus amplius propugnatus, ac à calumniis Spalatensis vindicatus: Viris Ecclesiasticis res temporales gubernare aliquando permissum: Inferiores Clerici ratione dignitatis vel officij, quo in aula vel Ecclesia potirentur, aliquando Episcopis prælati: De Cartophylace Ecclesiæ Constantin. Imperatorum sanctiones: Nequaquam est depressus, ordo Ecclesiasticus, sed dignitate auctus euectis ad honorũ fastigium Cardinalibus: Platina in moribus Pontificum & Cardinaliũ traducendis paulò liberior dolori indulget: Senatus Cardinalium magnis viris semper ornatur: Illo multò impudentior Spalatensis in vexandis Cardinalibus: De Contemptu Basiliensi: Spalatensis dogma euertit, quanquam eo se tueatur: Eius leges melior temporum conditio respexit: Cardinalium probitas quanta esse debeat: Vtrum Cardinales Apostolis successerint: Haudquaquam successisse doctrina est Benedicti Iustiniani, qui tamen de iis magnificè sentit:

Academia leges Ecclesiæ non ponunt, sed Consiliis iuuant: Parisiensis omniũ Princeps laudata: De Concilio Constantiensi: Conciliorum Decreta authoritate Pontificis firmantur: Cardinaliũ tempore Bernardi quantus fulgor & dignitas: Locus Ottonis Frigiensis declaratus: De Torcellano obiter aliquid: Suspectus fraudis in eo referendo Spalatensis: Matthaus Paris notatus Cleri Romani hostis: Eius odij causæ: Noua quædam Spalatensis calumnia depulsa de Purpura Cardinalium: Baronius propugnatus: Diluta obiectiones Spalatensis: Clericorum Romanorum priuilegia: Obiter de Hieronymo: De ipsius Cardinalatu commentum depulsum à Baronio in Annalibus: De falsa donatione Constantini: Bernardus pro Cardinalibus defensus: Similiter Damianus cuius sententia expenditur: De Ecclesia Lateranensi: Bernardi egregia de Cardinalibus: Pontificis est in illustrissimum ordinem optimè de Ecclesia meritos cooptare.

Spalat. Num. 1.



MNIS cuiuscunque Ecclesiæ benè instructæ Clerus his gradibus expletur, Episcopo, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & ministris minoribus, vt plenè docui libro secundo capite quarto. Quare etiam in Ecclesia Romana totus ipsius Clerus iisdem, & non aliis gradibus continebitur. Et quamuis postremis iam seculis Cardinalitia dignitas nobilissimum in Ecclesiastica Hierarchia locum occuparit; & seque supra Episcopos omnes, præter Romanum, extulerit: quicunque tamen Cardinales efferunt, non eis vllum nouum, & diuersum, à prædictis, gradum tribuunt, sed alios faciunt Episcopos Cardinales; alios Presbyteros, item Cardinales, & alios demum Diaconos Cardinales. Cardinalatus itaque non est gradus, aut dignitas, aut officium, aut ministerium Ecclesiasticum seorsim; sed iuxta nostros Monarchicos, addit aliquid Episcopo, Presbytero & Diacono; quo hi superent alios Episcopos item, Presbyteros & Diaconos non Cardinales.

Bellar. de Cler. l. 1. c. 16.



IC sunt comparatæ res humanæ, vt haudquaquam vno momento, sed sensim ac paulatím & moratè suum splendorem & dignitatem vt plurimùm consequantur. Nauigabiles ad ipsam suam scaturiginem fluuios aliqui commenti sunt: Sed vix est, vt in ipso rerum ortu illarum fastigia appareant, & ferè non nisi temporis tractu ad illa assurgunt; Ipsa Regum potentia ex paruis initiis creuit, nec principio erat is Regius fulgor, qui postea secutus est; Id in reliquis sæculi dignitatibus spectandum proponitur, & constat, vt ita dicam, vires acquisiisse eundo, si modò solidis fundamentis nitebantur. Stultè igitur Spalatensis, quod initiò non fuerit tantus illustrissimorum Cardinalium fulgor, non debuisse posterioribus sæculis, summis honoribus à Pontifice augeri contendit; Sanè quemadmodum ad corporum lationem superficies mouentur, superficiesque ipsas lineæ æmulantur, sic crescente Ecclesiæ Christi gloria, creuit nobilissimorum ministrorum, scilicet purpuratorum Patrum dignitas, quos iam mœnibus sanctæ Hierosolymæ impositos custodes Ecclesia Catholica tota veneratur ac suspicit. Scilicet nec ipsa Ecclesia Christi sponsa, statim eximios consequuta est honores, sed primùm sub cruce fuit, indignè ab infidelibus habita, ac miserè vexata, cuius rei gratia adductus cœlestis sponsus, conuersione rerum facta eam honoribus augere statuit, priore opprobrio detracto. Hoc habent oracula

Isaiæ c. 60. v. 15.

Prophetarum: sic enim apud Isaiam ad illam Deus: *Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, & gaudium in generationem & generationes, & suges lac Gentium, & mammilla Regum lactaberis:* Quare Augustinus eam cum mole terræ initio aquis opertæ confert;

confert, quæ tandem ad Dei intonantis vocem montes suos ostentarit, ac eo torquet illud Dauidis: *Abyssus sicut vestimentum amictus eius: & super montes stabunt aquæ: Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Fugerũt enim aquæ*, inquit, *ab increpatione Dei, quia cor Regũ in manu Dei: Deflexit quò voluit, iussit per eos pacẽ dari Christianis, emicuit & eminuit autoritas Apostolica. Nunquid quãdo suprà erant aquæ, montiũ defecerat magnitudo? Sed tamen fratres mei, vt omnes viderent eminentiam montiũ, per quos montes salus esset generi humano, quia leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mei: Ab increpatione Dei fugerunt aquæ.* Hieronymus quoq; ad illa verba: *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* Carnaliter, vt loquitur, temporibus Constantini id impletum obseruat: *Istud*, inquit, *carnaliter accipitur, vel spiritaliter. Si carnaliter videmus Cæsares Romanos Christi iugo colla submittere, ædificare Ecclesias expensis publicis, & aduersus persecutiones gentium, atque insidias hæreticorum legum scita pendere, &c.* Itaque tribus integris seculis, cum grauissimis aduersariis conflictata est, nec nisi sensim eluctari aut emergere ex tot periculis potuit, quæ tamen postmodum, tanto etiam externo fulgore collustrata est, vt instar mulieris *sole ipso amictæ lunam sub pedibus habentis, ac in capite coronam stellarum duodecim gestantis*, in hostium etiam oculos incurrerit, in suique admirationem potentissimos seculi Principes pertraxerit. Haud igitur mirum esse debet, eiusdem Ecclesiæ ministros, repentè summos non esse factos, sed tractu temporis, se extulisse, ac sensim illam sibi gloriã comparasse. Dicendum itaque quâ ratione factum sit vt tanto in honore habiti sint purpurati Patres, hoc est, illustrissimi Cardinales, quos in ordine Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum esse lubentes Spalatensi concedimus, his enim classibus Clerus Ecclesiæ distinguitur; sed accessionem quoque honoris vrgemus, de quâ infrà, sed primùm de nomine est nobis cum aduersario agendum. Hac de re disputaturus Spalatensis, aliorum primùm aggreditur refellere opiniones, vt suam sententiam statuat. *Cardinalem*, inquit, *explicat Onuphrius esse eum, qui cæteris præsit: vt in ea Ecclesia, in qua sunt plures Presbyteri, is qui inter eos eminet, & reliquis praeest, sit Presbyter illius Ecclesiæ Cardinalis; sic Diaconus Cardinalis sit, qui aliorum eiusdem Ecclesiæ Diaconorum sit præses. Hæc tamen explicatio est imperfecta: quia Episcopus Cardinalis, qui non fuit Metropolitanus, nullum habet Episcopum cui præsit; & mox patebit vnicum Presbyterum in aliqua Ecclesia, qui nullum alium sub se habeat Presbyterum, esse nihilominus Presbyterum Cardinalem: imò etiam in eadem Ecclesia esse plures Presbyteros Cardinales: ita Diaconi vt plurimum, qui nullum sub se haberent Diaconum, erant nihilominus Cardinales.*

Psal. 103. Hieron. ad c. 60. Isaiæ. Apoc. c. 12. Spalat. Num. 3. Panuin. lib. de tit. Card.

Bellarminus, persequitur Spalatensis, *nomen Cardinalis primum impositum fuisse loco censet, & à loco deriuatum ad personas; Dicebantur enim, inquit, tituli Cardinales quædam Ecclesiæ principales, vbi baptisma conferebatur. Inde autem* Presbyter, *qui eam Ecclesiam regebat, dicebatur* Presbyter Cardinalis: *pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam principalia in vrbe distincta, iuxta numerum regionum, & qui in eis residebant Diaconi, dicebantur* Cardinales Diaconi; *ab Ecclesia videlicet Cardinali quam tenebant. Sic etiam postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales, & inde Episcopi Cardinales sex illi, qui ad eligendum* Pontificem *conueniebant, & eidem* Pontifici *à* Consiliis *erant, præter cæteros Christiani orbis Episcopos. Sed hæc etiam est imperfecta explicatio; videbimus enim multos Episcopos*

Spalat. Num. 4. Bellarm. de Cler. l. 1. cap. 16.

Cardinales, extra illos sex; & Diaconos Cardinales & non Cardinales in eadem Diaconia residentes; & ostendere deberet alias Ecclesias fuisse cum titulis Cardinalitiis, alias verò cum titulis quidem, sed non Cardinalitiis. Ego enim omnes inuenio fuisse olim Ecclesias eodem modo titulatas; vnde & ordinationes debuerunt olim semper fieri ad titulum Ecclesiæ, vt monui lib. 2. c. 7. nu. 26. & plenè probabo lib. 9. cap. 3. & cap. 10. Quicunque ergo ordinabantur, debuerunt esse Cardinales, secundū Bellarminū, quia omnes ad titulū Ecclesiæ titulatæ ordinabantur. Præterea in eadē Ecclesia seu titulo, reperiemus Presbyteros Cardinales, & nō Cardinales: non ergo locus facit aut denominat Cardinales. Verùm itaque est nullum Cardinalē fuisse, qui titulatæ Ecclesię non esset insitus, sed non omnes eiusdem Ecclesiæ Clerici erant Cardinales. Quod attinet ad Onuphrium eius sanè sententia est, quam explicat Spalatensis. Sic enim ille: *Tituli erant,* inquit, *templa, vel vt nunc dicitur Ecclesiæ, siue loca sacra in sanctorum honorem aut memoriam erecta, & per vrbis regiones à Romanis Pontificibus antiquitus distincta, in quibus animarum cura à Presbyteris in eis commorantibus habebatur. Quibus qui præerant Presbyteri appellabantur vt Cardinales, hoc est principales, similitudine à quatuor ventis Cardinalibus, id est, ait Seruius super Virgiliū, principalibus, deducta. Quum enim in vnoquoque titulo plures essent Clerici, qui Sacramēta populis exhiberēt, vel exhibētibus præsto essent, vt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, is qui omnibus præerat Presbyter, à cæteris Clericis illius tituli, vel à Romano Pontifice creatus, dicebatur Cardinalis, quod omnium dignior principaliorve esset in eo titulo commorantium, cæterosque clericos regeret vel gubernaret, in titulo sibi commisso viuentes* Sed eam sententiam meritò reiicit Cardinalis Bellarminus; nec benè aut solidè à Spalatensi ipse refellitur; nam vt verum sit, quod Bellarmino opponit omnes Ecclesias titulis insignitas fuisse, non dubitamus insigniores aliquos titulos fuisse, quibus cardinalium nomen tributum fuerit, quod in horum Ecclesiis, vt aduertit Cardinalis, *Baptisma conferretur*, & sacris initiarentur qui fierent Christiani, quo factum sit, vt qui illis præessent, etiam Cardinales dicti sint. Verùm quia obscuriora sunt illa initia, & scriptorum penuria laboramus; sufficit ad nominis etymum explicandum, Cardinalem idem planè esse ac præcipuum aut principalem, quo sensu dicuntur, Venti Cardinales, Virtutes Cardinales, Puncta Cœli Cardinalia. Est itaque Cardinalium Collegiū, flos ac præcipua & principalis portio Ordinis Ecclesiastici, apexque dignitatum omnium, quæ sub Pontifice Christo in terris militant, ac in Ecclesia ministrant; Sed quia in Titulorum mentionem incidimus, resque de se satis est obscura, lubet ascribere quæ de iis sunt à doctissimo Annalium parente obseruata, ex quibus lux aliqua conciliari possit his, quæ de titulis in hac disputatione traduntur: *Haud dubium,* inquit, *per titulos accipi domos diuino cultui mancipatas, in quibus Christiani Synaxes agere consueuerant. Est de his exemplum in breuioribus illis, sed planè aureis Pij Papæ epistolis ad Iustum Episcopum Viennensem, in quarum priori hac denuper erecto titulo: Antequam Roma exiisses, soror nostra Euprepia (sicut benè recordaris) titulum domus suæ pauperibus assignauit: vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus, & posteriori: Presbyter Pastor titulum condidit. Sic igitur quod dicatur Euaristus titulos diuisisse Presbyteris, de illis planè intelligendum est, qui recens essent instituti: Sicut enim Christiana religio in dies maioribus augebatur incrementis, ita pariter nouos adiicere titulos opus erat, prout & posterioribus temporibus esse factum apparet.*

Cōc. Chal. Can 6. & dist. 70. c. Sanctorū.

Onuphrius l. de ep. &c. pag. 3.

Bar. tom. 2. an. 112. nu. 4. 5. 6.

Sed

Sed vnde acciderit, vt domus fidelium in sacrum vsum conuersæ, quas nos Ecclesias dicimus, à maioribus Tituli dicerentur, paucis aperiendum. A rebus fiscalibus videtur accepta esse nomenclatura: tituli namque impositione, rem aliquam sibi Fiscus solitus erat vendicare, atque Principi consecrare: Vt cùm ait Imperator: Tituli verò quorum adiectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, nonnisi publica testificatione proponantur. Fuisse huiusmodi titulos vela quædam, quæ regiam repræsentarent potestatem, vel imaginibus Imperatorum, vel nominis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt quæ poterunt demonstrare: Sed nos breuiter tantùm rem attingemus. Eiusmodi vela cortinas regias S. Ambrosius nominat, dum scribens ad Marcellinam de Valentiniano Imperatore agit, qui cortinarum illatione intra Basilicam, illam sibi eo modo studuit vendicare: Sed eisdem à pueris scißis omnia irrita sunt reddita. Porrò titulos & litteris notari solitos, S. Augustinus his verbis demonstrat: Ne domum ipsius inuadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de titulo alieno muniri; vt, cùm titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abstineat ab inuasione. Vetuit Gregorius huiusmodi titulos imponi Ecclesiasticis rebus: quippe qui sciret titulos Ecclesiasticos longè à Fiscalibus diuersos esse debere. Fuisse autem apud Christianos titulum, quo domus aliqua cultui diuino manciparetur, vexillum crucis, ex iis possumus intelligere, quæ Theodosius Imperator edicto præcepit, vt delubra Gentilium Christianæ religionis cultui manciparentur, collocato in eis (vt ait) veneranda Christianæ religionis signo. Eaque ratione quòd titulo crucis censerentur res dicatæ esse religioni, Leo Imperator, ne signum crucis inferretur in loca publica, quæ gratia popularis voluptatis essent erecta, lege vetuit, cùm sic ait: Decernimus, vt post hac neque monachi, aut quicunque alij cuiusque status atque fortunæ, in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & sanctorum Martyrum reliquias illicitè inferre conentur, vel occupare audeant ea quæ ad publicas causas, vel ad populi oblectamenta extructa sunt. Ad hæc insuper, alia sunt complura exempla, & auctoritates, quibus crucis vexillo illato, velut præfixo titulo, res censeretur Deo dicata; quæ collegimus in nostris Notis in Romanum Martyrologium editis, vt non sit opus eadem hic denuò repetere. Cùm igitur domus aliqua publico religioso Christianorum vsui manciparetur, crucis titulo insignita, ex eo & nomen accipiens, Titulus dicebatur. Ex his & allusio facta est apud Ambrosium, cùm dicitur: Domum salutat, tam enim deuota fuisse videtur, vt omnis domus eius signo titulata esset crucis; sed & alia quoque ratione dici potest, Ecclesiam dictam esse Titulum, nimirum quod qui illi Presbyter ascriberetur, ab ea nomen titulumque acciperet, vt eius loci Presbyter diceretur. Existimat igitur magnus Annalium parens, tum Presbyteros, tum Diaconos in diuersas regiones & parœchias vrbis distributos, ab his titulis nomen duxisse: Addit vero, quod monebamus, illustrissimus Bellarminus, in his fuisse insigniores quosdam, qui Cardinales dicerentur, à quibus transierit ad Presbyteros ac Diaconos, qui illis potirentur, Cardinalium nomen, quod quanquam ægrè ex veteri historia colligi possit, eius tamen sententiæ valdè congruit, quod est in Concilio Meldensi constitutum, *vt Episcopus titulos Cardinales in vrbibus vel suburbiis constitutos ordinet atque disponat.* Can. 54. Proculdubiò enim titulos præcipuos ac principales intelligit Concilium. Impugnat tamen eam sententiam Bellarmini Spalatensis, aliamque profert, quæ iam sit à nobis excutienda. SPALAT. *Cardinalis*, inquit, *mea sententia, dictus est olim, siue Episcopus,* Num. 5. *imò etiam Metropolitanus, siue Presbyter, siue Diaconus, qui non per modum proxi-*

sionis aut transcursim aut ferè mutuato, & ad tempus, sed qui fixè ac permanenter vti proprius iam illius Ecclesiæ Minister ad exercenda Ecclesiastica ministeria illius Ecclesiæ propria in ea legitimè collocaretur, & inthronizaretur: quæ collatio, seu inthronizatio, etiam incardinatio solet vocari, vt mox apparebit. Atque ita Cardinalis Presbyter, aut Diaconus vel Subdiaconus etiam (nam Ioannem Subdiaconū Cardinalem inuenies à Ioanne Papa XII. testium amputatione occisum) nunquam poterat esse in Ecclesia, quæ non esset reuera titulata; hoc est ad publica ministeria Ecclesiastica erecta & deputata: nam erant etiam oratoria ad priuatas tantùm orationes, seu sepulturas fabricata. Quæcunque igitur Ecclesia facta esset ab Episcopo Parochialis & publicis, vt dixi, ministeriis Sacramentorum deputata; illa dicebatur titulus Cardinalis. Et de his titulis Cardinalibus loquitur Concilium Meldense dum præcipit; vt Episcopus titulos Cardinales in vrbibus vel suburbiis constitutos Canonicè ordinet & disponat. Hoc est illas Ecclesias deputet ad publica ministeria, faciatque Parochiales quas ipse deputandas censeat; alia verò relinquat priuatas. Ita Ioannes Diaconus scribit, Gregorium Cardinales violenter in paræciis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem reuocasse. Hoc est iam prius in vrbana Ecclesia incardinatos, postea inuitos ad forensem translatos, ad suam pristinam vrbanam reuocasse. Ioannes quoque III. Scribit Dilectis filiis Cardinalibus, & Clericis Ecclesiæ SS. Apostolorum, se à Pelagio inceptam Ecclesiam dictam Sanctorum Apostolorum in vrbe absoluisse, Hanc etiam, inquit, in natali Apostolorum Philippi & Iacobi, quod est in Calendis Maij, ad honorem omnium Apostolorum decenter dedicatam, titulum Cardinalem illā constituimus; nec non & Parochiam; sicut cæteri tituli vrbis habent. Vt videas illam Ecclesiā fuisse Cardinalem & titulum Cardinalem cum pluribus in ea Cardinalibus, quæ ad publica exercitia fidelium Spiritualia esset deputata. Atque hæc omnia ex iam producendis testimoniis, & ex multis quæ lib. 9. disputabo, fient manifestissima. Huiusmodi sanè Ministri Cardinales, quia ex officio erant ligati tali curæ, & tenebantur illam, vt ordinarij, exercere, Cardinales dicebantur; quia sicut cardo fixus est, & immobilis, ac circa ipsum valuæ voluuntur; ita circa ipsos tanquam circa fixos cardines voluebantur illius curæ fideles, in regimine Ecclesiastico & spirituali. Non sic erant cardines alij aduentitij & vagi, ac mobiles; qui tantisper vel supplerent pro ordinario, vel ad sola capienda alimenta, in illam Ecclesiam admitterentur, absque cura ordinaria & principali. Respondeo negari non posse olim *Cardinare, Incardinare, & Cardinalem instituere*, nihil aliud fuisse, quàm parœchiæ alicui aut Episcopatui regendo quempiam Sacerdotem, vel etiam Diaconum addicere, ac vt vulgò loquuntur immatriculare & incorporare, vt perpetuò illi Ecclesiæ famularetur, ac suam operam impenderet, id enim passim docet Gregorius, potissimùm verò Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, relata inter Canones. Sic enim habet: *Fraternitatē tuam à nobis petiisse recolimus,* ait, *vt Gratianum Ecclesiæ Venefranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum. Et quoniam nec Episcopum cui obsecundare, nec propriā habet Ecclesiā, hoste scilicet prohibente, quo suū debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam; idcircò scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendū, habituro licentiā Diaconum illum, nostra interueniente authoritate Ecclesię tuæ Deo propitio constituere Cardinalem.* Cúmque Decreti corruptores, pro voce τῶ *Cardinandum*, ordinandum induxissent, emendarunt viri doctissimi, atque cardinandum, legendum esse ex ipsa epistola docuerunt. Sed hoc mihi obseruandum videtur incardinationem illam neuti-

Apud Bar. tom. 10. an. 963. n. 13.

Conc. Melden. c. 54.

Ioan. Diac. in vit. Greg. lib. 3. c. 10.

Apud Bar. tom. 7. an. 559. nu. 3.

Gloss. in c. Ministeriū de offic. Archipr.

Lib. 5. ep. 11. Dist. 71. c. 5.

neutiquam fuisse eorum, qui ad illum titulum ordinarentur, sed qui necessitate aliqua ad illum transferentur; namque cùm iuxta sextum Canonem Concilij Chalcedonensis, accuratè obseruaretur, vt nullo modo daretur alicui locus in Ecclesia, qui nunc Titulus vocatur, nisi simul ad illum locum ordinaretur, cùm aliquis subinde iam ordinatus, exigente necessitate Ecclesiarum in aliam transferebatur, vt in illa eodem gradu esset, quo in prima ordinatus fuerat; In illa secunda dicebatur *incardinari*, quod locus Gregorij indicat, & rursum colligitur ex aliis Epistolis: *Quia*, inquit, *non in hæresim incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ mysteriis quasi recta studio intentionis errauit, imbecillitati eius atque necessitatibus consulentes, maximéque sustentationi eius, pietatis intuitu prouidentes in tua Ecclesia Syracusana eum præuidimus cardinandũ: siue vt officium Diaconatus expleat, seu certè pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur.* Constat verò & hoc modo aliquando à Gregorio *incardinatos Episcopos*, qui propterea Cardinales dicerentur, vocari. *Quale*, inquit, *de Paulo fratre & Coëpiscopo nostro habeat charitas vestra iudicium, directa à vobis relatio patefecit. Quem quoniam ita estis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur.* Et Ioanni Episcopo Scyllatino scribens; *Pastoralis*, inquit, *officij cura nos admonet, destitutis Ecclesiis proprios constituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum debeant pastorali sollicitudine gubernare. Propterea te Ioannem ab hostibus captiuatæ Lisitanæ ciuitatis Episcopum in Scyllatina Ecclesia Cardinalem necesse duximus constituere Sacerdotem, vt susceptam semel animarum curam, intuitu futuræ retributionis impleas.* Et in Epistola ad Agnellum Episcopum de fundis, qui in ciuitate incardinatus fuerat Terracina. *Relatio*, inquit, *Cleri simul & populi Terracinæ degentis: nos valdè lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur. Et quia defuncto Petro Pontifice suo, sibi Cardinalem postulant, constitui te Sacerdotem, eorum vota necessariò complenda esse præuidimus: quatenus & illi se gaudeant impetrasse quod postulant, & nos concessisse quod expedit videamur.* Similia habet Ioannes Diaconus in vita Beati Gregorij. *At verò*, inquit, *ciuitatum desolatarum Pontifices Gregorius vacantibus ciuitatibus incardinare curabat. Vnde Martino Episcopo Corsicæ inter cætera scribens: Quoniam, inquit Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore Sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est, delictis facientibus hostili feritate occupata, & diruta, vt illuc vlterius spes remeandi nulla remanserit: in Ecclesia te Aleriensi, quæ iamdiu est Pontificis auxilio destituta, Cardinalem secundum petitionis tuæ modum hac authoritate cõstituimus, sine dubio Sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum Canonum præcepta cuncta dispone, & ordina, vt & fraternitas tua suis desideriis se gaudeat esse potitam, & Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te suscepisse Pontificem. Item Ioanni Episcopo Squillaceno: Pastoralis officij cura non admonet, destitutis Ecclesiis proprios constituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant sollicitudine gubernare. Propterea te Ioan. ab hostibus captiuatũ Lisitanæ ciuitatis Episcopum in Squillacena Cardinalem necesse duximus constituere Sacerdotem: vt susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet à tua, hoste imminente, depulsus sis aliam, quæ pastore vacat, debeas Ecclesiam gubernare: ita tamen, vt si ciuitatem hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari: in eam, in qua prius ordinatus es Ecclesiam reuertaris: si autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua à nobis ordinatus es, debeas Ecclesia permanere. Item Ioãni Episcopo Vellitra-*

Greg. lib. 3. ep. 14.

Lib. 2. ind. 10. ep. 6. Ep. 25. & refertur 7. q. 1. c. Pastor.

Id. li. 2. ind. 11. ep. 13.

Ioan. Diac. in vit. Greg. magn. c. 15. lib. 3.

no: Postquam hostilis impietas diuersarũ ciuitatum, ita peccatis facientibus, desolauit Ecclesias, vt reparandi eas spes nulla, populo deficiente, remanserit: maiori valdè cura constringimur, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernante, per deuia fidei, hostis calidi rapiantur, quod absit, inuidia. Huius ergo rei solicitudine sæpè commoniti, hoc nostro sedit cordi consiliũ, vt vicinis eas mandaremus Pontificibus gubernandas. Ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque trium Tabernensium Ecclesiarum præuidimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari vnirique necesse est: quatenus vtrarumque Ecclesiarũ Sacerdos & rector, Christo adiutore possis existere: & quæcunque tibi de eius patrimonio, vel Cleri ordinatione seu promotione vigilanti ac Canonica visa fuerint cura disponere, quippe vt Pontifex proprius liberam habebis, ex præsenti nostra permissione licentiam. Item Gratioso Numentano Episcopo curam gubernationemque sancti Anthemij Ecclesiæ in Curium Sabinorum territorio constitutæ incardinando coniunxit. Item Agnello Episcopo Fundano post aliqua: Quoniã propter cladem hostilitatis, nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua est cuiquã habitandi licentia: ideò te auctoritate nostra Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotẽ. Et post pauca: Illud quoque fraternitatẽ tuã scire necesse est, quoniã sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiç Cardinalẽ esse cõstituimus Sacerdotẽ, vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse nõ desinas, nec curã gubernationémq; eius prætereas. Quo etiã Illustris. Cardinalis Baronius refert locũ Cypriani de Numidico Presbytero in Carthaginensem Clerũ adlecto. Verba Cypriani sunt ad suos Carthaginenses: *Nunciandum vobis fuit, fratres charissimi,* inquit, *quod pertineat, & ad communẽ lætitiã, & ad Ecclesiæ nostræ maximã gloriam. Nam admonitos nos & instructos sciatis dignatione diuina, vt Numidicus Presbyter ascribatur Presbyterorum Carthaginensiũ numero, & nobiscum sedeat in Clero luce clarissima confessionis illustris & virtutis, ac fidei honore sublimis: qui hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit: quique vxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris, vel conseruatam magis dixerim, lætus aspexit. Ipse semiustulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadauer patris inquireret, semianimis inuentus & extractus, & refocillatus à comitibus, quos ipse præmiserat, remansit inuitus, sed remanendi vt videmus, hæc fuit causa, vt cum Clero nostro Dominus adiungeret, & desolatam per lapsum quorundam Presbyterij nostri copiam gloriosis Sacerdotibus adornaret, &c.* Sic igitur ad illum locum illustrissimus Cardinalis Baronius: *At non hunc modo,* inquit, *à S. Cypriano ordinatum putamus esse presbyterum, (quod alij tradunt) sed cùm iam alterius cuiuspiam Ecclesiæ Presbyter esset, tam præclaro exantlato martyrio, eo honore Cyprianus ipsum esse dignum existimarit, vt in primaria totius Africæ Ecclesia Carthaginensi Presbyterio fungeretur. Suadent enim id illa verba: vt Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginensium numero. At de noua ordinatione ipsius ne verbum quidem, vt de lectoribus ordinatis nuper pluribus fecisse vidimus: magnus quippe is cẽsebatur honor, vt cum Episcopo in Cathedrali Ecclesia inter presbyteros sederet. Dicebantur huiusmodi sic allegendi, incardinari: atque iam adsciti, Cardinales; qua voce vtitur sæpè S. Gregorius. Sed de his suo loco pluribus.* Non igitur repudiamus, quæ de incardinatis siue Diaconis, siue Presbyteris, siue Episcopis ex tot authoribus & veterũ monumentis colligit aduersarius; sed vt quod res est dicamus, in hac dissertatione de Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, de quibus nobis est sermo, perpetua homonymia laborat, & fallit ac fallitur nominis ambiguitate, imò verò & modestiæ fines transilit, hoc potissimùm nomine quod Ioannis VIII. veram

Bar. tom. 2. an. 253. n. 94.

Ibid. n. 95.

& planè genuinam nominis interpretationem, & reiiciat, & insectetur. Vide & iudica lector: *Omitto, inquit, nunc, imo contemno, etymologiam Cardinaliũ, quam sibi ipsi nimium blandiens excogitauit Leo nonus; dum Papam facit cardinem totius Ecclesiæ; & inde Clericos ipsius ait vocari Cardinales, cardini vtique illi, inquit, quo cætera mouentur vicinius adhærentes. Cardinem enim illum ab* Ecclesia *valuis & amoui, & amoueo, & amouebo; & meam etymologiam vt verissimam, & propriam iam confirmo.* Sunt ista vanitatis plena, & meritò in desertore modestiam desideramus: Sed videamus quibus iam argumentis suam sententiam fulciat, persequitur illa à sectione sexta ad vigesimam secundam. Spal. eod. n. 5. in fine. Leo 9. ep. 1. c. 32.

Cautum est in Concilio Neocæsariensi antiquissimo, inquit, *ne regionarij, seu naturales Presbyteri, in Ecclesia vrbana matrice, quam Dominicum vocat ciuitatis, offerant; neque sacra ministrent, præsente Episcopo, vel Presbyteris Ciuitatis. Hos Presbyteros ciuitatis, Canonem hunc tractans, vocat Zacharias Papa Presbyteros Cardinales, sicut ad Pipinum scribens: De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus, ex Concilio Neocæsariensi cap. 13. ita continetur: Presbyteri ruris in Ecclesia Ciuitatis, Episcopo præsente, vel Presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, &c. Meritò Zacharias Presbyteros Vrbis vocauit Cardinales; ad distinctionem ruralium, qui in vrbana Ecclesia erant aduentitij, & non cardinati; ideóque non debebant, præsentibus Cardinalibus, id est propriis & fixis, sacra ministrare, vbi ipsi non essent Cardinales. Et Concilium, ac etiam Zacharias, loquitur in genere de quacunque ciuitate, non de Romana sola.* SPALAT. Num. 6. Cõc. Neocæs. c. 13. Apud Bar. tom. 9. an. 744. n. 13.

Concilium Romanum, pergit Spalatensis, *quod dicitur sub Syluestro primum, decernit: Ne Presbyter Cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus, Diaconus verò Cardinalis constitutus vrbis Romæ, non nisi viginti sex damnetur. Et in altero sub eodem Syluestro Concilio Romano statuitur: vt Diaconi Cardinales vrbis Romæ sint septem. Et, vt à Subdiacono vsque ad Lectorem omnes Clerici subditi sint Diacono Cardinali vrbis Romæ. Et in actis expurgationis Sixti & Polychronij, Duo Diaconi Cardinales Romani & tres Presbyteri, subscripserunt. Testatur Volaterranus se in antiquis tabulis, apud Ecclesiam Aretinam, instrumentũ donationis cuiusdam Zenobij Senatoris Romani, eidem Ecclesiæ, vsque à tempore Damasi Papæ, factæ inuenisse: vbi est, inquit, huiusmodi subscriptio; Et ego Ioannes S. R. Ecclesiæ Diac. Cardinalis, ex parte Damasi Pontificis, laudo & confirmo. Si hæc Concilia, acta, & instrumenta essent firmæ fidei, in his haberemus primam & vetustam Cardinalium mentionem: sed in eo profectò duntaxat sensu, quem modò explicaui. Posteriora tamen tempora frequentiorem habere Cardinalium mentionem, & clariorẽ significationem.* SPALAT. Num. 7. Cõc. Rom. 1 sub Sylu. Can. 6. Ib. Can. 7. Expur. Six. c. 8. tom. 1. Conc. Volat. l. 22. Antropol.

Gelasius, pergit Spalatensis, *(si Gratiano credimus) cuidam Cælestino Episcopo commisit, vt vacante Parochiali Ecclesia Stomensi, quendam Diaconum in ea electum ordinet ei Sacerdotem: & quoniam Ecclesia hæc Stomensis non erat in Diœcesi dicti Episcopi Cælestini, sed in alia; ideo monet eum Gelasius, vt prædictam cùm fecerit ordinationem, sciat se visitatoris, hoc est commissione delegata, non Cardinalis Pontificis nomine, hoc est, non propria & ordinaria authoritate eam facturum. Sciturus, inquit, eum visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis. Erat igitur hic Episcopus Cardinalis quidem Episcopus in sua propria Ecclesia & Diœcesi: in aliena autem Diœcesi non erat Episcopus Cardinalis; sed aduentitius & extraordinarius. Et deposito Constantino Papa, Concilium quoddam Romanum decreuit: Ne vllus vnquam præsumat Laïcorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos* SPALAT. Num. 8. Dist. 24. c. Presbyteri.

Sup.l.3.c.3. num.16. *gradus ascendens, Diaconus vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.*

SPALAT. Num 9. Greg. lib.1. ep.15. *Gregorius sæpè meminit Cardinalium,* inquit, *& semper in eo sensu quẽ ego posui. Ad Balbinum Episcopũ Rosellanum scribit, eum debere ad Populoniensem Ecclesiam accedere Visitatorem; Vt vnum, inquit, Cardinalem illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare. Martinum Tamitanæ Ecclesiæ in Corsica Episcopum, cum hostili feritate fuisset, ipsa eius Ecclesia Tamitana occupata & diruta; ad Ecclesiam* Ibid.ep.77. *eiusdem insulæ Solanensem iamdiu vacantem, iuxta dicti Martini petitionem, transfert: In Ecclesia, inquit, Solanensi, quæ iamdiu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundum petitionis tuæ modum, hac authoritate constituimus sine dubio* Ib.ep.79. *Sacerdotem. Et Clero ac Nobilibus Corsicæ, hac de re scribens, ait: Quoniam Ecclesia Salonensis Sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum fratrem & Coëpiscopum nostrum, ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem. Commiserat etiam Leoni Episcopo in Corsica Visitationem Ecclesiæ Sagonensis, cum potestate in ea ordinandi Sacerdotes & ministros, vt posset quidem id præstare; & alia circa bonum regimen dictæ Ecclesiæ disponere, vti si esset ipsius Ecclesiæ proprius Pō-* Ibid.ep.76. & 79. *tifex; Cardinalem tamen voluit eum in hoc vocare Pontificem; quia ad tempus hæc ei cura, quasi vicaria committebatur. In his verò prouidet Gregorius, quia Corsicæ Ecclesiæ ad ipsius spectabant ordinationem; & Electores ordinarij prouidere negligebãt:* Ibid.ep.79. *ad eos enim sic scribit: Et si vos multo iam tempore sine Pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen, &c.*

SPALAT. Num.10. Id Greg. lib.1.ep.81. *De Liberato quodam, ait, in Carallitana Sardiniæ Ecclesia Diacono, hæc scribit idem Gregorius ad Archiepiscopũ Carallitanum: Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicauit, quia Diaconij fungi perhibetur officio; si à decessore tuo non factus est Cardinalis; ordinatis à te Diaconis nulla debet ratione præponi; ne eos quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatũ, quem reprimendus ambitionis inflat Spiritus, omni instantia à sui prauitate compesce, & vltimum inter Diaconos stare constitue; ne dum si illicitè præferri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fueris inuitatus; & eum post hæc Cardinalem facere volueris; nisi Pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt aliis seruare non differas, quod ipse quoque tibi seruari desideras. Hic mihi videtur, incardinare Diaconum, esse illum in numerum ordinariorum Diaconorum collocare, qui iam fixi sunt, & stabiles in ea Ecclesia, ac permanentes; & cùm incardinati fuerint, tunc eos esse Diaconos Cardinales. Vnde sequitur etiam plures in eadem Ecclesia Diaconos fuisse Cardinales.*

SPALAT. Num.11. *Vacante Ecclesia Neapolitana,* pergit Spal. *Paulus quidam aduena, alterius loci Episcopus, puto titularis, cuius nẽpè Ecclesia fuisset, vt suprà de Tamitana vidimus, ab hostibus deuastata; ibidẽ Pontificalia vt hospes exercebat; eũ Neapolitani poscebant,* Id.Greg. l.2.ind.10. ep.6. *vt plenè eorum esset Episcopus Cardinalis, hoc est proprius, fixus ac permanens: Quem quoniam, inquit Gregorius, ita estis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur. Vbi verò Gregorius non vult esse Presbyterum fixum, proprium & ordinarium; vt in quibusdam oratoriis, quæ ad priuatas preces, præsertim Monachorum; non ad publicas Synaxes, & Sacramentorum administrationes extruerentur, negat talibus oratoriis Sacerdotem Cardinalem; sed satis esse, si interdum ex matrice Ecclesia aduentitij accedant Sacerdotes, incerti &*

vagi,

vagi, prout quis certis occasionibus ab Episcopo *missus, & pro illa vice datus fuerit: sic igitur Ariminensem* Episcopum *instruit.*

Timothea illustris fœmina, petitoria nobis insinuatione suggessit; intra Ciuitatem Ariminensem, in loco iuris sui, Oratorium se pro sua deuotione fundasse; quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari. Et ideo frater Charissime, si in tuæ Ciuitatis iure memorata constructio consistit; & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, accepta familia, prius mobilium vel immobilium, seque mouentium, vnciis octo; retento sibi vsu fructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam; prædictum Oratorium absque Missis publicis solemniter consecrabis, ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus Baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem. Et si missas fortè malueri fieri, sibi à dilectione tua Presbyterum nouerit postulandum, quatenus nihil alias à quolibet Sacerdote alio, nullatenus præsumatur: Similem prorsus dat instructionem Episcopis *Firmano & Neapolitano. Vbi verò vult Gregorius, vt Presbyter ponatur fixus, &* Ecclesia *dedicetur pro sacris vsibus, etiam populi; tunc iubet, vt in ea constituatur Presbyter Cardinalis. Ita scribit Passiuo Firmano: Presbyterum quoque te illis constituere volumus Cardinalem. quia, videlicet non est* Oratorium, *sed Ecclesia titulata. Has instructiones sequutus postea Zacharias Papa, in solutionibus quæsitorum ad Pipinum, habet & illam; Decimum quintum caput, pro eo quod interrogatum est de Laïcis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere, aut gubernare; A sanctis Patribus ita statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur; iuxta petitoris imploratum, vt si in quolibet fundo, cuiuscunque iuris Oratoriũ, siue Basilica fuerit cõstructa, pro eius deuotione, in honorem cuiuscumque sancti, in cuius Episcopi Parochia fuerit fundatum Oratorium, percepta primitus donatione legitima prædictum Oratorium permissas publicas solemniter consecrabis; ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus Baptisteria construantur, nec Presbyter constituatur Cardinalis, &c.*

SPALAT. Num. 12. Id. ibid. ep. 9.

Id. Greg. l. 7. ind. 2. ep. 71. Id. l. 8. ind. 3. ep. 3. Id lib. 10. ind. 5. ep. 12. Apud Bar. tom. 9. an. 744. nu. 23.

Lisitanũ quoque Episcopũ, inquit, *propria Ecclesia ab hostibus occupata destitutũ; ad Squillatinam vacantem, transfert idem Gregorius his verbis: Te Ioannem ab hostibus captiuatum, Lisitanæ ciuitatis Episcopum, in Squillatina Ecclesia Cardinalem duximus necesse constituere Sacerdotem. Et licet à tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam quæ Pastore vacat Ecclesiam, debes gubernare; ita tamen vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici; & Domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in qua prius ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua à nobis ordinatus es, vel incardinatus Ecclesia, debeas permanere. Factus est itaque proprius & fixus Episcopus Squillatinus; cum ea tamen conditione, vt si libera fieret ipsius prior Ecclesia ad ipsam rediret. Quæ conditio non facit quominus sit proprius, & fixus, ac proinde Cardinalis Squillatinus; ita in hac Ecclesia ordinatus, vt, nisi Lisitana recuperetur, proprius sit, & perpetuus Episcopus Squillatinus.*

SPALAT. Num. 13. Greg. lib. 2. ind. 10. ep. 32. habetur 7. q. 1. c. Pastoralis.

Quemadmodum supra Neapolitani petierunt Paulum, alterius Ecclesiæ titularem Episcopum, sibi concedi Episcopum Cardinalem; ita Terracinenses Agnellum Fundanum poposcerunt, quem eis idem Gregorius, facta vnione Ecclesiarũ, duxit esse concedendum; scribitque ad ipsum Agnellum: Relatio Cleri simul & populi Terracinensis gentis nos valdè lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur; & quia defuncto Petro Pontifice suo, te sibi Cardinalem postulant constitui Sacerdotem:

SPALAT. Num. 14. Id. Greg. lib. 2 ind. 11. ep. 13. habetur 21. q. 1. c. 5. 6.

eorum vota necessariò complenda prauidimus; quatenus, & illi se gaudeant impetrasse quod postulant, & nos concessisse quod expedit videamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua, est cuiquam habitandi licentia; ideo te, autoritate nostra Terracinensi Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem, vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, ne curam gubernationémque eius prætereas, quia ita fraternitatē tuam, sæpè dictæ Terracinensi Ecclesiæ, sicut præfati sumus, præesse præcipimus, vt antè dictæ Fundensis Ecclesiæ, tibi iura, potestatémque nullo modo subtrahamus. Et ad Clerum plebémque Terracinæ: *Dilectionis vestræ desideria, insinuata nobis, quam obtulistis, petitio reserauit: electionémque vestram valdè laudauimus: quia Agnellum fratrem & Coëpiscopum nostrum, probatum iam meritis, Cardinalem vobis constitui deprecamini Sacerdotem; supradictum Agnellum, Ecclesiæ vestræ Cardinalem statuimus esse Sacerdotem.* Pergit Spalatensis.

Ibid. ep. 14.

SPALAT. Num. 15.

Idem Gregorius, admissum ad pænitentiam Fœlicem Diaconum Histriensem, commendat Episcopo Syracusano; vt ipsum suo incorporet clero, saltem ad effectum, vt inde habeat alimenta, & sic scribit: Imbecillitati eius, atque necessitatibus consulentes, maximéque sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Ecclesia Syracusana eum prauidimus cardinandum; siue vt officium Diaconatus expleat; seu certè vt sola eiusdem officij, pro sustentanda paupertate sua commoda, consequatur; in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Relinquit iudicio & voluntati ipsius Episcopi Syracusani, vt vel illum cardinet, tradendo ei & locum & officium ordinarium inter Diaconos: vel si nolit eum cardinare, saltem tribuat ei alimenta & partem Diaconalem sustentationis, vt inde viuat; tametsi non fiat Diaconus in ea Ecclesia Cardinalis.

Id. li. 3. ind. 12. ep. 14.

SPALAT. Num. 16.

De Gratiano Diacono, addit, *ita scribit idē Gregorius ad Episcopū Neapolitanū: Fraternitatem tuam à nobis petisse recolimus, vt Gratianū* Ecclesiæ *Benefranæ Diaconum, tuæ concederemus* Ecclesiæ *cardinandum; & quoniam nec* Episcopum, *cui obsecundare; nec propriam habet* Ecclesiam, *hoste scilicet probibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non prauidimus differendam: idcircò scriptis tibi præsentibus, eum necessariò duximus concedendum; habituro licentiam, Diaconum illum nostra interueniente authoritate,* Ecclesiæ *tuæ, Deo propitio, constituere Cardinalem.* Persequitur.

Id li. 5. ind. 14. ep. 11. habetur dist. 71. c. Fraternitatem.

SPALAT. Num. 17.

Isauriæ Episcopus, *hostibus imminentibus, confugium habuit in Insulam* Corcy*ram, ad Ecclesiam Caßiopi castri; secumque corpus sancti Donati detulit ibi conseruandum: Ortaque lis est inter Episcopum dictæ Insulæ & Isauricum; hic enim in Ecclesia Caßiopi Pontificalia volebat, suæ plebi, quæ eo cum ipso confugerat, exercere. Rescribit Gregorius Corcyrano, hoc pacto: Oportet ergo, vt Sacerdotes, vel Clerus Isauriæ ciuitatis, ab antifati Caßiopi castri habitatione, nullatenus repellantur; sed & B. Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in vnam Ecclesiarum antedicti loci, quam elegerint, siue intus, siue foris, habeant recondendi, debita cum veneratione licentiam. Sic tamen, vt dilectioni tuæ, in cuius Parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione monitio: per quam promittat Episcopus Isauriæ, nullam sibi potestatem, nullum priuilegium fore, nullam iurisdictionem, nullam tanquam Cardinalis Episcopus, vlterius authoritatem, defendere. Sed &, post pa-*

Idem li. 12. ep. 2.

cem

cem, Deo propitio, redditam, ablato venerabili sancti Donati corpore, ad propria modis omnibus reuersurus: vt huius promissionis persistente memoria, nec de cætero quicquam sibi illic principaliter quacunque occasione audeant vendicare; sed omni se tempore esse ibidem hospites recognoscant, & fraternitatis tuæ Ecclesia iuris vel priuilegij sui in qualibet parte præiudicium non incurrat. Hic apertissimè constat Cardinalem esse eum, qui proprius est, fixus & ordinarius, ad excludendos hospites aduentitios, & qui fixam ibi sedem non habent. Propterea & Ioannes Diaconus scribit; Gregorium suæ Ecclesiæ Cardinales, ad Episcopatus, si consentirent, prouexisse; inuitos tamen prouehere noluisse: & profert exemplum Florentij Subdiaconi. Igitur Subdiaconos quoque fixos, & titulatos vocat Ioannes Cardinales. Nec mirum, nam ipse etiam Gregorius Cosmam Subdiaconum Ordinarium in Ecclesia Syracusana deputatum, & ab Episcopo suo postea in forensi factum Presbyterum, voluit propterea fieri in Syracusana Ecclesia Presbyterum Cardinalem, quia vbi fuerat Subdiaconus Cardinalis, factus postea Presbyter, par fuit, vt similiter esset Presbyter Cardinalis. Addit insuper. Ioan. Diac. in vit. Greg. lib. 3. c. 8. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 15 Id l. 11. ep. 34. habetur dist. 74. c. Quorundam.

Hadrianus primus in sua collectione, §. Presbyteri tomo secundo Conciliorum, Presbyterum in cardine constitutum, non nisi in quadraginta quatuor testibus damnari asserit, & Diaconum Cardinarium Vrbis Romæ in 26. sequutus priorem sub Syluestro Romanam Synodum, de qua suprà numero septimo. Et Hadrianus secundus Actardum à Clero & plebe electum, constituit Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonicæ Prouinciæ. SPALAT. Num. 18. Apud Bar. tom. 10. an. 871. n. 106.

Ioannes VIII. Papa transfert Burdegalensem Archiepiscopũ, post illius Ecclesiæ vastationem à Normannis, in Bituricensem; Episcopum, inquit, fratrem nostrum Frotharium in Bituricensem Ecclesiam Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus. Item; necessarium duximus Frotharium alij Ecclesiæ præponendum & incardinandum. Item ad eundem Frotharium, scribens, ait: Necessariò præuidimus fraternitatem tuam in Ecclesia Bituricensi præferre simul & incardinatam præficere. Idem Ioannes Presbyteros sui cardinis vocat Presbyteros in Ecclesiis Romanis incardinatos. In Constantinopolitana quoque Ecclesia idem Papa Ioannes octauus Cardinales agnoscit: Præscribit enim, vt post mortem Photij nullus de laicis vel Curialibus in Patriarchatus eligatur vel consecretur honore; nisi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus Constantinopolitanæ Sedis. In Mediolanensi quoque Ecclesia Cardinales agnoscit idem Pontifex; ait enim ad Clerum Mediolanensem scribens; Præsenti vobis statuto iubemus, vt omnes vno animo, vnoque voto conuenientes, atque conuocantes Pastores, vel populum Ciuitatis de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Christi solatio ad Archiepiscopatus honorem promoueatis. SPALAT. Num. 19. Ioa. 8. ep. 8. Idem ep. 13 Id. ep. 37. Id. ep 82. 83. 201. Id. ep. 199. Id. ep. 220.

Paschalis II. ait, *in Compostellana Ecclesia, & Presbyteros & Diaconos nominat Cardinales: Episcopo enim Compostellano scribens, ait; Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros seu Diaconos tales constitue; qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere. Algisius quoque Mediolanensis Archiepiscopus, iussu Alexandri tertij, facta translatione Sedis Cathedralis Aquensis in Ecclesiam Alexandrinam Cisalpinam ad Alexandrinos scribens, ait; Sic itaque ipsum Episcopum Aquensem, Cardinalem vestræ ciuitatis constituimus Sacerdotem, &c. Iuo Car-* SPALAT. Num. 20. Apud Baro. to. 12. an. 1104. Ib. in Schol. ad an. 1180. Iuo ep. 131.

notensis Presbyterum, iam plenè in locum alterius, qui Ecclesiam suam refutarat ordinatum, & affixum, dicit fuisse incardinatum.

SPALAT. Num. 21. *Habemus itaque, quinam sint propriè Cardinales; Clerus nimirum proprius cuiuscunque Ecclesiæ in ea fixus & titulatus, atque ordinarius: & quæcunque* Ecclesia *esset collegiata, illa plures etiam in se continebat Cardinales, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue etiam Subdiaconos. Ita in Concilio Romano primo sub Symmacho; Adsunt Presbyteri tituli S. Sabinæ tres; S. Praxedis duo; S. Pudentis duo; Sanctæ Susannæ duo; S. Anastasiæ duo; Sanctorum Apostolorum tres; S. Equitij tres; S. Crescentianæ tres, S. Æmylianæ duo; Sancti Laurentij in Lucina tres; Sanctæ Vestinæ tres; S. Clementis tres; S. Chrysogoni tres; S. Eusebij duo; S. Fasciolæ duo; S. Trigulæ duo; S. Gaij duo; S. Marcelli tres. Et primæ regionis Diaconi duo subscribuntur; Singuli verò secundæ, quartæ & septimæ: vt hinc appareat Diaconos Cardinales vrbis Romæ non habuisse tunc titulos* Ecclesiarum, *sed regionum duntaxat vrbis: quæ in septem fuerit distributa regiones; in singulis verò regionibus, vel plures vel vnicum tunc fuisse Diaconum deputatum. Ita quoque in Synodo Romana quadam sub Gregorio, habentur subscriptiones Presbyterorum Cardinalium; & sub titulo Sanctæ Balbinæ sunt tres; sancti Damasi duo; sancti Siluestri duo: Sanctorum Apostolorum tres. Atque ita Romæ oportuit fuisse magnum numerum* Cardinalium, *quia multæ erant Ecclesiæ Parochiales, & fortasse omnes collegiatæ. Certè Cornelius Papa, suo tempore, secundo post Christum sæculo, numerat Romæ Presbyteros 46. Diaconos 7. Acoluthos 42.* Exorcistas & *Lectores, cum Ostiariis 52. viduas & alios Pauperes qui ab Ecclesia sustentabantur 1500. Non solùm Clerum Cardinalem numerauit; sed & inferiores ministros, & viduas, & pauperes quos ipsa Ecclesia nutriebat. Postea aucti sunt tituli, multiplicatæ Ecclesiæ, & consequenter etiam multiplicatus numerus Cardinalium: sed diminutus numerus viduarum ac pauperum, quorum tandem alimenta in luxum Cardinalium & Curiæ transierunt: vt l. 9. deplorabo. Non potuit hisce vel inuitus non assentiri Onuphrius, dum ait: Hæc vox* (Cardinalis) *in eandem ferè sententiam frequens est in Registro D. Gregorij, &* Epistolis *Pontificum Romanorum decretalibus: Quibus is Cardinalis dicitur Presbyter, vel Diaconus, qui certæ alicui Ecclesiæ, vel Diaconiæ proprius, & ad certi alicuius tituli, siue Ecclesiæ ministerium ordinatus, insertus, annexus, & (vt ipse loquitur) incardinatus est. Nam S. Gregorio idem est Cardinalem constituere in aliquo titulo, vel Ecclesia, quod incardinare alicui Ecclesiæ, vel in aliqua* Ecclesia *Cardinare. Idem etiam de Episcopis dicit, quod de sua Ecclesia ad aliam necessitatis causa translatos, Episcopos quidem Ecclesiæ suæ, illius verò ad quam translati sunt, Sacerdotes siue Pontifices Cardinales vocat: quæ vox non solùm Romanæ, sed omnibus aliis Ecclesiis per Prouincias communis est. Hæc ille, & benè: Illud tamen malè subdit, incardinationem hanc non fuisse, nisi eorum qui in Ecclesiis, seu titulis cæteris præessent, quod falsum esse iam vidimus: Cardinalatus enim, neque prælationem, neque dignitatem vllam de se importat, sed Clericum ordinarium, fixum, & in sua* Ecclesia, *suoque titulo stabilitum & insitum significat. Et longè à vera Cardinalis significatione aberrant, qui præcipuum aliquem & principalem hoc nomine volunt in hac, quam tractamus materia significari. Fixum enim per modum cardinis, & insitum ac stabilitum significat, vt est à me iam plenè explicatum.*

Tom. 2. Conc.

Cōc. Neocæs. c. 14. & Conc. Ro. 2. sub Sylu. 6.

Apud Eus. lib. 6. c. 35.

Onuph. vocum Ecclesiast. verbo Cardinalis.

Hæc

Hæc vt vno fasce complectamur, dicimus planè vera esse, sed ad rem non facere, vitiosè enim omninò ex nominis similitudine dignitatum paritatem colligit, nec leuius peccat, quàm qui ex eo quod Tabellarij, & Angeli nuncij dicantur, induxerit eosdem esse Tabellarios & Angelos; aut qui ex eo quod opiliones & bibulci, non secus ac Episcopi Pastores dicantur, intulerit eosdem esse, opiliones, bibulcos & Episcopos. Sint ergo Presbyteri ciuitatis, de quibus Concilium Neocæsariense Zachariæ Pontificis Presbyteri Cardinales, ad distinctionem vicanorum seu *ruralium*, vt loquitur Spalatensis. Sint Diaconi, Subdiaconi, de quibus in Concilio Romano sub Syluestro, ac etiam in expurgatione Sixti, & in Volaterano; Sint, inquam, Diaconi, & Subdiaconi Cardinales; Habeat Gelasius Episcopum Cardinalem, Concilium item quoddam Romanum meminerit Diaconi, & Presbyteri Cardinalis. Mille locis mentionem fecerit Gregorius de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & etiā Episcopis Cardinalibus, qui in aliquā Ecclesiam cooptarentur. Adrianus quoque primus in sua collatione Presbyterū habeat in suo cardine constitutum. Adrianus verò secundus, constituat Cardinalē Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonensem. Ioannes octauus Archiepiscopum Burdigalensem, Episcopum Cardinalem faciat, in Ecclesia Bituricensi. Idem in Ecclesia Constātinopolitana Cardinales agnoscat, atque etiam in Mediolanensi. Paschalis II. in Compostellana Ecclesia, & Presbyteros, & Diaconos nominet. Caluisius Mediolanensis Archiepiscopus iussu Alexandri tertij Episcopum Aquensem Cardinalem Alexandriæ constituat. Iuo Carnotensis Presbyterum iam plenè in locum alterius, qui Ecclesiam refutarat, ordinatum & affixum dicat fuisse incardinatum: Vno verbo fuerint olim propriè Cardinales Clerici ordinarij, cuiuscūque Ecclesiæ in ea fixi, & vt loquūtur *intitulati*, quod tamen in vniuersum verum non est, cùm in iisdem Ecclesiis aliqui fuerint Cardinales, alij nō Cardinales; quod etiam locus ex reformatione Ioannis VIII. adductus ostendit. Sint, inquā, ista omnia vera, tamen ad institutū non faciunt, namque huius speciei Cardinales non querimus, sed quos S. Bernardus *Iudices orbis* vocat, quosque Patriarchis ipsis anteponit Damianus; qua de re videro infrà. Sed hîc obiter aduertendum contra Spalatensem, haudquaquam singulos de Clero alicuius Ecclesiæ Cardinales dictos, sed nonnullis tantùm tributum hoc nomen, propter eas rationes quas habet vel Onuphrius, vel Bellarminus, quod quamquam reluctetur, fateri omninò debet Spalatensis, quandoquidem Ioannis VIII. constitutionem laudat, qua id planè significatur. *Meritò*, inquit, *in sua Romana Ecclesia reformatione Ioannes VIII. edita constitutione, ista inter alia præcipit Cardinalibus: Itemque ex nostra præsenti constitutione, bis in mense, vel eo amplius; vel apud illum, vel illum titulum, siue apud illam, vel illam Diaconiam, siue apud alias quaslibet Ecclesias vos conuenire mandamus. Et ob vestram, & inferiorum Clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus vestrum perscrutando, & qualiter quilibet præpositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis præpositis non obediant, & ad quæque illicita amputanda; Clericorum quoque, & Laïcorum querimonias, quæ ad nostrum iudicium pertinent, quantum fieri potest, definiendas. Quippe cùm, sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita & vestram fraternitatem, 70. Seniorum, qui sub eodem causarum negocia dijudicabant, vicissitudinem gerere certum habeamus. Item Monasteria Abbatibus viduata, & Abbatum nostrâ præcedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter nos, vel fuerint Monasticæ professionis, disponenda committimus. Propter sollicitudinem autem Ecclesiarum &*

Spalat. Num. 6.
Spalat. Num. 7.
Num. 8.
Spalat. Num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.
Num. 18. 19.
Num. 20.
Num. 21.
Ad Eugen. li. 4. de consider.
Spalat. Num. 22.
Apud Baro. to. 10. an. 882. nu. 8.

Clericorum earundem disciplinam, siue Laïcorum querimonias, definiendam, bis in hebdomada ad sacrosanctum Palatium, iuxta decreta prædecessoris nostri Leonis IV. vos conuenire mandamus. Item sancimus de Parochiis nostris, quantumque Pontifici competit, Pontificali beneficio vos in perpetuum possidere; & in principalibus Ecclesiis, iuxta Primatum vestræ cõsecrationis, vicissim officia Diuina peragere; & earum oblationibus, salua semper Cardinalium Diaconorum prisca consuetudine, æqualiter participare, tam propter vsum vestrum, quàm in Ecclesiarum vestrarum luminarium concinnatione. Huc vsque Ioannes. Hæc verò sunt munera propria Canonicorum & Parochorum: neque extra vrbem extenduntur. Hæc Spalatensem iugulant, Cardinales enim quibus suas vices demandat, quosque cum septuaginta Senioribus confert, proculdubio præcipui, & principales quidam Ecclesiæ ministri erant, quos ab inferioribus Clericis, qui eorum iudiciis stare deberent planè distinguit, discriminat, ac separat; idemque colligitur ex statuto illius Leonis, quem altera sectione profert Spalatensis: sic enim habet. *Leonis quoque*, inquit, *nescio cuius Papæ illud statutum legimus: Ministerium Archipresbyteri in eo constituitur, vt diligenti cura prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui solemne debent agere officium, in communicatione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, à sacrosancto die Dominico incipiendo per omnes horas Canonicas, indeclinabiliter perseuerent; vt opus Dei dignè & sanctè perficiatur ab eo cui committitur. Et infrà: Prouideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium præceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut scurrilitate torpeant, &c.* Hinc enim apparet certos ac distinctos à reliquo Clero fuisse Cardinales Presbyteros, quamquam, vt dixi, omninò falli existimem, qui ad amussim huius generis Cardinalatus, Illustrissimos Ecclesiæ Romanæ Cardinales, & purpuratos illos Patres iam exigunt, quos longè excellentiores his, quos Cardinales vocauit antiquitas, nullus dubitarit, qui eorum officia perpenderit. Sed de his videro infrà. Quare quæcunque argumenta ab iis Cardinalibus ducit, vt purpuratos Patres pessundet, vitiosa sunt, & à claudicante similitudine. Sunt fateor quædam illis communia, siue ministeria priuata, siue titulos spectes. Sed quod attinet ad præcipua officia, de quibus statim, planè nihil istis cum illis conuenit. Sed iam nos Canonici iuris Interpretum authoritate vexat. *Meritò*, inquit, *nostri Canonistæ fatentur; Quod Episcopi vsque ad Clemẽtem V. & Ioannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales: & quod vsque ad Bonifacium VIII. Episcopi non fiebant Cardinales, ad hoc ne viderentur descendere à maiori ad minorem gradum. Et Onuphrij obseruatio optima est, dum ait; Antiquitus porrò mos fuit, qui etiam per mille annorum spacium seruatus est, vt Presbyter Cardinalis vrbis Romæ, neque Episcopus esset, vel Episcopatum administraret, vel ex Episcopo fieret Presbyter Cardinalis; cùm maior dignitas tunc fuerit esse Episcopum cuiuslibet Diœcesis, quàm Cardinalem: quod ex Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, secus quam nunc obseruatur, Episcopi diuersarum ciuitatum creati fuerint, ex Cardinalatu enim gradus erat ad Episcopatum; sicut nunc ex Episcopatu ad Cardinalatum: Cardinalisque Presbyter Episcopus factus, esse Cardinalis desinebat: sicut nunc Episcopus Cardinalis factus amplius non appellatur Episcopus, sed Presbyter Cardinalis S. R. E. & Administrator perpetuus illius Episcopatus: quod se inuicem compati non possint esse Presbyterum Cardinalem vrbis Romæ, & Episcopum alterius Ecclesiæ: repugnat enim Presbyter & Episcopus; quod antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem non nisi vno Sacerdotio potiri posse. Nunc tamen Episcopi potentiores, & nobi-* liores

Spalat. Num. 23. Extr. de off. Archipres. c. 2.

Spalat. Num. 26. Praxis Episc. v. Episc. §. 15. Onuph. de titul. Card.

liores ambitione inflati, vt fiant Romani Cardinales, insano sumptu & effusissima largitione impetrant; & malunt iam esse, vel nominari Presbyteri Cardinales Romani, quàm Episcopi reuera Cardinales suarum Ecclesiarum, neque considerant se Romanos Presbyteros esse non posse Cardinales, nisi personalem residentiam in suo titulo Romæ faciant; & consequenter Episcopalem suam dimittant Ecclesiam. Non negabo cum eodem Soto circumuicinos illos sex Episcopos, posse assumi ad Romanum Cardinalatum; quia & exigua cura est illorum propria, & facilè possunt ob vicinitatem, suas Ecclesias administrare. Sic enim iam facta intelligitur quædam quasi vnio sex illarum Ecclesiarum cum Romana, & in ipsam incorporatio; seu potius videntur, quasi Chorepiscopi Episcopi Romani, cuius vnica Diœcesis sit, quicquid sub illis sex Episcopatibus continetur: imò septem olim fuerunt, addita Ecclesia Siluæ candidæ, seu quod idem est S. Ruffinæ; quæ tamen postea Portuensi vnita est. Vidi enim ego in quibusdam priuatis instrumentis sub Alexandro tertio Episcopum Portuensem, se Portuensem, siue S. Ruffinæ subscribentem, vt propterea hi sint tituli Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sed Episcopales; sicut reliqui sunt tituli Presbyterales, & Diaconales: Remotos tamen Episcopos, & Romanæ nequaquam vnitos, nec incorporatos fieri Romanos Cardinales ordinarios, est intolerabile; & diuino iuri, simulque Ecclesiastico plurimùm repugnans, vt ex libro nostro nono erit manifestissimum. Astutia tamen humana & Romana, non sine fraude remedium excogitauit, vt qui Episcopi velint Romæ cum Cardinalatu residere, resignent Episcopatum, nomine tenus, nepotibus, vel amicis; ipsi verò redditus sibi vsurpent, quod etiam libro nono pluribus impugnabo, aut commendatis Ecclesiis, sub nomine administrationis, licet non sibi titulatis, perfruantur; quod etiam Sotus reprehendit; & Cardinales Episcopos, in suis Ecclesiis, non Romæ residere debere, si saluam velint conscientiam, optimè confirmat: Ac consequenter ex hactenus explicatis, hi non erunt Romani Cardinales, nisi æquiuocè. Quare si electio Romani Episcopi legitima, à solis Romanis Cardinalibus (de quo postea) fieri debet; horum Cardinalium suffragia legitima esse non possunt; & electiones vitio non carebunt. Nisi odio plusquam Vatiniano exarsisset in illustrissimos Cardinales, atque contumeliis agendum sibi duxisset, proculdubio satisfactum huic obiectioni à Bellarmino vidisset; sic enim de ea re magnus Cardinalis: *Fateor*, inquit, *olim Episcopos quoscunque prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis, immò etiam Cardinalatum gradum fuisse ad Episcopatum, vt Onuphrius rectè docet in libro de Cardinalibus, & apertissimè colligitur ex libro primo cap. 7. vitæ sancti Gregorij. Postea tamen mutatus est ordo, & cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi, & Episcopatus gradus esse ad Cardinalatum, &c.* Itaque nullus sanæ mentis negauerit, priscis temporibus Episcoporum dignitatem maiorem fuisse quàm Cardinalium; id enim tum ex multis aliis, tum ex eo potissimùm constat, quod & in Conciliis adhuc eorum extant nomina digniori loco subscripta, & in vita sancti Gregorij memoriæ proditum est, solitum illum ex Cardinalibus facere Episcopos. Quod etiam obseruauit Illustrissimus Bellarminus. Igitur prioribus illis temporibus antistarunt Episcopi, ac dignitate Cardinales anteuerterunt, posteà verò mutata ratio est, ac *tanta Cardinalibus facta est splendoris accessio*, inquit non nemo, *vt si absolutè loquendum sit, non modò in hac Ecclesiæ forma, quam nunc videmus, sed à multis iam sæculis magno interuallo Episcopalem superent dignitatem. Huius autem accessionis ea fuit causa, quoniam Cardinales soli tum ad Pontificũ consilia, tum etiam ad Pontificis electionem adhiberi cœpti, atq; etiã ex ipsis ferè solis Pontifex eligi. Sic enim Sigonius diligens historicus narrat anno iam*

Infrà hoc ca. n. 61. 62.

Bel. de Clericis li. 1. c. 16. de Card.

Ioan. Diac. lib. 1. ca. 10.

Platus de Cardin. offic. c. 3.

tum DCCLXXIX. *in Concilio, quod Stephanus tertius Romæ habuit, hoc etiam constitutum, vt deinceps nisi Presbyter aut Diaconus Cardinalis nemo Pontifex fieret, quod etsi non semper omninò seruatum est, quoniam alios etiam plures factos videmus, tamen satis ex hoc apparet, quanta vel eo tempore Cardinalium ratio haberetur. Atque idem Sigonius alibi ita scribit, cùm Romani Pontificis creatio Cardinalibus præcipuè permissa est, quod fuit anno Domini* MLIX. *eorum nomen cœpisse magis, ac magis in Ecclesia celebrari. Quam in sententiam, Petri quoque Damiani, qui hoc tempore vixit, fuitque ipse Cardinalis Ostiensis, ex quodam eius libro dictum affert. Romani, inquit, Cardinales, Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogatiuis, non modò quorumlibet Episcoporũ, sed etiam Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt. Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi vnius capitis, ipsi lucerna huius candelabri. Hæc ille. Sed habemus etiam luculentum de hoc ipso testimonium ipsius Pontificis Eugenij quarti in litteris quibusdam, quas ille ad Henricum Cantuariensem Archiepiscopum eo ipso tempore scripsit, cùm Florentiæ generale Concilium haberet: Scripsit autem ob hanc ipsam occasionem, quod ille de priore loco cum Ioanne Presbytero Cardinali litigaret. In his igitur litteris, multas causas affert, cur eum iniustè agere dicat, multáque addit ad Cardinalatus dignitatem omnibus dignitatibus præferendam, quia Archiepiscopus ille tantùm Diœcesis vtilitati seruiat, at Cardinalis publicæ totius populi Christiani, ille vnam priuatam duntaxat regat Ecclesiam: hic vna cum sede Apostolica vniuersas; & cùm Cardinales à nemine, nisi à summo Pontifice iudicentur: ipsi tamen simul cum Pontifice omnes Ecclesiæ gradus diiudicent.* Cùm igitur de Cardinalium dignitate agitur, spectanda sunt non illa priora tempora, quibus Cardinalatus, qualiscunque tandem ille esset, quod rectè obseruat Onuphrius, gradus erat ad Episcopatum; sed posteriora secula quibus reuocata ad illustrissimum ordinem Pontificis electione, ac solis Cardinalibus Pontificium Senatũ componentibus Episcopis superiores euaserunt, adeò vt cœperint honoris gratia ex Episcopis Cardinales fieri. Ad priora ergo illa tempora referenda omninò sunt, quæ tota sectione vigesima septima habet aduersarius. *Video, inquit, profectò Presbyteros Cardinales Romanos interdum, relicta Romana residentia, etiam assumpsisse Abbatias Regulariũ, & factos Monachos Abbates, ad Monachorũ regimen se contulisse; retento tamen solo nomine Presbyteri Romani Cardinalis: vt de Richardo & de Desiderio testatur registrum Gregorij VII. altero Maßiliensi Abbate, altero Caßinensi. Non igitur in tanto precio erat iste Romanus Cardinalatus; quandoquidem ei Monachorum Abbatiæ præferrentur: & in subscriptionibus supra citatis sub Symmacho & Gregorio, ne nominare quidem vllus se voluit hoc nomine Cardinalis; sicut neque Hadrianus secundus, suis Legatis ad Synodum octauam generalem dare curauit nomen Cardinalium; contentus solis titulis Ecclesiarum: Et dilectos, inquit ad Basilium Augustum, fratres meos, Donatum S. Ecclesiæ Ostiensis; & Stephanum Ecclesiæ Nepesinæ Reuerendos Episcopos; atque filium meũ Marinum Apostolicæ Sedis Diaconum, consiliarios nostros tuæ commendamus pietati. Et perpetuò in actis dictæ Synodi, Stephanus Nepesinus præcedit Marinum: Sicut in prædictis subscriptionibus, omnes Episcopi, etiam illi qui non erant Romani Cardinales, ante omnes Presbyteros Romanos Cardinales, & sedent, & sententiam dicunt, & subscribunt. Imò & in Romanis Synodis, tertia & quinta sub Symmacho, soli Episcopi multi, & nulli Presbyteri aut Diaconi Cardinales Romani, subscribunt; & inter Episcopos Episcopi, qui nihilominus erant Episcopi Romani* Cardi-

Spalat. Num. 27.

Greg. 7. l. 7. ep. 7. 8. & l. 9. ep. 29. & 60. Ib. lib. 9. ep. 11.

Oct. Syn. init.

Cardinales, alijs non Cardinalibus Romanis, vt Ostiensis, Pranestinus, Albanus postponuntur. Et Legati Leonis I. ad designatum Concilium Ephesinum hoc ordine ponuntur; Iulianus Episcopus Puteolanus: Renatus Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis; atque Hilarius S.R.E. Diaconus Cardinalis. Et in priuilegio quod Synodaliter concessit Gregorius, Monasterio S. Medardi Suessionensis, subscribuntur multi Episcopi, & sanè eorum aliqui Cardinales post multos non Cardinales: Arelatensis enim primus est; & Ostiensis ante se plures habet. In Synodo quadam sub Zacharia Episcopi omnes tam Cardinales, quàm non Cardinales, praponuntur Presbyteris omnibus Cardinalibus: & inter Episcopos Nomētanus non Cardinalis praponitur Pranestino, & Portuensi Cardinalibus; & Gabiensis Ostiensi. In alia sub Leone IV. in qua suprà diximus nu. 25. fuisse Anastasium Cardinalem S. Marcelli depositum, prius similiter subscribunt Episcopi omnes, etiam non Cardinales Romani; deinde post illos Presbyteri omnes Cardinales. Et ex Episcopis ante Ostiensem & Portuensem, qui erant Romani Cardinales, subscribunt multi, qui non erant Romani Cardinales; sed quod maximè obseruandum est in altera Synodo Romana sub Syluestro, sanè si illis actis fides est adhibenda, qua in Ecclesiis Romanis nostris maxima adhibetur, ea prima fuit post Constantinum baptizatum, & facta est cum maxima solemnitate; in ea verò affuerūt Episcopi ex vrbe Roma, vel non longè ab illa, 139. Et Presbyteri vrbis Roma proculdubio Cardinales 62. Episcopi quidem hi omnes sederūt in thermis Diocletiani (nondum ergo Lateranum poßidebat Syluester) Presbyteri verò Romani, Cardinales profectò illustrißimi omnes; & Diaconi, Clerusque vel gradus sequentes, ad terga Episcoporum steterunt. Post terga Episcoporum maxima certè ex parte non Cardinalium, Presbyteri Cardinales abiecti, ne sedere quidem audebant, sed standū ipsis erat. In Concilio quoque quodam Ioannis XII. pseudo-Papa peßimi per vim congregato, contra Leonem Papam optimum; eidem Ioanni meritò deposito legitimè subrogatum, prius ponuntur Episcopi omnes, etiam non Cardinales, deinde Presbyteri Cardinales, ac demum astant duntaxat, non sedent Diaconi Cardinales, & in recensendis Episcopis, Episcopi non Cardinales praponuntur Cardinalibus, prout videlicet vel atas, vel tempus promotionis requirebat. Idem quoque apparet in alia Synodo sub Ioanne XV.

Apud Baro. to. 6. an. 449. nu. 36. Greg in fin. Regist. Apud Baro. to. 9. an. 745 n. 23. Synod. 2. Rom. sub Syl. c. 1. Apud Baro. to. 10. an. 964. nu. 6. Ibi an. 993. nu. 3.

Quod ergo vrget Baronius, addit Spalatensis, *in Concilio Oecumenico Ephesino prius subscripsisse Philippum Presbyterum Cardinalem Romanum Legatum, quàm duos reliquos Episcopos Legatos item, sed non Romanos Cardinales, nihil est; nam in actis eiusdem Concilij Ephesini sæpius pracedunt illi Philippum: vt ergo paritatem inter se profiterētur, cum æquè essent Legati Romanæ sedis, nulla habita ratione suorum propriorum titulorum, indifferenter se habebant in hoc Concilio; prout commoditas, vel opportunitas ferebat: sed in octaua Synodo, vt vidimus, Episcopus non Cardinalis Legatus Romanus voluit pracedere Diaconum Legatum & Cardinalem, quia in Legatione erant pares; in titulo tamen Episcopus quicunque pracedere debuit Diaconum quemcunque. Qui igitur semper fuerint veri Cardinales in Ecclesia etiam Romana, iam habes satis explicatum: nunc Cardinalitiæ elationis occasiones indagemus.* Scilicet quod monuimus, splendorem ac fulgorem suum plenè non erat consequutus nobilissimus ordo, & fateor quod addit de Philippo Cardinali Romanæ Ecclesiæ Baronius, & impugnat Spalatēsis, nimirum cum in Concilio Ephesino Oecumenico primo prius subscripsisse, quàm reliquos duos Episcopos Legatos aliò referendum esse, quàm ad Cardinalatus dignitatem; nempè quod in Legatione Ephesina potiores partes haberet Philippus, & quamquam solummodò Presbyter esset hac parte Episcopis antistaret. Quod vt melius intelligatur; scien-

SPALAT. Num. 28. Baro to. 5. an. 431. n. 81. Acta Conc. Ephes. Edit. Pelt. to. 1. c. 15. 16. 17.

nem, in quo nullus sit Scriba (hoc est Doctor) vel fictus. De quo plura infrà.

Augustinus verò, seu alius Autor non ignobilis, eandem Romanorum Diaconorum superbiam, & arrogantiam reprehendit; & quod illi ab vrbis potissimùm dignitate vanè cristas attollerent, meritò stomachatur: Quidam, inquit, qui nomen habent Falcidij duce stultitia, & ciuitatis Romanæ iactantia, Leuitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris æquare contendit, non dicam præferre: sed quia Romanæ Ecclesiæ Ministri sunt, iccirco honorabiliores putantur, quàm apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput videtur esse omnium ciuitatum. Adhuc Bernardi tempore, hæc quam Augustinus suggillarat stultitia Diaconorum Romanorum perdurabat; seu fortasse innouabatur: contra quam Bernardus ad Eugenium scribens sic insurgit; Ridiculè Ministri vestri, vestris se Compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit authoritas. Etsi de sua consuetudine calumnia struitur; melius profectò illa, quam summus ordo contemnitur. Friuolum tamen satis, vnde maximè obtinere id volunt. Nos sumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores assistimus, sedenti propiores, priores sequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solemni ipsa administratione interpretans. Denique Presbyteris, ordinata confessione ambientibus Maiestatem, vos ad pedes sedetis. Propiores assistitis, vt habeat paratiores. In Euangelijs legimus, quia facta est contentio inter Discipulos, quis eorum videretur esse maior. Beatus esses, si sic circa te cætera tenerentur. Hi profectò erant Diaconi, & Diaconi Cardinales, & tamen ad pedes Papæ sedebant: tempore verò Hieronymi, & Augustini, ne sedere quidem coram Presbyteris audebant; astabant verò, vt essent ad ministeria paratiores. Et in his Bernardus aliud officium non agnoscit, nisi vt Papæ in quibusdam officijs Ecclesiasticis, iuxta commune Diaconorum munus ministrarent. Vbi ergo illi magnificentissimi Consiliarij, & Ecclesiæ vniuersalis cum Papa gubernatores? Romanæ vrbis dignitatem lucem aliquam, & splendorem conciliasse Clero Romano suprà admisimus: sed causam proximam fuisse dignitatis Ecclesiasticæ, & inficiati sumus, & inficiamur. Quæ autem ex Hieronymo, & authore quæstionum veteris & noui testamenti aduersus Diaconos, seu Leuitas Romanos detonantibus afferuntur, sunt à nobis explicata: neque verò purpuratorum Patrum ordinem lædunt, namque Hieronymus & author ille, eos Diaconos insectantur, qui quod Thesauri Ecclesiæ illis essent commissi, quos in pauperes, potissimùm verò in viduas distribuerent, insolentiùs se supra Presbyteros efferebant, atque sanctissimum ordinem infra quem longè essent, contemptui habebant. Hoc illa ad Euagrium indicant: *Legimus in Esaia, Fatuus fatua loquetur: Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos: quis patiatur mensarum & viduarum minister, vt suprà eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?* Propterea enim magnus vir Episcopis Presbyteros æquat (qui tamen næuus est in candido pectore) vt acrius hostem impugnet, ac veluti tantæ authoritatis mole obruat. Author verò ille quæstionum veteris & noui testamenti apud Augustinum, eos etiam Diaconos incessit, qui non modò se Presbyteris æquarent, sed etiam præferrent. Vanitatemque ex eo refellit, quod vt concederetur amplitudinem vrbis, quæ caput esset mundi, aliquam dignitatem Clero conciliare, fatendũ omnino esset, eam in Presbyteris potius spectandam esse quàm in Diaconis, cũ par sit credere, nobi-

SPALAT. Num. 30.

Aug. in qq. vet. & nou. test. q. 101.

Bernard. de consid. l. 4. c. 5.

Ad cap. 31

Ep. 85

liori ordini maiorem fieri honoris accessionem, sed vt dixi, ista purpuratorum Patrum ordinem non lædũt, nec enim illi vnâ Diaconorum classe continentur; sed inter illos sunt Cardinales Episcopi, Cardinales Presbyteri, Cardinales Diaconi, è quorum numero Cardinales Episcopi Cardinalibus Presbyteris antistant: Cardinales Presbyteri Cardinalibus Diaconis. Imo penè omnes Episcopi sunt, aut Archiepiscopi. Non igitur aut Hieronymus, aut Author ille quæstionum in Cardinales, de quibus loquimur, detonuerunt: neque existimandum est Diaconos in quos inuehuntur Cardinales fuisse, quod tamen supponere videtur Spalatensis. Præterea non omnium Diaconorum Romanorum hæc labes fuit; sed aliquorum duntaxat, qui nimio fastu turgerent. Ac certè plures fuisse Diaconos Romanos, insigni sanctitate historiæ loquuntur, ac imprimis Laurentium illum inuictum Christi athletam celebrant, qui postquam Xisto Pontifici sanctissimè ministrasset, thesauros Ecclesiæ magna charitate in pauperes distribuisset, Leuita in Martyrio Pontificem sequutus est, hostiamque se obtulit Christo; imò verò quamquam seculo Bernardi, non dubitemus Romæ fuisse aliquos Diaconos Cardinales, non hos tamen ille insectatur, sed meros Diaconos nullo Cardinalatus titulo insignes, atque hoc solùm nomine sese efferẽtes, quod Pontifici sacris operanti adessent, eique ministrarent. Absoluerat siquidem Bernardus, finemque imposuerat institutæ de Cardinalibus disputationi; *Sed de his*, inquit, *hactenus; ego palpaui, non fodi parietem, tibi licet fodere & videre, vtpote Prophetæ filio, mihi progredi non est fas.* Demum aliorum ministrorum Papæ superbiam insectatur, ac ea habet quæ immeritò torquet in Cardinales Spalatensis. Cæterùm magnificentissimè de Cardinalibus sentire, docebimus infrà. Nunc respondendum insolentissimæ expostulationi, aut potius insultationi importunissimi aduersarij, qua de illustrissimo ordine triũphasse videri velit. *Vbi ergo*, inquit ille de temporibus Hieronymi, Augustini, & Bernardi loquens, *vbi illi magnificentissimi Consiliarij, & Ecclesiæ vniuersalis cum Papa gubernatores?* Respondemus igitur seculo Hieronymi & Augustini, ac etiam superioribus temporibus habuisse Pontificem suos Consiliarios, quorum sit postea tota dignitas ad Cardinales reuocata. Consiliarij autem illi erant Presbyteri & Diaconi, ac reliqui Clerici Romani; namque cùm numero pauci essent illis initiis, omnes promiscuè ad Concilia vocabãtur, suumque suffragium habebant; neque hoc in munere Cardinales à non Cardinalibus distinguebantur, sed postmodum crescente Clero Romano cœpit fieri distinctio Cardinalium à non Cardinalibus, ita vt illi soli, in Conciliis à Pontifice coactis sententiam dicerent, ac decretis subscriberẽt, quod Bellarminus ex Synodo Gregorij colligit, cui solùm interfuerunt ex Presbyteris 34. & ij Titulares omnes, id est, vt ille interpretatur, Cardinales, cùm tamen proculdubio plures quàm 34. essent Romæ Presbyteri. Verùm nec adhuc ipso seculo Gregorij eximium suum splendorem consecutus erat illustrissimus ordo, sed duntaxat eius quæ postea secuta est amplitudinis, fundamẽta iaciebantur: At de hoc munere Cardinalium rursus infrà. Subit verò mirari, qua fronte ad tẽpora ipsa Bernardi suas etiam querelas protenderit. *Quæris*, mi Antoni, *vbinam illo æuo essent magnificentissimi illi Cõsiliarij, & Ecclesiæ vniuersalis cũ Papa Gubernatores?* Cur animo non recurrant, quæ postea ex eodem Bernardo profers: sic enim ille, quem tu citas, ad Eugenium: *Veniamus ad collaterales & coadiutores tuos*, inquit, *hi seduli tibi, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt: si mali, æquè plus tibi. Ne te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum,*

Spalat. Num.30. in fine.

Lib.4. registri c.18.

Spalat. Num.58. & seqq.

Bernard de consid. li.4. c.4.

num, malis innitentem. Aut si bonus sis, bonitas tua solius quem fructum afferre potest? Sicut in superiore libro dixisse me memini. Quid, inquam, emolumenti affert Ecclesiis Dei vnius hominis iustitia, vbi sententia praeualet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quàm sanitas vicino serpente. Non est quo te subducas malo intestino. Et è regione bonum domesticum eo amplius, quo sapius iuuat. Sed siue leuent, siue grauent, cui rectius imputandum, quàm tibi qui tales aut elegisti, aut admisisti? Non de omnibus dico, nam sunt quos non elegisti, sed ipsi te. At potestatem non habent, nisi quam tu eis aut tribueris, aut permiseris. Ad idem reuertimur. Tibi imputa quicquid pateris ab eo qui sine te potest facere nihil. His exceptis de cætero non inconsiderate (vt vides) eligendi quique seu colligendi sunt in opus ministerij huius. Tuum est vndecunque euocare & asciscere tibi (exemplo Moysi) senes non iuuenes, sed senes non tam ætate, quam moribus quos tu nosti, quia senes populi sunt. An non eligendi de toto orbe orbem iudicaturi? Sanè huic negotio non se ingerat rogans. Consilio non prece agendum est. Ac rursus Epistola ad Episcopos & Cardinales Curiæ: *Nulli dubium,* inquit, *quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses, cùm montem subijt: Habetis, inquiens, Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos. Illum loquor Moysem, qui venit per aquam, & non in aqua solùm, sed & in aqua & sanguine venit. Et ideo plus quàm Moyses, quia & in sanguine venit. Et quoniam pro Hur & Aaron stat zelus, & authoritas Romanæ Ecclesiæ per populum Dei, ad ipsam meritò referimus, non quæstiones, sed læsiones fidei, & iniurias Christi, probra Patrum atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum.* Ac rursus: *Agite pro loco quem tenetis,* ait, *pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis, quomodo qui ascendit ad cælos, descendat vsque ad inferos: & opera tenebrarum ausa prodire in lucem, vt dum qui publicè peccat, publicè arguetur, comprimant sese etiam alij ponentes tenebras lucem, disputantes in triuijs de diuinis, qui loquuntur mala in cordibus suis, & in codicibus suis scribunt: & sic obstruatur os loquentium iniqua.* Neque verò clarissimis verbis Bernardi lucem eripere, aut tenebras offundere possunt illæ tuæ cauillationes, de quibus suo loco. Persequamur reliqua. Incalescit Spalatensis, & maiores iras effundit in Cardinalium capita. *Iam verò,* inquit, *Romani nostri soli per Antonomasiam vocari volunt Cardinales; cùm tamen, vt vidimus, in omni Ecclesia proprij adsint ministri Cardinales. Imo verò adeo deflexerunt à vera ratione, & forma Cardinalium, vt iam nullo modo veri sint amplius Cardinales, non modò illi qui propriarum sunt Episcopi Ecclesiarum, vt suprà monui; sed ne reliqui quidem, etiam Romæ residentes: sunt enim omnes illi Ecclesiæ aduentitij & assuti, non propriè incardinati. Titulos quidem ad speciem assumunt, sed in titulis nullum prorsus exercent officium, quod sit proprium Christi ministrorum Cardinalium: & plurimi tituli sunt priuatarum Ecclesiarum, siue oratoriorum, etiam Monachorum & Regularium; in quibus publica nulla vigent, in plebe fideli regenda, & Ecclesiasticis ac spiritualibus fouenda, & nutrienda officijs exercitia: quæ Ecclesiæ propterea nulla ratione esse possunt, nisi æquiuocè Cardinales; etsi quæ sunt veræ Cardinales, illæ proprios habent ordinarios Parochos substitutos, satis viles & abiectos; reuera tamen veros Cardinales; qui pondus diei ferunt, & æstus: titulum interea alij possident, qui nihil minus quàm munia Ecclesiastica curant. Nec verò tantùm propria, quæ hoc nomine Cardinalitio eis incumbunt, munera Parochialia deserunt, sed mira metamorphosi in typhum secularem toti transeunt, Principum facti æmuli, imò ipsi potius Reguli, ita*

Bernard. ep. 188.

Idem ibid.

SPALAT. Num. 32.

Matth. 20.

vt se summis audeant Regibus comparare; hoc est, galerum rubrum aureo diademati æquiparare. Prodijt è prælo recens quædam Bellarmini contra serenißimi Britanniæ Regis præfationem Apologia: In qua dum lego quæ affert ad coæquandos Regibus Cardinales, eius certè prudentiam desidero, mirorque quod non potius ex hac arena pedem retraxerit. Certè prorsus extra oleas eius longiuscula vagatur oratio laudatoria, dum ad dignitatem Cardinalitiam, stabiliendam Presbyteralis & Diaconalis potestatis munia communia in theatrum deducit, quæ quidem si quæstionem propositam attingerent, ipso Cardinali vix puto id concedente, triobolares quiuis Presbyteri, qui in foris quotidie prostant, vt mißificent venales, maximis Regibus prorsus æquarentur. Vbi verò Cardinalium exaltator Cardinalis ad propria ipsorum officia delabitur, electores Papæ, cõsultoresque nobis ostentat (de quibus iam à me dictũ est) ac tãdem de hac eorum cum Regibus æquiparatione distinguens, suæque cõclusioni terminos figens, ait, eam intelligendam de externo cultu, & honore: quod vsus obtinuerit, vt quemadmodum Principes omnes Regibus cedunt, sic etiam cedant Cardinalibus. Et in hoc paritatem quandam ponit. Quandam; sed quantulam? Reuera nullam: Primùm enim cultus ille, siue honor externus sponte delatus, ac voluntarius in honorãte est, vt aiunt, non in honorato, nec dignitatem vllam veram inhærentemque ponit in Cardinalibus. Quin etiam veri Principes non soliti sunt se huic indignitati prostituere, quod si qui se adeò abiectè submiserint, vt Cardinalibus primas deferrent sponte, aliquo certè animi morbo laborarunt, vel leuitatis, vel assentationis, vel in angustias detrusi, ac opis indigi, Curiæ Romanæ abblanditi sunt, vel demum ex quadam non admodum prudenti reuerentia Romanis decretis cæremonialibus obtemperarunt. Sapientes interea Principes non defuerunt, qui Cardinales in locum satis humilem, veréque suum detruserunt, eosque nimiũ insolescentes subinde represserũt. Excutiamus ordine singula, κατ' ἐξοχὴν sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales vocantur, qui sunt hoc honore aucti, quod in Principe orbis terrarũ Ecclesia eam sint dignitatem consecuti. Namque, quod initiò dicebamus, vt superficies ad lationem corporum mouentur ac feruntur, sic ex dignitate Ecclesiæ Romanæ petenda est potissimùm præcipuorum, ac principalium ministrorum amplitudo. Cardinales verò amplius dici non possunt, *quod sint aduentitij & adsciti*, vt dicit ille, *non propriè incardinati*. Ridiculum est Spalatensis commentum ex ignoratione profectum; namque, vt testimonio Gregorij docuimus, *incardinari* illi olim dicebãtur, qui in alterius Ecclesiæ, in qua ordinati non essent, Clerum coaptabãtur. Quod attinet ad titulorum rationem, sunt ista planè Pontificij iuris, vt proinde, quamquam reclamantè Spalatensi, de his ad arbitrium statuere possit, nec credo necessum fuit Spalatensem in Concilium aduocasse, vt hæc legitimè sancirentur. Quod attinet ad typhum sæculi, quem illustrissimo ordini opprobrat, inuidentis, nec externum Ecclesię fulgorem ferre valentis querimonia est, & falsum omnes vident, quod ille dicit, *Cardinales Galerum rubrum aureo diademati æquiparare*; si modo de externo fulgore agatur. Quare iure optimo illustrissimus Cardinalis Bellarminus, quem immeritò hic traducit Spalatensis, de dignitate Cardinalium ad serenissimum Britanniæ Regem scribens, ad Sacerdotum & Diaconorum, qua illi effulgent, eminentiorem dignitatem confugit; neque enim Galerus Cardinalitius, ritè cum diademate aureo confertur, sed bene omnino Sacerdotalis dignitas cuicumque dignitati seculari anteponitur: Sic enim beatus Gregorius: *Quis dubitet*, inquit, *Sacerdotes Christi Regum, & Principum omniumque fidelium Patres & Magistros censeri?* Et alius Gregorius, Præfectum alloquens.

Li. 8. ep. 21.

Quid

Quid inter nos conuenit? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Vos quoque imperio meo & throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. Habent quidem, inquit Chrysostomus, *& terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit: vsque adeò vt quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque, enim ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, quorumcumque retinueritis, retenta sunt. Quænã, obsecro, potestas hac vna maior esse queat?* Et alibi: *Sacerdotium,* inquit, *principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leuiora. Omnis, inquit, hominis gloria sicut flos graminis, etiam si ipsam gloriam regalem dixeris. Ne inquam mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, vi debis Sacerdotem multò sublimius Rege sedentem. Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis,* inquit Ambrosius, *nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas Regum colla & Principũ submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.* Hinc Valentinianus Senior, cùm Mediolani deligendus esset Antistes, Episcopique precibus ab eo contenderent, vt Episcopum magnæ vrbi daret sapientissime Episcopos, sic adhortatus est: *Hominem ita instructum in sede & gradu Episcopali iam collocate, vti & nos, à quibus hoc gubernatur Imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehensionem (nam cùm simus homines errore labi necesse est) velut medicinam animorum cupidè amplexemur.* Gelasius. *Duo sunt,* inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cœlestibus Sacramentis, eisque (vt competit) disponendis subdi te debere cognoscis, religionis ordine potius quàm præesse nosti. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Extra oleas igitur non est vagata oratio Illustrissimi Cardinalis Bellarmini, quæ vt Cardinalium assereret dignitatẽ; Episcoporũ, Presbyterorum, & Diaconorũ ordines, vt loquitur Spalat. *in theatrũ* deduxit, quippe & Diaconi, & Presbyteri, & Episcopi sint, imò & Archiepiscopi, ac proinde digni honore qui tum Episcopis, tum Presbyteris, tum Diaconis defertur; nec enim credo purpura hanc illis gloriam detrahit, aut adimit. At instat Spalatensis: *Hæc si propositam quæstionem attingerent, ipso Cardinali vix puto,* inquit, *id concedente triobolares quiuis Presbyteri, qui in foris quotidie prostant, vt missificent venales maximis Regibus prorsus æquarentur.* Est verò malè animati in sacrum ordinem cauillus, quem facilè sit abstergere. Triobolares ac in foris prostantes venales Presbyteros, nec agnoscimus, nec probamus; quòd si pauperiores quosdam Sacerdotes insectari illi est animus, quos cum Regibus nonnisi indignè conferendos existimet, meminerit, nec paupertatem, nec diuitias ad cumulum facere honorum,

Orat. ad Ciues timore perculsos.

Ἀρ᾽ ἀνέξεσθε τῆς παρρησίας τοῦ λόγου, καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι; ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. &c.

Chr. l.3. de Sacerd. c. 5.

Τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσία μείζων;

Chrys. in illud Esaiæ vidi Dominũ, hom. 5.

Ἱερωσύνη αὐτῆς τῆς βασιλείας σεμνοτέρα, καὶ μείζων ἐστὶν ἀρχή.

Ambr. de dignit. Sacerd. c. 2.

Theod. lib. 4. c. 5.

Τοιοῦτον δὴ νῦν καὶ νῦν τοῖς ἀρχιερατικοῖς ἐγκαθιδρύσατε θώκοις, ὅπως καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν βασιλείαν ἰθύνοντες, εἰλικρινῶς αὐτῷ τὰς ἡμετέρας ὑποκλίνωμεν κεφαλάς, καὶ τοὺς παρ᾽ ἐκείνου γενομένους ἐλέγχους, ἀνθρώπους γὰρ ὄντας καὶ περιπταίειν ἀναγκαῖον, ἰατρικὴν ἀσπαζώμεθα θεραπείαν.

Gelas. ep. 8. ad Anastas.

quibus sacer ordo ornatur, quò spectat illud Hieronymi ab ipso Spalatensi supra iactatum, *Vbicunque fuerit Episcopus Romæ, siue Eugubij, &c. eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij, potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas sublimiorem vel humiliorem non facit.* Sunt enim hæc à sanctissimo viro, non modò in Episcoporum, sed & in Presbyterorum, quorum ille patrocinium aduersus insolentiores Diaconos susceperat, & verè & piè dicta, vt proinde inter pauperes & diuites Presbyteros distinguendum non sit, sed par omnibus honos haberi debeat. Narrat Seuerus Sulpitius in vita B. Martini, contigisse aliquando, *vt cùm Maximus Imperator in conuiuio sederet, assidente quoque B. Martino, pincerna primùm calicem Imperatori vt omnium nobilissimo vellet offerre, ille verò ad Episcopum misit, qui non recusauit, sed primùm bibit, & postea non Imperatori, sed Presbytero suo calicem tradidit: nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem, aut eos qui à Rege erant proximi Presbytero prætulisset.* Spalatensis B. Martino aliquantò vrbanior Antistes, hoc scio inciuilius factum, cum Sectariis occlamabit; sed sanctam rusticitatem potentissimi Principes mirati sunt, ac vehementissimè probarunt haudquaquam conquesti Triobolarem sibi præferri Presbyterum, quod scirent non homini, sed Religioni deferri. Sed quid Presbyteros commemoro, ipsos etiam Diaconos Chrysostomus Principibus anteponere non veretur: Sic enim ad Diaconū suum loquitur: *Si Dux,* inquit, *quispiam, si Consul ipse, si is qui Diademate ornatur, indignè adeat: cohibe & coërce maiorem tu illo habes potestatem.* Quin & ipse factum dicimus pater, nullo scrupulo instituta inter Monachum & Regem comparatione, Monachum præfert. *Rex,* inquit, *vrbium, Regionum, tum multarum gentium præfecturam gerit, Magistros militum, Præfectos, exercitus, populos, senatus suo vnius nutu regens: At verò qui se ipse totū Deo dedit, solitariamque vitam elegit, iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, cæterisque animi morbis imperat, assiduè speculans ac meditans quemnam in modum non committat, vt suum animum obscœnis affectibus subijciat, neu amaræ tyrannidi ratio inseruiat, sed supra res humanas omnes cogitationem semper erectam habeat, Dei timorem animi morbis præficiens. Huiusmodi igitur Imperium Rex, huiusmodi item principatum monachus adeptus est: vt iustius quidem hunc Regem voces, quàm eum qui purpura indutus, ac corona ornatus splendescit throno in aureo sessitans.* Hæc os verè aureum in Monachorum gratiam, quos tamen Spalatensis non modò infra Presbyteros, sed etiam infra quoscunque alios Ecclesiæ ministros ponit ac deiicit. Erat igitur quod ab aulæ pompa oculos reuocaret, ac reflecteret, vt interiores sacrorum ministrorum dotes contemplaretur. Certè vt alio loco docet idem Chrysostomus; *Quanquam nobis mirandus videtur thronus regius ob gemmas ei affixas & aurum quo obcinctus est: tamē rerū terrenarū administrationē sortitus est, nec vltra potestatē hanc præterea quicquā habet auctoritatis: Verū Sacerdoti thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotiis pronunciandi habet authoritatē. Quis hæc dicit?* addit eloquentissimus Antistes, *Ipse cælorū Rex: Quæcūque alligaueritis super terrā, erūt ligata & in cælis, &c. Quid cū hoc honore conferri possit?* Quod ergo magno Regi est à prophano homine inculcatū, aliud esse sceptrū aliud plectrū, Spalatensis animo recurrere debuit, vt etiā statueret aliud esse regnū aliud Sacerdotiū, & hoc quidē nobilius esse, iustumque omninò videri, vt cedat caro spiritui, vt terrena à cœlestibus superentur, & humanis præferantur diuina. Quod si hoc valet in omni Ecclesiastica dignitate, quid de ea sentiendum sit quæ fastigium occupat, ac inter cæteras præcipuum

Hieron. ep. 85.

Sulpitius in vit. S. Matt.

Chr. hom. 83. in Matt. Κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπατος, κἂν αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσίῃ, κώλυσον, μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις.

Chr. de cōpor. Reg. & Monach. Τοιαύτην τὴν ἀρχὴν ὁ βασιλεὺς, τοιαύτην δὲ μοναχὸς ἀρχὴν ἢ δυναστείαν κέκτηται, ὥστε δικαιότερον τοῦτον βασιλέα καλεῖσθαι, ἢ τὸν ἀλουργίδα, καὶ στέφανον λαμπρυνόμενον, ἐν χρυσῷ θρόνῳ ἐπικαθήμενον.

Hom. 5. in illud vidi Dominum. Ἀλλ' ὅμως τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἐλαχεν οἰκονομεῖν, καὶ οὐδὲν ἔχει πλέον ταύτης τῆς ἐξουσίας τοῦ οὐδὲν. ὁ δὲ ἱερωσύνης θρόνος ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἵδρυται, καὶ τὰ ἐκεῖ διοικεῖν ἐπιτέτραπται.

cipuum locum obtinet? Vt igitur sit omnis gloria filiæ Regis ab intus, est tamen aliquem fulgorem in suis præstantissimis istis Ministris consecuta Ecclesia, quibus Reges ipsi & summi Principes, cum quibus de suprema potentia & mundano principatu minimè contendunt, colunt, & obseruant, non illius quam gestant purpuræ causa, sed quod summi Pontificis, omnium omninò fidelium capitis ac Rectoris electores, assessores, administri & Consiliarij, adeóque, vt loquitur Bernardus, totius orbis sint Iudices. Sed excipit rursus Spalatensis: *Cultum illum siue honorem sponte delatum, & voluntarium in honorante esse, & aiunt, non in honorato, nec à veris Principibus Cardinalibus deferri, sed solùm ab iis qui suam prostituant dignitatem.* At enim haudquaquam bonus est Philosophus, vt enim honos, quemadmodum in Scholis loquuntur, *subiectiuè* sit in eo, à quo impenditur, *obiectiuè*, tamen, vt quoque loquuntur, in eo est cui defertur, & proculdubiò eminentior aliquis gradus, dignitas aut excellentia illum cultum & venerationem, qua aliquem prosequimur excitare, acciere solet. Quod verò parum secundæ famæ facit eos Principes, qui Cardinales coluerint, ac vecordiæ deputat, inter insolentiora eius effata est reponendum: non enim abiecti animi illud fuit, sed propensi in Religionem indiciũ. Vident sanè cordati Principes illa in sacros ministros obseruantia nihil dignitati suæ deperire, quippe cùm non homini, sed numini honorem illũ impendant, nec inter eos de mundana ac seculari potentia cõtendatur. Succurrit nobilissimi Regis factum, à nobilissimo historico memoriæ mandatum. Incurrerat in odium & offensam Alexandri Magni Tyrum obsidentis Iaddus Pontifex Iudæorum, ob negata victori exercitui subsidia, expugnatáque Tyro Hierosolymam ducebat triumphator, vt omnes rebantur Gentem & locum exterminaturus, potissimùm verò in Pontificem desæuiturus. Iaddus diuino oraculo monitus regis aduentum summa cum fiducia præstolabatur. *Cùm renunciatum esset eum iam non procul ab vrbe abesse, progressus est cum Sacerdotibus & vrbana multitudine pompa quadam noua, & venerabili vsque ad locum qui dicitur Sapha, quæ vox speculam significat, quod ibi & vrbs & templum in prospectu sit. Et cùm Phœnices ac Chaldæi sperarent sibi licere quicquid iratus Rex posset permittere, direptionem vrbis, & Pontificis exquisitum supplicium, planè contrarium euenit. Alexander enim vt vidit è longinquo candidatum populum, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificémque in stola Hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine: Solus ad eum accedens nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum consalutãtibus, & in orbem cingentibus, Syriæ Reges, & reliqui obstupuerunt, vix credentes Regẽ mentis cõpotem: Solus Parmenio propius accedens rogauit familiariter quid ita cùm ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem. At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim, inquit, vidi, & antea hoc ipso habitu, cùm adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantẽ quomodo Asiam possem subigere hortatus est, forti esse animo & sine mora exercitum traiicere: nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter quia nunc primùm talem habitum vidi, agnoscens hunc & visionis memor qua me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem, & sublato Persarum imperio, cessura mihi omnia ex sententia.* An igitur vecors Alexander, an dignitatis suæ oblitus dici possit? Pergamus.

Iosephus antiquit. Iudaic. lib. 11. cap. 8.

Quærit iam vnde inter omnes Ecclesiæ Ministros & Rectores hanc eminentiam habeant Cardinales, eamque sibi vendicent, atque Bellarminum sibi re-

SPALA Num. 3

spondentem inducit his verbis: *Vnde verò, inquit, obsecro, iam tantam præcellentiam inter omnes Ecclesiæ sanctæ ministros & Rectores, vt iam Episcopi mutum sponte facti pecus; & Presbyteris & Diaconis etiam istis Cardinalibus, sordidissimo penè se subdunt famulitio? Et illi supra Episcopos non Cardinales Romanos, & accipiant, & velint eminentiam? Imò etiam extra Romanam Ecclesiam in toto orbe Christiano? Cùm tamen Minister Ecclesiasticus, in sua propria Ecclesia incardinatus, in aliena omninò cesset esse Cardinalis, quia illa suos habet proprios Cardinales, alienæ Ecclesiæ Cardinalibus, in ea aduentitiis superiores.*

SPALAT. Num. 34. Bellarm. de Cler. lib. 1. cap. 16. *Tria sunt officia, inquit Bellarminus, Cardinalium Romanorum: Primum est commune cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis cæteris; omnes enim Cardinales aut Episcopale aut Presbyterale, aut Diaconale officium habent: Alterum officium est summum Pontificem eligendi: Postremum eidem Pontifici perpetuò assistere, eumque in regenda vniuersa Ecclesia, consilio & industria adiuuare. Si consideremus, inquit, ordinis potestatem, maior est Episcopus non Cardinalis, Presbytero vel Diacono Cardinali; nam Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non possunt. Qua ratione etiam summus Pontifex Episcopum se vocat non Cardinalem; & Episcopos omnes appellat venerabiles fratres, Cardinales autem dilectos filios; quomodo vocat etiam Laïcos. Pari ratione si consideremus iurisdictionem in propriam Ecclesiam, Episcopus habet amplissimam iurisdictionem, tanquam proprius & ordinarius Pastor, ferendi leges, dispensandi, puniendi, indulgendi, &c. Ac Cardinalis Presbyter & Diaconus, cùm in suo titulo sit veluti Parochus Episcopo subiectus, nihil potest, nisi quantum Episcopus ei permanserit.* Quid ad hæc Spalatensis? *Hanc libenter, inquit, huius veritatis confessionem admittimus. Cur ergo Dominus Papa fratres suos Episcopos ad pedum oscula abiectissimè prosternit; Cardinales verò filios erectos accipit? Cur ipsi Cardinales tam vili loco tenent Episcopos, vt eos in suorum famulorum numerum coniiciant? Cur non Romæ modò, sed etiam passim, vbicumque Episcopis præferri volunt?* Audiamus eundem: *At si consideremus, inquit, regimen Ecclesiæ vniuersalis, maior est Cardinalis Presbyter, vel Diaconus Episcopo non Cardinali; nam Episcopi simplices nunquam adhibentur ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, nisi rarissimè; id est, cùm ad generale Concilium conuocantur; at Cardinales ferè quotidie præsto sunt Põtifici; neque vllum negotium maioris momenti, sine eorum consilio peragitur. Et quia hinc fit, vt Episcopi à Cardinalibus, vt summi Pontificis cooperatoribus, iudicentur, creentur, deponantur; non autem contra Cardinales ab Episcopis: propterea absolutè Cardinalis Episcopum non Cardinalem præcedit. Quæro ego*, addit Spalatensis, *an perpetuò Romanus Pontifex habuerit, etiam priscis temporibus, consiliarios & adiutores in hoc regimine, quod prætendit Ecclesiæ vniuersalis? Negare id non potest: semper enim Ecclesia omnis, ac præsertim Romana habuit suum Clerum proprium, hoc est Cardinalem: & hic Clerus constituit collegium quoddam seu cœtum Presbyterorum, quem Hieronymus vocat Senatum Ecclesiarum. Quod collegium Ignatius facit Episcopi consiliariorum, & sanè iure diuino institutorũ, vt plenè habes suprà lib. 2. cap. 9. Nec potuit Pamelius non apertè fateri Clerum Ecclesiæ Romanæ, quem Cornelius vocat suum Presbyterium, tunc idem collegium fuisse eiusdem officij & authoritatis, quod est nunc Cardinalium, & tamen Episcopos quoscunque fuisse hoc Presbyterio superiores. Cur igitur isti, qui olim fuerunt veri Cardinales, veri Papæ consiliarij, & in regimine adiutores præcellentiam hanc supra Episcopos non prætenderunt? Imo, cur eam Diaconi Romani supra Romanos Presbyteros prætendentes*

SPALAT. Num. 35.

Hieron. in Isai. c. 3.

Pamel. annot. in Cyp. ep. 46. n. 10

Apud Cyprian. lib. 3. ep. 11.

dentes à Patribus sunt adeo reprehensi & correpti, vt tumori duntaxat, & typho superbiæ fatuitatique & stultitiæ, atque Pharisaico supercilio conatum illum, vt vidimus, tribuerint? Cur etiam omißis veris Cardinalibus, hoc est vero & proprio Romano Clero, nouum quendam ordinem Cardinalium externorum Papæ in suam Ecclesiam inuexerunt? Nonne ipsius proprij Canonici, (reuera de iure Cardinales) Ecclesiæ Lateranensis, sunt maximè proprij ipsius Consiliarij?

Nouitatem, addit, *vrgemus, ac dolemus veros S. R. E. Cardinales sua dignitate & authoritate priuatos esse Canonicos Lateranẽses, & aliarũ Ecclesiarũ titulatos, ac proprios ministros, & in ipsorum locum aduentitios fuisse assumptos.* Sunt hæc valdè inuoluta, adeóque irarum & veneni plena, sed facile sit singula dispungere. Ad primum illud eius postulatum, vnde scilicet Cardinales nacti sint tantam dignitatem, rectè omninò respondet illustrissimus Cardinalis, inde eam consecutos, quod soli iam & Electores, & Assessores, & Cõsiliarij Pontificis habeantur. Ad illud de pedum osculis, respondemus omninò maiore cum fastu à priuato Episcopo eum cultum negari Pontifici, quem ex recepta consuetudine illi impendant reliqui Antistites, quàm à Pontifice exigatur. Et certum planè est ad typhum non esse eum cultum referendum, sed ad Religionem, cuius intuitu, illo pedum osculo cruci infixo ordinis sui caput venerantur: Et quod Cardinales diuerso more obsequium præstent omninò ad eam de qua diximus, referendum est dignitatem, qua Episcopos superant, & *in intimorum Pontificis*, vt loquitur Bernardus, numero habentur. Cæterùm insolentissimæ insaniæ esse contra receptum in Ecclesia morem disputare, diceret Augustinus. Ad quæsitum illud, vtrum *Pontifex Romanus priscis temporibus habuerit Consiliarios & Coadiutores in hoc regimine.* Respondemus habuisse vtique, verùm promiscuè in Senatum illum admissos omnis generis Ecclesiasticos, non modò Cardinales, sed & inferioris quoque ordinis ministros, quod cùm iam exciderit, & ad solos Cardinales reuocata sit, senatoria illa dignitas; factum est, vt eximius illis honos haberi cæperit: quod pluribus persequitur Bellarminus, de quo infrà. Neque verò, quòd suprà monuimus, Patres Fastum Diaconorum Romanorum damnantes, Cardinales pungunt; illi enim cum nullo alio quàm Diaconorum mero ac simplici titulo effulgerent; propria authoritate, adeóque citra vllam Pontificis sanctionem, insolentiùs se supra Presbyteros efferebant; quod non obscurè innuit Hieronymus illa ad Euagrium Epistola ab aduersario tantopere iactata, Cardinales verò lucem suam à luce Pontificis mutuantur, & hauriunt, eiusque beneficio reliquis Ecclesiæ Ministris anteponuntur: Friuolum verò esse quod de Cardinalibus extra propriam Ecclesiam rursum inculcat Spalatensis, suprà ostendimus, atque prioribus sæculis, propriè Cardinales habitos, qui in alienum Clerum cooptarentur ostendimus. Quod vt locum non haberet, quemadmodum Ecclesiæ Romanæ potestas quaquauersum se fundit, ac Imperiũ illud spirituale terris æquat, ita quocunque loco agant celebriores illi eius ministri, (Cardinales intelligo) in summo precio haberi eos par est; quippe qui Pontificis ac præcipuæ & principalioris Ecclesiæ membra sint. Habebunt intereà gratiam Spalatensi Lateranenses Canonici, quos subita hac ac præpropera ac imaginaria promotione Cardinales crearit, tantummodo curet reliqua præstare, quæ ad fulciendam summam dignitatem planè sint necessaria: haudquaquam tamen Ecclesiæ Principes tam facilè creantur, maiorisque sit molis Romanam condere gentem. Vt autem Episcoporum vices dolenti satisfaciamus, etsi sunt

SPALAT. Num. 36.

Aug. ep. 18.

iam hæc ab aliis, potissimùm ab illustrissimo Cardinali Bellarmino, quem inmaniter vexat, atque à Hieronymo Plato pio & eruditore Scriptore è Societate Iesu, occupata, retexere non grauabimur tria illa officia ac munera Cardinaliū, quibus tota hæc disputatio nititur. Sunt, inquit Platus, huius Magistratus triplicis generis officia. Primum, quòd singulis Cardinalibus conuenit propter ordinem, in quo quisque est; reliqua duo omnibus communia; alterum in Pontifice eligendo, alterum in eodem adiuuando. Nam cùm suprà dictum sit, tres esse Cardinalium classes, quoniam alij Episcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi habent singuli sua munera, eadem videlicet quæ alij etiam Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Et quidem, quod attinet ad Episcopos, hoc etiam intelligendum est, morem olim fuisse in Ecclesia, cumque diutissimè seruatum, vt non alij essent Cardinales Episcopi, quàm illi septem prius, postea verò sex, qui ob locorum propinquitatem, simul & Pontifici adesse, & suo tamen gregi non deesse poterant; alij verò aliarum ciuitatum Episcopi, nunquam ad Cardinalatum promouerentur. Cuius ea causa erat non solùm ne pastoralem curam desererent, sed etiam quia aliquamdiu, & quidem multo tempore, maior erat dignitas Episcoporum, quàm Cardinalium. Itaque potius ex Cardinalatu gradus erat ad Episcopatum, quàm contrà. Verùm adaucta deinde Cardinalium maiestate, mutata ratio est, vt ex Episcopis, & quidem libenter, fierent Cardinales. Cuius quidem initium Iacobatius ad Clementem V. refert, scribens Bonifacium Octauum, ob hanc causam multos nō fecisse Cardinales; cùm id ipse optaret, illique aptissimi essent; idque ipsum miratur, quo modo hoc illius hominis alioquin acutissimi solertiam fugerit. Quod sanè nos miramur ab hoc auctore dici, cùm certum sit, eum vsum aliquanto ante Clementem introductum, nimirum circiter Alexandri Tertij tempora. Tunc enim Ecclesiæ temporalis dignitas, magnopere illustrata est, cū Federicus Ænobarbus Imperator fractus esset. Quare quod quidem scriptis extet, primus omnium Conradus Archiepiscopus Moguntinus Cardinalatu ornatus est, idque hac occasione, vt quoniam à Federico ipso sua sede esset exactus, compensatione quadam fieret Episcopus Sabinus Cardinalis: qui deinde schismate sublato suæ restitutus Ecclesiæ, nihilominus Sabinam retinuit. Ex quo deinde cœpti sunt, alij quoque Episcopi ad Cardinalatum euehi, verùm hactenus quidem ad Episcopatus Cardinales tantummodo, id est, ad vnum, è sex illis, qui fortè vacaret. Breui tamen illud etiam obrepsit, vt ex Episcopis non Cardinalibus, fierent Presbyteri Cardinales, quod à Clemente III. qui paulò post Alexandrum extitit, factum scimus in Episcopo Viterbiensi, itemque in Ariminensi. In qua re vsque ad Clementem Quintum satis parcè progressi sunt Romani Pontifices. Hic verò multò liberius id factitare cœpit, vt iam vix vllus Cardinalis crearetur, qui non vnum, interdum etiam plures Episcopatus haberet. Sed hoc seruabant, vt Episcopi nomine deposito, perpetuos se Ecclesiarum administratores appellarent, siue eas in commendam retinerent. Quæ vocabula eo tempore sunt Auinioni introducta, vbi tum Pontificia sedes hærebat. Atque hic fere mos ad nostra vsque tempora, vt videmus durauit, & si aliquanto parcius, quàm illis temporibus fieret. Quoniam igitur hoc iam passim receptum est, vt non modo qui iam Episcopatum habent, Cardinales fiant, eius administratione retenta, sed etiam Cardinalibus, qui non habent, eiusmodi administratio committatur, vtrisque sanè Episcopalia munera gerenda sunt, non multo secus, ac si Episcopi non Cardinales essent. Debent enim prouidere, vt ouium,

Platus li. de dign. & offic. Card. cap. 4.

Lib. 1. de Concil. num. 111.

ouium, quæ sibi commissæ sunt, saluti consulatur, vt salubria eis pabula non desint. Itaque in Episcopis quidem qui animarum curam gerant, nulla ferè est facta mutatio. Maior facta in Presbyteris Cardinalibus & Diaconis, qui iam admodum raro propria exercent officia, nisi fortè in sacrificando. At antiquitus multa erant alia illorum propria. Nam Presbyteri Cardinales animarum, quæ in sua parœcia essent, curam gerebant, ministrabant Sacramenta, habebant conciones, denique in suo quisque titulo Pastorum munus sustinebant. Diaconorum verò hoc in primis proprium erat, vt Pontifici assisterent, Missam celebranti. Ex quo est illud Laurentij ad Sixtum, quod narrat Sanctus Ambrosius, *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Quo eodem loco alterum etiam Diaconi officium indicatur, distribuendæ Eucharistiæ populo, qui aderat. Sic enim ait; *Cui commisisti consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium sanguinis tui negas?* Ad eosdem etiam pertinebat intra Missæ solemnia Euangelium pronunciare, quod apparet ex Hieronymi epistola ad Sabinianum. *Tu*, inquit, *exanguis & pallidus Euangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* Insuper etiam Diaconorum partes erant baptizare, prædicare, recóciliare publicos pœnitentes: denique omnia præstare, quæ Presbyteri (excepta consecratione & Sacramento Confessionis) sed absentibus Sacerdotibus, vel eorum permissu. Nam quod Diaconi Cardinales ad populnm concionarentur, illud satis ostendit, quod in vita B. Gregorij legitur, ipsum cùm adhuc in eo esset gradu, id assiduè & diligenter factitasse. Illa tamen præcipua erat cura, vel vna ex præcipuis, vt fidelium eleemosynas colligerent, & reliquas Ecclesiæ opes custodirent, & administrarent, atque ex iis viduas & pupillos, & planè egenos omnes delectu atque inquisitione adhibita, subleuarent. Quod autem egregiè à B. Laurentio præstitum esse, indicat S. Leo, cùm de illo ita scribit: *Qui*, inquit, *non solùm ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Et paulò pòst, *Quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, itemque numerosissimos Sanctorũ pauperũ obtulit greges, in quorũ victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates.* Atque hæc quidem administratio valdè erat eo tempore honorifica, & meritò; exigebat enim fidem, & integritatem, & prudentiam haud mediocrem. Quo factum est, vt hoc Diaconorum officium in Ecclesia Romana valdè esset illustre & honoratum. Accedebat etiam alia causa, quod Pontifici ipsi propius assisterent, ac ministrarent. Itaque eò etiam ventum est, vt nonnunquam ipsis quoque Presbyteris sese præferrent, quod apparet ex illo Bernardi loco ad Eugenium, vbi eos de hoc ipso reprehendit. *Ridiculi*, inquit, *ministri vestri* (sic enim Diaconos appellat) *vestris se compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit auctoritas. Et si de sua consuetudine calumnia struitur, melius profectò illa, quàm summus ordo contemnitur. Friuolum tamen satis vnde id maximè obtinere volunt. Nos sumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores assistimus, sedenti propiores assidemus, priores sequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solemni ipsa administratione, interpretans. Denique Presbyteris ordinata processione ambientibus, vos ad pedes sedetis. Propiores assistitis, vt habeat paratiores.* Hæc S. Bernardus. Caue verò intelligas hæc officia ad Diaconos pertinuisse ex aduentitia Cardinalatus dignitate, cùm proculdubio ex Diaconatu ipso illa eis munera in-

1. Off. c. 41.

Epist. 48.

Li. 1. ep. 41.

Serm. de S. Laurent.

S. Bernard. ad Eugen.

cumberent. Neque verò omnes Diaconi, Cardinales erant, imò nec omnes Diaconi Papæ ministri, in Cardinalium numero censebantur. Sed quomodo etiamnum plures habet Pontifex ministros & asseclas, qui tamen hac dignitate non effulgent, ita priscis illis temporibus, haud dubium est multos habuisse & Diaconos & Presbyteros non Cardinales, qui ei adessent, ac sacra operanti ministrarent. Et suprà ostendimus Bernardum haudquaquam Diaconos Cardinales pungere, sed simplices ac meros Diaconos, qui hoc vno nomine, quòd de familia essent summi Pontificis, eique perpetuò adessent, Presbyteris se anteferrent. Alterum est Cardinalium officium, quod diximus, summum totius Ecclesiæ Præsidem eligere; quæ quidem est actio omnium maxima & præstantissima, quæ à Cardinali obiri possint. Nam cùm in Ecclesia nulla maior altitudo cogitari possit ipso Pontificatu, quod est sublime ac summum fastigium inter Christianos, profectò sequitur, ne quidem maius esse posse negotium, quàm hunc ipsum Pontificatú alicui mandare, partemque aliquam habere in eo creando, qui cœlorum claues habeat, qui tot Christi Domini gregem eius loco, & cum eius potestate gubernet. Hoc perpetuum ac solemne fuit, vt Pontificem Cardinales, id est ij, quos nunc Cardinales vocamus eligerent, sed non soli, nam præter eos, reliquus etiam Clerus, atque adeò etiam populus ipse adhibebatur. Declarat hoc quidem Cypriani locus, vbi de Cornelio scribens, qui anno CCLI. Pontificatum cœpit, expressè indicat quæ tum esset formula horum comitiorum. Ait enim, *Cornelium factum esse Episcopum à plurimis Episcopis, qui tunc Romæ aderant, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio.* Ex quibus Cypriani verbis, hoc intelligi licet, præter vrbanum Clerum & populum, si qui forte externi Episcopi adessent, vt tum aderant ex Africa, eos quoque ad eligendum Pontificem admitti solitos. Atque hic quidem vsus viguit vsque ad annum circiter DXXX. quo tempore Iustinianus Imperator ad tollenda dissidia, quæ sæpè incidebant, hoc decreuit, vt Pontificis electio firma & rata non esset, nisi Imperatoris etiam consensus accederet. Itaque anno DXC. cùm Romæ vna omnium ordinum voluntate Pontifex creatus esset, Magnus Gregorius, non tamen antea consecratus scribitur, quàm responsum à Mauritio Imperatore venisset, quod fuit post sex menses, etsi non interim Gregorius omitteret curam aliquam Ecclesiæ gerere, indictis aduersus pestilentiam Litaniis & supplicationibus, aliisque eiusmodi salutaribus decretis, pro loco & tempore. Sed hanc sanè legem de Imperatoris assensu expectando, etsi eum quem dixi prætextum habebat; tamen Gregorius ipse in cuiusdam Psalmi interpretatione iniustam & iniquam, atque ad eo tyrannicam appellat, & meritò, quoniam läicis Magistratibus nulla eiusmodi potestas à Christo relicta est. Tenuit tamen per annos centum & quinquaginta, id est, vsque ad annum Domini DCLXXXIV. quo tempore Constantinus Quartus optimus Imperator, & Ecclesiæ defensor acerrimus, antiquam restituit libertatem Benedicto Secundo Pontifice, edicto misso, vt qui Romæ concordibus animis Pontifex eligeretur, statim sine Imperatoris auctoritate consecrari posset, priore illo Iustiniani decreto abrogato, quod hactenus fuerat semper seruatum, nec sine summa necessitate prætermissum. Quæ quidem huius Principis sanctio percommodè, perque opportunè accidit, ob eorum Imperatorum

Li. 4. ep. 2.

Psal. 4. pœnit.

torum impietatem, qui postea sequuti sunt, vt Leonis, Copronymi, & aliorum qui Ecclesiæ Catholicæ apertum bellum indixere. Postea verò cùm Romana sedes Longobardorum armis premeretur, eaque à Gallis Regibus, quorum opem implorarat, strenuè esset defensa, primùm à Pipino, deinde etiam à Carolo Magno, ac præterea multis agris & vrbibus & Prouinciis etiam integris ab iisdem esset aucta, anno demum DCCLXXIII. Hadrianus primus cum Concilio centum & quinquaginta trium Episcoporum, præter cætera, hoc etiam iam Carolo detulisse dicitur, vt Pontificis eligendi ius haberet, primùm vt eo honore gratiam tantis eius meritis, tum propriis, tum etiam paternis, atque àuitis rependeret. Deinde ad comprimendas populares contentiones, quæ in Pontificiis comitiis crebrò nascebantur; cùm nemo Romæ esset tanta potentia, vt eas posset coërcere. Carolus tamen potestatem huiusmodi nunquam exercuisse legitur; siue quod in re quam ad secularem Principem minimè pertinere nouerat, solita sibi moderatione animi vtendum arbitraretur. Quare prior consuetudo in creandis Pontificibus perseuerauit. Itaque anno DCCCLXVII. cùm creatus esset Hadrianus secundus, statimque consecratus, ac de eo Ludouici secundi Imperatoris Legati, qui fortè aderant expostulassent, responsum est eis, hoc ideo factum, ne ius aliquod Imperatori in Pontifice creando quæreretur; quod Ludouicus ipse non solùm probauit, sed etiam priuilegio antea concesso legitime renunciauit, quæ renunciatio in sacros Canones relata est. Nec ita multò pòst, senescentibus in Italia Gallicis viribus, hoc ipsum expressius ab Hadriano Tertio anno DCCCLXXXIV. constitutum est, cuius hoc decretum extat, vt Pontifex sine Regis præsentia, vel Legatorum eius, consecrari possit.

C. Hadria. d. 63.

C. Ego Ludouic. d. 63.

Deinde verò anno DCCCCLXIII. cùm Ioannes XII. Pontificiam sedem, quam Alberici patris potentia, & vi occuparat, vita pessima, improbisque moribus fœdare diceretur, Otho primus ex Germania aduocatus, Concilio coacto curauit, vt eo deposito, alter eligeretur. Electus Leo octauus inter cætera, quæ ad Ecclesiam reformandam constituit, id etiam fuit, quo modo obsisteret Romanis, qui aut minis aut mercede populum, clerumque corrumpebant, vt seipsos vel amicos, vel propinquos, ad Pontificatum proueherent, ex quo seditiones & schismata ac tetra scandala oriebantur. Visum est autem non posse huic eorum insolentiæ acrius frænum iniici, quàm si suffragij ius quo Populus Romanus in electione Pontificis vtebatur, in Imperatorem transferretur. Neque enim ea quæ tum vigebant tempora, iam amplius ferre posse videbantur Hadriani Tertij decretum, quo magna cum Ecclesiæ vtilitate ac dignitate Pontificia comitia in pristinam fuerant libertatem redacta. Quam ob causam idem Leo ius eligendi suum successorem ac ordinandi (sic enim ait) summæ Sedis Apostolicæ Pontificem Ottoni Imperatori, eiusque in Regno Italiæ successoribus tribuit. Atque hæc quoque facultas sacris Canonibus inserta est. Sed tamen non multò pòst, hoc est anno DCCCCLXXII. rursus Pontifices creari cœpti sunt, nulla Imperatoris ratione habita, eadem Romanorum vi, & seditione, quod cùm multorum malorum seges esset, anno MXLVII. Henrico II. Imperatore, ob eius item præstantem pietatem & merita, concessum est idem quod Othoni, vt deinceps sine ipsius authoritate non crearetur Pontifex. Ex quo priuilegio is anno proximo, Clemente secundo mortuo, Popponem Brixiensem

C. In Synodo d. 63.

Pontificem abs se factum, Romam misit, qui Damasus secundus dictus est. Cuius quidem celerrima mors hanc opinionem in hominum animis ingenerauit, non placuisse Deo Pontificem electum ab Imperatore. Quare cùm hoc mortuo nihilominus ille Brunonem Tullensem Episcopum, qui Leo Nonus appellatus est, Pontificem fecisset, hic quidem & Damasi exemplo, & Hildebrandi Monachi oratione deterritus, ne sacrosanctam dignitatem prophani hominis arbitrio delatam iniret, in ipso itinere purpuram & Pontificia ornamenta statim abiecit, ac peregrini habitu Romam ingressus, Cleri, populique consensu, ad Petri sedem euectus est. Quare cùm Imperatores, nimium iam sibi sumpsissent, Nicolaus II. anno MLIX. omnem hanc eligendi rationem moderandam ratus, ita decreuit, vt electio præcipuè à Cardinalibus peragere- tur. Deinde reliquus Clerus ac populus ad eam comprobandam accederet, Saluo tamen, inquit, honore & reuerentia Henrici. Quare hoc primùm tempore, totum eligendi ius Cardinalibus concessum est, sic tamen vt adhuc ratio aliqua haberetur, tum reliqui populi, tum Imperatoris. Et tamen biennio post, Nicolao mortuo, legimus Alexandrum II. nulla Henrici, qui tum erat Tertij auctoritate tum electum, tum etiam consecratũ, quæ fuit causa, vt indignatus Henricus, habito Basileæ conuentu, Cadolum Parmensem Episcopum Pontificem renuntiaret, ex quo turpe schisma exortum est. Et cùm paulò post Legatum Romam misisset, vt de hoc Pōtificem accusaret, ita eis satisfactum est, quoniam propter imminentem dissensionem non potuisset diutius expectare. Quare de Gregorio septimo, magno planè viro, qui huic Alexandro successit, ita accepimus non prius consecrationem admisisse, quàm missis ad Henricum Legatis, illius quoque voluntatem exploratam habuerit. Cæterùm in huius Pontificis electione, cuius adhuc decretum extat, satis apparet quæ tunc esset formula in eligendo. Sic enim habet: *Nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, & Monachis, consentientibus pluribus turbis vtriusque Ordinis, eligimus nobis in summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum*, & reliqua quę multa in eius laudem sequuntur. Ex quo apparet, adhuc præter Cardinales hoc tempore alios etiam ad electionem admissos. Quod etiam apertius cognosci potest ex eo quod scriptum est, tum ab aliis, tum à Sigonio, cùm Victor III. in Cassinati cœnobio diem obiisset, anno MLXXXVIII. Episcopos qui conuenerant admonuisse Romanos Clericos, laicosque; itemque Appulos & Campanos Antistites, vt certo tempore Terracinæ adessent, ad nouum Pontificem creandum, qui verò adesse non possent, litteris aut nunciis iudicium suum exponerent. Itaque aduenisse eo Cardinales & Episcopos, & Abbates ex variis regionibus, at verò ex Romana vrbe Ioannem Portuensem Episcopum omnium clericorum. Benedictum verò vrbis Præfectum omnium laicorum sententiam per litteras attulisse: quibus quidem comitiis Vrbanus secundus Pontifex est renunciatus. Quare hæc adhuc erat eligendi Pontificis ratio, fuitque vsque ad Alexandrum Tertium, qui Pontificatum iniit, anno MCLIX. gessitque vno & viginti annis tempore fœdi schismatis. Quare vt primùm ex magno calamitatum concursu, quibus Ecclesia laborabat, respirare potuit, his ipsis incommodis admonitus, Concilium Lateranense aduocauit, in quo trecenti Episcopi, aliique complures Prælati, affuerunt. In eo igitur Concilio decretum condidit, quo totum eligendi ius in Cardinales translatum est, Clero

d.79.c.1. & c. si quis pecunia.

Lib.9. de Reg. Ital.

Cap. licet extra de elect.

Clero reliquo & populo, atque etiam Imperatore excluso: Neque hoc solùm, vt Cardinales soli, sed etiam vt duæ tertiæ partes Cardinalium requirerentur. Ex qua formula primus omnium Lucius Tertius creatus, cuius electionis diploma vidisse se testatur Onuphrius. Idemque deinde confirmatum est à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi anno MCCLXXXIV. itemque à Clemente V. magis corroboratum. Quæ quidem formula adhuc in vsu est, semperque his totis quingentis annis durauit, quod satis magnum potest esse argumentũ, hunc esse optimum, & commodissimum modum, quando nunquam amplius variatum videmus, ex quo semel est receptus, cùm priores omnes modi instabiles fuerint, nec diu in vllo perseueratum. Quod etiam alio argumento confirmari potest; Nam cùm ante Alexandrum Tertium sex & viginti schismata inueniantur, his deinde iam quinque seculis vix tria extitere, atque ex his tribus vnũ tantum Vrbani Sexti Cardinaliũ culpa. Nam alia duo, alterũ quod tempore Ioannis XXII. extitit, ab Imperatore Ludouico excitatum est, alterum quod tempore Eugenij Quarti à Concilio Basiliensi. Quare non ratio solùm, sed ipsa quoque experientia satis demonstrauit, nullam meliorem commodioremve formam excogitari potuisse. Hæc igitur de eligendi potestate.

C. Vbi pe- ric. de elect. in 6. Clem. Ne Rom. de elect.

Restat tertium munus, quod consistit in consiliis Pontifici dandis, cuius etiam muneris explicanda est origo. Nam antea quidẽ per annos circiter octingentos, hoc faciebant Pontifices, vt ad grauiora negotia consultanda cogerent Concilia, quæ vocabant nationalia, id est Italicorum Episcoporum, quibus tamen Conciliis etiam Presbyteri Cardinales intererant, vt apparet in Synodo Gregorij, quæ est inter eius Epistolas. In ea enim post Episcoporum nomina vrbanorum etiam Presbyterorum nomina leguntur. Sed cùm auctis Ecclesiæ opibus, & insuper accessione temporalis principatus, cœpisset Pontifex in singulos dies egere Consiliariis, & adiutoribus; nec possent tam sæpè euocari Episcopi, Concilia illa paulatim omissa sunt, resque tota redacta ad Senatum Cardinalium. Atque hoc sanè multo commodius. Primùm enim hi magis in promptu & ad manum, deinde etiam vt necesse est, cùm in his negotiis assiduè versentur, magis eorum statum norunt, quod ad Consilium dandum magnoperè confert, postrema illa Episcoporum euocatio non fieri poterat sine magno, & crebro suarum Diœcesum detrimento. Hæc igitur sunt partes Cardinalium, hoc officium, vt quoniam vnius hominis mens & consiliũ, nullo modo tantæ moli sustinendæ par esse potest, addantur aliqui, qui in tanto tamque laborioso & difficili opere Pontificem adiuuent & subleuent. Itaque non potest melius describi hoc eorum officium, quàm descriptum est in sacro quodam Canone, vbi appellantur principales assessores, Consiliarij & in exequutione principales officij cooperatores. Quod etiam voluit S. Bernardus, cùm eos vocat Pontificis *collaterales & coadiutores*. Quod si ita est, facilè apparet, illud sequi, vt quàm latè patet summi Pontificis cura, tam etiam latè patere oporteat Cardinalium pro sua parte studium ac vigilantiam. Hactenus Platus. Meritò autem horum munerum prærogatiuam ad Cardinales reuocatam, summam illis conciliasse dignitatem, solidissimis rationibus euincit Bellarminus, quas tamen impugnandas suscepit. Audiamus primum illustrissimum Cardinalem, demum dabitur pseudo-Episcopo disputandi locus. Sic igitur Bellarminus. *Sed huius mutationis, duplex ratio assignari potest; vna quod ad solos Cardinales deuoluta sit electio summi Pontificis; nam quo tempore Pontifices eligebant Imperatores, vel clerus, vel populus,*

Li. 4. c. 88.

C. Fund. de Elect. in 6.

4. de Consider.

SPALAT. Num. 37.

non est mirum, si non tanti fierent Cardinales. At posteaquam cœperunt soli ipsi eligere & etiā soli ipsi vt plurimū eligi; non sine causa cœpit dignitas Cardinalitia pluris fieri quàm antea. Altera causa est, quod soli Cardinales cœperint adesse summo Pontifici in consilijs; nam antea Cardinales neque soli, neque Primarij Consiliarij Pontificis erant: si quidem primis sexcentis vel octingentis annis, summi Pontifices ad grauiora negotia Ecclesiæ dijudicāda, cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ: quibus Concilijs intererant quidem Cardinales Presbyteri; sed tum primus locus Episcoporum erat. Quoniam non erat ratio cur eo tempore Cardinales Presbyteri Episcopis anteponerentur, cùm eo tempore non minus, imo magis Pontificem iuuarent in Ecclesia vniuersali regenda Episcopi quàm Cardinales. At postea creuerunt negotia Ecclesiæ Romanæ, præsertim cùm accessisset Principatus temporalis tempore Pipini & Caroli Magni, proinde egebat summus Pontifex Consiliariorum ope multo sæpius, quàm antea. Neque poterat tam sæpè conuocare Concilia Episcoporum, quàm necesse erat. Itaque vsu docente & necessitate cogente his postremis annis sexcentis, vel septingentis cæperunt paulatim omitti Concilia Episcopalia; & res tota redigi ad Senatum Cardinalium. Potuisse autem hoc fieri, & rectè factum esse, in dubium reuocari non potest. Nam non tenetur Pontifex hos potius quàm illos in consilium adhibere. Deinde hac ratione multa commoda consecuta sunt. Primùm quod habeat nunc summus Pontifex senatum in promptu; ita vt possit etiam singulis diebus, si velit, de rebus grauissimis deliberare. Alterum quod hoc faciat sine detrimento Ecclesiarum particularium; nec enim possent Concilia Episcoporum sæpè cogi sine detrimento Ecclesiarum, quibus absentia pastorum perniciosa est. Tertium quod habeat Consiliarios magis instructos & exercitatos, cùm hæc sola & assiduè tractent: Facta autem legitimè hac mutatione consilij Pontificij, ab Episcopis, & Cardinalibus, ad solos Cardinales, mirum esse non debet, si etiam facta est mutatio dignitatum. Prodeat igitur Spalatensis, & straminea sua argumenta ipse explicet: *His tamen,* inquit, *omnibus nihil efficit Bellarminus, nihil obtinet; sed potius suo se iugulat gladio. Inde, inquit, excreuit Cardinalitia dignitas, quod iam pauciores sint Papæ electores. Si iste electoratus dat dignitatem, profectò eandem dabit, siue sint pauci, siue plures; neque crescit dignitas in se, vbi ad pauciores redigitur; neque in se minuitur, si in pluribus reperiatur; nisi in sola hominum opinione & æstimatione. Idem itaque asserendum nunc est de dignitate Cardinalitia, quod asserebat Hieronymus de Diaconis Romanis, tunc pluris factis quàm fierent Presbyteri; Quia, inquit, omne quod rarum est plus appetitur: pulegium apud Indos pipere preciosius est, Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Ita sanè, fatente Bellarmino illustrissimo Cardinali, & suum Cardinalatum, quem postea habuit, præclarè defendente; ex sola paucitate, non ex se, aut ex proprio gradu, nunc Cardinalatus Episcopatui præfertur; cùm tamen reuera in se & ex se Episcopatus longè Cardinalatui præferatur. Sicut re vera tempore Hieronymi Presbyteratus Romanus, ex se, & de se, longè dignior esset Diaconatu; quare & tandem suam supra Diaconos obtinuit dignitatem. Ego sanè pluris merito facio piper, quàm pulegium, tametsi in India ob paucitatem pluris fiat pulegium. Sed de electoribus Papæ agam inferius suo capite peculiari; ostendamque contra ius & contra fas, toti reliquo Clero Romano ereptam esse suam propriam, quam radicatissimam habet facultatem sui Episcopi eligendi, & ad paucos æquiuocè sic dictos Cardinales redactam.*

SPALAT. Num. 38.

SPALAT. Num. 39. *Sunt,* inquit, *Papæ Consiliarij Domini Cardinales. Certè de iure, vt monui, ipsius Consiliarij sunt Canonici, potissimùm Lateranenses; Quorum iudicio (vt loquitur Benno*

Benno Cardinalis) ex priuilegio sanctæ Sedis, totus subiacet mundus, & omnes titulati Presbyteri, qui sint veri Ministri Ecclesiastici in Romana vrbe; & non hi fictitij Cardinales. Sed sint quantumuis Consiliarij, non video cur ad tantam dignitatem, etiam supra Episcopos sint euehendi. Consiliarius enim cuius consilio solo, & non suffragio, fiat deliberatio, nunquam tantam assequitur dignitatem, vt inde duntaxat præferri posit ijs, qui aliqua dignitate cum potestate propria ordinaria emineant; præsertim verò quod Episcopus Romanus, vt Episcopus extra propriam Ecclesiam, nihil habeat potestatis, aut iurisdictionis; quare & ipsius Cardinales Consiliarij ordinarij non sunt, nisi in solo regimine particularis Ecclesiæ. Aut si loquamur de iure ipsius Metropolitico, vel Patriarchali Cardinales, prout ipsius Consiliarij, vel pro sola Romana Prouincia, vel etiam ad summum pro toto, sed solo Romano Patriarchatu; & non nisi in ijs quæ Metropoliticum, vel Patriarchale ius spectant: Ad vniuersale verò regimen, neque Romanus Episcopus potest extendi, neque consequenter eius Consiliarij proprij, nimirum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales suis pertingunt consiliis. Episcopi verò omnes, & singuli sunt totius Ecclesiæ ordinarij Consiliarij (quorum vnus & ipse Papa est) ad regimen vniuersale totius Ecclesiæ vniuersalis in Conciliis generalibus, cum suffragio decisiuo etiam, vt ostendam libro septimo, non modo consultiuo. Quo nomine necesse est eos Cardinalibus Romanis, qui tali carent suffragio, longè antecellere. Et in veris officiis Cardinalium, suprà num. 22. & 24. non fuit agnitum hoc officium, vt sint Consiliarij in regimine Ecclesiæ vniuersalis, quod regimen in Papa, vt diximus, nullum est. Sed sunt ista futilitatis plenissima: primùm enim liquidò constat officia, ac munera quæ in communitate residerent, ad certos aliquos ministros reuocata, eximiam aliquam illis solere conciliare dignitatem, non ob paucitatem modò, quam vnam vrget Spalatensis; sed ob gradus, ad quem præeunte virtute, ac bonis artibus euecti sint, eminentiā ac præstantiam; Neque enim exiguus is est honos, delectu, potissimùm eius penes quem sit rerū summa potestas reliquis antehaberi, quare cùm aliis ministris repudiatis vnos Cardinales in Concilium adhibendos censuerit summus Pontifex, ac solos suos Electores, ac Ecclesiæ vniuersæ Rectores esse iusserit, quod vtique, vt rectè aduertit Bellarminus, facere potuit, haud mirū est ad hoc honoris fastigiū assurrexisse eos, à quo eos non deiecerit pseudo-Antistes, cuius nulla sit his in rebus authoritas. Iniquius igitur eos cum Diaconis Romanis, quos suggillauit Hieronymus, componit; nam præter vnam paucitatem, quæ apud vulgus aliquam illis conciliaret gratiam, nullo loco, nullo ordine erant in Ecclesia, cuius intuitu Presbyteris anteferri deberent: propterea illud de *pulegio, & pipere* in eos contorquet Hieronymus. At Cardinales, præterquam quod numero pauci sunt, si cum reliqua turba Ministrorum conferantur, dignitatis adeoque authoritatis in administranda vniuersa Ecclesia fulgore clarescunt. Neque erat quod de gradu eos deiiceret Spalatensis, vt Lateranenses suos, quos vana oratione palpat, in eorum locum sufficeret; neque enim vt monui, tam facilè Cardinales creantur, & planè Pontificis est assessores & Consiliarios, quos velit sibi deligere. Demum in eo hallucinatur Spalatensis, quod Cardinales Pontificis assessores ius suffragij habere negat, melius Bernardus non solùm Consiliarios eos, sed Iudices orbis facit. Ac postremò, vt Illustrissimum ordinem affligat, perperam cauillatur extra priuatam Ecclesiam Romanam, vel saltem extra Metropolim, aut Patriarchatum haudquaquam sese fundere Pontificis potestatem, quam tamen totum terrarum orbem complexam suprà ostendimus ac euicimus, profli-

Apud Baro. to. 11. an. 1078. nū. 11.

gatis ac depulsis vanissimis argumentis, quibus orthodoxam sententiã conuelle-re nisus fit aduersarius. Verissimè est à Philosopho dictum, *dato vno absurdo, sequi plurima.* Sic enim quod Pontificem spectabilis Ecclesiæ capitis loco non habeat, in varios errores incurrit, qui ex impuro illo fonte profluant. Sed audiamus reliqua: *Est verò,* inquit, *illud maximè deplorandum, quod trophæi loco commemorat Bellarminus, suppressa iam esse consilia opera Romanorum Pontificum; & in eorum locum Cardinalium solum inductum esse Romæ Consistorium. In rebus sanè ad solam Ecclesiam Romanam, vel Diœcesim pertinentibus, imo etiam publicis aliarum Ecclesiarum, sed minoris momenti, vbi requireretur ipsius consilium vel assensus, consueuit olim Romanus Pontifex suũ Clerum congregare, & simul cum illo deliberare; & hoc erat ipsum verum antiquũ Consistoriũ, cuius mutatio mala est, & maximè reprebendenda, quia insignem continet iniuriam veri Cleri Romani Cardinalis: In grauioribus autem negotijs fuit semper mos, vt Synodos maiores, vel minores cogeret ipse Papa suorum Episcoporum; & simul cum ipsis ad suffragia ipsorum decisiua rem definiret, & iudicia exerceret; in quibus, vt vidimus suprà, & libro octauo declarabo, etiam Cardinales ipsos Romanos, Episcopi iudicabant. In quibus Synodis, vt fatetur Bellarminus, & nos suprà ostendimus, intererant quidem Presbyteri Romani Cardinales, sed tamen primus locus Episcoporum erat, & vbi suffragijs negotium esset decidendum, soli Episcopi suffragium ferebant, vt ostendam libro septimo. Et propterea Innocentius secundus in damnatione quadam hæreticorum; Communicato,* inquit, *fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, damnauimus, &c. In talibus igitur negotijs Episcoporum tantùm Cardinalium consilio vtendum fuit, & non totius Consistorij. Et quæ ratio est, vt quando multi erant Consiliarij, & non soli Cardinales, sed etiam Episcopi; tunc Cardinalitia dignitas esset inferioris ordinis; postea quando soli Cardinales facti sunt Consiliarij, illa creuerit, & Episcopos deiecerit? An paucitas? Sed paucitas, vt iam diximus, rem in se digniorem non facit. Synodorum tamen & Episcopalium Conuentuũ vsus Romæ abolitus est, & Cardinaliũ non Episcoporum Consistorium à Papis est substitutum, vt iam soli omnia negotia, tanquam absoluti Monarchæ peragerent; & ad speciem tantùm, externamque solam Synodi formam, Consiliarijs absque vllo decisiuo suffragio vterentur; & interim ipsi Pontifices quod ipsis lubet, facerent: nam si Episcopos Synodaliter adhiberẽt, non quod voluntas, aut libido Papæ conatur, sed quod plura suffragia Episcoporum statuerent, id esset peragendum. Iam verò solus Papa cum Cardinalibus ipsius assentatoribus, non Consiliarijs; si Deo placet, Catholica vocatur Ecclesia. O misera tempora!* Sed ô miserum hominem, infœlicemque declamatorem, qui non aduerterit leuissimis istis obiectionibus à Bellarmino occursum, & satisfactum. Repetamus ex superioribus: *Hac ratione,* inquit Bellarminus, *multa commoda consecuta sunt. Primùm quod habeat nunc summus Pontifex Senatum in promptu; ita vt posit etiam singulis diebus, si velit, de rebus grauißimis deliberare. Alterum quod hoc faciat sine detrimento Ecclesiarum particularium; nec enim possent Concilia Episcoporum sæpè cogi sine detrimento Ecclesiarum, quibus absentia pastorum perniciosa est. Tertium, quod habeat Consiliarios magis instructos & exercitatos, cùm hæc sola & aßiduè tractent; facta autem legitimè hac mutatione consilij Pontificij, ab Episcopis & Cardinalibus ad solos Cardinales, mirum esse non debet, si etiam facta est mutatio dignitatum.* Non igitur Trophæi loco ducit Bellarminus, suppressa Episcoporum Concilia, quod Spalatensis blaterat; sed ad Cardinalium collegium, quod etiam Episcopis constat, ea magno Ecclesiæ bono reuocata, optimis rationibus contendit.

Spalat. Num. 40.

Inter Epist. Ber. ep. 194.

Bellarm. de Cleric. l. 1. c. 16.

tendit. Sed vellicat eas Spal. *Quid verò, inquit, tibi videtur, Lector de illa Bellarmini causa, cur Cardinales sint maiores Episcopis; quia nimirũ creuerunt negocia Ecclesiæ Romanæ, præsertim cùm accessisset Principatus temporalis? Verè enim Cardinalitia dignitas, ex dominio temporali Papæ plurimùm aucta est; & principatus temporalis Papæ allicit etiam Regum & Principum magnorũ filios, vt fiant Cardinales, hoc est vnius magni Principis temporalis fermè socij, & eiusdem Principatus candidati. Cur ergo inter Ecclesiasticos viros, in ordine Ecclesiastico, illos reponimus? Cur Episcopis Ecclesiastica vera potestate, & primatu spirituali verò præcellẽtibus, propter Laïcum & temporalem primatum, Cardinales præferimus? Non est profectò, cur hinc Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cardinales annumeremus. Si Papa, vt vult Bellarminus, Synodos debuit vitare, ob incommoda Episcoporum, & difficultates eos congregandi, & solos nihilominus voluit habere Consiliarios ad eorum consilia accipienda; habebat Canonicos Lateranenses; habet præcipuos Romanarum Ecclesiarum titulatos, eos adhibeat in Consistorium. Lateranensis Ecclesiæ Clerici sunt perpetui, antiquissimi ac genuini ipsius Consiliarij, ex ipsis conficiat suum Senatum, qui verè sunt Senatus Ecclesiæ Romanæ, & licet Clerus Romanus sit copiosus, quis vetat præcipuos tantum interdum assumere, & maiores sui Cleri dignitates aduocare; puta Archipresbyteros, Diaconos, & ipsa Collegiatarum Ecclesiarum capita, Archidiaconum Primicerium, & similes Ecclesiæ Romanæ dignitates, primosque singularum Ecclesiarum Cardinalium titulatos; veros tamen, & reuera sua officia exercentes? Sic enim non excederet numerum Cardinalium, & ex proprio Clero haberet in promptu quos consulat, & quibuscum deliberet, quique vsu continuato & idonei optimè fierent, & instructissimi. Nunc verò, bone Deus, quota pars Cardinalium Ecclesiastico proprio muneri apta est? De nostris temporibus ego taceo: de suis temporibus loquatur Platina. Nunc verò, inquit, adeò refrixit pietas & religio; non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur, non flent inter eundem, vel dum sacrificatur, vt illi sancti Patres; sed rident, & quidem impudenter: De iis etiam loquor, quos purpura insigniores facit; non hymnos canunt, id enim seruile videtur; sed iocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? quo quis dicacior est, & petulantior; eo maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros & graues viros reformidat hic noster Clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt viuere, quàm bene monenti, aut cogenti obtemperare; & ob eam rem Christiana religio quotidie in peius labitur. Et rursus idem; Nostris, inquit, temporibus in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos & iumenta; præcedente dum incedunt, magno adolescentum & altero Presbyterorum agmine subsequente; non in asinis, vt Christus nostri dogmatis author, & bene viuendi vnicum in terris exemplar; sed in equis praferocibus & phaleratis, ac si ex hoste deuicto triumphum ducerent. De argenteis vasis, & egregia eorum suppellectile, deque cibariis, non attinet dicere; cùm & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius precij dici possint. Quid verò ex hac intemperantia nascatur, prætermittam; ne os, (vt ipsi aiunt) in cœlum ponam. Non opus est me dicere de coccinatis nostris, qui, & quidem pauci, Ecclesiasticos redditus tantos in suas delicias insumunt soli, quantis mille credo, Episcopi, in Ecclesia Christi egregiè laborantes commodè alerentur. Quæ sanè immensa pecunia in Cardinalium inutilium luxus, ex Christi patrimonio inutiliter impensa, tota alioquin posset in pauperes, vel in tyrannorum infidelium Christiani nominisque pressorum debellationem, fideique nostræ*

SPALAT. Num. 41.

Platina in Steph. 3.

Idem in Greg. 4.

propagationem cum fructu incredibili, & scandalorum maximorum amotione impedi; & nihilominus interim Senatus verus Cleri Romani, iã in suis firmis redditibus prouisi retineri. Quod verò ait Bellarminus *Episcopos iudicari à Cardinalibus; verùm non est, nisi per abusum, vt ostendetur l.8. quod ait similiter Episcopos à Cardinalibus fieri, falsum est: vt l.3. iam est declaratũ: nisi per summã Romanæ Curiæ vsurpationem.* Diceres nec Episcopos, nec Presbyteros, nec Diaconos esse Cardinales, sed meros Laïcos, qui in Ecclesiasticorum Ministrorum iura inuolarint, quod quàm sit à veritate alienum, nec ipsum Spalatensem fugit: Namque ex omnibus illis ordinibus assumuntur, vt est suprà à nobis declaratum. Quod si viris Ecclesiasticis res temporales curare non licere existimat, planè fallitur, & homo Græcis addictissimus meminisse debuit, perquam familiare semper extitisse, vt Episcopi ciuilia munera, & officia pertractarent, adeoque rempublicam ipsam administrarent, testis nobis Balsamon: *Iam verò,* ait, *ciuitatis Episcopum oportet, inquit, Canon Monasteriorũ curam gerere. Nota ergo quod Monachi illic perseuerare & permanere debent, vbi nuntium seculo remiserunt, seu tonsi fuerunt: & quòd ex permissione Episcopi possunt Monachi, non solùm Ecclesiastica negotia administrare, sed ea etiam quæ ad vitam pertinent, hoc est, ciuilia. Si autem hoc potest facere Episcopalis permissio, id multò magis faciet potestas Imperialis, quæ etiam Episcopos promouet. Propterea enim, vt est consentaneum, ille etiam Metropolitanus Sides, absque vllo impedimento Imperij negotia administrabat, in persona Imperatoris Domini Michaël Duca. Quin & ille Neocæsareæ Metropolitanus, maritima ciuitatis iura conscripsit: & alij etiam Antistites, & Monachi Imp. & publica ministeria similiter exercuerunt.* Quantò magis igitur licuit Pontifici patrimonium Petri, vt vocant, & additas potissimùm beneficio Regum nostrorum Ecclesiæ terras, prædia & vrbes Cardinalibus committere, ac cum dignitate procurandas tradere. Cæterùm Bellarminus temporalem illum Principatum causam non facit præcisam attributæ Cardinalibus dignitatis: sed occasionem duntaxat fuisse innuit, qua permoti Pontifices, aliarum causarum, quæ præcipuæ essent, rationem habuerint. Addo etiam aliam longè maiorem fuisse occasionem Pontifici deligendi, ac instituendi huius illustrissimi Consistorij ac Senatus, namque cùm Photij Cathedræ Constantinopolitanæ vsurpatoris nefandissimi improbis artibus, dirum ac fatale, vt ita dicam, schisma inter Orientem & Occidentem inualuisset, ac Ecclesiam Græcam à Latina, iniusta ei hæreseos labe omninò abalienasset, nec spes vlla amplius foret in Concilium cogendorum totius orbis Episcoporum, cogitarunt Pontifices de colligendis huius naufragij reliquiis, ac vt orbi minimè deessent, ex singulis Regnis & Prouinciis summos viros sibi deligendos duxerunt, quos in suum senatum adlegerent, quorumque opera, & consilio in tractandis, ac absoluendis omnium Regnorum negotiis opera vterentur. Cœpit igitur circa illa tempora Photij illustrissimus ordo, maiore in pretio haberi, quod ad eum regiminis Ecclesiastici sub Pontifice summa penè potestas esset reuocata. Propterea nugatur Spalatensis, qui dignitatis Cardinalitiæ fulgorem vni potestati temporali, cuius occasione nata sit, ascribit. Quod verò conqueritur magna iniuria Episcoporum accessione illius dignitatis his antepositos esse, quibus anteà posthaberentur, nimium friuolum est; licuisse enim Pontifici eam mutationem inducere, vident omnes, qui de iure Pontificio rectè sentiunt. Equidem si quod mentitur Spalatensis, meri Laïci essent Cardinales, haud ægrè concederemus, citra iniuriam non potuisse sanctissimis ordinibus

Balsam. in Canon. 4. Chalced.
Τὸν μὲν τοι ἐπίσκοπον τῆς πόλεως, χρὴ φησὶ, φροντίζειν τῶν μοναστηρίων. σημείωσαι οὖν ὅτι ὀφείλουσιν οἱ μοναχοὶ προσκαρτερεῖν καὶ μονάζειν ὀφείλουσιν, ἔνθα δὴ καὶ ἀπετάξαντο, ἤγουν ἀπεκάρησαν· καὶ ὅτι κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δύνανται μοναχοὶ διοικεῖν, οὐ μόνον ἐκκλησιαστικὰ πράγματα, ἀλλὰ καὶ βιωτικὰ, τουτέστι πολιτικά.

Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum anteferri, sed cùm de sinu ipso horum ordinum assumantur, vel saltem postea in eos initientur, tantùm abest hac ratione dehonestari Episcopatum, Presbyteratum, aut Diaconatum, vt etiam illis aliquam honoris accessionem fieri perspicuum sit ac manifestum, quando ex illis assumuntur, qui in apice & fastigio consistant dignitatum Ecclesiasticarum. Adde verò nec nouum, nec insolens esse, vt eximia aliqua, ac singulari dignitate, tum in Ecclesia, tum in aula ornati ac insigniti, quamquam nullo Episcopali titulo claris ipsis Episcopis ex priuilegio anteponantur. Sic Chartophylaci, seu Chartulario magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, is olim delatus honos, vt ante Episcopos in exteris Conciliis sederet; sic enim de eo Hermænopelus: *Sciendum, soli maioris * Ecclesiæ Chartulario concessum esse, tum ex longa consuetudine, tum ex scripto iussu Imperatoris Domini Michaëlis, vt in exteris Synodis etiam ante Pontifices sedeat.* Balsamon verò ad Alexij Comneni sanctionem refert, cuius verba lubet ascribere, quod in his quædam habeantur, quæ ad hoc nostrum institutum faciant. *Is,* inquit, *qui nunc est sanctißima Ecclesia Chartophylax, in congregationibus quæ fiunt extra Synodum, sedet non solùm ante Sacerdotes, sed etiam ante Pontifices, ex constitutione inclyti Imperatoris Domini Alexij Comneni, quæ sic habet: Regia mea administratio, quæ Ecclesiasticæ honestatis maximam curam gerit, & bonum quidem ordinem, cùm in omni ciuili ratione quærit, tum autem multò magis in rebus diuinis eum versari studet, quæ vnicuique gradui Ecclesiastico sunt ab initio tributa priuilegia, & eam quæ in his huc vsque obtinuit constitutionem, deinceps quoque esse immutabilem, & perseuerare vult & censet, sanctissime Domine, vtpote quæ per tot annos suscepta, & in vsu ciuili longo tempore versata, & ab alio in aliud immutabilibus huc vsque transmißionibus vindicata, ac confirmata sit. Sed quoniam imperatoria mea sublimitas didicit, quod nonnulli Pontifices contentione quadam & gloriæ studio incitati, volunt Chartophylacis priuilegium minuere, & Canones in medium adducentes, per eos contendunt illum ante Pontifices sedere non oportere, quando aliquo vsu exigente oportet eos conuenire, & considere ante accessum ad tuam sanctitatem, non ferendum regiæ meæ maiestati visum est, vt res quæ tanto tempore approbata est, & à prioribus Patriarchis, & ab alijs Pontificibus: sed & ab iis qui nunc ob rem non honestam contendunt, longißimi temporis silentio, nunc obiter aboleretur, & tanquam neglectum quippiam conuelleretur. Hanc ergo rem decernit esse valde rationi consentaneam & iustam. Si enim contrà vellent Pontifices immobilia non mouere, nec ea quæ iis qui prius fuerũt patribus placuere, sed & quæ iis ipsis longo silentio, & huc vsque patientia, probata fuere, rursus in certamen non deducere, rectè se haberet, & eis magna gratia haberetur, quod pugnãdi studio abiecto, pacem & quietem prætulissent: si autem etiam adhuc nonnulli, verba Canonis vsurpantes (à sententia enim longè absunt) volũtatem suam confirmare conãtur, & non rectè ordinẽ ad id quod est inordinatũ, transferunt, permittit quidem imperatoria mea serenitas Canonis interpretari, & declarare contextũ, qui facilè cõprehendi potest, & pulchrè discerni iis qui exactè penetrant, & Canonicum sensum attingunt. Hoc autem vtique ipsum Pontificibus probro est, quòd cùm Canonem scirent, & eius verba perfectè intelligerent, suam ipsorum conscientiam præter rationem conculcarunt, & dum disturbaretur Canon, tolerauerunt, atque inferiorem sessionem sub memoria superioris Chartularij amplexi fuerunt. Ideoque pro sacrorum Canonum contemptu mercedem hanc eis maiestas mea tribuit, vt suas ad Ecclesias abigantur, Ecclesiastici Canonis etiam hac in parte vestigiis insistens, & aduersus Canonum con-*

* *Constantinopoli scilicet, hoc est sanctæ Dei sapientiæ.*

De Diac. tit. 4. in Schol. ad c. 7. habitæ in Trullo.

Ἰστέον, ὅτι μόνῳ τῷ χαρτοφύλακι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας δέδοται, καὶ ἐξ ἔθους μακροῦ, καὶ ἐξ ἐπιτάγματος ἐγγράφου τοῦ βασιλέως κυρίου Μιχαὴλ, καὶ τῶν ἀρχιερέων ἐν ταῖς ἔξω προκαθῆσθαι συνόδοις.

Balsam. in Canon. 18. Conc. Nic.

Ὁ κατὰ καιρὸν χαρτοφύλαξ τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας, συγκάθηται ἐν ταῖς ἔξω τῆς συνόδου συνάξεσιν, οὐ μόνον τῶν ἱερέων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρχιερέων, ἀπὸ προστάξεως τοῦ ἀοιδίμου βασιλέως κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ &c.

temptores ipsos Canones sacros in subsidium producens. Nec enim Pontifices ij, qui Occidentalibus Ecclesiis præsunt, & à multo iam tempore fidei suæ creditorum ouilium curam nullam gessere, nec, vti conueniebat, iis præfuerunt, dicere poterunt, rabiem hostilem, quæ per Orientem grassata fuit, ad ipsos pertigisse, atque hoc modo sibi ouium ratione præditarum inspectionem ademptam esse. Et hoc quidem in hunc modum à maiestate mea dispositum euentus eis iudicium relinquit. Quia verò & illud ad aures eius relatum est, quosdam scilicet Ecclesiæ proceres eximios præteriri, cùm electiones fiunt, eisque præferri nonnullos tam ætate quàm conditione vitæ melioris inferiores, quique non magnos pro Ecclesia labores sustinuerunt, ne illa quidem res sacra Pontificum Synodo nobis digna visa est. Quapropter omnibus religiosè pariter, & imperiali cum authoritate mandat, ne ludant in minimè ludicris, nec affectui diuinis in rebus indulgeant. Nam vbi anima versatur in periculo, cuius quæso rei potior habenda cura est? Illos autem præferant aliis, & honore suffragiorum dignentur, quos inculpata vita præter doctrinam ornat: aut in quibus si doctrina fortè vacillet, longi temporis vsus, & multi pro Ecclesia labores exantlati, quod deest supplent. Sic enim suffragijs suis rectè statuent, & à Deo suæ ad animæ condemnationem suffragia tulisse non arguentur. Concilio etiam Trullano, cuius authoritate maximè nituntur Græci, Diacono à suo Patriarcha, vel Metropolitano misso, id demum honoris conceditur, vt perinde ac qui ipsum misit reputetur, eiusque obtineat locum: sed & à viris doctis est animaduersum in Gallia nostra Archicapellanum, hoc est sacelli Regij Præfectum, magnum Franciæ Eleemosynarium iam dicunt, cùm ipse etiam Episcopus non esset, olim ante Episcopos sedisse, scilicet propter officium & dignitatem. Quorsum igitur non potuerit summus Pontifex assessores suos & Consiliarios, orbis Iudices, ad dignitatum Ecclesiasticarum fastigium euehere? An cùm ex Diaconis Archidiaconi creati sunt, ex Presbyteris Archipresbyteri, ex Episcopis Archiepiscopi, est propterea Ecclesiastica disciplina deformata? An non potius his ordinibus veluti diuersæ magnitudinis stellis distinguitur, ac ex iis efflorescit? Pertinent scilicet ista ad Ecclesiæ decorem & disciplinam, quæ Pontificum authoritate sancitur, quibus propterea cùm non placuerit, Lateranenses in augustius illud suum Consilium aduocare & allegere, frustra est in iis palpandis Spalatensis. Quod attinet ad Platinæ querelas, qui hominis historiam norunt, iis est exploratum, quàm offenso & exulcerato fuerit in Pontificem & Cardinales animo, vt propterea eius questus & lamenta non magni facienda sint, non quod existimemus nullos esse qui amplissima dignitate abutantur, sed quod hominum non dignitatis illud vitium sit, ac certè quàm plurimos prior & nostra protulit ætas sanctissimis moribus, singulari modestia, charitate eximia, ac præterea incomparabili doctrina, quales nuper fuere Borromæi, Baronij, Bellarmini, Perronij, vt de viuis ac superstitibus taceam, quorum nunquam Ecclesiam pudebit. Miror verò Spalatensem, cui exploratum sit quàm magnis, piis & doctis viris abundet sacrum Consistorium, tam multa in eius contemptum & iniuriam effudisse.

Spalat. Num. 41. Iam Ecclesiam vniuersam sibi præeuntem, ac Cardinales lacerantem inducit. Vidit Ecclesia, inquit, vidit Cardinalitij fastus abusum intolerabilem, vidit Consistorium imperitis interdum, & Ecclesiæ inutilibus, vtinam non vt plurimùm, repleri Cardinalibus; & non sine conniuentia aliqua, vt in maxima corruptela fieri solet, Decreta huiusmodi, à Papis tamen postea reiecta; & penitus cum reliquis reformationis Ecclesiæ Decretis, contempta promulgauit: cum summo Pontifici S.R.E. Cardinales, (Conc. Basil. sess. 23.)

dinales, in dirigenda Christiana Republ. collaterales assistant, necesse est, vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint; super quos ostia vniuersalis versentur, & sustententur Ecclesiæ. Statuit igitur sancta Synodus, vt deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit grauis Ecclesiæ (quæ nunc ob temporum malitiam, plerisque grauibus affligitur incommodis) neque superflua numerositate vilescat; qui de omnibus Christianitatis regionibus, quantum cōmodè fieri poterit assumantur; vt notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturius deliberari possit; sic tamen quod numerum 24. inter hos qui nunc sunt, & assumendos non excedant; ita quod de vna natione, vltra tertiam partem, respectu Cardinalium pro tempore existentium, ac de vna Ciuitate, & Diœcesi, vltra vnum inde oriundum; & de ea natione, quæ nunc vltra tertiam partem habet vsque ad ipsius tertiæ partis reductionem, esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque, ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, Magistri, Doctores, seu Licentiati, cum rigore examinis in iure diuino, vel humano; sit saltem tertia, vel quarta pars de Magistris, aut Licentiatis in sacra Scriptura. Inter hos autem 24. esse aliqui poterunt, admodum pauci, filij, fratres, aut nepotes Regum, seu magnorum Principum; in quibus cum circumspectione, & maturitate morum competens litteratura sufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre, vel sorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis; non illegitimè nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota respersi. Prædicto autem numero 24. pro magna Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate, duo alij, in quibus vita sanctitas, vel eximiæ virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant; ac de Græcis cum Romanæ Ecclesiæ vniti fuerint; insignes aliqui viri adijci poterunt. Non fiat Cardinalium electio solùm per auricularia vota, sed illi solùm assumi possint, in quos facto vero scrutinio, ac publicato, maiorem partem Cardinalium per subscriptionem manus propriæ, constiterit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolicæ litteræ, cum subscriptione Cardinalium conficiantur; decreto huius sacri Concilij in quarta sessione solemniter publicato, quod incipit; Item cùm multiplicatio Cardinalium, &c. in suo robore inuiolabiliter permansuro. Ponitur statim ibidem iuramentum, quod debent præstare Cardinales noui: postea pergit Concilium Cardinales reformare; eisque mores præscribere, circa Ecclesiarum titulorum conseruationem; circa visitationes suorum titulorum, & Cleri, in ijsdem titulis seruientis: circa curam & vigilantiam contra hæreses & superstitiones; & circa alia seruitia erga summum Pontificem præstanda; inter quæ illud habetur: Si quando Papam, quod absit, negligentem, aut remissum, seu agentem quæ statum illius non decent, ipsi Cardinales inspexerint, filiali reuerentia, & caritate, tanquam patrem obsecrent; vt officio Pastorali, honorique ac debito suo satisfaciat: Et primò quidem aliquis, vel aliqui de per se; deinde si se non corrigat, omnes collegialiter, accersitis quibusdam notabilibus Prælatis; prædicentes. Quod si non abstinuerit, proximo generali Concilio deferent: nec pro salute ipsius summi Pontificis, & bono publico eius odium, vel quicquam aliud timeant, dum tamen reuerenter, & caritatiuè id agant. Ita etiam præscribit Papæ, vice versa, modum corripiendi & corrigendi Cardinales: Monet etiam Cardinales idem Concilium ibidem, vt Prælatos ad Curiam Romanam venientes benignè & honorificè tam publicè, quàm priuatim pertractent; & apud summum Pontificem eorum negotia gratis, ac liberaliter recommissa faciant. Vt affines suos non ita opum, aut beneficiorum multitudine accu-

mulent, vt alij inde scandalum patiantur; caueantque ne bona ab Ecclesijs profecta; vltra quam necessitatis ratio postulat, in carnem & sanguinem effundant. Familia, inquit, mensa, supellex rerum & equorum tam Papæ, quàm Cardinalium, nec numerositate, nec fastu, aut pompis, neque aliquo excessu, reprehensibilis est, &c.

Spalat. Num. 43. Conc. Lat. sub Leo. 10. sess. 9.

Et in Concilio Lateranensi hæc habentur: Cùm S. R. E. Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant; conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modò hortamur eos, ac monemus, verùm etiam statuimus & ordinamus, vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens, iuxta doctrinam Apostoli ita sobriè, castè ac piè viuat; vt non solùm à malo, sed ab omni specie etiam mali abstinens coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officijs, Missarumque celebrationibus intenti, sitque eorum domus, familia, mensa, supellexque, non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, &c. Prælatos ad Romanam Curiam venientes benignè honorificéque tam publicè quàm priuatim tractent; & apud nos, & successores nostros gratiosè, liberalitérque eorum negotia commendata suscipiant. Præterea ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant; ne cæteris præesse instituti; & sacro charactere insigniti, in vilia descendant ministeria; passimque Pastoralis officij contemptum inducant. Eos itaque quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri honorificè, vt fratres ac iuxta eorum status condecentiam tractent, &c. Repetit curam titulorum & Cleri in ijs constituti, prout in Concilio Basileensi, & de non ditandis suis. Monet vt Ecclesias commendatas bene cultas teneant; in familia impensas moderentur; fastum, luxum, & prodigalitatem fugiant; hospitalitatem sectentur; vestes quales esse debeant in Cardinalium familia, & parafrenarijs præscribit. Statuit vt Cardinales Legati à latere per se, & non per officiales negotia peragant, & definiant; ac demum statuit, ne funebres expensæ Cardinalium mille quingentorum florenorum summam excedant. Hæc ad nouos Cardinales in officio aliquo modo continendos præscripta sunt; quos tamen à vera ratione antiquorum Cardinalium penitus excludendos esse iam confirmaui. Sed quamuis per abusum iam sint isti noui introducti; vtinam tamen non multo plus sibi arrogarent, quam ipsemet abusus qui eos induxit videtur tolerare. Quod attinet primùm ad Concilium Basileense, plura afferri possent, quibus eius authoritas conuelleretur, & non dubitat Lateranense Concilium sub Leone X. celebratum, illum Conuentum Basileensem, *Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus authoritatis*, vocare. Et sanè quæ à Basileensibus contra Eugenium IV. tentata sunt, omne ei robur, & pondus detraxerunt: nam quo tempore de gradu Eugenium deiicere, ac abdicare moliti sunt Iulianus Cardinalis Pontifex Legatus moderando concessui præses datus, sacrilegæ audaciæ pertæsus Basilea excesserat, nec factam Pontifici iniuriam sustinere valentes Episcopi, & ipsi quoque magna ex parte abcesserant; quare Cardinalis Arelatensis alieni iuris vsurpator, & qui reliqui erant factiosi Episcopi, de sua paucitate erubescentes ingentem Presbyterorum multitudinem inuexerunt, vt iam violata antiquorum Conciliorum forma non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset, quamquam ne siquidem obtinere potuerunt, vt omnes in scelerata decreta consentirent, ac demum eodem tempore Florentiæ agebatur Concilium Oecumenicum, in quo præsidebat summus Pontifex, cui assidebant Episcopi, tum

Conc. Lat. sub Leo. 10. sess. 11.

tum Græci, tum Latini, & numero plures, & doctrina celebriores his qui Basileæ turbas cierent; aderat verò, & Imperator Græcorum Palæologus, & orator Imperatoris Latini, vt nulla ratione dubitare posset, vtrum ex duobus legitimum, ac verum esset Concilium. Hæc igitur aduersum Conuentum Basiliensem proferri possent; sed hac recusatione opus non est, & video Nicolaum quintum pacis gratia Fœlice quinto Pontifice ad saniorem mentem reuerso, Frederici tertij hortatu quædam probasse, quæ essent à Basiliensibus sancita ac decreta; nec dubito quæ commodum sensum habere possint. Igitur dico ne in speciem quidem Spalatensi fauere Basilienses, sed potius seditiosum eius dogma euertere, náque & magnificè de illustrissimo ordine sentiunt, & Cardinalis etymum à Leone nono, aut inuectum, aut vsurpatum probant; quod tamen magno fastu est ab eo initio huius capitis reiectum: *Cùm summo Pontifici*, inquit, *S. R. E. Cardinales, in dirigenda Christiana Republica collaterales assistant necesse est, vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa Cardines sint, super quos ostia vniuersalis versentur, & sustententur Ecclesia.* Hæcne ad tuum gustum sunt, mi Antoni, certè longè à tua sententia abeunt. Quod attinet ad eas leges quas sacro Consistorio ponit, illud Spalatensi spectandum fuit, turbulentissimis temporibus, eas quod Concilium ipsum aduertit constitutas. Quare quemadmodum alicubi existimat summus Philosophus, stultum planè esse depulsa peste iis remediis vti velle, quæ grassante lue, ad præsentem perniciem arcendam, à prudentissimis medicis essent excogitata, ita proculdubio dementiæ aliqua species esset, pacatis rebus ea decreta vrgere, nec ab iis latum quidem vnguem discedere, quæ turbatis pro temporum conditione sint sancita ac edita. Cæterùm pia eorum hortamenta, ac salutaria monita laudamus, & probamus; rectè enim est à viro pio animaduersum, statum Cardinalis obligationem inducere perfectionis. Quod & pluribus confirmat, quæ præsentis non sint instituti; ac certè, si teste Hieronymo non solùm Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum cui præsident, conuersatione, feruore, ac excellentia præcedant; verùm & inferior gradus, scilicet Exorcistæ, Lectores, Æditui, & omnes omninò qui Domui Dei seruiunt, facile est hinc argumentari, quid à Cardinalibus, qui, vt verbis Scripturæ vtar, orbem portant, & Noë Arcá in vndis, id est sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regũt, quod de omnibus omnino Prælatis cẽsuit Gregorius exigatur. Summam scilicet probitatem, innocentiam, rerumque peritiam desiderat summus dignitatis gradus, ad quẽ Ecclesiæ beneficio euecti sunt; siquidem cùm Põtifici assistere Cardinales, eumque assiduè iuuare debeant, tum consilio, tum opera, quî istud præstare possint, pro rei scilicet amplitudine, ac dignitate, si vitiis se mancipent, & voluptatum sordibus se implicent & immergant? Si humanis affectibus transuersos se agi sinant, ac denique si non omnibus virtutibus animum excolant? Hoc & Basileenses Patres, & Lateranenses inculcant, quibus accedit ipsius Tridentini Concilij authoritas maxima, in quo cùm de Cardinalium reformatione ageretur, sic est pronuntiatum: *Quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem, cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò in se omnium oculos conuertant.*

Conc. Basil. sess. 23. — Plat. de off. Card. c. 7. — In Ep. ad Tit. c. 1. — Gregor. I. Moral. c. 7. — Sess. 25. c. 1.

Pergit verò Spalatensis, illustrissimum ordinem insectari: *Sunt tamen*, inquit, *qui vt Cardinalitiam hanc tueantur dignitatem, non verentur eos ad Iuris* Spalat. Num. 44.

Alliac. de Eccl. aut. par.1.c.1.3. diuini reducere institutionem; faciuntque Cardinales esse Apostolorum successores. Ita sanè Petrus de Alliaco Cameracensis; & Ioannes de Turrecremata Cardinales
Turrecr. de Eccl. l.1. c.80. amplissimi. De Apostolis enim triplicem comminiscuntur considerationem. Primùm vt sint Christi aßistentes ante eius in cælum Ascensionem: Vos estis qui permansistis
Luc.22. mecum, &c. Secundò vt ante eorum diuisionem & dispersionem Petri sint assessores, qui Christi Vicarius esset; illi verò ei in administratione Papalis officij aßistentes. Tertiò vt postea, authoritate Petri suffulti ad prædicandum, quisque in suam regionem orbis sit profectus. Quantum ergo ad primum & secundum statum, Cardinales solos faciunt Apostolorum successores; quantum verò ad tertium Episcopos. Sed si hoc commentum alicuius esset momenti, aut probabilitatis, id Bellarminus non prætermisisset, cùm tamen eo vti noluerit, liquet, magnam hoc in se continere vanitatem. Ego
Sup.l.1.c.2. sanè iam in libris præcedentibus plenè docui Apostolorum officium fuisse solùm mini-
Ibid.c.3. steriale; & omnes Apostolos fuisse cum Petro collegas, & comministros, eidemque in toto Apostolatu æquales; & Episcopos plenè Apostolis in toto Apostolico munere
Lib.2.c.1. successisse. Ac profectò ociosi hominis est, & valde parum in rebus diuinis, sacrisque Euangelijs versati, Apostolis dare sessiones; non enim ad sedendum, aut assidendum sunt vocati, sed ad laborandum; & sicut Christus non venit ministrari, sed ministra-
Matth.20. re; nec venit vt sederet, tanquam Rex & Princeps; & assessores haberet pro tempore Ecclesiæ militantis; sed vt pro Ecclesia multum laboraret, & pateretur; ita neque pro præsente vita, aut Petro, aut Apostolis aliquem reliquit Principatum, ad sedendum & aßidendum; sed omnes fecit ministros, & in vinea operarios, ac laboratores, vt plenius tradam lib. 5. Pro alio quidem statu & tempore; & ipse Christus
Act.10. constitutus est Iudex viuorum & mortuorum: & Apostolis promissæ sunt sedes ad
Luc.21. iudicandum, & sessiones atque assessiones. Et quando quæso Petrus in throno aliquo sedit vt Princeps, & Apostolos reliquos habuit assessores? Istæ sunt meræ ineptiæ, quas tamen propter Cardinalis Cameracensis authoritatem, sequutus est tunc etiam
Gerson. de statib. Eccl. tom.1. Ioannes Gersonius; qui in Hierarchia Ecclesiastica à Christo instituta, cum ipso Alliacensi posuit Cardinales cum Papa, quasi vnum corpus efficere, sicut vnum corpus faciebant Apostoli cum Christo; ideoque sic scripsit: Status summi Pontificis, ac sacri Collegij Dominorum Cardinalium sibi collateralium fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia sub cælesti immediatè à Christo; nec humana institutione, seu præsumptione potest destitui. Cui statui, qui pertinaciter derogat, censendus est iuxta sacros Canones hæreticus, atque sacrilegus. Hoc tamen loco bonus dormitauit Homerus; quod enim ad Clerum Ecclesiasticum iure diuino, & Christi institutione pertinet, id ad solos coarctatur Cardinales; in quo ego vel imperitiam videor mihi obseruare, vel adulationem. Respondeo Cameracensis sententiam esse etiam iuniores scriptores, qui propugnent; sic enim de ea re Hieronymus Platus: Sed illud
Platus de Card. dign. & offic.c.3. verè maximum, ac summum in hoc genere dignitatis, quod Cardinales Apostolorum locum in Dei Ecclesia tenent. Non enim dubitari potest, quin in sancta Ecclesia primus, & Princeps locus Apostolis sit tribuendus, de quibus dictum est in
Psalm.18. Psalmis, constitues eos Principes super omnem terram, & qui etiam à Paulo fun-
Eph.2. damentum huius domus, & à Ioanne supernæ Ciuitatis illius portæ appellantur.
Apoc.21. Quare nihil magis insigne, aut honorificum vlli homini contingere potest, quàm hunc tam honoratum locum quasi hæreditario iure consequi. Sic enim duo præcipui, tum
3.p.tit.21. c.2. l.1.de Eccl.c.50. doctrina, tũ sanctitate authores, D. Antoninus & Turrecremata ijsdem penè verbis. Duplicem enim faciunt Apostolorum statum, duplicemque respectum ad Christum Dominum ac Saluatorem: Alterum cùm adhuc viuenti, & in terris versanti aßistebant,

bant, & præsto erant ad omnia, quod idem etiam post eius ad cælos ascensum, aliquandiu fecerunt erga Petrum, qui Christi gerebat vices. Sic enim in Actis legimus consilio, & opera ei affuisse, dum adhuc coniuncti Hierosolymis degerent. Alterum verò statum perhibent, cùm post Spiritum sanctum receptum, profecti sunt in omnes terras, ad Euangelium disseminandum, ad populos fide imbuendos, atque instituendos; neque id temerè, aut sine ordine, sed Prouincijs sortitis, atque inter se distributis. Sic igitur cùm Romanus Pontifex Petri successor sit, & Christi Domini personam sustineat, nimirum consequi aiunt, vt ipsi quoque Cardinales Apostolos referant, priore illo modo, Episcopi verò qui singuli singulis præsunt, vel ciuitatibus, vel Prouinciis, posteriore. Quare de Cardinalibus illud dici posse, quod est in sacris literis, Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos orbem. Hanc enim terram tam latè patentem, ita firmam, & fixam, & quæ homines omnes, & sustineat, & alat, esse Ecclesiam, eius autē Cardines, vt nomen ipsum admonet esse Cardinales, quare ipsos quoque Principes esse mūdi. Sed reclamat ac vehementius reluctatur ex eadem societate Benedictus Iustinianus, quamquam & ipse præstantissimi ordinis summus cultor; sic enim postquam ostendisset duo fuisse Apostolorum munera, primum Christo adesse tanquam laborum socios, & vitæ ac miraculorum testes, cum illo denique tanquam domesticos, & familiares viuere: Alterum Euangelicam doctrinam tradere, & Christi aduentum populo promulgare, in huius sententiæ patronum, quem tamen non exprimit, inuehitur; *Ex priori munere*, inquit, *colligit non nemo fuisse illos, non modò similes Cardinalibus, qui summo Pontifici à consilijs sunt, eique sacris operanti, reliquasque Ecclesiasticas functiones obeunti ministrant; sed etiam ipso Cardinalatus honore insignitos, quod (vt temerè dicitur) ita nostra confutatione non eget. Nam Cardinalatum (quæ præclara quædam dignitas est, & honoris titulus cum iure suffragij summum Pontificem eligendi) Romanorum Pontificum ad commodiorem Romanæ Ecclesiæ administrationem esse inuentum, ipsa Cardinalium institutio atque origo planè ostendit: miniméque ad Ecclesiasticam Hierarchiam per se, suaque institutionis vi pertinere, alibi à nobis probatum est, cùm tres in ordines distribuatur; alijque sint Episcopi, alij Presbyteri, alij denique Diaconi Cardinales, quorum ordinum respectu ad Ecclesiasticam Hierarchiam referuntur cum prærogatiua supremæ dignitatis, ob ius suffragij in summi Pontificis electione; vt ob id primùm post Pontificem in Ecclesia obtineant locum, cunctisque Præsulibus meritò præferantur. Apostolos verò siue cum Christo ante mortem, siue cum Petro post Christi in cælum ascensum, conferantur nulla posse cum Cardinalibus ratione comparari, ita certum est, vt pudeat in re perspicua otio abuti. Nisi quis putet alieno consilio eguisse Christum, qui erat æterna sapientia Patris, aut Petro ministrasse Apostolos, qui se, non Petri, sed Christi ministros esse perpetuò gloriabantur.* Vides igitur etiam orthodoxis non planè probari Cameracensis & sequacium opinionem, vt de ea re non sit nobis cum Spalatensi contendendum.

Act. 1. & 15.

1. Reg. 2.

Bened. Iust. de Apostolatu cap. 1. disp. 4.

Sed iam ad scholas nos reuocat, & antiquo nos iubet includere ludo: *Schismata profectò horrenda*, inquit, *quæ vniuersalem Ecclesiam primùm turbabant, dum Romanum Episcopatum, & diuitijs opulentissimum, & Principatu terreno speciosissimum ambirent multi, & potentes; permouerunt aliquando Scholam Theologicam Parisiensem, vt cùm non posset tam altum Papatum deprimere (cuius depressio in temporalibus Procos auerteret, & schismata euitaret) illum saltem aliquo pacto moderaretur; noua quædam excogitauit remedia; vt Cardinales eueheret, & illos tanquam*

Spalat. Num. 45.

fræna Papis adijceret. Theologi itaque Parisienses, Gersone magno eorum existente Cancellario, & Concilij Constantiensis, in quo grauissimum trium Paparum schisma est compressum, præcipuo moderatore; communissimum sequentes errorem, Papam esse de iure diuino totius Christi Ecclesiæ vniuersalem Monarcham; Cardinalibus illud noui, & ante illa tempora vix auditi muneris tribuerunt, vt essent non tam Romanæ Ecclesiæ Clerici & Ministri; quàm totius vniuersalis Ecclesiæ quasi Procuratores & Commissarij, qui nomine totius Ecclesiæ vniuersalis, Romani Pontificis, quatenus Papa est, & caput Ecclesiæ, essent Electores: æquum esse censentes, vt qui totius Ecclesiæ vniuersalis caput est, non ab vna Ecclesia particulari, qualis est Romana, sed à tota & vniuersali eligatur; cuius Ecclesiæ vniuersalis locum tenere asserunt ipsos Cardinales, ne in omni Papatus vacatione Concilium cogatur generale.

Gers. lib. de vit. spir. ani. lect. 2. ad fin. & in 8. conclusion. to. 4. & Alliac. de Eccl. aucto. par. 1. c. 3. & Almain. de autor. Eccl. c. 9.

Spalat. Num. 46.

Consequenter verò de Cardinalium creatione legitima soliciti, nolunt in libertate solius Papæ esse, vt pro sui libito quos ipse velit faciat Cardinales: sed in ipso Concilio Constantiensi decerni fecerunt Cardinalium nouorum promotionem illam fore legitimam, ad quam etiam Cardinales pro maiori parte concurrant expresso suffragio, & subscriptione. Quod Decretum in Concilio Constantiensi factum esse, & à Martino quinto confirmatum, testatur Dominicus Venetus Episcopus Torcellanus, in suo tractatu de Cardinalibus. Propos. 11. quem sub Calisto tertio scripsit; & illum ego habeo manuscriptum, nunquam typis cusum: quamuis in Actu Concilij Constantiensis, quæ nunc eduntur, id Decretum ego reperire non potuerim: Vnde suspicor fraude sublatum. Certè Concilium postea Basileense idem Decretum, vt sup. vidimus nu. 42. satis amplum edidit. Exinde concludit Torcellanus. Propos. 12. (cuius tractatum de Cardinalibus ad finem huius libri nunc primùm typis cudendum curabo) Cardinalem legitimum non esse, qui de consensu expresso, aut saltem tacito aliorum Cardinalium non sit creatus, ac præsertim si reclamantibus ipsis, & expreßè renitentibus aliquis à Papa fieret Cardinalis, ac propterea talem Cardinalem nullum habere in Papæ electione legitimum suffragium; quod si feratur nullum sit, ac penitus contemnendum, in nulloque precio habendum: ipsius verò ratiocinatio est huiusmodi; Papa, vt Papa prius est quàm Episcopus Romanus; sicut Petrus prius fuit Papa vniuersalis, quàm Romanus Episcopus; prior igitur est electio Papæ, quàm sit electio Episcopi Romani. Electio verò Papæ, vt Papa est, spectat ad totam Ecclesiam vniuersalem, quæ sibi suum caput eligere debet; illa verò sui loco ponit Cardinales electores: neque potest esse elector vice ipsius Ecclesiæ, quem ipsa Ecclesia nolit, Ecclesia verò in Concilio Constantiensi modum præscripsit, quo debeant fieri Cardinales, qui ipsius vices gerant in Papæ electione: declaratque se in alios Cardinales non consentire, nisi in eos qui facti fuerint Cardinales à Papa, simul etiam ab alijs Cardinalibus. Quando ergo Cardinales in creatione Cardinalis non consentiunt, saltem tacitè, sed apertè repugnant, certè tunc in illum Cardinalem Ecclesia non consentit. Et ita non erit legitimus Cardinalis, neque poterit vice Ecclesiæ vniuersalis Papam eligere.

Spalat. Num. 47.

Fatetur hic author semper etiam ante Concilium Constantiense, Electores Papæ quicunque fuerint, siue Cardinales, siue Imperatores, siue totus Clerus & populus Romanus, semper nomine totius Ecclesiæ, quæ tacitè in eos consentiret summorum Pontificum fecisse electiones. Sed postquam Ecclesia vniuersalis se declarauit, & suam voluntatem expreßit; durante hac ipsius declaratione, quam semper mutare potest, electiones legitimas non esse, nisi per Cardinales eo modo factos quo ipsa præscribit.

Car-

Cardinalis autem Cameracensis, iam & ipse concesserat, Cardinales quatenus sunt Clerus Romanus Papam eligere; sed tamen nomine vniuersalis Ecclesiæ illum eligere, quatenus est Papa vniuersalis, & consequenter Papam iam factum Papam, esse etiam Episcopum Romanum *(de quo Papatu vniuersali annexo Romano Episcopatui, agam exactius capite sequenti.) Consensit igitur Ecclesiam vniuersalem tacitè, & vsu iam confirmato atque præscripto, assentiri generaliter vt Clerus Romanus, dum eligit suum Episcopum Romanum, simul etiam elector sit, nomine totius Ecclesiæ, Papæ vniuersalis: Quare optimè Torcellanus colligit, electores Papæ eos tantùm legitimos esse, in quos ipsa vel tacitè vel expreßè consensit. Et quia iam se declarauit, sequitur necessariò Cardinales non esse legitimos, hoc est, legitimos Papæ electores, vt Papa est, nisi eos qui facti sint ex præscripto ipsius Ecclesiæ. Imò vlterius sequitur, vt idem Torcellanus colligit, Propos. 9. Papam non posse auferre Ecclesiæ vniuersali potestatem Papam eligendi; quia ipsius Ecclesiæ est sibi caput constituere, vt probauit propos. 4. & 5. Hæc sanè, supposito Papatu tanquam verò, Autor hic demonstratiuè meo iudicio concludit; & necessariò sequitur* Cardinalatum, *quatenus dicit officium & potestatem eligendi Papam (hinc enim duntaxat tota eminet dignitas* Cardinalitia, *vt paßim fatentur Monarchici) totum esse ab Ecclesia & solius iuris positiui; posseque hoc officium, & hanc dignitatem dari etiam Regi, Principibus & aliis laicis; & consequenter in Hierarchia* Ecclesiastica *locum non habere; neque numerandum esse hunc Cardinalatum inter Ecclesiasticas proprias dignitates. Eligere enim Episcopum seu quemcunque Ecclesiasticum ministrum, non est actus Hierarchicus spiritualis, sed est aliquid mere temporale; non item ordinare, vt probaui libro tertio capite tertio. Poterit profectò Papa, vt Episcopatus* Romanus *in suis titulis constituere* Episcopos, *Presbyteros & Diaconos Cardinales; & tales qui de iure communi habeant etiam potestatem electiuam sui* Episcopi *Romani, sine vllo concursu* Ecclesiæ *vniuersalis; sed vt sint Cardinales Papæ, & consequenter electores Papæ vt* Papa *est vniuersalis; & hi sunt veri moderni Cardinales)* Papa *efficere non potest, nisi de consensu Ecclesiæ vniuersalis, tacito vel expresso. Et postquam Ecclesia expreßit se non consentire, nisi fiant Cardinales modo ab ea præscripto, quis non videt si maior pars* Cardinalium *expreßè repugnet in creatione alicuius Cardinalis veri, hoc est electoris Papæ, hunc Cardinalem non esse, neque habere potestatem electiuam? Et huc tota Schola* Parisiensis *tempore* Concilij *Constantiensis collimauit. Atque hinc Cardinales habuerunt iam totam dignitatem totamque præcedentiam supra omnes* Episcopos; *quia totam* Ecclesiam *vniuersalem repræsentant: Suntque peculiares totius Ecclesiæ vniuersalis Legati &* Procuratores. Verùm sunt in his multa animaduersione digna; nam vt taceam primùm Academias non solere leges Ecclesiæ ponere aut decreta figere, sed solùm consilia impertiri, alma vniuersitas Parisiensis zelo Ecclesiæ, quo semper inter cæteras orbis terrarum Academias exarsit, inflammata ac pertæsa tot schismatum, quibus vnitas Ecclesiastica scinderetur, totusque orbis laceraretur, sopiendis tumultibus & ambitui cōprimendo, ea excogitauit ac proposuit remedia, quæ pro temporum conditione commodissima viderentur, quale illud fuit de Cardinalibus authoritate & potestate augendis, quo Pontificem in ordinem cogere possent, sed quorum pacatis rebus Ecclesiæ, tranquillitate restituta vsus vel quàm minimus foret; Namque vt suprà monebamus, quæ tempore pestis prosunt remedia, depulso veneno vsurpari non solent: Ac præterea nescio qua ratione Scholam Parisiensem inducat honoribus Cardinales augentem, cùm eos de gradu deii-

Alliac. de autor. Eccl. par. 1. c. 2. ad fin. & cap. 3.

SPALAT. Num. 48.

Bellar. de Cler. li. 1. cap. 16.

cere sit ei constitutum, ac eò vires omnes intendat, & contraria planè nobilissimæ Academiæ sentiat. Nam ipso fatente Pontificem pro Rectore vniuersalis Ecclesiæ habet, ac veneratur doctissima Schola, cuius tamen potestatem ipse intra fines Imperij Romani cogere ac cohibere impudentissimè conatur, ac prætereà illa Cardinales ipsos non modò Clericos Ecclesiæ Romanæ, quod ille blaterat, sed totius Ecclesiasticæ ditionis sub Pôtifice principes facit & moderatores, vt si iam florentissimæ Academiæ iudicio standum sit, omnino causa cecidisse videatur aduersarius. Quod attinet ad Concilium Constantiense, quanquam eius maior est authoritas, spectanda tamen sunt etiam in eius decretis tempora, & fatendum multa addita quæ schismatis pernicies extorsisset. Cæterùm nec Conciliis ipsis fas sit leges Ecclesiæ figere citra Pontificis Romani sententiam, vt suprà pluribus ostendimus, authoritate veteris Canonis quo id est sancitum: quare Concilij Constantiensis ea decreta in Ecclesia vigent, quibus calculum suum Pontifex adiecit, roburque & pondus addidit: Reliqua & refixa & obliterata manent. Cæterùm tanta non est apud nos authoritate Spalatensis, vt his quæ de eraso quodá decreto Constantiensi ex Dominico Veneto Torcellano Episcopo refert, fidem habeamus, melioribus indiciis ac firmioribus argumentis sunt ista probanda: & vt extiterit aliquando illud Decretum in Pontificis fuit potestate illud refixisse ac pôdus detraxisse; sed vt dixi nutat apud nos desertoris fides, & Torcellani de Cardinalibus tractatum cuperemus sincerioris editoris opera in lucem esse datum. Neque verò tanti momenti sunt eius rationes, vt Pontificiæ authoritatis præiudicium facere possint, ac præterea se ipse Ecclesiæ subiicit iudicio, quam videmus in receptum morem apertè consentire, nec Pontifici Cardinales pro sua authoritate creanti refragari. Expendamus sequentia. *Hinc verò*, inquit, *ipsi Cardinales se plurimùm extulerunt; adeò vt tanti Papatus omnipotentatui, non mediocriter derogare sint conati. Sanè sub Eugenio tertio Cardinales facto ipso, exercebant eam authoritatem, quam eis postea Schola Parisiensis prima verbis explicauit. Cùm enim Episcopi Gallicani Bernardum Clarauallensem sequuti, aliqua in rebus fidei definiissent, Ecclesia Gallic. factum (inquit* Otto *Frisingensis) tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit, vt cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes quod à nobis, per quos tanquam per cardines vniuersalis Ecclesiæ voluitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à priuato vniuersalis* Pater *effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere: nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare & obseruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo* Gallicana *Ecclesia? Qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ Sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit & nemo aperit: aperit & nemo claudit. Ipsa sola de fide* Catholica *discutere habens, à nullo etiam absens in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce* Galli *isti, etiam faciem nostram contemnentes super capitulis, quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finitimæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in* Oriente *vtpote Alexandriæ, vel Antiochiæ coram omnibus* Patriarchis *huiusmodi tractaretur negocium, nil firma stabilitate solidum, sine nostra definiri valeret authoritate. Quinimò iuxta antiquorum* Patrum *instituta, vel exempla Romano seruaretur examini terminandum; Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare*

[Margin: Spalat. Num. 49.]
[Margin: Frising. de gest. Frid. li. 1. c. 57.]

pare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas. Hìc vides Cardinales, *se simul cum Papa vnum efficere corpus, ad regimen Ecclesiæ vniuersalis compactum, quod postea suis commentationibus* Cameracensis *&* Turrecremata *Cardinales, vt iam vidimus, confirmare sunt conati.* Solemne est desertori ea aduersum Orthodoxos proferre, quæ sententiam eius planè euertant; quid enim est in hoc Cardinalium facto, quod eius opinationi faueat, quod nō ab Orthodoxis pro Catholico dogmate arripi possit; primùm enim apparet etiā seculo Bernardi Cardinales, ad quos reuocata esset Pontificis electio, tanta fuisse dignitate & authoritate, vt per eos tanquam per Cardines (sunt enim ista eorum apud Ottonem Frisingensem verba) vniuersalis Ecclesiæ axis volueretur. Apparet secundò summum de rebus fidei iudicium ad Ecclesiam Romanam pertinere. Ac postremò eo loco esse Cardinales in Ecclesia Romana, vt & ipsi Orientis Patriarchæ fasces submittere teneantur, nimirum quod postea Cameracensis defendit, & ipsi Eugenio inculcant, quia vnum cum Pontifice & Ecclesia Romana corpus componunt: ne verò vel Gallicanis nostris Episcopis vel innocentissimo Abbati Bernardo ambitus vlla nota inuratur, lubet quis huius controuersiæ finis fuerit ex Frisingensi recensere: *Quos*, inquit, supple Cardinales, *Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto qualitatéve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter ei cum reuerentia respondit: se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definiuisse: sed quia ab Episcopo Pictauino* (Gilbertum Porretanum Pictauiensem Episcopum hæreseos in materia Trinitatis à Bernardo postulatum intelligit) *audierat, vt fides sua scriberetur: idcircò quia solus nollet, illorum authoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso prædicta Cardinalium indignatio conquieuit.* Pergit Spalatensis: *Prius tamen Henricus*, inquit, *& ipse Cardinalis, Ostiensis, qui profertur à Torcellano obiectione 2. negat Papam posse priuare Cardinalem sine consilio & assensu Concilij generalis, quia Cardinalis loco Ecclesiæ vniuersalis suum habet officium, quod officium ille solus ei auferre potest, à quo, seu cuius nomine illud ille obtinuit. Et hanc Ostiensis opinionem Cardinales, vt sibi valdè propitiam libenter sunt secuti, quamuis eam Torcellanus non sequatur; qui Papam implicitè vult habere ab Ecclesia vniuersali potestatem, priuandi ex causa legitima Cardinales, in quo ait Papam exequi Ecclesiæ voluntatē; & nomine totius Ecclesiæ tales facere priuationes. Cameracensis verò iam dictus, vt ostenderet Ecclesiam debere de communibus bonis Cardinalibus abundanter prouidere; quædam præmittit de Cardinalium officio, dignitate & potestate, & quidem in titulo vnius capituli, sic habet:* Concilium generale *nihil habet iuris in dignitatem Pontificiam, quæ iuris est diuini, sed in abusum dignitatis Pontificiæ; & idcircò status Monarchicus Ecclesiæ regimine Aristocratico & Democratico temperatur. Deinde capitulum ipsum tale subdit. Pro cuius declaratione vlterius dicendum est, quod licet Papalis dignitas à Deo sit, vnde ab homine nec maior nec minor fieri potest, tamen vsus plenitudinis potestatis, ad excludendum abusum potest Concilij generalis authoritate restringi. Ideo antiquo iure institutum est, quod Papa professionem faceret, &c. Et huiusmodi professio per lapsum temporis ampliata est, vt patet ex professione Bonifacij octaui, quæ incipit: Ego Benedictus Caietanus, &c. Similis quoque professio iuxta rerum exigentiam in sacro* Constantiensi *Concilio rationabiliter poterit ampliari. Sed ad regulandum vsum plenitudinis potestatis, & excludendum abusum eiusdem,*

Ibid.

Spalat. Num. 50.

Alliac. de autor. Eccl. par. 2. c. 3.

considerare conuenit, quod non expedit Ecclesiæ (quæ habere dicitur Regale Sacerdotium) quod ipsa regatur regimine regio puro, sed commixto Aristocratia generaliter pro Principatu populi, & non strictè prout contrariatur politiæ, quæ est species quadam regiminis vel Principatus secundum virtutem, vt habet Aristoteles in Politicis: Pro cuius declaratione sciendum est, quod licet regimen Regium, in quo vnus singulariter principatur multitudini secundum virtutem, sit melius quolibet alio regimine simplici, vt ostendit Philosophus 3. Polit. tamen si fiat mixtum cum Aristocratia, in qua plures dominantur secundum virtutẽ, & cum Democratia in qua populus principatur: tale regimen melius est, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in Principatu: & etiam quia licet regimen Regale sit optimum in se, si non corrumpatur, tamen propter magnam potestatem qua Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem; nisi sit in Rege perfecta virtus, quæ raro & in paucis reperitur. In cuius rei signum in populo Israël, cui succedit populus Christianus, Deus instituit quodammodo Regem; licet non cum plena potestate, vt patet in Moyse & Iosue. Sic etiam manifestè videtur quod esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub vno Papa eligerentur plures de omni, & ab omni Prouincia, & tales deberent esse Cardinales, qui cum Papa & sub eo Ecclesiam regerent; & vsum plenitudinis potestatis temperarent, & hoc notari videtur in cap. Per venerabilem; extra, Qui filij sint legitimi. Ad idem facit quod Cardinales sunt pars corporis Papæ, & eius coadiutores, de elect. c. Fundamenta lib. 6. Ex quo clarè patet quod status Cardinaliũ est in Ecclesia valdè vtilis & necessarius, si debitè suo fungantur officio, ad quod generale Concilium debet summoperè laborare, &c. Huc vsque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui vt audiuimus regimen Ecclesiæ vniuersalis in vsu negat esse Monarchicum purum, sed ipsum Aristocratia aliqua temperandum esse, & reipsa temperari asserit, vt nimirum Papa, non sine Cardinalibus, qui in vsu suæ potestatis eum moderentur, Ecclesiam regat vniuersalem. Atque ita Cardinalis iste non facit meros & puros Consiliarios, aut Electores Papæ ipsos Cardinales, sed etiam suam in vniuersalis regimine Ecclesiæ partem eos habere contendit. Quem Turrecremata sequens ait; Cardinales ita nominantur, quia sicut cardine ostium regitur, vnde dicitur Prouerb. 26. ostium vertitur in cardine, ita Dominorum Cardinalium consilio & assensu summus Pontifex regit, disponit atque gubernat vniuersalem Ecclesiam. Audis Cardinalium assensum requiri in vniuersalis Ecclesiæ regimine, & non solùm consilium? & Ecclesiam Aristocraticè non Monarchicè esse regendam? Sed hæc omnia inconstantissimè dicuntur, & *diruit, ædificat, ac mutat quadrata rotundis* Aduersarius, supra Torcellanum commendabat, ac eius de Cardinalibus tractatum laudibus in cœlum ferebat, nunc eum deserit, ac pro Pontificis authoritate contendentem, eique tacitum Ecclesiæ consensum ascribentem ablegat ac reiicit, suprà quoque Cardinales meros Consiliarios citra ius statuendi de rebus Ecclesiæ faciebat, nunc verò Cameracensem venditat eos Ecclesiæ vniuersalis Iudices, constituentem: quid possit inconstantius fingi? Quod spectat ad Cameracensis doctrinam de Monarchia Ecclesiæ, Aristocratia ac Democratia temperando, diximus de ea re suprà. Sed sunt reliqua etiam libranda. *Hæc tamen tanta*, inquit Spalatensis, *Cardinalium potestas & excellentia magnum Monarchiæ præiudicium faciens, ab ipsis Papis tolerari non potuit; sed eam statim penè atque exorta est, compresserunt. Nam & Decretum Concilij Constantiensis, huic doctrinæ innixum ex actis dicti Concilij eradendum, vt suspicor, curarunt, & doctrinam hanc Parisiensem Monarchici moderniores artificioso silentio, ne commemorantes*

Turrec. de Eccl. lib. 1. cap. 80.

Ad c. 12 i. li.

Spalat. Num. 51.

morantes quidem illam supprimere, & obliuioni tradere sunt conati; ne aditus apertus cerneretur ad Papam ipsum etiam per suum consistorium coërcendum. Atque vt hoc periculum adhuc longius à se propulsarent Romani Pontifices, Cardinaliũ creationem sibi liberam esse voluerunt, vt eam in consistorio quidem faciant, sed non cum Consistorio; & quamuis Basileense quoque Concilium Decretum illud habeat; id tamen contemnendum esse putarunt, quia eius Concilij acta omnia, negata eis Papali confirmatione, nullius momenti reputat Sedes Apostolica. Constantiense verò decretum, quia illud fuerat à Martino quinto legitimo & vero Papa admissum & confirmatum (vt testatur Torcellanus propos. II.) cùm id reiicere non possent expunxerunt. Nihilominus tamen, si verum esset Papatum dari in Ecclesia, & illum à Christo fuisse in Petro institutum, cum successione in Papas transfundendum, tractatus Torcellani conuincit Cardinales illam habere autoritatem, quam consistorium sub Eugenio III. quam Ostiensis; quam Alliacensis, & Turrecremata; imò & tota Schola Parisiensis tribuunt veris Cardinalibus. Etsi illam agnoscerent, possent si vellent, Papis fræna iniicere. Facta enim suppositione, quæ nunc in Romana doctrina est certissima, imò de fide; videlicet Papatum esse in Ecclesia, Cardinales, vt legitimi Ecclesiæ vniuersalis Ministri & Legati vsum Papalis potestatis, imò abusum, sicut possent, ita & deberent moderari; ne cum tanto Ecclesiæ scandalo suam absolutam Monarchiam, cum tanta Cleri iniuria Papæ exercerent; & in hoc totam Ecclesiam vniuersalem ipsi Cardinales propitiam haberent. Doctrinam Scholæ Parisiensis repudiare, vt liberum fuit Pontifici, aut eius rationem habere, quandoquidem vt dixi non leges ponere; sed consilia impertiri solent Academiæ, ita eius authoritatis fuit & Synodi Constantiensis & Basileensis decreta, in quibus, vt etiam monui, tempora spectanda sint, vel probare vel rescindere; Sed quod erasum ac expunctum è Concilio Constantiensi decretum quo in Pontificem Cardinalium ordo armaretur, comminiscitur Spalatensis, ac ex suo Torcellano probare contendit, suspiciosi hominis, & malè in Pontifices animati coniectura est, cui vix est vt fidem habeamus, cùm fraudis vestigia nulla subsint, atque quidem cum ipso adnitente fidei dogma sit Pontificem esse Rectorem Ecclesiæ vniuersæ, vt possint Cardinales consiliis eum iuuare, leges tamen dare nequeunt, quas potius accipere solent. Quare si quid est à Pontifice in hac re immutatum, eius decretis standum sit, in quibus commodi Ecclesiæ & dignitatis suæ rationem habuisse par est credere, secus eius nutaret authoritas, quam tamen Spalatẽsis firmas radices iecisse, ac planè in Ecclesia obtinuisse agnoscit: Neque verò dubitamus etiam Cardinalium monita, hac in parte ab eo plurimi fieri, quanquam his teneri, vt ne latum quidem vnguem vnquam ab iis recedere possit, minimè credamus, eius scilicet est rationum momenta librare, ac quid è re sit Ecclesiæ diiudicare, ac si quid aliquando humani in his rebus patiatur, proculdubiò hominẽ non exuit, sed est in manu Dei cor eius, nec deesse Spiritum sanctum gubernacula Ecclesiæ tractanti, ac de summis rebus statuenti, vt credamus, promissa Christi planè inducunt ac iubent. Sed iam molliora & mitiora monita habet Spalatensis. *Quod si non audent*, inquit, *totam hanc authoritatem exercere Cardinales*, SPALAT. Num. 52.
vtinam saltem debita cum charitate & libertate nimios Papæ abusus, pia & religiosa admonitione compescerent, illumque in deuia ruentem fraterna correptione retraherent, & non potius illum silentio, conniuentia, & quod peius est pestifera

assentatione in peiora impellerent. Fuerunt aliquando Cardinales in hoc genere laudatissimi, atque ex multis exemplis proferam vnum nostris Cardinalibus apprimè imitandum, quod diligens piusque Monachus veridicus olim historicus litteris consignauit. Scripserat litteras Innocentius IV. ad Robertum Lincolniensem in Anglia, de more imperiosas super prouisionibus tunc solitis, vt exteris, etiam indignissimis, pinguia primò vacatura beneficia darentur. Ad hæc mandata vir sanctus Robertus iniustissimarum prouisionum osor acerrimus, respondet liberè Pontifici, redarguit iniquas prouisiones, negat absolutè se contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam pariturum. Hæc cùm ad Domini Papæ audientiam peruenissent, non se capiens præ ira & indignatione, toruo aspectu & superbo animo ait; Quis est iste senex delirus, surdus, & absurdus, qui facta audax, imò temerarius iudicat? Per Petrum & Paulum nisi moueret nos innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, stupor & exemplum, & prodigium. Nonne Rex Anglorum noster est vasallus? vt plus dicam, mancipium, qui potest eum nutu nostro incarcerare, & ignominiæ mancipare? Et cùm hæc *inter fratres Cardinales recitarentur, vix compescentes impetum Papæ dixerunt ei, Non expediret, Domine, vt aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: vt enim vera fateamur, vera sunt quæ dicit: Non possumus eum condemnare: Catholicus est, imò & sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior, & excellentioris vitæ, ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere. Nouit hoc Gallicana & Anglicana Cleri vniuersitas, nostra non præualeret contradictio. Huiusmodi epistolæ veritas, quæ iam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commouere: Magnus enim habetur Philosophus Latinis & Græcis litteris ad plenum eruditus, zelator iustitiæ, Lector in Theologia Scholis, prædicator in populo, castitatis amator, persecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hispanus Cardinalis & alij, quos propria tangebat conscientia: Consilium dederunt Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, ne super hoc tumultus excitaretur: Maximè propter hoc quia scitur, quod quandoque discessio est ventura. Hæc Paris; Dicerem hanc esse illorum bonorum Cardinalium prophetiam; dum discessionem Ecclesiæ Anglicanæ à Romana manifestè prædicunt; nisi cognoscerem illos non secus atque Anselmum, acri iudicio præditos; ex Romanæ sedis nimiis iniquitatibus meritò discessionem hanc probabili ratione coniecisse. Admisit tantisper Innocentius suorum Cardinalium consilium: vlcus tamen nimiæ superbiæ non multò pòst recruduit, ita vt mortuum quoque Robertum persequi statuerit; de ossibus enim ipsius ex Ecclesia proiiciendis cogitabat; Sed eum Robertus in nocturno somnio acri obiurgatione terruit, cuspidéque sui baculi pastoralis in latere percussit, indeque dolore concepto non multò pòst animam Pontifex exhalauit. Discant & timeant nostri; discant Cardinales, quid suadeant, discant, quid audiant Papæ: à piis Episcopis persequendis sedulò caueant: se corrigere, non alios perdere satagant, nisi ipsis cordi sit mortuorum pedo pastorali, etiam viuentium calamo Theologico excitari, imò sauciari.* Quandoquidem Cardinales Pontificis Consiliarios & administros diximus, non dubitamus summam dignitatem ab eis reposcere, vt magna libertate Pontificem adhortentur ad ea præstanda, quibus Ecclesiæ consulatur, ac commune eius bonum promoueatur, neque verò deesse officio suo existimamus, & quid hac in re præstiterint, etiam hoc nostro seculo Boromæi,

Infrà c. 8. num. 66.

Matt. Paris hist. Angl. sub anno 1253.

Suprà c. 3. huius n. 31.

Paris vbi suprà an. 1254.

mæi, Baronij, Bellarmini, Perronij ſacri conſiſtorij lumina, eſt, vt de ſuperſtitibus taceamus, penè toti orbi exploratum; neque verò eo eſt faſtu aut tyrannide Pontifex, vt prudentiſſimorum virorum, quos ſancta Sedes in publicum conſilium delegit, temerè repudiet, ac tumidus reiiciat; ſed vt dixi, eius momenta rationum librare, ac de rebus ad Eccleſiam pertinentibus pro authoritate ſtatuere. Non eos fugit Petrum à Paulo, quanquam minore aut inferiore Apoſtolo reprehenſum, ac vt Paulum charitatis ita Petrum humilitatis magna ſui commendatione ſpecimen dediſſe, ſed Spalatenſis eò monita ſua confert, vt Cardinales poſita reuerentia quæ Capiti Eccleſiæ debeatur, inſolentiùs ſe aduerſus Pontificem inferant, nec conceſſa ſibi à Chriſto poteſtate vti patiantur, hic tot mordacium conuiciorum, totque calumniarum ſcopus eſt, quibus Pontificem onerat, ac præſtantiſſimo ordini inuiſum & exoſum reddere conatur. Propterea ſcilicet mirè illi placent fabulæ, quas fecit Matthæus Paris: fabulas dico verè ſannionis ac irriſoris Monachi commenta, quibus maledicam hiſtoriam ferè totam fœdauit odio Pontificum, penès quos eſſe pinguiorum quorumcunque beneficiorum in Anglia diſpoſitionem homini illi doleret; Verùm vt hæc acrius Anglos vrgerent, moleſtiaſque faceſſerent, ſannis, irriſionibus & probris agendum non fuit, multò minus calumniis oneranda ſumma poteſtas, cùm tamen id vnum conſtitutum fuiſſet Matthæo illi, vt Pontificem dehoneſtaret, ac eius miniſtros illi inuiſos redderet; quod illis perſpectum eſt, qui illum triuerunt, quod etiam monuimus. Certè ipſi Angli Pontificiæ authoritatis hoſtes, multa in annalibus illis eſſe contendunt, quæ videntur ad ſpeciem compoſita, vt quæ de Roberto illo Lincolnienſi ſanctiſſimo Antiſtite inducuntur: his ſe oblectet Spalatenſis, his ſuam defenſionem & proteruiam tueatur, non eſt quod eum aut ſpirantem aut buſto conditum vereatur Pontifex, aut à pedo eius ſibi caueat; nam ea ſanctitate non eſt aut innocentia, vt expectanda ſint miracula, quibus eius authoritas cœlo inuiſa aſſeratur.

Sed pergit conuiciari, certè Augiæ ſtabulum eſt hoc ſcriptum, cui repurgando vel Hercules par eſſet. *Totius Eccleſiæ vniuerſalis*, inquit, *Procuratores magnos & Legatos faciebant aliqui Dominos Cardinales, ſuppoſito tamen ſummo Papatu in Eccleſia: Sed quia reuera Papatus hic in Eccleſia nullus eſt vniuerſalis, vt ſatis iam conſtat & conſtabit, cùm Papa noſter bono iure non ſit, niſi Romanus Epiſcopus Metropolitanus, & vnus, ſed primus Patriarcha; hæc Cardinalitia dignitas quæ dicitur Eccleſiam vniuerſalem repræſentare, tota concidit. Adhuc tamen etiam data eis, & non conceſſa hac vniuerſalis Eccleſiæ legatione, non poſſunt, neque debent Epiſcopis præcedere, in ſolo enim actu electionis eorum fulgeret dignitas, extra actum verò electionis, qui totus eſt iuris poſitiui, maneret ſuus cuique locus clericalis: in gradibus porrò Eccleſiaſticis, vt libro ſecundo pleniſſimè docui, Epiſcopi ponuntur primi, tum Presbyteri, tum verò Diaconi, & poſt hos alij inferiores adminiſtri. Et Eccleſiaſtica Hierarchia Patriarchas ſummos habet; inde Primates, ac Metropolitanos & poſt hos reliquos Epiſcopos, Cardinalium nulla vſquam mentio, vti gradus ab his diſtincti: quinimò Epiſcopi etiam & Presbyteri omnes ſunt de iure diuino totius Eccleſiæ vniuerſalis, & in officiis ac muneribus* SPALAT. Num. 53.

grauißimis prædicationis verbi, & Sacramentorum ministrationis, vt docui libro secundo cap. 7. Ministri proprij & ordinarij. Estque accidentarium quippiam Episcopo & Presbytero, quod sit certæ alligatus Ecclesiæ, qui de se & essentialiter est in habitu totius Ecclesiæ Minister, in actu verò ibi vbi suum actu exercet officium: Non ergo potest ministrum vniuersalis Ecclesiæ ordinarium, & in maximè præcipuis Ministerijs præcedere alius vniuersalis Ecclesiæ Minister extraordinarius, & ad vnicum satis leuis momenti & breuiculo tempore præstandum ministerium assumptus, nimirum ad solam vnius Ministri licèt principalis electionem; si quidem hoc ministerium potest etiam laïcis, etiam vilißimæ plebi committi: Sed tamen electionem hanc Cardinalibus ab Ecclesia vniuersali non committi, patebit inferius, vbi de electione Papæ agam cap. 11.

SPALAT. Num. 54. *Ita dato etiam & non concesso, Cardinales succedere Apostolis in officio aßidendi, cùm hoc officium sit longè inferius officio prædicandi & conuertendi mundum, ac sacris imbuendi, & animas expiandi; in quo officio Episcopi ijdem succedunt Apostolis, neque id negant Cardinalium elatores, cur ergo Cardinales præcedant Episcopis? Ideò tandem fortasse ad præscriptionem confugient: Sed præscriptio in rebus diuinis, vt in humanis, locum non habet, vbi præsertim vis iuuat præscriptionem. Et si præscriptione sola procedunt, ius verum non habent; quia vbi iura non suppetunt, præscriptionibus vtimur, & contra præscriptionem rursus præscribi potest. Sic olim Hieronymi tempore, imò etiam Bernardi, Diaconi Romani præcedebant Presbyteros Romanos, idque iam præscripserant; nunc verò contrarium fit: igitur contra præscriptionem alia inualuit præscriptio, imò ius & veritas. Sed & hoc mirabile est, si ius hoc eligendi Papam, eique aßidendi, & eum consiliis & opera iuuandi, tantam tribuit dignitatem & excellentiàm, vt vel Episcopos superet, vel etiam magnos Principes, cur excellentia hæc ignota fuit per tot secula in Ecclesia; in qua tamen potestas hæc, quæ Cardinalium iam propria vsurpatur, semper fuit? Tempore sanè Benedicti octaui post millesimum Christi annum, cœpit esse in precio, inquit Genebrardus, non in vsu Cardinalatus. Vt verò pileo roseo vterentur, & equo veherentur Cardinales, concesßit Innocentius IV. ait Volaterranus; qui & illud addit: sicut enim vrbis Romæ Episcopus cæteris præstabat; sic etiam Clerus Romanus, cui titulos Euaristus primus omnium distribuit, ijdemque Pontifici de communibus fidelium rebus adsistebant: Cardinales deinde, id est, præcipui, aut principales posteris appellati. Pompa his splendorque comitum & ornatus defuere; quos Innocentius addit; vti diximus. Nostra quoque ætate Paulus (secundus) etiam capitis tegmenta russata. Hæc ille.* Sunt hæ omnes Sycophantarum calumniæ, ac imposturæ, negat Pontificem Rectorem esse Ecclesiæ vniuersæ, eum intra fines Episcopatus Romani cogit, vno eodemque conatu Cardinalium potestatem impetit ac labefactat, & quasi sua somnia nobis probarit, exultat, triumphat, nobisque insultat, & reuera Crotalum diceres, qui solutiore illa sua loquacitate neminem non obtundat; sed hominis nugas ac deliramenta profligauimus, ac dispunximus, & quæ hîc de coarctanda Cardinalium ad vnam electionem authoritate rursus inculcat, sunt suprà refutata, adeoque est demonstratum ex Bellarmino, vt in regendis priuatis Ecclesiis primus locus sit Episcoporum, in administranda tamen vniuersali Ecclesia primas habere Cardi-

Marginal notes: Alliac. de Eccl. autor. par. 1. c. 2. — Genebr. in Chron. an. 1030. Volat. l. 21. — Genebrar. an. 1464.

Cardinales orbis terrarum Iudices, & Pontificis Assessores & Consiliarios, qui & ipsi, vt plurimùm Episcopali adeóque principali dignitate effulgeant; sed hæc satis sunt in superioribus explicata, neque hîc aliud quàm probra retexit Aduersarius. Feramus illum genio indulgentem, vomitione corpora leuantur; non est igitur quod illam sistamus, valetudini hominis ita speramus profuturam. Sed de purpura differentem audiamus. *Proh dolor!* inquit, *vile palliolum flagrante iam clericali auaritia, adhuc tamen erat proprium Clericorum, hoc est Ecclesiasticorum virorum indumentum; nunc verò tandem ad purpuram deuentum est, quæ Regij decoris est insigne, vt ait Hieronymus, & Ambrosius Theodosium pœnitentem increpans, & à Presbyterio Ecclesiæ arcens, ait illi, Purpura Regem non Sacerdotem facit. Ideoque meritò in Narbonensi quodam Concilio primũ Decretum huiusmodi positum est, vt nullus clericorum vestimenta purpurea induat; quæ ad iactantiam pertinent mundialem; non ad religiosam dignitatem, vt sicut est deuotio in mente, ita & ostendatur in corpore, quæ purpura maximè laïcorum potestate præpeditis debetur, non religiosis. Momordit hoc Decretum Cardinalem purpuratum Baronium; eique hæc subdidit: vsus quidem purpuræ fuisse, scitur præcepto Dei in ornatu vestium summi Pontificis Christianorum; qua carere non debuit; cùm maiorem fore gloriam Christi Sacerdotij quàm Aaronici, pariter Prophetæ prædixerint: Porrò quæ peculiaris vsus Romanæ Ecclesiæ essent, aliis vti illis vetitum erat, &c. Debuit profectò Cardinalis hic, non minus in vultu, quàm in vestimentis erubescere, quando ista scripsit, grauem enim irrogat iniuriam Euangelio Christi; & sacræ Scripturæ turpem vim iniicit, dum gloriam totam spiritualem Christi Sacerdotij à Prophetis prædictam trahit ad inanem & fastuosam gloriam mundanam & temporalem, etiam in indumentis. Tunc sanè & purpura & aurum (vt loquar cum Hieronymo) probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum, quanquam hæc omnia præcesserint in figura: Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Nunc verò cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus, &c. Vide quæ in hoc genere scribimus, infrà libro 9. cap. 5. num. 34. 40. 41. Et Concilium Narbonense reprehendit vsum purpuræ in quocumque Sacerdote, etiam Romano, quamuis prohibitio illius Concilij extra illam Prouinciam non se extendat. Ludouicus Imperator piissimus, egregius Cleri reformator, in quadam Synodo, & ipse Narbonense Decretum secutus, constitui voluit; ne Episcopi & Clerici cuiusuis gradus preciosas vestes sericas coccinei coloris ferrent.* Atqui si assiduis conuiciis depudere non didicisset Spalatensis, ac duritia oris non laborasset, magnum Cardinalem immerentem tam acerbè non vexasset. Annon igitur verum est, quod ille scripsit, *vsum purpuræ fuisse Dei præcepto in ornatu vestium summi Sacerdotis veteris legis:* quo inferior non sit Ecclesiæ Catholicæ Pontifex & Rector? Sed propiùs ad rem. Purpuram Regum & Imperatorum insigne fuisse, vel ipsi pueri norunt. Vnde apud Herodianum Commodus, vt se Imperatore Patre natum significaret inter cætera exercitum his verbis affatus est: *Priuatis intactum cunabulis statim, vt ex alio prodieram, Imperatoria purpura suscepit, simulque Sol me vidit hominem & Principem.* Quare & Horatio, & Claudiano tyranni ac Reges *purpurei*, id est, purpurati vocantur: Verùm non modò Regum, sed etiam honoratiorum quoque Magistratuum ornamentum fuisse, etiam omnes do-

Spal.n.55. Hieron. in procem. l. 8. in Ezech. Idem in Isa. c. 61. Antonin. Chron. 2. p. tit. 9. c. 8. §. 3. Apud Bar. tom. 8. ann. 598. n. 32. Exod. 39. Hier. ep. 2. 1. Cor. 10. Apud Platinam in Greg. 4. Bar. tom. 8. an. 598. nu. 33. Apud Herod. lib. 1. Horat. li. 1. Carm. Ode 35. Claudianus de raptu Proserp. l. 2.

cti norunt, vnde aliquando purpura pro ipsis Magistratibus ponitur,

Purpura te fœlix, te colit omnis honos,

Plin.lib.10. c.21. Ait Martialis: & Plinius *Romanam purpuram*, Romanos vocat Magistratus. Cæterùm apud Principes qui dignitate anteirent, à purpurea veste qua vterentur, purpurati etiam dicebantur, vnde est illud constantissimi viri ad immanem tyrannum; *Istis quæso*, inquit, *ista horribilia minitare purpuratis tuis.* Nec solùm prophanorum Magistratuum vsibus illa cessit, sed & Pontifices ornauit, namque prætextatas Sacerdotes describit Liuius. Erat verò prætexta toga vestimenti genus oblongum ac talare, quod supra tunicas honoratissimi quique sumebant, ita dicta, quod ei purpura prætexeretur περιπόρφυρος qua etiam vnà cum bulla ingenui pueri vtebantur vsque ad decimum septimum annum. Quid ergo prohibeat purpuram tum à Pontifice Christianorum, tum ab honoratioribus ministris, Cardinalibus scilicet, vsurpari? *At inquit Concilium Narbonense*, ait Spalatensis, *ad iactantiam pertinent mundialem purpurea vestimenta, non ad religiosam dignitatem.* Respondeo si in vniuersum hæc ratio obtineat, & aurum & argentum è templis Christianorum esse eliminandum, nec etiam Spalatensi permissum, vt lino seu bysso vtatur, quandoquidem & hæc ad fastum mundanum pertinere videntur, nec verò latiùs sese fundit Ludouici pij decretum. Est ergo Concilij sensus ex eorum conditione, in quos lex ferretur, rimandus, priuata erat Synodus vnius Narbonensis Prouinciæ, quæ propterea non nisi priuatos suos Clericos hoc decreto teneri voluerit, & verè omninò Cardinalis Baronius aduertit, quæ peculiaris vsus Romanæ Curiæ essent, aliis vti illis vetitum fuisse, vt ex Gregorio constat, qui calceorum compaginatorum, dalmaticarum mapularum, vsum aliarum Ecclesiarum Clericis interdictum scribit. Propterea scilicet summis Ecclesiæ Ministris sola purpura est relicta, cuius ornatum ne ad Apocalypticum scortum referat Aduersarius, aduertendum est, & nobilissimum pannum & fulgentissimum colorem in adiaphoris & indifferentibus poni, cuius vsus & bonus & malus esse possit; malus si ad pompam & lasciuiam referatur, bonus si duntaxat tanquam ius legitimæ dignitatis insigne citra omnem fastum retineatur; neque verò solùm meretrix illa Apocalyptica, purpurata describitur, sed & in mulieris illius fortis, quam depingit Salomon, quamque typum esse Ecclesiæ contendit Augustinus, laudibus istud ponitur, *byssus & purpura vestimentum eius.* Neque verò si ad fastum solum pertinuisset purpura summo sacrorum suorum ministro, Pontifici antiquæ legis eius vsum concessisset Deus, aut etiam in tabernaculi aut templi ornamentis locum habere voluisset. Non dubito verò Boromæos, Bellarminos, Baronios, ac similes purpura fulgentes demissiùs de se sensisse, quàm viliori etiam Pallio amictus sentiat Spalatensis, neque enim protinus nobilior amictus superbiam inducit, & notum est illud Reginæ Estheris ad Deum: *Tu scis quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Quibus verbis suam humilitatem prodit, quæ Regio ornatu nullatenus corrumperetur aut labefactaretur, cuius exemplo non dubito sanctissimos viros, cũ nobiliorẽ illum amictum gestarent, omnẽ fastum ac arrogantiam abiecisse, ac

Margin notes: Cicer Tuscul quæst. lib. 1. — Liuius l. 34. — Spalat. Num. 55. — Prou. 30. — Esther. 14.

ac hoc vnum ſibi propoſuiſſe purpuram Cardinalibus additam, non ad faſtum aut excitandum, aut alendum, ſed ad hoc vt ex eo amictu diſcerent quid ab eis ſumma dignitas repoſceret. Certè Innocentium IV. cùm Eccleſia grauiſſimè à Friderico II vexaretur, ſtatuiſſe, vt Cardinales omnes rubro galero vterentur, quo videlicet ſcirent, ſua capita pro Eccleſiæ libertate tuenda, etiam mortis periculo obiicienda, præſertim illo tempore quo Fridericus aduerſus Eccleſiaſticos omnes ſæuiret, hiſtoriæ tradunt. Quemadmodum igitur olim, ideò ingenuis pueris attributam prætextam togam exiſtimant, vt ex purpuræ rubore ingenui pudoris admonerentur: ita Pontifex purpurei coloris galerum voluit eſſe Cardinalitium, vt rubri coloris ſpecie obiecta edocerentur ſanguinem pro Eccleſia vltrò fundere, vbi ei eſſent profuturi. Ad illud Hieronymi quod opponit aduerſus purpuram Spalatenſis, Reſpondeo Hieronymum hoc tantum ſibi velle, quod alio loco inculcat ipſe Cardinalis Baronius, Gregorij paupertatem laudibus in cœlum tollens, ac egentiſſimum eum deſcribens: *Hæc autem*, inquit, *ſpectanda proponimus aduerſus eos qui Pontificium decus totum collocant in regio apparatu; quo ſi vel minimùm careat, imminui penitus putant Pontificiam maieſtatem. Sed cùm & hoc non negligendum putemus, Apoſtolicum tamen ſplendorem cæleſtibus magis intelligant micare radiis, & diuinæ præſentiæ, quæ ei aſſiſtens inuigilat, coruſcare fulgoribus, illuſtrari inſuper addito nitore virtutum: cùm ſciamus pauperrimos ſæpè Pontifices extorres Regibus imperaſſe, & Imperatores potentiſſimos infrænaſſe, atque ad pœnitentiam humi quoque proſtraſſe.* Sanè Hieronymus ipſe quæ de futura Eccleſiæ gloria vaticinati ſunt Prophetæ, non modò ſpiritaliter, verùm etiam carnaliter, vt ille loquitur aliquando impleta eſſe ſuis ad Eſaiam commentariis contendit. Bar. tom. 8. ann. 593. n. 58.

Sed dicamus de Hieronymo ipſo, num Cardinalis fuerit, & rubrum galerum geſtarit: *Scias verò*, inquit Spalatenſis, *Hieronymo viro ſanctiſſimo iniuriam non leuem fieri; dum ille qui vili palliolo fuit ſemper contentus, & veſtimentorum faſtum in Clericis tantopere reprehendit; purpura fulgens, ad modum noſtrorum Cardinalium pingitur; qui ne Cardinalis quidem vnquam Romanus fuit; imò neque abſolutè fuit in vlla Eccleſia Presbyter Cardinalis; quia in nulla vnquam Eccleſia fuit incardinatus aut fixus in ea miniſter ordinarius, & ſub certo titulo collocatus: Ordinatus quidem Presbyter eſt Antiochiæ; ſed miniſteriis Presbyteralibus illius Eccleſiæ non eſt deputatus, & maluit abſtinere ab officio Presbyterali exercendo, quam in vlla Eccleſia incardinari Monachali profeſſione, hoc eſt à Clericali remotiſſima, contentus, perpetuò clericalem vitam fugit; vt docui libro ſecundo cap. 12. nu. 52. 53. & quandiu Damaſo in ſcribendis literis inſeruiuit, nullum titulum Eccleſiaſticum habuit, cuius miniſterio eſſet fixè deputatus. Qui igitur illum Cardinalem Romanum faciunt, errant plurimum: & quædam quæ dicitur Auguſtini Epiſtola, eſt mera impoſtura: ſicut & ſerm. 24. ad fratres in eremo, in quibus Hieronymus ſatis inſulsè, vocatur Presbyter Cardinalis.* SPALAT. Num. 56. Hier. epiſt. 57. Inter Hier. epiſt. Epiſt. 97.

Obiiciet fortaſſe aliquis mihi priuilegium à magno Conſtantino datum Papæ Silueſtro, & eius Clero, quem dicimus eſſe Cardinales, in quo hæc habentur. Et viros religioſiſſimos diuerſorum ordinum Clericos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientes, ornari decernimus, & illam habere amplitudinem & maieſtatẽ, qua ornatus erat magnus noſter ſenatus, ſeu Patricij & Conſules, & reliqua dignitates. Et ſicut Imperialis exornata eſt militia; Ita etiam S.R.E. Clerum exornari decernimus. Et quemadmodum imperatoria poteſtas multis officiis exornata eſt, Cubiculariorum, Oſtiariorũ, SPALAT. Num. 57. Apud Balſ. in Nomoc. Photij tit. 8.

Excubitorum, ita etiam sanctam Romanam Ecclesiã exornari volumus; & vt lumen Episcopale quam amplißimè præfulgeat. Hoc quoque decernimus, vt Clerici sancti Romanæ Ecclesiæ equitent equos albis linteis ornatos: & sicut noster senatus fert calceos, seu sandalia cum linteis albis; ita etiam cœlestia sicut terrestria ad Dei laudem, &c. Hoc tamen priuilegium, seu hanc Constantini donationem totam esse fictitiam etiam nostri fatentur Monarchici præcipui, vt considerabo lib. 6. cap. 11. num. 52. 53. sed si etiam velint Domini Cardinales suam dignitatem, suaque priuilegia, Imperiali concessioni accepta ferre; non resisto: sint Patricij, sint Consulares, vt lubet; Fulgeant laïca purpura, & sæculari potestate quàm maxima velint, non repugno: In Ecclesiasticam tamen se non intrudant Hierarchiam: Episcopos si sub se tenent, sicut Reges & Principes Mundani & temporales, suadeo & mihi & omnibus Episcopis, vt hisce Principibus laïcis humile obsequium exhibeamus; sed si Ecclesiæ ministri id faciunt; & illi errant, dum nos subiiciunt, & nos adhuc magis erramus, qui indebitè obsequimur. Non est quod profligatæ de Cardinalatu Hieronymi fabulæ gloriam sibi asserat Spalatensis, impudens commentum pluribus refellit in Annalibus magnus Baronius, ostenditque licet Romæ aliquando fuerit, Damasumque iuuerit in conscribendis epistolis, non tamen Romanæ Ecclesiæ Presbyterum fuisse, sed Antiochenæ. Quod ipse Hieronymus in epistola quadam de se profitetur. Sic igitur Baronius: *Placuit,* inquit, *Paulino Episcopo Antiocheno, eundem sanctum Hieronymum ordinare Presbyterum: cui tamen sic ipse assensit, vt non pateretur alicui ascribi Ecclesiæ, quippe qui sic consentiret in Clerum adsciri, vt tamen nollet deserere esse monachus, sed pro animi arbitrio liber quo vellet, pergeret. Testatur id ipse Hieronymus, cùm à Ioanne Episcopo Hierosolymitano ipsius Ecclesiæ subiici tentaretur, ad Pammachium scribens, ipsum Ioannem ita compellens: Porrò quod dicis, te petiisse, vt subiicerentur Ecclesiæ Dei, & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum: de quibus dicas non satis intelligo. Si de me & Presbytero Vincentio: Satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim & ego Antiochiam & ille Constantinopolim vrbes celeberrimas deseruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, sed vt in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi sermo est: Vides eum Episcopo suo esse subiectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non vt tuum, sed vt alienum, eius videlicet à quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine viuere; quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis? Fac à te ordinatum: Idem ab eo audies, quod à me misello homine sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus audiuit: Num rogaui te vt ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, vt monachum nobis non auferas: tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine Presbyteri tollis mihi propter quod seculum reliqui: ego habeo quod semper habui, nullum dispendium in ordinatione passus est. Hæc ipse.*

Hier. ep. 11. Id. ep. 61. Baron. to. 4. an. 378.

Ex his vides, nequaquam sustinuisse Hieronymum alicui, cùm ordinatus est, adscribi titulo, nec postea in aliquam referri Ecclesiam tolerasse: immò de ambobus, nempè de Hieronymo & Vincentio, Epiphanius ad Ioannem scribens testatur, nec precibus adduci vnquam potuisse, vt vel saltem in monasterio Sacerdotis munere fungerentur. At si quod plerique dicunt, idem Hieronymus à Damaso Papa factus est Cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ; cur cùm redigi vellet à Ioanne sub Ecclesia Hierosolymitana, non æquè excepit,

ſicut de ordinatione à Paulino facta, ita de Cardinalatu, quo dicunt à Damaſo Romæ donatum? Vel cur ex illa facta conteſtatione Paulino, ſe omnino liberum eſſe declarat, ſi poſtea à Damaſo in titulum Cardinalis cooptatus eſt? Sed cùm omnino ſe liberum fateatur, nec vnquam tituli vinculo voluiſſe aſtringi teſtetur: vide quo modo ſubſiſtat, vt fuerit ipſe creatus à Damaſo Presbyter Cardinalis. Da igitur Presbyterum Cardinalem ſine titulo & acquieſcent, qui de his dubitant dicentibus Hieronymum ordinatum à Damaſo Presbyterum Cardinalem; ſunt enim correlatiua, & ad aliquid ſignificantia antiquo more Presbyter Cardinalis & titulus, vt alterum ſine altero eſſe non valeat. Nec eſt quod fingere quis poſſit, Hieronymum poſtquam recuſauit adſcribi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, venientem rurſus Romam, paſſum à Damaſo in titulum Cardinalis adſcribi: nam illa Epiſtola (vt vbi teſtatur) decimo tertio anno ſcripta eſt, poſtquam Hieronymus Hieroſolymis commoratus eſt, totidemque & amplius poſt obitum Damaſi. Rurſus expendens illa verba Hieronymi ad Aſellam: *Antequam domum S. Paulæ noſſem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant, omnium penè iudicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damaſus meus ſermo erat, dicebar ſanctus, dicebar humilis & diſertus, &c. Ex his autem quod dicat dignũ Sacerdotio æſtimatum, opinati ſunt, puto nonnulli eũdem Hieronymum creatum fuiſſe à Damaſo Papa Presbyterum Cardinalem, non intelligentes, per ſummum Sacerdotium, quemlibet Epiſcopatum deſignari, vt pluribus in noſtris ad Romanũ Martyrologiũ notis palam fecimus. Sed & quod intimè Damaſo inhæreret, eã dignitatem exiſtimant conſecutum: quaſi neceſſe fuerit, omnem qui ab Epiſtolis eſſet ſummo Pontifici fuiſſe Cardinalem; cùm de S. Proſpero, authore Gennadio, certum ſit in eodem miniſterio vſui fuiſſe S. Leoni Pontifici, nec tamen Cardinalem extitiſſe: vel ex eo alij deduxerunt argumentum, quod S. Auguſtinus ad ipſum Hieronymum ſcribens hæc dicat. Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus, Hieronymo minor eſt. Ita ipſe. Sed quæ hæc multa? Accipe: quod ætate grandior cui plurimùm deferendum erat, quodque Chriſtianus à puero, quod inſuper peritia linguarum excellebat, quod nulla aliquãdo hæreſi fuerit infamatus, vel ſpuria ſobole auctus; quibus omnibus Auguſtinũ Hieronymo fuiſſe minorem, liquidò conſtat, ſed & quod ſuperius à nobis pluribus dictum ſit, Hieronymum ita creatum eſſe Presbyterum Antiochiæ à Paulino, vt nunquam paſſus fuerit alicui aſcribi titulo: haud adeò liberè poſſumus, ipſo contradicente eius Cardinalatui ſuffragari.* Sed nec diſpuncti huius alterius commenti gloria Spalatenſem manet, quod etiam à magno Annalium parente in Annalibus videre ſit: *Sic Græci donant*, inquit, *vt ſurripiant potiora, de quibus poëticum illud modo ſit nobis meritò vſurpandum.*

Baron. to. 4. an. 382.

Baron. to. 3. an. 324.

Quicquid id eſt: timeo Danaos & dona ferentes.

Non enim eo erga Eccleſiam Romanam ſtudio tenebantur, vt quæ eius gloriæ eſſe viderent & honoris, ſolicitè curarent: cuius excellentiam ſuperbæ admodum æmulati notam eidem inurere potius ſemper ſtuduerint, quàm gloriam comparare: eſt enim eius rei (vt de reliquis taceam) locuples teſtis Theodorum Balſamon, atque reliqua ſchiſmaticorum colluuies. Quis non credat, ab ipſis ex eodem edicto maieſtatem Romanæ Eccleſiæ prædicari, cùm ex eo hæc quæ ſequuntur proferant, à Conſtantino verbis illis fuiſſe ſtatuta? Decernentes ſtatuimus, vt Romana Eccleſia habeat principalem poteſtatem, & ſit caput quatuor ſedium, ſedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ, & (vt ſemel dicam) omnium totius orbis Eccleſiarum. Abſit à Romanæ Eccleſiæ amplitudine & dignitate, vt ab homine eiuſmodi

sibi vendicet potestatem, & non potius à Christo per Petrum. An non sæpius demonstratum est secundo Annalium tomo, Romani Pontificis super omnes vbique Ecclesias, earumque Præsules fuisse authoritatem, etiam cum ipsa Regina Prouinciarum esset sub tributo, cùm scilicet Tyrannorum persecutionibus Ecclesia vexaretur? Turpe planè est atque admodum indignum, acceptum ferre mortali, quod ab ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo constat eidem in Petro esse collatum. Sed nec illud ipsum eidem à Constantino gratis donatum volunt, verùm vt id totum in Ecclesiæ Constantinopolitanæ conuertatur emolumentum, nempè vt hac techna inter sedes antiquas Patriarchales enumeretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedes. Testis Græcus (vetus hæc parœmia) satis est. Appello clarissimum oratorem de his pro Flacco differentem: qui tamen excipit ab eiusmodi iniusta antiquitus nota bonos, doctos atque prudentes, ac multo magis nos Christianæ Religionis præclarissimos atque sanctissimos viros, Catholicæ pietatis & vnitatis cultores, ab ea contumelia censemus absoluendos, ac penitus liberandos: cæterùm quos semel hæresis labefactauit, vel schisma diuisit, Ethnicis deteriores effectos esse, semper agnouimus. Non igitur flaccido illo argumento nituntur Cardinalium prærogatiuæ, adeoque operam & oleum perdidit Spalatensis in his refellendis, quæ pridem ab aliis explosa, immoratus. Sed insolentissimi hominis vide fastum & arrogantiam. *Reduximus igitur*, inquit, *Illustrissimos Dominos Cardinales ad suum verum statum & officium, illosque ab illa eximia sublimitate deiecimus.* Itane verò potentissimi numinis instar valet ima summis mutare, & insignem attenuat? Annon & hoc quoque Thrasyleæ dementiæ, & vanitatis specimen? Pergit verò: *Quoniam Bernardus*, inquit, *vir sanctus, in numero defensorum præsentis Cardinalatus reponitur à nostris, id restat meritò excutiendum. Veniamus, inquit, ad collaterales & coadiutores tuos, hi seduli tui, hi intimi tui. Hæc ad Eugenium: & infrà; Annon eligendi de toto orbe orbem iudicaturi? Item: Nulli dubium quin ad vos* (ait ad Cardinales) *specialiter spectet tollere scandalum de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis, &c. Subdit Bellarminus hæc verba: Vbi apertissimè agnoscit sanctus Bernardus maiorem in Cardinalibus, quàm in Episcopis potestatem.*

Spalat. Num. 58. — Bellarm. de Cler. l. 1. c. 16. — Bernard. de consid. l. 4. c. 4. — Id. ep. 188.

Si Bernardus in aliqua parte Monarchiæ Romanæ & Curiæ condescenderet; id illis temporibus tribuendum esset; quibus iam Monarchia illa non parum sese extulerat: quare neque nimium nos in hoc mouere debet Bernardi authoritas. Sed ne Bernardus quidem reuera in Cardinalibus tantam agnoscit Ecclesiasticam dignitatem, vt eos adæquet, nedum anteferat Episcopis. In tribus ille officiis videbat Cardinales occupari videlicet in Papa eligendo, in eodem consiliis iuuando, & in legationibus peragendis; quæ tamen in se nullam necessariò includunt Ecclesiasticam propriam dignitatem; possunt enim in his omnibus officiis egregiè Laici quoque supplere: & bene dicit Torcellanus, Cardinalatum nunc potius esse potestatem iurisdictionis, quàm ordinis. Cùm ergo Papa horum tanquam suorum Ministrorum, vtendum sit opera; vt eorum delectum habeat, monet pluribus Bernardus, vt non quoslibet obuios, & ei sese intrudentes, sed sapientiores quosque ex vniuersis mundi partibus assumat; vt ab ijs instrui possit in negociis Ecclesiasticis, quæ ex toto orbe ad eam sedem, consilij gratia deferri solebant definiendis. Et sanè Cardinalatum à Bernardo non fuisse reputatum Ecclesiasticam propriam dignitatem, vt nunc reputatur, sed officium & ministerium quoddam amouibile, ad placitum Domini Papæ; inde collige, quod ait ipse Bernardus Eugenio: Curæ tibi maximè sit introducere tales, quos postmodum introduxisse

Spalat. Num. 59. — Bernard. de consid. l. 4. c. 4.

duxisse non pœniteat. Turpe est tibi sæpius retractare quod feceris; & indicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit, tracta apud te, & cum ijs qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est: sapientis consilium est; omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficile in curia posse probari; & ideo si fieri potest, viros probatos oportere deligi non probandos. Nos in Monasterijs omnes recipimus spe meliorandi: At curia bonos facilius recipere, quàm facere consueuit. Quod si plures in ea defecisse bonos, quàm malos profecisse probauimus quærendi, sanè quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur; vt pote iam perfectis. Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes etiam coge illos, & compelle intrare. Hæ probationes, vt vides apud Bernardum supponunt libertatem in Papa, vt posßit, si velit quamuis non deceat Cardinales subinde mutare, si ad ea munera ad quæ eos assumit idoneos non repererit; eo modo quo Princeps quicunque liber est in suis sibi eligendis & dimittendis consiliariis. Itaque Cardinales Bernardus ne titulatos quidem ordinarios Ecclesiarum suarum Rectores agnoscit, sed externos consiliarios qui Cleri Romani pars nulla sint, quales reuera hodie quoque sunt. Quid verò quod Diaconos Cardinales ad pedes Papæ idem Bernardus facit sedere, vt suprà vidimus nu. 30. quos non dignitatis priuilegio, sed sedulitatis debito Diaconos vocari asserit; qui Papæ aßistant propiores, vt habeat paratiores?

Quia ergo Cardinalibus vtitur in consilio Papa, & in Ministerijs, ideo Bernardus Cardinales vocat Papæ collaterales, & coadiutores, & sedulos, & intimos, & orbem iudicaturos; hoc est Papæ orbis negotia Ecclesiastica agitanti, & suum iudicium interponenti (de quo agam lib. 7. & 8.) suo consilio affuturos; & si Legati mittantur, etiam executuros. Atque in hoc eorum consistit dignitas & potestas, vt Papæ adiutores & ministri, non propria, sed ipsius authoritate multa peragant, quæ ad generalem superintendentiam omnium Ecclesiarum Papæ spectant, vt infrà docebo. Imo ex hoc ipso quod Cardinales sunt meri Papæ adiutores, Vicarij & Ministri, optimè colligimus eos esse Episcopis longè inferiores, qui propriam habent de iure diuino potestatem; & non sunt vllius adiutores, Vicarij, aut locum tenentes, nisi Christi, vt plenè docui libro 2. capite 5. Cardinales beneficio Pontificum, à quibus propterea pendeant in sacrum senatum cooptatos, atque ad hoc fastigium honoris euectos, quod ex Bernardo colligit Spalatensis, vltrò admittimus, eam potestatem sic iurisdictionis esse Torcellano concedimus, vt Diaconatui, Presbyteratui, atque etiam Episcopatui additam in culmine rerum Ecclesiasticarum ponamus, quippe quæ tota in administranda Ecclesia occupata sit: functiones verò quibus nititur, Laïcis quoque attribui potuisse circa cleri ac ordinis Ecclesiastici iniuriam negamus his summam illis conciliari dignitatem, præcipuum quendam & principalem honorem comparari contendimus: namque ex Epistolæ inscriptione discere potuit Aduersarius sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales Episcopis anteponit, vt autem ob grauiora facinora exauthorari possint, nec ipsi Episcopi aut Archiepiscopi vbi deliquerint cēsuram effugere possint, adeoque Patriarchas ob enormia quædam facinora à Pontifice de gradu deiectos, habent Ecclesiastici annales, vt proinde hæc, quæ ex Bernardo contra Bernardi mentem inculcat, præstantissimi ordinis dignitati nihil officiant, tantique Patres quem Caluino aliquanto impudentior assentationis immeritò postulat, Cardinalibus eximius suus constet honos nullis sycophantiis labefactandos. Sed harum nondum finis: *Ante Bernardum*, inquit, *vno, aut altero sæculo veri*

SPALAT. Num. 60.

SPALAT. Num. 61.

Apud Baro. tom.11. an. 1061. nu.11. *collaterales, & intimi Papæ, non erant omnes Cardinales, sed soli Episcopi Cardinales. Audi Petrum Damiani Cadaloum Antipapam sic alloquẽtem: Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis? Qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt; & quibusdam alijs prærogatiuis, non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt? Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi vnius lapidis, id est Romanæ Ecclesiæ, de quibus per Zachariam dicitur:* Zachar.3. *Ecce, inquit, lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt ipsi lucernæ vnius candelabri, de quibus ipse postmodum loquitur dicens:* Ibid.4. *Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius: & septem lucernas super illud. Ipsi sunt & candelabra, in quorum medio Iesus iuxta beati* Apoc. 2. *Ioannis verba discurrit, & hunc sermonem qui illic præstò subiungitur: in te quodammodo specialiter dirigit: Memor esto, inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam. Planè si pœnitentia iure plectendus est, quisquis cuilibet iniuriam irrogat Sacerdoti, qua tu sententia dignus es, qui illud præiudicium Sacerdotibus intulisti, quorum consilio & iudicio, status & disciplina dignus es, debet totius Ecclesiæ gubernari? Et cùm canonica decernat authoritas, vt vel humilis cuiusque Ecclesiæ clero liceat liberum de illo qui sibi præferendus est habere iudicium, qua tumoris audacia tu præsumpsisti, te violenter illis ingerere, qui præter communem Ecclesiæ regulam, super ipsos quoque Pontifices, authenticam præualent seruare censuram? Hæc de solis Episcopis Cardinalibus exaggerat Petrus Cardinalis, Romanæ Monarchiæ assertor & defensor acerrimus, quos septenario includit numero. Erant enim circa eadem tempora Cardinales omnes Romani ad numerum 57. suis classibus diuisi, hoc pacto; vt in Bibliotheca Vaticana annotatum reperitur.* Respondeo Petrum Damianum vsurpatorem Apostolicæ sedis Cadaloum, authoritate Ecclesiastica obruere volentem, præcipuos ac primarios Ecclesiæ Romanæ ministros in medium adduxisse, scilicet Cardinales Episcopos, *Qui*, inquit, *Romanum Pontificem principaliter eligunt*, sed proculdubio etiam alios fuisse sæculo Damiani Andabatarum more pugnans, ac sua ipse vinæta cedens, probat Spalatensis, *circa eadem tempora*, ad 57. Cardinales Romanos enumerans suis classibus diuisos, quod in Bibliotheca Vaticana annotatum reperiri concedit. *Sunt autem*, inquit, *in Ecclesia Romana quinque sedes Patriarchales. Prima est Ecclesia Lateranensis; quæ & Constantiana, & Basilica Saluatoris, diuerso nomine nuncupantur. Hæc habet septem Cardinales Episcopos, hosque dictos Episcopos collaterales, itemque & hebdomadarios, eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis. Episcopi Cardinales erant hi, Ostiensis; Portuensis; S. Ruffinæ, siue Syluæ candidæ: Albanensis, Sabinensis, Tusculanus, Prænestinus. Alia Patriarchalis est sanctæ Mariæ, Maior dicta; in qua habet septem Cardinales Presbyteros, scilicet Cardinalem sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi; S. Syriaci in Thermis; S. Eusebij; S. Pudentianæ; S. Vitalis; SS. Petri & Marcellini; & S. Clemẽtis. Alia Patriarchalis Ecclesia S. Petri, in qua itẽ septem sunt Presbyteri Cardinales, scilicet S. Mariæ trans Tyberim; S. Chrysogoni; S. Cæciliæ; S. Anastasiæ; S. Laurẽtij in Damaso; S. Marci; SS. Martini & Syluestri. Alia Ecclesia Patriarchalis est Basilica S. Pauli; in qua sunt Cardinales S. Sabinæ; S. Priscæ; S. Balbinæ; SS. Nerei & Archilei; S. Sixti; S. Marcelli; S. Susannæ. Quinta Patriarchalis erat S. Laurentius extra muros; in qua sunt hi Cardinales, S. Praxedis; S. Petri ad vincula; S. Laurentij in Lucina; SS. Ioannis & Pauli; SS. quatuor Coronatorum; S. Stephani in monte Cælio; S. Quirici. His autem Patriarchalibus Ecclesijs præfecti erant hi, Lateranensi primus Episcopus collateralis; S. Mariæ Maiori,*

Spalat. Num.62. Apud Baro. ibi. an. 1057. num.16. & seqq.

Maiori, Archipresbyter Cardinalis; *S. Petro, Archipresbyter* Cardinalis; *Ecclesia S. Pauli, Abbas* Cardinalis, *Ecclesia S. Laurentij Abbas* Cardinalis. *Sunt præter titulos, Diaconiæ, ijsque præfecti Diaconi Cardinales dicti Regionarij, ijdemque nu. 12. Diaconijs Regionarijs præfecti. Item Diaconi Palatini 6. Hi præsunt Diaconijs, quæ sunt; S. Maria in Dominica, cui præest Archidiaconus; S. Lucia ad 7. folia; S. Maria noua; SS. Cosma & Damianus; S. Hadrianus; SS. Sergius & Bacchus; S. Theodorus; S. Georgius; S. Maria in schola Græca; S. Maria in porticu; S. Nicolaus in carcere, S. Angelus in foro piscario, S. Eustachius, S. Maria in Aquiro, S. Maria in via lata, S. Agatha in equo marmoreo, S. Lucia in capite Suburræ, S. Viti in Macello. Est munus Diaconorum Regionariorum cantare Euangelium in stationibus: Palatini cantant Euangelium in Ecclesia Lateranensi. Veri ergo Cardinales collaterales erant septem illi Episcopi, in Lateranensi Patriarchio contenti: quibus si addas Presbyteros Cardinales in 4. aliis Patriarchiis septenos, erunt 35. Insuper duo sunt Archipresbyteri Cardinales, alter S. Mariæ Maioris, alter* S. Petri; *duo item Abbates* Cardinales, *alter* S. Pauli, *alter* S. Laurentij *extra muros. Diaconi Regionarij sunt 12. Palatini verò, hoc est Ecclesiæ in Palatio Lateranensi constructæ sex. Itaque completur omnium* Cardinalium *numerus 57. Et obserua Diaconos Cardinales illud potissimum tunc officium habuisse, vt Euangelia cantarent. Sed & Subdiaconi sunt, inquit, omnes num. 21. Et inde numerat Abbatias 22. Ad extremum numerat etiam Episcopos suffraganeos Romanæ Metropolis, vltra illos 7. collaterales ad numerum 62. vt suprà posuimus cap. 2. nu. 17.* Quod verò vrget, *solos Episcopos collaterales* dici, ad sensum Bernardi non est; namque propterea collaterales vocat Cardinales, & coadiutores Pontificis, ad participationem consiliorum omnino referendum est. *Veniamus*, inquit, *ad collaterales & coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt: si mali æquè plus tibi. Ne te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut si bonus sis, bonitas tua solius quem fructum afferre potest? Sicut in superiore libro dixisse me memini. Quid, inquam, emolumenti affert Ecclesiis Dei tua vnius hominis iustitia, vbi sententia praualet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quàm sanitas vicino serpente. Non est quo te subducas malo intestino. Et è regione bonum domesticum eo amplius, quo sæpius iuuat. Sed siue leuent, siue grauent, cui rectius imputandum quàm tibi, qui tales aut elegisti, aut admisisti?* At verò in Bibliotheca Vaticana collaterales Episcopi dicuntur, qui in Ecclesia Lateranensi vbi Pôtificia sedes fuit, vsque ad Gregorij vndecimi reditum Auenione, singuli suis diebus per vices in ara maxima celebrare Missas soliti essent, modò præsente, modò absente Pontifice. Quod apparet ex Anastasio Bibliothecario, qui in vita Stephani Papæ, quem creatum constat anno DCCLXVIII. expressam facit mentionem de Episcopis Cardinalibus hebdomadariis. Sic enim eos appellat. Quare hunc etiam ordinem fuisse accepimus, vt Dominicus dies Ostiensi tributus esset, proximus Episcopo Cardinali Syluæ candidæ, tertius Portuensi, reliqui deinceps Sabino, Prænestino, Tusculano, Albano. Nec dubium est quin id ad Pontificis dignitatem institutum esset, vt sicuti aliis Ecclesiis Presbyteri Cardinales, ita huic vni Episcopi Cardinales deseruirent. Atque hi quidem Episcopi, etiamsi Pontifici proximi & Cardinales dicti, tamen multo tempore nihil præcipui præ aliis Episcopis habuere, neque eos vel dignitate, vel sessionis ordine præibant, nisi forte antiquiores ordinatione essent, quod aliis quoque commune est. Hac igitur ratione collaterales dicebantur, non quòd soli senatum

Bernard. de consid. l. 4. c. 4.

Platus c. 2. de Cardin. offic. & dign.

Pontificium componerent, in quem etiam alij Cardinales, cùm de publicis negotiis ageretur, admitti consueuissent. Sed quãdo in Damiani mentionem incidimus, lubet ea ascribere, quibus Lateranensi Ecclesiæ alias Patriarchales Ecclesias, quæ suos quoque habẽt Cardinales, adiungit: *Inter hæc,* inquit, *tã profunda periclitantis mundi naufragosa discrimina, inter tot immane patentes perditionis humanæ voragines, vnicus & singularis portus Romana patet Ecclesia; & vt ita fatear, pauperculi Piscatoris est parata sagena, quæ omnes ad se sincerè confugientes de procellarum intumescẽtium fluctibus eripit, & in littore salutiferæ quietis exponit. Hinc est quod ipsa Ecclesia excellentioribus præ cæteris totius orbis Ecclesiis nititur priuilegiis, sed & mysticis etiam instituta atque disposita non ambigitur Sacramentis; nam vt de pluribus pauca perstringam, Lateranensis Ecclesia, sicut Saluatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater & quidam apex & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum, sacrosanctum illud altare licet accedere, ac diuini cultus mysteria celebrare. In quo nimirum illud Zachariæ continetur euidẽter oraculum: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. Lapis autem iste illa proculdubio Petra est, de qua verus Iesus Petro pollicetur, dicens: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem igitur oculos habet hæc Petra, quia totidem sancti Spiritus donis sancta præfulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans ignorantiæ tenebras effugat, & ad contemplandum Iustitiæ solem hominum mentes illustrat, de quo idem Propheta, Vidi, ait, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud. Quod vtique Sacramentum & B. Ioannes in Apocalypsi se didicisse non tacuit, cui dictum est: Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum; & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. Hæc igitur ad honorem condita S. Saluatoris Ecclesia culmen, ac summitas totius Christianæ religionis effecta, vt ita dixerim Ecclesia est Ecclesiarum, & sancta sanctorum. Habet autem altrinsecus beatorum Apostolorũ Petri & Pauli diuersis quidem locis constitutas Ecclesias, sed sui compage Sacramenti, quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet, indifferenter vnitas. His itaque tanquam expansis diuinæ misericordiæ brachiis, summa illa & vniuersalis Ecclesia omnem ambitum totius orbis complectitur. Omnes qui saluari appetunt, in maternæ pietatis gremio confouet, & tuetur. Hac Iesus summus videlicet Pontifex, arce subnixus, totam in orbe terrarum Ecclesiam suam in Sacramenti vnitate confœderat, vt vnus Sacerdos, vna meritò credatur Ecclesia: vnde per Prophetam dicitur: Ecce vir Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum, & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solium suum, & erit Sacerdos super solio suo.* Sed ne quid eorum quæ ad Cardinales illustrissimos in officio continendos facere possint, prætermisisse videamur, age etiam quæ de his habet Bernardus, cum Spalatensi retexamus. *In talibus* (inquit Bernardus) referente Spalatensi, *vt opinor, requiescet Spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecũdi, sed timorati, qui præter Dominũ timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo. Qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint cõpositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem. Qui sint in iudicio*

Damianus l.2.ep.1.

Spalat. Num.63.

dicio

dicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, in loquẽdo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrij, in misericordia non remissi, in ocio non ociosi, in hospitio non dissoluti, in conuiuio non effusi, in cura rei familiaris non anxij, aliena non cupidi, sua non prodigi, vbique & in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quotiens opus erit, nec iussi renuant, nec non iussi affectent. Qui quod verecundè excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurũ non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptijs Moysem, fornicantibus Phinees, Heliam Idololatris, Helisæum auaris, Petrum mẽtientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant, diuites non palpent, sed terreant; pauperes non grauent, sed foueant; minas Principum non paueant, sed contemnant; qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: qui Ecclesias non spolient, sed emendent; qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ: qui orandi studium gerant, & vsum habeant; ac de omni re orationi plus fidãt, quàm suæ industriæ, vel labori. Quorum ingressus pacificus, nõ molestus exitus sit: quorum sermo ædificatio, quorum vita iustitia, quorum præsentia gratia, quorũ memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: reuerẽdos exhibeant, sed actu, non fastu: qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocẽtes; duros durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retributiones superbis. Qui non de dote viduæ & patrimonio crucifixi, se vel suos ditare festinent gratis dantes, quod gratis acceperũt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique spiritu illorum instar septuaginta Moysi, accepisse cernantur; per quem siue absentes, siue præsentes, contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant, fatigati quidẽ, sed non suffarcinati; simul & gloriantes, non quod curiosa, seu preciosa quæque terrarum attulerint; sed quod reliquerint pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monasterijs, Ecclesijs ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc omnia præclarè, vt solet Bernardus. Dignissima quæ hodie ab illustrissimis D. D. Cardinalibus sæpius, & sæpius perlegantur.

Quinam verò his temporibus Cardinales plerumque eligantur, magis lugendum est quàm describendũ. Quot Prælati de Ecclesia Romana optimè meriti in doctrina, & rebus agendis consummatissimi contemnuntur, postergantur, abijciuntur? Et vel benè nummati, qui ingenti precio vanissimum illũ rubrum galerũ coëmunt, etiã alioquin ad regimina Ecclesiastica ineptissimi, illiterati, dissoluti, scandalosi (saluo suo bonis, quos ipse aliquos noui, & obseruo, honore) qui Cardinalatum, vti terrenum quẽdam Principatum, & ambiunt, & retinent, & tractant, sola vanitate temporali; vel vilissimi & nullius precij homines de stercore eriguntur; vt Papæ nepotes de eorum perpetuo famulitio securi, sua consilia humana in occasione Conclauis firmiora faciant: neque illi possint, neque audeant, imò neque sciant ab eorum se factione separare: vel Principum filij, aut fratres Cardinalatu decorantur, qui sub Diaconorum nomine ac titulo, vt plurimùm inter Cardinales reponuntur reuera meri Laïci: & nullo sacro ordine initiati, & fortasse nunquam initiandi, & hi quoque meri Laici volunt Episcopis anteferri; nec erubescimus illos quoque inter Ecclesiæ Prælatos numerare. Iam Ecclesia Romana in Curiam versa est secularem. SPALA Num.[illegible]

Et quia per summam iniuriam, & vim omnia iam fermè negotia Ecclesiarũ, etiam ad Episcopos ipsos in suo ordinario regimine, aut ad Metropolitanos pertinentia, vt SPALAT. Num.65.



DISCVSSIO SEXTI CAPITIS LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Ecclesiæ authoritas perpetua Romanorum Pontificum successione propugnatur: Veterum Patrum testimonijs Irenai, Tertulliani, Cypriani, Optati, & Augustini solidissimè firmatur: Malè Spalatensis existimat Pontificem Romanum, non esse peculiarem Petri successorem: Commenta desertoris de sede Petri depulsa & profligata: Obiectiones aduersarij diluuntur: Baronius & Bellarminus defensi, quos expugnasse inaniter gloriatur: Augustinus fusè explicatus: Pontificem Romanum succedere Petro omnes Orthodoxi agnoscunt: Hieronymus, Optatus, Cyprianus citati: Petrum Romæ fixisse sedem ab omnibus Historicis, & aliis Ecclesiasticis Scriptoribus ostenditur.



DE prærogatiuis Ecclesiæ Romanæ, tum in se, aut prætensis, aut veris, tum in suo Clero prætensis, iam vidimus capitibus quinque præcedentibus: superest vt eas discutiamus, quas in suo Episcopo illa vel falsas iactat, vel veras habet; & hoc capite quidem eam solam prærogatiuam, qua de suo Episcopo tanquam Petri successore gloriatur, paucis considerabo: In sequentibus verò alias. SPALAT. Num. 1.



OLIM cùm Alexandriæ inter Iudæos & Samaritanos, qui sub Alexandro magno Garizitani religionem inducentes templum extruxerant, seditio esset exorta de sacris ipsorum, contendentibus Iudæis iuxta Moysi præscripta Hierosolymitanum templum esse legitimum, Samaritis verò Garizitanum præferentibus, prouocatum est ad Ptolomæum Philometorem Ægypti Regem, ac amicorum eius consessum, vt ab eis causa audiretur, & vtrius partis causidici succumberent, morte mulctarentur; cúmque Andronico Iudæorum patrono concessum esset, vt prior diceret, orsus ex lege approbare templi Hierosolymitani sanctitatem & religionem, ostendens per continuas Pontificum successiones Sacerdotij vsque ad sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus maiestatem eius loci honoratam donariis; Garizitani verò, ac si omninò nullum esset, nunquam ab his habitam rationem; his & talibus rationibus persuasit Regis, vt decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moysis conditum; Sabbã verò & Theodosium, Samaritarum causidicos, addiceret supplicio. Ad eundem omnino modum vetustiores quique Patres Orthodoxi vexata ab hæreticis Ecclesia, quæ templum Dei est, ad eius authoritatem propugnandam, & maiestatem asserendam, ad Pontificum Romanorum, penes quos sit Imperij Ecclesiastici summa, perpetuam successionem confugerunt, atque ab

Ioseph. l. 13. antiq. Iud. c. 6.

ea præsidium aduersus nouas molitiones duxerunt. His scilicet armis Orthodoxam fidem tuetur, ac hæreses reuincit magnus Irenæus, atque prætermissis totius Orientis & Meridiei, imò vniuersi orbis, clarissimarum Ecclesiarum quas alij Apostoli, Discipulique Domini doctrina plantauerant, sanguine rigauerant, & stupendis miraculis firmarant, Episcoporum Catalogis, vnius Romanæ tanquam cæterarum præcellentissimæ ab Apostolorum Principibus Petro & Paulo ad suam ætatem vsque continentem, & nunquam intermissam successionem contexit: *Quoniam valdè longum est*, inquit, *in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Eodem argumento vsi sunt aduersus sui sæculi hæreticos Tertullianus, Cyprianus, Optatus & Augustinus, & vt de reliquis taceam, sic Optatus Donatistas compellat. *Cathedra vnica*, inquit, *quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus: Cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c. Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis societate concordat. Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Augustinus verò eosdem Donatistas inclamans, & ab hæresi reuocans; *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede: & in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Alibi verò Catalogum contexit. *Si ordo*, inquit, *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi, Anacletus, &c. Damaso Siricius, Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis, nullus Donatista Episcopus inuenitur, &c. In illũ autem ordinẽ Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait de prepositis malis; Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt. Vt certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Quanti verò ponderis ac roboris esse hoc argumentum duceret, accipe ex libro de vtilitate credendi ad Honoratum: *Dubitabimus*, inquit, *nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Fuit igitur semper hoc Catholicæ fidei firmamentum & præsidium, de quo nos iam hoc capite deiicere conatur Spalatensis, & vt perficiat, Pontificem Romanum non esse *peculiarem Petri successorem*, contra omnium veterum

Iren. adu. hær. l. 3. c. 3. de Apost. tradit.

Tertull. de præscript. adu. hæret. & l. 3. adu. Marc. Cyp. l. 1. ep. 6. Optat. l. 2. contra Parmenianũ. Aug. in Psa. contra part. Donat. Id. ep. 165. ad Gener.

Idem lib. de vtilit. cred. ad Honor. c. 17.

veterum sententiam obstinatissimè contendit; sed iis rationibus vtitur, quæ cùm sint suprà à nobis profligatæ, ruit totum ædificium tam flaccidis fundamentis innixum. Hoc namque vt probet, assumit primùm *Ecclesiam Romanam non fuisse propriam, neque peculiarem Petri sedem*, quod se primo capite huius libri demonstrasse gloriatur. Atqui nos ad illud caput ostendimus esse hoc eius commentum absurdissimum, atque à Catholicis stare Patres omnes, qui Romam Petri Cathedram vno ore pronunciant: addit, *nulli Apostolo datam pro sua singularitate successionem*, atque explosas à nobis ineptissimas nugas retexit, ac iactare non desinit. Ostendimus enim Apostolos quidem qui Ecclesias peculiares administrarent, successores in priuato Episcopatu habuisse: sic enim Iacobo Iusto in Cathedra Hierosolymitana Simon Iustus, vt est apud Eusebium, successit, in Apostolatu non item, quod scilicet amplissima illa in vniuersam Ecclesiam potestas extraordinaria esset, atque idcirco successione caruerit; quéadmodum enim in Hebræorum republica Moses extra ordinem summum Pontificatum gessit, vnde est illud, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*, nullum tamen in eo munere habuit successorem, sed in Aaronis ordinarij Pontificis filiis ratio successionis perseuerauit. Ita de Apostolica atque extraordinaria potestate sentiendum est, nimirum intereuntibus aliis Apostolis desiisse, qui eis succederent in Apostolatu, ac vni Petro, qui summus Ecclesiæ Pontifex ordinarius esset à Christo renunciatus, datos successores ad quos illa potestas Apostolica reuocaretur. Subiicit, *omnes Episcopos omnium Apostolorum etiam Petri in solidum esse successores*; cùm tamen euicerimus, vt potesta[illegible] Petri, suo modo hæredes sint, propter partem sollicitudinis in quam sint vocati, plenitudinem tamen potestatis in vnum transiisse Petrum, quod non vno loco probat Leo magnus, cuius testimonio abutitur. Certè eo ipso loco, quem profert Spalatensis hæc habet: *Vnus*, inquit, *de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus*. Et rursus: *Propter quod dicitur beatissimo Petro*, inquit, *Tibi dabo claues, &c. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius cõstitutio commeauit; sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur*: Haud quaquam igitur asserit Leo, quod ei imponit Spalatensis. *Potestatem Ecclesiasticam à Petro in omnes Apostolos in solidum commeasse, aut omnes Episcopos in solidum esse successores Petri*, aliàs ipse sua vineta cederet. Nam eius verba sunt: *Vnus Petrus eligitur, qui omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur*. An igitur fieri possit, vt omnes & singuli Episcopi, omnibus aliis Episcopis præponantur? Nugæ. Ac postremò vrget *sæculo Apostolorum nullam Ecclesiam habuisse vnum solum proprium, & specialem defixum Episcopum*, quod portentosum esse mendacium, vel ex vna Apocalypsi demonstrauimus: namque in singulis Asiæ Ecclesiis proprios ac peculiares fuisse Episcopos, quorum virtutes & vitia ibi describantur, fidem nobis facit; hoc enim nomine Angelorum Ephesi, Tyatiræ, Laodiceæ, &c. intelligit. Iam verò Spalatensis in se quædam arguméta instruit, quæ à nostris fieri possent, ac ad ea dissoluenda aggreditur, ac infirmare tentat. *Sed iam*, inquit, *fecimus, dicet aliquis, in primo huius libri capite Petrum Romæ Episcopum; cur ergo Romani reliqui Episcopi non erunt Petri successores?*

Leo serm. 3. de sua assumpt.

Spalat. Num. 3.

Eo sanè modo quo Petrus fuit Romanus Episcopus, fuit etiam Antiochenus; & infinitarum Ecclesiarum, quas ipse fundauit, & in quibus ipse actu suum exercuit Apostolatum, siue Episcopatum: non minus igitur erunt Petri successores Antiochenus,
Greg. l. 6. in ep. 37. *& alij, quàm Romanus; Ideoque Gregorius Antiochenum & Alexandrinum æquè facit Petri successores, ita scribens ad Eulogium Alexandrinum: Itaque cùm sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam Discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus sedit. Cùm ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo; si quid de*
Nicol. ep. 8 *me boni creditis, hoc vestris meritis imputate. Et Nicolaus; Per has tres, inquit, præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo, Beatorum Apostolorum Principum Petri ac Pauli moderamen expectat.*

Spalat. Num. 4. *Si quid ergo gloriolæ accrescit Romano Episcopo, ex eo quod sedeat in ea sede, in qua initio nascentis Ecclesiæ Petrus sedit, de eodem prorsus gloriari etiam potest Antiochenus, qui sedit in simili sede; & alij omnes earum Ecclesiarum Episcopi, in quibus Petrus dum viueret sedit, & prædicauit. Sunt autem penè innumerabiles; Vt habes suprà libro 3. cap. 10. num. 4. Neque ad eripiendam his Ecclesiis, à Petro funda-*
Inno. ep. 21. Nicol. ep. 8 *tis gloriam, & totam in se transferendam, dicat Romanus cum Innocentio, & Nicolao, Petrum in transitu in illis fuisse; Romæ verò tanquam in propria, & perpetua vsque ad mortem sede sedisse: id enim non facit quominus illi quoque, eodem modo sint Petri successores; sicut & Romanus, quia æquè Petri laboribus sunt initio honorati sicut & Romani: cùm præsertim Petrus in se nihil habuerit, quod non æquè omnibus Ecclesiis, in quibus ille fuit successoribus communicauerit & reliquerit; Apostolicam nimirum, hoc est Episcopalem potestatem: Papatum enim vniuersalem & Monarchicum nullum habuit; vt probaui libro primo & sequentibus capitulis vlterius confirmabo. Nihil ergo plus Roma inibi moriendo Ecclesiasticæ potestatis Romano tribuit Episcopo, quàm Antiochia Antiocheno, & alibi alijs viuus & incolumis iam tribuisset: qui nihil proprium, & singulare tribuebat, sed commune, quod & ipse, & reliqui Apostoli, æquè à Christo acceperant Episcopis omnibus successoribus tribuendum.* Respondeo Petrum quidem fuisse, & Antiochenum, & Romanum Episcopum, vt ex Hieronymo, Eusebio & aliis suprà probauimus, & vtroque loco habuisse successores, sed longè diuersa ratione: Antiochiæ siquidem successores habuit in illius solùm Ecclesiæ, quam ad Patriarchatum euexit, administratione; Romæ verò in gubernatione Ecclesiæ vniuersæ. Ratio discriminis est, quod cùm à Christo, vniuersæ Ecclesiæ renunciatus esset Pastor his verbis, *Pasce oues meas*, vt est à nobis solidissimè probatum: hanc prouinciam per loci mutationem non deposuit, sed per mortem ei cessit, qui in demortui locum est suffectus, atque Romæ non Antiochiæ, vt quoque fusissimè probauimus diem
Hier. ep. 55. clausit extremum; proinde itaque Pontifex Romanus, quem propterea Hie-
In expos. symbol. ad Dam. Pap. inter opera Hieron. ronymus *piscatoris successorem* vocat, *& Petri fidem ac sedem tenere* asseuerat Ruffinus; iure quodam hæreditario eam est consecutus potestatem, quod Gregorius, Innocentius & Nicolaus Pontifices probè aduerterunt: *Cùm multi sint Apostoli*, inquit Gregorius ad Eulogium Alexandrinum scribens, *pro ipso tamen*
Greg. l. 6. ep. 37. *principatu sola Apostolorum principis sedes in authoritate conualuit, quæ tribus in*

locis

locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cùm ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Reuoluentes, inquit Innocentius, *authoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam prouinciam, recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia, hoc eidem attributũ, quàm quòd prima primi Apostoli sedes esse mõstretur, vbi & nomen accepit & religio Christiana, & quæ conuentum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit ista susceptum apud se consummatumque gaudet. Fecerat Beatissimus Petrus præsentia corporali, & Ecclesiam Antiochenam iam suam*, inquit Nicolaus, *quæ (sicut beatus Papa dicit Innocentius) vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quòd illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet.* Iudicio itaque tantorum Patrum Petrus ad tempus Antiochiæ sedit, vt olim tabernaculum fœderis in Silo, sed Dei voluntate Romam migrauit ac cõmeauit, in eoque orbis terrarum amplissimo theatro sedem fixit, quod diuino oraculo monitum fecisse lib. 1. tradidimus. Falsum igitur falsissimum quod assumit Spalatensis, nihil plus Romæ inibi moriendo Ecclesiasticæ potestatis Romano tribuisse Episcopo Petrum, quàm Antiochiæ Antiocheno, & alibi aliis viuus iam tribuisset. Sed nos alio argumento premit. *Videant*, inquit, *Romani Pontifices, nedum ex successione à Petro suum Primatum Monarchicum conantur confirmare, ipsum Petrum ab vniuersali Apostolatu deijciant, & vnum priuatum Episcopum faciant. Non enim possunt Petro succedere, nisi Petrum faciant specialem Episcopum Romanum, vt patet. Necesse est ergo dicant Petrum, vt esset Romanus specialis Episcopus, suo Apostolatui vniuersali renuntiasse; & sedi Romanæ se perpetuò alligasse; voluisseque vt illa sedes esset ipsius sedes propria, & peculiaris & vsque ad mortem perpetua. Hoc tamen stultum est asserere, tum quia vt dixi in Ecclesiis non statim erat institutus Episcopatus, vt vnicus duntaxat defixus esset in singulis Ecclesiis Episcopus, qui solus suæ Ecclesiæ præsideret; in communi enim suam Ecclesiis nauabant operam Apostoli, etiam cum suis adiutoribus: tum quia, etiamsi id iam fuisset institutum, vt vnus vni Ecclesiæ fixus præesset Episcopus, Apostolus tamen nullus, multò minus Petrus, vlli vnquam se loco certo fixè alligauit, aut vsque ad mortem obligare debuit; cuius esset per orbem excurrere, & Euangelium disseminare; & fundata vna Ecclesia, ad alias fundandas properare, relictis interim in iis quas fundabant suis Episcopis & Presbyteris, aut si vis, etiam vno suprà omnes Presbyteros ab ipsis Apostolis Episcopo constituto.* Respondeo non vnam sacri ministerij personam sustinuisse Petrum, aut iam sustinere Pontificem; nam Petrus, quod etiam in Pontifice spectandum esse probauimus, non solùm Episcopum egit priuatæ Ecclesiæ Romanæ, sed authoritate sibi à Christo concessa, Episcopatum vrbis ad orbis Pontificatum euexit; & suprà ostendimus, quanam ratione Ecclesia Romana vniuersalis nomen sortiatur, ac diuersa munera Pontifex obire possit. Sed rursum obiicit, *Paulum non minus fundasse Ecclesiam Romanam, nec minus quàm Petrum Ecclesiæ Romanæ Episcopũ fuisse. Glorientur itaque*, inquit, *Episcopi Romani, quod illius Ecclesiæ sint Episcopi in qua Petrus & prædicauit, & sangui-*

Innoc. ep. 20 ad Alex. Episc.

Nicol. 1. Epist. 8.

SPALAT. Num. 5.

SPALAT. Num. 6.

nem fudit, & suas reliquias suasque deposuit memorias; sed augeant adhuc hanc gloriationem, ex eo quod in eadem Ecclesia Paulus quoque prædicarit, imò eum fundarit & similiter sanguine, & reliquiis suis decorarit: quodque præterea Ioãnes Christi dilectus in eadem laborarit, & pro fide feruens oleum sit perpessus incolumis, sed specialem successionem à Petro, non est cur iactent: imò suadeo ab hac iactantia plurimùm caueant; quia schismata in Ecclesiam Christi à Paulo adeò reprehensa inducunt; si enim Romani dicunt se esse Cephæ, & habere Episcopum, qui solius propriã

1.Cor.1. *Petri personam gerat, Petrique specialem Episcopatum teneat, alij quoque dicent se esse eadem ratione Pauli, alij Ioannis, alij Iacobi, alij Thomæ, alij aliorum. Et hæc schismata vt vitarentur, sancti Apostoli, sicut vnam & eandem in solidum curam fundandæ Christi Ecclesiæ vniuersalis gerebant; ita & collegas & successores habere voluerunt, qui ipsis non singulis, sed vniuersis succederent in solidum, vt lib. secundo explicaui, vbi probaui omnes Episcopos, non minus Petri, quàm reliquorum Apostolorum & esse, & dici successores; etiam illos qui eas regunt Ecclesias, in quibus Petrus nihil sui contulit laboris.* Has nugas suprà dispunximus, ostendimusque ineluctabilibus argumentis, vt Petrus & Paulus Romæ Euangelium proseminarint, ac nobilissimam Ecclesiam erexerint, adeoque sanguine suo asperserint, Petrum tamen Paulo anteponendum esse, quod ille Romanis longè prius annuntiasset, quàm iste ad eos vel scriberet vel accederet. Enimverò ipsemet Paulus, vt monuimus, ad Romanos, quos nondum viderat aut docuerat, scribens,

Rom. 1. testatur *fidem illorum annuntiari in vniuerso mundo*; seque ingenti desiderio eos inuisendi, & in eadem fide confirmandi, teneri. Proculdubiò igitur Petri laboribus coaluerat, amplissimæ ac florentissimæ Ecclesiæ Christianæ & Catholicæ

Hist. Eccl. lib.2.c.14. Edit. Basil. per Henr. Petri cap.1. facies, quod disertis verbis tradit Eusebius: *Salutaris prædicationis verbo*, inquit, PETRVS PRIMVS *in vrbe Roma Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit.* Consentiunt Patres omnes, quorum testimonia suprà retulimus. Sed aduersum Pontificum successionem rursus obiectat. *Adhuc inter Orthodoxos disputari, an Pontifex vt Pontifex debeat eligi à Clero tantùm Romano, an verò ab vniuersali Ecclesia, vel à generali Concilio Ecclesiam vniuersam repræsentante.* Ver-

Spalat. Num. 7. ba eius sunt. *Si Petrus*, inquit, *solus fuisset à Christo, Papa, hoc est caput, & Monarcha totius Ecclesiæ, vt nostri somniant, institutus; de successione speciali Petri esset diligentius, inquirendum, sed tunc profectò, tametsi hoc verum esset nullus vllius particularis Ecclesiæ Episcopus posset hanc prætendere successionem: de qua agam posteà in sequentibus. Imò quia de hac successione nihil prouisum est à Christo, sed ea in incertum est relicta, & facta magnarum in Ecclesia dissensionum ac schismatũ occasio, planum est Papatum hunc esse totum fictitium, commentum hominum, à Christi institutione remotissimum. Sanè tempore Concilij Constantiensis in schismate trium Paparum grauissimo, acerrima est controuersia instituta, num Cardinales Papam eligerent tanquam Clerus Romanus specialis; an verò tanquam Ecclesiæ vniuersalis Procuratores & ministri. Et absolutè loquendo num Papa vt Papa, ab iis fieret qui Episcopum Romanum de iure faciunt; an ab Ecclesia vniuersa, hoc est ab vniuersali Concilio illam repræsentante; siue ab iis quos vniuersale Concilium ad id deputaret; & adhuc apud nos sub iudice lis est. Certè si Papæ electio ad totam spectat Ecclesiam, vt tenet schola Parisiensis, de qua suprà c. 5. & infrà c.11. posset illa Papam facere, etiam alium Episcopum qui non sit Romanus Episcopus; imò aliquem, qui vt par est, nullius esset particularis sedis Episcopus; sed tantùm vniuersalis totius Ecclesiæ Papa; & tunc successio Petri, vt Papæ (si Petrus fuit Papa) esset longè magis propria*

&

& legitima, quam successio eiusdem in Romana sede; quia Romanæ sedis Episcopus proprius, Petrus non fuit, vt est ostensum. Quod Pontificem negat vniuersæ Ecclesiæ Rectorem esse à Christo impositum, inter eius deliramenta est reponendum, & nos supra contrarium euicimus ac demonstrauimus.

Quod attinet ad ius electionis, Respondeo eligendi Pontificis ius, penes Illustrissimos esse Cardinales, sed Cardinales duobus modis spectari posse. Primò quâ Ecclesiæ Romanæ particularis Clericos: Secundò quâ procuratores & Ministros totius Ecclesiæ, quæ rem magnam difficilémque eorum fidei mandarit, vicesque suas commiserit. Hoc igitur modo Pontificis eligendi ius habent, ac nomine vniuersæ Ecclesiæ, Christianæ plebis Rectoré renunciant. Quod addit de alterius vrbis Episcopo ad hunc gradum promouendo, nouitate ipsa turbat, nec mouendos esse terminos, quos posuerunt patres nostri, existimamus. Quare de ea re statuere superfluum ducimus; fauent tamen Romæ nobilissimi quique Scriptores, & in eius Episcopum inclinant. Quanquam non dubitemus, vbicunque vel Petrus, vel Pontifex eius successor sedem figat, vel constituat, ibi esse legitimum Ecclesiæ Gubernatorem, ac ipsius Pontificatus apicem. Sic namque cum Auenione commoraretur Pontifex non minùs caput Ecclesiæ erat, quàm cùm Romam incolit. Etsi verò potentissimis rationibus efficiant nostri ac probent, Petri authoritatem eius interitu haudquaquam euanuisse, sed in Pontifices Romanos transiisse: obluctatur tamen Spalatensis easque conuellere ac funditus euertere nititur, potissimùm verò diem dicit magnis illis Ecclesiæ luminibus Baronio & Bellarmino, ac eorum rationes totis viribus atque conatu impugnat. Baronium primum aggreditur. *Faciunt,* inquit, *Petrum nostri Monarchici, quantum volunt, Papam vnicum totius Ecclesiæ (quod tamen non esse verum, docet totus noster primus huius operis liber) inducant etiam, vt lubet, necessitatem (quæ tamen nulla est) successionis in Papatu Petri, adhuc tamen Romanum Pontificem Petro in Papatu, succedere nunquam demonstrabunt; laborat enim quisque ipsorum, saxum voluit, & sudat nec proficit hilum. Baronius sanè, postquam visus est sibi Petri Primatum egregiè confirmasse, (contra quem Primatum & cum ipso Baronio & Bellarmino, & aliis pugnauimus; eosque ni fallor expugnauimus) vt hunc Primatum in Romanos Pontifices transmittat, hoc pacto conatur: Est igitur Christi ouile vnum, eiusdemque pastor vnus, idemque Petrus electus à Domino, ac maxima omnium præfectura nobilitatus; quam ne extinctam esse cum Petro, & vnius tantum hominis vita superstite, Christi Ecclesiam perdurasse; ac subinde gregem sine pastore, corpus sine capite, fundamentum sine structura, seu sine fundamento structuram, penitus remansisse; Stultè nimis, æquè ac impiè, dicere cum Ethnicis cæterisque Christianæ fidei hostibus compellamur, fateri necesse est, eandem collatam à Domino in Petrum summam omnium potestatem, in posteros eius Cathedræ successores esse deriuatam. Istud ipsum denique est quod Augustinus sæpè testatur; Dei Ecclesiam in Petro claues accepisse; & in se Petrum totius Ecclesiæ figuram repræsentasse; ne videlicet tantum munus videretur in Petri personam solummodo esse collatum; ac cum illo pariter extinctum, sed potius in ipsum, tanquam in totius corporis caput mysticum, quod non extingueretur sed semper viueret in successoribus. Vnde idem ipse Augustinus ad Cathedram Petri sæpè prouocat Donatistas, vt cùm scribit ad Generosum his verbis: Si, inquit, ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est: quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus; cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc*

[Margin notes: SPALAT. Num. 8. — Baron. to. 1. ann. 34. nu. 208. — August. in Ioan. tract. 50. & 124. — Id ep. 165.]

Petram ædificabo Ecclesiam meam,&c. Petro enim successit Linus, &c. Post recensitos singulos Romanos Episcopos Petri successores vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat, hæc subdit; In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Pe tro, vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram *sedet, etiamsi quispiam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus* Christianis, *quibus Dominus prouidens, ait, de Præpositis malis: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite. Ex quibus liquet priuilegia sic à Christo fuisse Petro concessa, vt idem ipse velut persona propria, exprimeretur in singulis successoribus, atque in Ecclesia viueret semper, nec eiusmodi veritatis signum posse, successoris alicuius criminibus vnquam vel leuiter labefactari. Hæc Baronius. Cui nunc ego, sicut & infra Bellarmino, tantisper donabo, necessarium esse vt Petro in Papatu detur successio. Probet tamen hanc successionem in Romanis Pontificibus conseruari. Augustinum ille ad hoc protulit.*

SPALAT. Num.9. *Sed Augustinus, dum Ecclesiam in Petro claues accepisse asserit, non dicit eas per successionem à Petro ad Ecclesiam Romanam transiisse, vt docui lib.1. cap.7. Sed intellexit tunc quando Petro dabantur claues, Petrum illas non proprio, sed Ecclesiæ nomine excepisse; &* Petrum *tunc totam Ecclesiam repræsentasse, cuius ille gestaret figuram, non solam Romanam: quia tanquam Ecclesiæ totius procurator, nomine totius Ecclesiæ illas non sibi, sed Ecclesiæ toti accipiebat. Alioquin si sensus esset, quem intendit Baronius, non tota Ecclesia vniuersalis claues haberet, sed sola Romana; quia successio iam à Monarchicis non datur* Petro *in vlla alia Ecclesia, nisi in sola Romana. Neque dicant Romanum deinde* Pontificem *claues etiam reliquis Ecclesiis cõmunicare: quia hoc pacto Ecclesia vniuersa non haberet claues per successionem à* Petro, *quod intendit Baronius; sed per communicationem, & aliud est successio, aliud communicatio: & nos quærimus nunc successionem* Petri *in* Papatu, *non clauium communicationem. Quod etiam addit Baronius ex Augustino, ordinem successionum à* Petro *commemorante, nihil ad rem facit, neque enim Augustinus quicquam dicit de successione Romanorum* Pontificum *in* Papatu, *seu vniuersali regimine Ecclesiarum; sed de doctrina Apostolica, eam enim per successionem à* Petro *in Ecclesia Romana perseuerare asserit, quia* Petrus *doctrinam Apostolicam tradidit Romanæ Ecclesiæ, ac potissimùm Lino, quem Romæ constituit Episcopum, Linus* Cleto, *Cletus* Clementi *& sic deinceps, quemadmodum eadem doctrina Apostolica in aliis Ecclesiis Apostolicis, per successionem à* Paulo, *Ioanne, Iacobo, & aliis Apostolis tradita, per successiones Episcoporum illarum sedium est transmissa & conseruata. Et in hoc ego magnam obseruo æquiuocationem nostrorum passim Monarchicorum, qui successionem doctrinæ & fidei pro successione* Principatus *& potestatis accipiunt: de qua doctrinæ per successionem propagatione agam lib.7. & verba ipsa Augustini hic à Baronio producta, expressè de doctrina sunt & de fide, non de vllo Primatu aut potestate, vt patet legenti. Et nos concedimus à quocumque Apostolorum per successionem Episcoporum, ab illorum instructione incipientium fidem & doctrinam esse propagatam. Concedimus etiam ipsam Episcopalem potestatem, pari ratione ab iisdem Apostolis, per Episcopos successores, ad nostra vsque tempora peruenisse, quia omnes Episcopi in Episcopatu sunt Apostolorum, modis iam libro secundo explicatis, successores. Quare etiam Romanum Episcopum libenter admittimus, in* Episcopali *potestate,* Petri *&* Pauli, *imò & omnium Apostolorum in solidum successorem, peculiarem tamen* Petro *aut vlli Apostolo vt singularis est, non damus successionem. Adde verò non solos Episcopos Romanos per suas successiones reduci ad Petrũ, sed etiam Antiochenos,*

&

& omnium aliarum Ecclesiarum, quarum Petrus fundator fuit, Episcopos. Solidissima ratione niti Baronium, frustraque in eo oppugnando laborasse Spalatensem, quamquam hic sibi triumphos canat, expugnasseque & ipsum ac Bellarminum, pro more suo inaniter glorietur, priore libro ostendimus, in quo omnes eius nugas dispunximus. Et quod attinet ad præsentem disputationem, rectè omninò Baronius contendit, Primatum Petri, in ipsius successores transiisse, ex eo quod Petrus à Christo Pastor ouium suarum constitutus sit: siquidem Pastor ordinarium ouium Rectorem significat, sine quo ouile nusquam consistat, cùm alia munerum Ecclesiasticorum nomina, vt pote Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum extraordinarium quemdam magistratum notent, pro ratione temporum & personarum vel necessarium vel congruentem, non autem pro omni tempore; namque verbi gratia in prima illa Euangelij promulgatione ac proseminatione Apostolis opus fuit, à Deo proximè missis, tum quod nondum constituta esset ordinaria ministrorum Ecclesiæ series, tum quod totum terrarum orbem lustraturi cum summa potestate vbique mittendi essent. Euãgelistis quoque opus fuit, partim describendæ historiæ Euangelicæ, partim concionibus, omnibus omninò locis ac citra restrictionem vbiuis habendis, nam de his loquitur Apostolus, cùm ad Timotheum ait, *opus fac Euangelistæ*: & tales in Ecclesia diu extitisse aduertit Eusebius. Prophetis postremò opus fuit, qui siue futura reuelarent, vel mystica interpretarentur, & quæ obscurius beneficio linguarũ in Ecclesia dicebantur explicarent, hisque lucẽ afferrent, aliisque donis seu miraculis ad commendationem verbi corruscarent. Sed continentem aut perpetuam horum esse seriem, necesse non fuit. Solus Pastor, quia Ecclesia ouile est, perpetui officij nomen est, quo nunquam nusquamque carere Ecclesia possit. Quare Christus & seipsum bonum Pastorem dicit, & boni Pastoris officia diligenter exequitur ac describit, illum à mercenario & latrone distinguens; denique futurum dicit vt sit vnum ouile, vnus Pastor, vna scilicet Ecclesia, vnus Rector: at verò certum omninò est, quæ ordinaria sunt, perpetua successione propagari ac conseruari, manente scilicet, vt loquuntur in Scholis, huius potestatis obiecto. Cùm itaque solus Petrus omnium ouium Christi Pastor supremus fuerit à Christo constitutus, nec vnquam desinant esse oues Christi, debet quoque necessariò, aliquis semper esse illarum ouium Pastor Petri successor. Quemadmodum enim alij Pastores, quia certam in scripturis habent vocationem & potestatem, certos quoque propterea successores habent: summus ac supremus Pastor tam claris tamque expressis verbis in Euangelio designatus, omninò successorem habere debet prima illa ac præcipua dignitate ornatum, quod disertis verbis innuit Chrysostomus, asserens Christum ouium suarum curam tum Petro tum Petri successoribus commisisse; Et omnium Patrum ea vox est Primatum Petro datum, in Romanos Pontifices transiisse perpetua serie ac continenti successione, namque illud Matthæi *super hanc Petram* in Romana sede locum habere mille locis vrgent, ac vt cæteros omittamus, atque ad sæculum Augustini, de quo controuertitur veniamus, & Optatus postquam Romanorum Pontificũ successionẽ paulò antè cõtexuit, eadem authoritate Donatistas premit; *Contra inferi portas*, inquit, *claues salutares accepisse legimus Petrum Principem scilicet nostrum. Vnde est ergo quod claues regni vobis vsurpare contenditis? qui contra Cathedram Petri vestris præsumptionibus & audaciis sacrilegio militatis.* Et eodem sensu Augustinus, *Si ordo Episcoporum*, inquit,

2. Tim. 4. Eus. Hist. Eccl. l. 5. ca. 10.

Opt. lib. 2. cont. Parm.

Aug. epist. 165.

sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait; Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, &c. Sed in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Sed excipit Spalatensis, *Augustinus*, inquit, *dum in Ecclesiam in Petro claues accepisse asserit, non dicet eas per successionem à Petro ad Ecclesiam Romanam transiisse; vt docui lib. 1. c. 7. Sed intellexit, tunc quando Petro dabantur claues, Petrum illas non proprio, sed Ecclesiæ nomine accepisse, & Petrum tunc totam Ecclesiam repræsentasse, cuius ille gestaret figuram non solam Romanam: quia tanquam Ecclesiæ totius procurator, nomine totius Ecclesiæ illas non sibi, sed Ecclesiæ toti accipiebat.* Respondeo vtique Augustinum existimare Petrum figuram gessisse Ecclesiæ, personamque eius sustinuisse, cùm claues acciperet; sed, vt ipse addit, *propter primatum quem gerebat in discipulis.* Et hoc quidem sensu nomine Ecclesiæ suas prærogatiuas consecutum fuisse, vt eas in Ecclesiæ commodum & vtilitatem referret, quod nos priore libro pluribus ostendimus. Addo verò planè censere Augustinum, sic in figura totius Ecclesiæ ei dictum esse à Christo, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* quod in Petri Successores, Rectores Ecclesiæ in eius locum futuros, esset tota Pontificatus authoritas transitura, & quidem loco à Baronio citato, tam clarum est illum successionem vrgere, vt mirer inuentum esse, qui refragaretur, hæc enim eius sunt non tam verba quã fulmina. *Si ordo*, inquit, *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus?* Causam verò subiicit, *Cui sanè Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti, nempè propter Primatum quem habuit in discipulis*, vt ex eodem Augustino ostendebamus, Dominus ait, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* moxque subiicit Pontificum Romanorum Catalogum. *Petro*, inquit, *successit Linus, &c.* Quàm igitur hebeti ac stupido sit ingenio, qui non videat omninò successionem Pontificum, qui Petrum ordinis sui Principem sint consecuti, vrgere, atque hac autoritate premere Donatistas! Quod & locus ex Psalmo contra Donatistas à nobis suprà citatus planè euincit. Nam quod obiicit Spalatensis hac ratione, *Futurum fuisse vt sola Romana Ecclesia claues haberet, cùm extra Ecclesiam Romanam nullam Petro successionem assignent orthodoxi*, friuolum est; vt enim in Ecclesia Romana solùm sit successio, vt loquuntur in Scholis, *directa*, scilicet cum totius potestatis, quæ in Petro inerat, plenitudine; *collateralis*, tamen, vt etiam loquuntur, in aliarum Ecclesiarum Antistitibus effulget ac conspicitur. Nam quemadmodum à radice non vnus caudex enascitur, sed & rami quoque pullulant; sic haudquaquam solus Romanus Pontifex succedit Petro, verùm etiam aliarum Ecclesiarum Antistites, *successione*, scilicet vt diximus, *collaterali.* Quod demum addit Spalatensis, *successionem fidei, non verò potestatis spectasse Augustinum*, ita rursus ineptum est, & à mente Augustini alienum, vt suspicio sit non legisse Spalatensem: Expressè enim de fide excipit, in hoc ordine successionis Pontificum, nullum Donatistam inueniri, & vt traditor aliquis subrepsisset, nihil illum præiudicare Ecclesiæ & innocentibus Christianis. Quare certò certiùs est de successione potestatis locutum eum fuisse, & locum affert ex Matthæo, qui omninò pro potestate facit, *supra Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Non dubito tamen Augustinum, successionem fidei cum successione authoritatis & potestatis in Pontificibus Romanis coniunxisse; quod scilicet, vt ille quidem loquitur, doctri-

Spalat. Num. 9.

doctrinam veritatis posuerit Deus, in Cathedra vnitatis. Veniamus iam ad Bellarminum. Sic de eo Spalatensis: *Plus*, inquit, *in hac Papatus successione laborat Bellarminus, cui, licet & ipse breuitatis, & expeditionis causa, tantisper concesserim (quod sanæ mentis Theologus absolutè & liberè nunquam ei concedet, & nos satis in præcedentibus impugnauimus) ex diuino iure, & ratione successionis, debere aliquem Petro in Papatu succedere; adhuc tamen nego, Romanum Pontificem hunc fore successorem. Et antequam ad ipsius accedam probationes; moneo mihi illa verba Bellarmini non probari, in quibus ait; Atqui Ecclesia non minus eget nunc vno Pastore, quam tempore Apostolorum; imò verò etiam magis, cùm nunc sint Christiani, & plures & peiores. Quasi verò aut multitudo maior vel minor Christianorum, aut eorumdem bonitas aut malitia vnitatem Pastoris determinet, & non potius ipsamet Christi institutio, & natura ipsa Ecclesiastici regiminis. Sicut enim verum est totam Ecclesiam non habere nisi vnicum verum caput, qui est Christus; si ita verum esset eundem Christum noluisse nisi vnicum Vicarium sui loco in terris ad Ecclesiæ regimen vniuersale substituere, proculdubiò siue pauci, siue multi sint fideles, siue boni, siue mali nihil interest, semper vnicus esse debebit, qui toti Ecclesiæ præsit. Quia enim Christus semel iudicauit, & statuit vnum suum Vicarium dare toti Ecclesiæ, si is Petrus fuit, quandoquidem in gratiam Ecclesiæ vsque ad finem mundi in terris duraturæ, summum vnum Pontificem, præficiebat Petrum, is debet, cùm sit mortalis, perpetuos habere successores. Malè ergo, concesso Petro supremo Pontificatu, negatur eidem perpetua successio à Caluino, vt est apud Bellarminum: quia non propter paucitatem Apostolorum, & fidelium factus fuisset Petrus vnus omnium caput, sed ex Christi institutione, si voluit Ecclesiam Monarchico regimine in terris administrari.* Pontificem Romanum succedere Petro, cui totius Ecclesiæ gubernacula tractanda Christus tradiderit, omnes pij & Orthodoxi agnoscunt: atque hanc sententiam de fide esse, soli hæretici, quibus se annumerat Spalatensis, reclamant. Sed ineptus est in refellendo Bellarmino. Negat sibi probari eius sententiam, qua asserit *Ecclesiam nunc non minus egere vno Pastore, quàm tempore Apostolorum; imò verò nunc magis cùm sint Christiani & plures & peiores.* Repudiandi igitur huius dogmatis, hanc causam dicit: *Quod nec multitudo maior nec minor Christianorum, nec eorum bonitas vel malitia vnitatem Pastoris determinet, sed sola Christi institutio & natura ipsa Ecclesiastici regiminis.* Sed hæc stultitiæ plena, vt à Christi institutione petenda est ratio regiminis, certum est sapientissimo Seruatori causam fuisse, & rationem huius potius quàm illius formæ regiminis deligendæ, cuius legibus teneretur Ecclesia. Quando igitur ratio propter quam factus est Petrus caput Apostolorum, etiam multò magis vrget, vt semper in Ecclesia serie successionis tale caput existat; proculdubiò perpetuam ac continentem esse voluit hanc Pontificum successionem. Causa siquidem tum primùm constituendi capitis fuit, vt eius authoritate Schismata auerterentur, & sarta tectáque vnitas Ecclesiarum seruaretur. *Propterea*, ait Hieronymus, *inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto Schismatis tollatur occasio. Vna est*, ait Optatus, *singularis Cathedra, in qua primus sedit Petrus, vt in illa vnitas ab omnibus seruaretur.* Tantundem & Cyprianus: *Hoc fuerint cæteri Apostoli quod Petrus, &c. sed exordium ab vnitate proficiscitur.* Quod aliis verbis expressit idem Cyprianus, cùm *Petri Cathedram principalem* vocaret, *vnde vnitas Sacerdotalis orta sit.* Itaque si ad mu-

Spalat. Num. 10.

Bellar. de Rom. Pôt. li. 1. c. 12.

Hieron. lib. 1. contra Iouinian.

Optat. li. 2.

Cypr. de vnit. Eccl.

Id. lib. 1. epist. 3.

niendam vnitatem tempore Apostolorum, qui tamen *primitias Spiritus & gratiæ* à Christo consecuti, à præstituto sibi ordine desciscere non potuerunt, necesse fuit, caput illis imponi, multò magis in reliqua tota Ecclesia per vniuersum terrarum orbem diffusa ad vnitatem seruandam vno sit opus capite. Imò verò, constitutum esse debet, Apostolos in fide confirmatos hoc præsidio pro se opus non habuisse, cùm errori obnoxij esse non possent, sed duntaxat vt futuræ Ecclesiæ exemplar ac forma essent singulari Christi prouidentia id factum & obseruatum. De Caluino viderit Spalatensis, nos Christo auscultamus: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Sed hac prolusione præmissa maioribus viribus Bellarminum infestat, ac pro Primatu Pontificis pugnantem toto conatu aggreditur. *Quomodo*, inquit, *Bellarminus Papalem Romæ successionem probet audiamus. Iam verò, inquit, quod iste Petri successor sit Romanus Pontifex, facilè probari potest; Nullus enim est, nec fuit vnquam, qui se Petri successorem vllo modo asseruerit, vel pro tali sit habitus, præter Romanum & Antiochenum Episcopum: Atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius; nam non succeditur nisi cedenti locũ, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est depositionem vel renunciationem: Petrus autem adhuc viuens & Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit; & Romæ sedem suam fixit. Restat igitur, vt Romanus Episcopus, qui Petro in vrbe Roma morienti successit; eidem in tota ipsius dignitate & potestate successerit.* Præterea *si Antiochenus Episcopus* Petro *in summo Pontificatu successisset, primus Episcoporum fuisset. At Nicænum* Concilium *Can.6. Antiochenum Episcopum tertium* Patriarcham, *non primum nec secundum esse declarauit, sicut fuerat semper, nec vnquam Antiocheni Episcopi altiorem locum quæsierunt. Vt autem res hæc tota intelligatur, obseruanda sunt quædam, inquit.*

Spalat. Num. 11.

Primò, Aliud esse successionem, aliud rationem successionis: nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri, ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quàm Antiochenus, vel aliquis alius succedat ex facto Petri initium habuit. Successio, inquam, ipsa ex Christi instituto & iure diuino est; quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum vsque ad finem mundi; & proinde quicumque Petro *succedit, à Christo accipit* Pontificatum. *At verò quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit* Petri *successor; ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset* Petrus *nullam sedem peculiarem sibi vnquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, & tunc moriente* Petro *non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset.* Potuisset *quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset: quia verò Romæ sibi sedem fixit, & tenuit vsque ad mortem, inde factum est vt Romanus* Pontifex *ei succedat. Et quoniam sanctus Marcellus* Papa *in Epistola ad Antiochenos scribit, Petrum Domino iubente venisse Romam, & Sanctus Ambrosius in oratione contra Auxentium, & Athanasius in Apologia pro fuga sua dicunt,* Petrum Christi *iussu Romæ martyrium pertulisse; non est improbabile Dominum etiam apertè iussisse, vt sedem suam* Petrus *ita figeret Romæ, vt* Romanus *Episcopus absolutè ei succederet. Sed quicquid de hoc sit; saltem ista ratio successionis non est ex prima institutione* Pontificatus, *quæ in Euangelio legitur.*

Spalat. Num. 12.

Obseruandum est secundò, inquit, tametsi fortè non sit de iure diuino Romanum Ponti-

Spalat. Num. 13.

Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Petro succedere in Præfecturam totius Ecclesiæ; tamen si quis absolutè petat, an iure diuino Romanus Pontifex Pastor sit & Caput totius Ecclesiæ, omninò esse id asserendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quam vt ipsa successio sit de iure Diuino, hoc est, vt ordinarium officium Ecclesiam vniuersam cum summa potestate gubernandi, non sit ab hominibus, sed à Deo immediatè institutum; id autem esse suprà demonstrauimus.

Obseruandum est tertiò, inquit, licet fortè non sit de iure Diuino Romanum Pontificem vt Romanum Pontificem Petro succedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinere. Non enim est idem aliquid esse de fide, & esse de iure Diuino, nec enim de iure Diuino fuit, vt Paulus haberet penulam; est tamen hoc ipsum de fide, Paulum habuisse penulam. Etsi autem Romanum Pontificem *succedere* Petro, *non habeatur expressè in Scripturis; tamen succedere aliquem* Petro *deducitur euidenter ex Scripturis; illum autem esse Romanum* Pontificem *habetur ex traditione Apostolica* Petri; *quam traditionem* Concilia *generalia,* Pontificum *Decreta, &* Patrum *consensus declarauit; vt posteà demonstrabitur.* SPALAT. Num.14.

Obseruandum est, ait, postremò Episcopatum Romanum & Ecclesiæ vniuersæ Præfecturam, *non esse duos Episcopatus, neque duas sedes nisi in potentia. Nam* Petrus Pontifex *totius Ecclesiæ à* Christo *institutus, non adiunxit sibi Episcopatum vrbis Romæ; quomodo Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium Episcopatum vel Canonicatum, aut Abbatiam, sed Romanæ vrbis Episcopatum euexit ad summum Orbis terræ* Pontificatum: *quemadmodum cum Episcopatus simplex erigitur in Archiepiscopatum, vel* Patriarchatum. *Non enim Archiepiscopus vel* Patriarcha *est bis, aut ter Episcopus; sed semel tantùm & in huius rei signum non datur* Pontifici *summo nisi vnum* Pallium; *etiamsi Episcopus, Archiepiscopus,* Patriarcha, *& summus* Pontifex *sit. Hæc enim omnia sunt vnum actu, & tantùm in potentia multa. Ex quo sequitur, vt qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit* Pontifex *summus Ecclesiæ totius, etiamsi fortè id non exprimant electores.* SPALAT. Num.14.

Has igitur Doctissimi Cardinalis obseruationes vellicandas sumit Spalatensis. *Hæc omnia Bellarminus*, inquit, *quæ sunt à me iam excutienda.* Petri *sanè successores*, addit, *alios etiam præter Romanum, agnouerunt Cyrillus Alexandrinus, Ephræm Syrus, Ioannes Chrysostomus, Gaudentius Brixiensis, Gildas Sapiẽs,* Concilium Parisiense, & Petrus Blesensis, *vt habes suprà lib.2.c.1. num.12. non quidem in* Primatu *aut Papatu, quem nullum habebat, sed in potestate Apostolica, hoc est Episcopali: quam solam in alios transfundendam, cum omnibus Apostolis habebat* Petrus. *Et falsum est* Petrum *vsquam propriam fixisse sedem, nusquam enim suo vniuersali Apostolatui, aut ipse aut vllus alius Apostolus derogauit, derogasset autem, si ex vniuersali Apostolo ad vnicum se Episcopatum singularem restrinxisset. Et sedem sibi figere est vni se alligare Ecclesiæ particulari. Non enim ea ambitione pestifera vrgebantur Apostoli, vt multas sibi sedes subiugarent, &* Episcopos *in propriam duntaxat clientelam multiplicarent,* Christo *non sibi laborabant, &* Ecclesias *fundabant, & vna plenè fundata, eique proprio* Episcopo *in discessu remotiori assignato, cum plenissima Apostolica, hoc est Episcopali in illa* Ecclesia *potestate ad illam fundandam properabant, nulla sibi in iam fundatas reseruata vera iurisdictione aut potestate; nisi tantum caritatis & superintendentiæ, vt si opus esset meliori instructione, eam libenter per visitationem impertirent. Cùm itaque* Petrus *nullam propriam & fixam habuerit sedem, nullus* Episcopus *potest ipsius prætendere successionem,* SPALAT. Num.16. Act.15.

aut æquè omnes illarum omnium Ecclesiarum *Episcopi, quæ* Petrum *habuerunt Doctorem & fundatorem, quæ sunt plurimæ, non solæ duæ,* Romana *& Antiochena, inter quas præcedentia non ex* Petro *fundatore, sed ex* Ecclesiastica *consuetudine & lege, inspecta ipsarum vrbium temporali potestate, tota petitur; vt libro tertio capite secundo & decimo explicaui.*

Petrum præter Pontificem alios habere successores, Episcopos scilicet in quos pars Apostolicæ authoritatis transierit ac commearit, quo sensu dixerint Cyrillus Alexandrinus; Ephræm Syrus, Ioannes Chrysostomus, Gaudentius Brixiensis, Gildas Sapiens, Concilium Parisiense, & Petrus Blesensis, diximus ad caput illud primum secundi libri, ineptientemque Spalatensem correximus. Quod addit P*etrum nullibi vnquam sedem fixisse*, ab omnibus omninò & historicis & aliis Scriptoribus Ecclesiasticis refellitur: Eusebius in Chronicon, *Petrus Apostolus*, inquit, *quum primus Antiochenam* Ecclesiam *fundasset*, R*omam mittitur, vbi Euangelium prædicans* xxv. *annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.* Primum Episcopum *Antiochenæ* Ecclesiæ, inquit Hieronymus, *Petrum fuisse accepimus, &* R*omam deinde translatum, quod Lucas penitus omisit.* Et alibi. *Simon Petrus*, inquit, P*rouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli & princeps Apostolorum, post* Episcopatum *Antiochensis* Ecclesiæ, *& prædicationem dispersionis eorum, qui de Circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum* R*omam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum, id est decimum quartum. A quo & cruci affixus, martyrio est coronatus, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum qui sic crucifigeretur vt Dominus suus.* E*cclesia Antiochena*, inquit Innocentius, *quam priusquam ad vrbem perueniret* Romam, *B. Apostolus* Petrus *sua præsentia illustrauit, velut germana* Ecclesiæ R*omanæ, diu ab eadem alienam se esse non passa est.* E*t ideò, frater Charissime*, inquit Leo in Epistola ad Maximum Antiochenum Episcopum, *oportet dilectionem tuam toto orbe perspicere, cuius* Ecclesiæ *gubernaculis voluerit te Dominus præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus* Petrus *per totum mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena &* R*omana vrbe fundauit.* Neque verò vt de Roma dicamus, constituta sede in vrbe rerum Domina quicquam Apostolicæ dignitati derogauit. Neque enim vt otio torperet, aut vt à munere Apostolico feriaretur, quod crebræ eius per orbem peregrinationes ab inito Pontificatu ostendunt, hanc sibi sedem delegit, sed vt caput mundi, expurgatis erroribus tandē caput religionis faceret. Expressit istud elegantissimè magnus Leo: C*ùm duodecim Apostoli*, inquit, *accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum* E*uangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent: beatissimus* Petrus, P*rinceps Apostolici ordinis, ad arcem* R*omani destinatur Imperij: vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelalabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non essent? aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod* R*oma didicisset? Hìc conculcandæ* P*hilosophiæ opiniones, hìc dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hìc confutandi dæmonum cultus, hìc omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima super-*

Apud Scaliger. ad an. Dom. XLIII.
Hier. ad ca. 2. ad Galat.
Idem de viris Illustribus cap. 1.
Innoc. 1. ep. 1. ad Decentium Eugub.
Leo ep. 62. cap. 5.
Leo primus ser. 1. in natal. Petri & Paul. Apost. cap. 3.

superstitione habebatur collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem, inquit sequenti capite, *tu beatissime Petre Apostole,* Ibid.c.4.
venire non metuis, & (consorte gloriæ tuæ Apostolo Paulo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato) Syluam istam frementium bestiarum & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quàm cum supra mare gradereris, ingrederis: nec mundi Dominam times Romam, qui in Cayphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam. Non igitur otiosè fixâ sede Romæ egit Petrus, nisi fortè Gubernatorem otiosum credas, quòd clauum tenens quietus sedeat in puppi vt nauim regat.

Sed quærit à Bellarmino, vnde ille didicerit Petro tandem venisse in mentem Romæ se penitus addicere? Respondent verò Patres omnes facto id testatum Petrum, quippe qui ex destinato Romam petierit, vt Ecclesiam prædicatione sua fundaret, institueret, regeret, ac ad successores transmitteret. Nos suprà, eorum testimonia recensuimus, ostendimusque, haudquaquam fortuito mortem Romæ oppetiisse Petrum, sed iussu Christi, quod etiam Athanasius & Ambrosius produnt, vt proinde appareat insedisse Deo, ac statuisse eum, vt primi & præcipui sui Apostoli operâ ad totius Ecclesiæ Principatum Roma eueheretur. Vt igitur *potuerit Petrus in pago aliquo mori*, si rerum communem spectes ordinem, haud tamen illi placuit pro particulari prouidentia alibi quàm in orbis Theatro, diem claudere extremum. Quo scilicet nobilissimo sanguine aspersa Roma ad supremum Ecclesiasticæ dignitatis fastigium assurgeret. Nec est in verbosissima oratione Spalatensis aliquid quod Romam hac honoris prærogatiua spoliare possit. Hoc igitur nomine plus est Romanæ quàm Antiochenæ sedi datum, quod Innocentius & Gregorius à nobis suprà citati ostēdunt. Cumque de Primatu nunquam litem mouerit Antistes Antiochenus Pōtifici Romano, semperque ei loco cesserit, adeóque vt est in Concilio Ephesino, à Ioanne Episcopo Hierosolymitano obseruatum Romana Ecclesia semper Antiochenam rexerit, miror ea dementia fuisse Spalatensem, vt Antiochensis Ecclesiæ iura non iura sibi propugnanda duceret. Potissimùm verò Synodo Nicæna Antiochenam sedem non solùm primo loco excludente, verùm etiam secundum negante, ac in tertio consistere iubente, quod quanquam est ex more maiorum desumptum, mos tamen ille à Petro exordium sumpsit & inualuit, vt suo loco diximus.

Secunda Bellarmini obseruatio est; *Obseruandum est secundò*, inquit, *tametsi* SPALAT.
fortè non sit de iure Diuino Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Num. 13.
Petro succedere in Præfecturam totius Ecclesiæ; tamen si quis absolutè petat, an iure Diuino Romanus Pontifex Pastor sit, & Caput totius Ecclesiæ, omninò esse id asserendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt ipsa successio sit de iure Diuino; hoc est, vt ordinarium officium Ecclesiam vniuersam, cum summa potestate gubernandi, non sit ab hominibus, sed à Deo immediatè institutum, id autem esse suprà demonstrauimus. Hanc sic impugnat Spalatensis.

Secunda obseruatio Bellarmini, inquit, *continet, meo quidem indicio, manifestam* SPALAT.
contradictionem, aut saltem falsitatem. Nam posito etiam & admisso Papatu in Num. 18.
Petro; cùm incertum sit, an de iure diuino Romanus Episcopus, quia Romanus Episcopus est, succedat Petro in Papatu vniuersali, imò cùm fortasse certum sit, nec rennuit Bellarminus, de iure diuino Romanum Episcopum, vt talem, in dicto Papatu Petro non succedere, & aliundè nulla habeatur euidens certitudo, Petri Papatum

in Romanos Pontifices vllo modo transiisse; imò rationes ex Scriptura deductæ oppositum euincant, quomodo potest diuina fide asseri absolutè, Romanum Pontificem esse caput & Pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ? Concedam enim nunc liberaliter, de iure diuino succedi debere Petro in Papatu; sed negabo Romanum Episcopum vllo modo esse hunc successorem: hoc enim erat probandum Bellarmino; sed numquam probauit, & eius probationes demolimur, & à nobis probatum est contrarium. Pontificis Romani authoritatem, quæ successione Petri nititur, ex iure promanare diuino magnus agnoscit Augustinus, ac cum Augustino Concilij Mileuitani Patres. Scribentes siquidem ad Innocentium Papam, vt quamuis Pelagiani à Conciliis Carthaginensibus damnati, tum à sancto Hieronymo plenissimè confutati essent, cum tamen ipse eos lata sententia etiã condemnare vellet, hanc

Inter Epist. Aug. ep. 92. rationem subiiciunt. *Arbitramur enim,* inquiunt, *authoritati sanctitatis tuæ de Sanctarũ Scripturarum authoritate depromptę, facilius eos qui tam peruersa & perniciosa sentiunt esse cessuros:* In quibus verbis & authoritatẽ eximiam ac singularem ad comprimendos hæreticos in Romano Pontifice, illamque & Synodorum decretis, & doctissimorum virorum scriptis maiorem agnoscunt, & præterea illam authoritatem ex scripturis depromptam esse, id est esse iuris diuini asseuerant; quare etiam Gregorius prolatis in hanc rem Scripturæ locis hoc

Li. 6. ep. 37. addit: *Ergo,* inquit, *cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit.* Itaque nec anxius nec scrupulosius de loco nobis quærendum arbitramur. Satis scilicet nobis est, quod inculcat doctissimus Cardinalis de fide esse, Pontificem Romanum quippe qui successione Petri nitatur, eiusque sit heres, summum esse Ecclesiæ Pastorem. Ex quo etiam abundè refelluntur quæ in tertiam obseruationem Bellarmini ab Aduersario inducuntur, vt propterea superfluum sit in iis refellendis diutius immorari; si quidem sua principia falsitatis & absurditatis plenissima retexit, &

Spalat. Num. 15. meris nugis Lectorem pascit. Quare de quarta dicendum nobis sit: *Obseruandum est,* ait, *postremò Romanum Episcopatum & Ecclesiæ vniuersæ Præfecturam, non esse duos Episcopatus, neque duas sedes, nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus, non adiunxit sibi Episcopatum vrbis Romæ; quomodo Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium Episcopatum, vel Canonicatum, aut Abbatiam, sed Romanæ vrbis Episcopatum euexit ad summum Orbis terræ Pontificatum; quemadmodum cùm Episcopatus simplex erigitur in Archiepiscopatum, vel Patriarchatum. Non enim Archiepiscopus, vel Patriarcha est bis, aut ter Episcopus; sed semel tantùm, & in huius rei signum non datur Pontifici summo nisi vnũ Pallium; etiamsi Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, & summus Pontifex sit: Hæc enim omnia sunt vnum actu, & tantùm in potentia multa. Ex quo sequitur, vt qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiæ totius, etiamsi*

Spalat. Num. 20. *fortè id non exprimant electores.* Aduersum hanc sic pugnat Spalatensis. *De quarta obseruatione Bellarmini,* inquit, *& de Papatu Episcopatui Romano coniuncto disseram capite proximè sequenti. Satis nunc mihi sit, Episcopum Romanum non esse verum & peculiarem Petri successorem; neque vllam haberi probationem qua contrarium euincatur; nisi mihi iam dicant Ecclesiam ita de fide tenere. Ego verò nego id Ecclesiam Catholicam de fide tenere; totus enim Oriens id perpetuò & constanter negauit; in Occidente verò adnitentibus id Romanis Pontificibus, & eorum asseclis & Parasitis; tantisper error in*

aliquibus

aliquibus inualuerat; sed non dormitante, neque dormiente qui custodit Israël; iamdiu Occidens quoque errorem hunc excutere est aggressus. Arianus aliquando error totam penè peruaserat Ecclesiam; testis sit Concilium *Ariminense, sed paulò pòst orto veritatis sole, erroris nubes sunt disiectæ. Non ergo argumentum veritatis est erroris dilatatio; sed constans Ecclesiæ totius, & firma adhæsio; quæ in præsenti errore non habetur, sed hunc esse errorem expressum ex sacris etiam litteris, vt docui, constat manifestè. Neque Papatum ad fidem posse reduci fatetur penè Gersonius infrà cap. 7. num.* 8. Hæc prӕterquam quod sunt absurdissima, etiam contumeliosa sunt, & Orienti, & Occidenti, ac ostendimus suo loco prioris æui Patres Græcos, Pontificem Romanum tanquam Petri successorem, & totius Ecclesiæ Principem coluisse: De Occidente verò quî dubitare possit, cùm ipsi hæretici, quorum patrocinium hic suscipit Spalatensis, inficiari non audeant, subiectum ab initiis surgentis Ecclesiæ Pontificis Patriarchatui totum Occidentem. Certè serenissimus magnæ Britanniæ Rex, non grauatè totum Occidentem, si intra eius fines cohibere se velit, concessurum se ei profitetur. Sed imperium Ecclesiæ humanis etiam potentissimorum Regum diuisione non nititur, nullis terrarum limitibus dedit Christus, & ex orbe migrandum iudicat Bernardus ei, qui in Petri aut etiam Pontificis disciplina esse nolit. Reliqua sequenti capite, ad quod nos remittit Spalatensis, persequemur. Quodque contra Patres Pontifici Romano Primatum Apostolicum asserentes, excipit, dissoluemus ac dispungemus. Psal. 120.



DISCVSSIO
SEPTIMI CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatensis ad eundem lapidem iterum offendit, & frustrà probare nititur Christum, qui est primarium Ecclesiæ Caput, noluisse in sua Ecclesia alium esse Monarcham, nisi seipsum solum. Causarum causa secundas causas non excludit: Adducti in hanc rem Ambrosius, Cyprianus & Bernardus. Superiori capite ostensum Pontificem Romanum Petro legitimo ordine succedere. Locus Torcellani explicatus. Schola Parisiensis toto orbe celeberrima, quam in suas partes pertrahere conatur importunus senex Spalatensis, defensa & ab eius contumelia, & impostura vindicata. Pelagius II. & Gregorius I. ab aduersario non intellecti, aut pessimè expositi, vt à se stare ostendat. Oecumenici seu Episcopi vniuersalis diuersa acceptio, & quo sensu hoc nomen auersati sint Pelagius, Gregorius & Adrianus I. Baronius & Bellarminus defensi. Vnum esse in tota Ecclesia caput fusè ostenditur. Robustissimum Gregorij argumentum aduersus Constantinopolitanum Antistitem, non item cõtra Romanum Pontificem. Refelluntur quæ sunt à Spalatensi in innocentes Pontifices iactata. De pedum osculis. Authoris obitus.



SPALAT. Num. I. *VERISSIMVM esse quod proponimus, satis superque probat in primis totus noster primus huius operis liber; in quo abundè ostensum est inter Ecclesiasticos ministros, in terris Christum Dominum Monarchiam non instituisse; sed eam modis omnibus à sua Ecclesia amouisse; si ergo Christus noluit in sua Ecclesia alium esse Monarcham, nisi seipsum solum; & suos ministros omninò voluit omnes penitus seruos esse bonos & fideles, qui simul & in solidum suæ Ecclesiæ inseruirent, & nullus eorum in suos conseruos dominium vsurparet & tyrannidem; quis non videt Primatum hunc Romani Pontificis totum esse vsurpatum, & Christi institutioni, sanctisque Euangelijs & diuinis Scripturis repugnantem.*

SPALAT. Num. 2. *Probauimus itidem lib. 2. cap. 1. omnes Episcopos æquè omnibus Apostolis succedere; & capite quinto & sexto, necnon libro tertio capite primo omnes Episcopos à Deo æquè institui; & eos inter se iure diuino esse penitus æquales. Probauimus quoque libro tertio, sola Ecclesiastica consuetudine & lege, ad aliquos actus Episcopales, Episcopos aliquos alijs Episcopis esse prælatos, & Hierarchiam hanc Ecclesiasticam, dicto iure Ecclesiastico, ad vnicum solùm non reduci; sed ad tres primùm; deinde ad quinque Patriarchas inter se æquales, & æquè vnumquemque in sua regione supremum: Optimè ergò ex his constat, Papatum illum Romanum esse meram vanitatem in Christi Catholica Ecclesia intolerabilem. In præcedentibus quoque huius quarti libri capitibus demonstratum est, nullo pacto posse Ecclesiæ Romanæ singulare vllum tribui huius primatus priuilegium, quantumuis Petrum faciamus Ecclesiæ Monarcham fuisse, qui reuera non fuit: & Romam non esse peculiarem Petri sedem, neque Ecclesiam Romanam*

manam esse supra alias, sed vnam inter alias, & particularem; neque ipsius Episcopum posse vllo modo Petro singulari ratione succedere. Quare inde etiam adhuc magis confirmatum relinquitur, Monarchiam hanc Romanam in Ecclesiam vniuersalem, esse totam vsurpatam & confictam.



VAMQVAM quod ipsi etiam Ethnici agnouerunt, causarum causa Deus est custodiens & regens omnia, nullaque natura ad salutem satis instructa esse possit, quæ citra Dei præsidium, suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Causas tamen secundas otiosas esse non patitur; sed earum interuentu, vniuersam mundi molem administrat, ac iudicio Philosophorum errant omnino, qui causis secundis actiones adimunt, quos præterea propter dogmatis absurditatem vel pœna, vel sensu indigere pronunciat Aristoteles. Sic scilicet adminiculo solis lucem fundit, terrasque collustrat, sic operâ ignis calorem profert: sic interuentu animæ vim agendi, & sensibus, & reliquis facultatibus impertitur, qua ratione anima caput hominis Augustino dicitur. Hunc prouidentiæ suæ ordinem in Ecclesiæ corpore regendo locum habere voluit, vt scilicet causæ quædam essent, quarum interuentu influxum suum in multitudinem fidelium demitteret, & vt loquitur Apostolus, *Ipse dedit quosdam Apostolos, &c.* Non quod vt artifices instrumentis, ita his causis indigeat, citra quarum opem opus suum moliri nequeat: sed hoc exuberantem naturæ diuinæ bonitatem decuit, fuitque id ipsarum rerum dignitati maximè congruens, vt omnes partim agendo, partim patiendo quodam quasi vinculo colligatæ essent, atque ita vnitatis ordinem seruarent, in quo non immeritò Aristoteles vniuersi bonum, & perfectionem magna ex parte consistere docet. Quamquam igitur caput Ecclesiæ Christus est, atque quâ Deus, rerum omnium principium, & causa est: quod tamen proximas causas non excludat, suæ potestatis iura vnius spectabilis capitis à se vniuersæ Ecclesiæ spectabili corpori impositi, interuentu & adminiculo exercet ac exequitur. Quamuis igitur ipse caput sit Ecclesiæ *primarium & vitale*, vt vocant, de quo Apostolus, *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit, Deus, caput super omnem Ecclesiam, quod est corpus ipsius & plenitudo eius.* Caput ministeriale, vt loquuntur, non tollit, sed eius opera vniuersam Ecclesiam regit, ac administrat, traditis scilicet Petro gubernaculis, his verbis, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* Quorum vis ac energia ad eius successores sese fundat. Frustra igitur est Spalatensis in hoc capite oppugnando, frustra perniciem ei molitur, opus suum agnoscit Christus, & à Christo edocta Pastorem ac Pontificem suum Ecclesia veneratur; quæ autem sunt ab Aduersario inducta ad labefactandam, ac tollendam illam à Christo constitutam potestatem depulimus superioribus libris, ac in ordine à Christo præstituto omnino manendum esse docuimus, qui Petrum Petrique successores magna ornatos dignitate & authoritate vniuersæ Ecclesiæ moderatores præfecerit. Quare quæ hîc retexit, nec nouis præsidiis fulcit, facilè repudiamus, nec in his refellendis immorari operæ precium ducimus. Equidem & Pontificem ipsum in numero seruorum Christi ponimus, ipse verò se seruum seruorum Dei pronunciat, sed seruorum summus est, familiæ Christi perpetuus œconomus, & vt vno verbo dicam, *Fidelis est ille seruus quem constituit Dominus super familiam suam.* Hunc enim locum de Petro, ac de Pontifice eius successore, Patres intelligunt ac interpretantur. Pulchrè Am-

Topic. 1. c. 9.

Ephes. 4.

Arist. 12. Metaph. c. 10. textu 52.

Coloss. 1.

Ambrof.in procem.l.5. de fide. brosius: *Quisnam*, inquit, *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore cibum? Beatus ille seruus, quem veniens Dominus eius inuenerit sic facientem. Non vilis hic seruus est, magnus aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. Est Petrus, ipsius Domini ad pascendum gregem electus iudicio, qui tertiò meretur audire: Pasce agniculos meos, Pasce agnos meos, Pasce ouiculas meas.* In eandem sententiam Cyprianus de Cornelio loquens, quum No-
Cypr.ep.55. aut l.1.ep.3. uatiani & asseclæ Pontificem fastidirent, ac planè repudiarent; *Nec*, inquit, *præpositum seruum deseri à quibusdam miretur aliquis; quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes Dei patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint.* Ac rursus in eandem sententiam
Bernar.l.2. de consid. c.7. Bernardus de Eugenio loquens: *Sic te existimet homo*, inquit, *vt ministrum Christi: & quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim, summum planè inter ministros. Aliàs niti te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari ante-*
Id.l.2.c.1. *quam sis.* Ac rursus eundem compellans; *Ita*, inquit, *& tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues, præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? Vt des illi escam in tempore. Hoc est vt dispenses non imperes. Hoc fac & dominari ne affectes, hominum*
Chryf.l.2. de Sacerd. διὰ τί καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεε, ἵνα τὰ πρόβατα κτήσηται ταῦτα ἃ τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον ἐνεχείρισεν. *homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia. Quanam*, inquit, *de causa idem ille sanguinem effudit suum? Certè vt oues eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Iure igitur ac meritò sic loquebatur Christus. Quisnam fidelis seruus & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit? Rursus verba quidem ista hæsitantis esse videntur, quum tamen ab eo prolata sint, qui minimè hæsitaret. Nam quemadmodum Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur: interrogabat profectò, non ex eo quod vellet amorem huiusmodi ex discipuli verbis intelligere, sed quod declarare cuperet quanam censeri deberet nostra erga se charitatis dilectionisque magnitudo: ita & hic dum ait; Quisnam fidelis seruus & prudens? Non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis seruus ac prudens: sed quod exprimere velit, tum hoc opus quam rarum sit, tum quæ sit functionis huius amplitudo.* Vt ergo in ordine ministrorum Christi reponendus sit Pontifex, eius tamen dignitatem, ac in conseruos imperium is titulus non infringit, aut imminuit: vt propterea rursus frustrà sit Spalatensis in æqualitate Episcoporum nullo discrimine Pontificis & aliorum asserenda, ac in Ecclesiam inducenda.

Spalat. Num.3. Sed iam nostrorum rationes versat: *Caput tamen vnum*, inquit, *vniuersale in terris totius Ecclesiæ vniuersalis, cùm plenitudine Ecclesiasticæ potestatis necessarium esse, & necessariò ponendum; & consequenter Ecclesiam ex diuina ordinatione, Monarchicè gubernari, qui contēdunt Hieromonarchici, id vel ex sacris diuinis scripturis se colligere profitentur, vel ex rationibus & argumentis. Fatentur enim hanc de Primate vniuersali & Ecclesiastica Monarchia materiam, totam esse in se absolutè Theologicam; neque eam posse, aut debere aliundè inquiri, & declarari, aut definiri,*
Caietan. opusc.1.c.1. Id.opusc.3. c.1. *nisi ex diuina reuelatione sacraque Scriptura Theologicè. Hæc est expressa Caietani protestatio, qui & negotium totum à duobus præcipuis Euangelij locis pendere asserit; in quibus totam suam fundat disputationem. Nimirum Matth.* 16. Tu es Petrus, *&c. Et*, Tibi dabo, *&c. Et Ioan. vlt.* Pasce oues. *Ex his enim & ipse, & reliqui passim Monarchici omnes Petrum à Christo vniuersalem Pastorem solum primarium, & proprium ac ordinarium faciunt institutum. Inde argumentantur necessitatem, vt in Ecclesia adsit perpetuò talis Pastor vniuersalis; qui propriè succedat Petro in hac cura pasturæ vniuersalis. Et quia Petrum faciunt sibi Romam, vt fixam*

& perpetuam sedem delegisse; inde Romanum Episcopum, vt vidimus, faciunt hunc Pastorem vniuersalem. Sed hæc omnia sunt à me iam plenè in præcedentibus tractatibus confutata. Placet tamen Torcellani acerrimi Monarchiæ huius propugnatoris confeßionem hic apponere. Is enim cùm tandem vidisset se ex sacra Scriptura, sacraque Theologia primatum Romani Pontif. probare non posse; eò se recepit vt diceret: Si igitur in Euangelio non omnia quæ prædictam potestatem declarant, in Romano Pontifice & successore Petri, sicut in Petro declarata inueniuntur, seu vt omissa vel obscurius tradita; tamen quia generalis Ecclesia fides, & consuetudo ita tenet, & interpretatur; ab Apostolis ipsis capta, & immediatè eos succedentibus, & discipulis, hoc sufficeret, præsertim propter irrefragabiles rationes quæ de successore hoc probarunt. Sed hæc verba sunt tantùm, vt suprà etiam opponebam Bellarmino, & clarè patebit ex sequentibus. Interim verò dat manus abiecta spe, se quicquam solidi posse ex sacris litteris pro Papatu Romano colligere. Quoniam tamen cum schola Parisiensi adhuc aliquid nobis reliquum est dißidij, quæ & ipsa Monarchiæ huic se subdit, sed longè diuersa doctrina ab ea, quæ cæterorum communis est Monarchicorum: propterea cum Parisiensibus mihi disputanti, hoc pariter sit fundamentum; Nos non debere nisi Theologicè de hac re agere, potißimùm ex Scripturis. Non erant vllo modo mihi eximij Theologi, ob eorum summam authoritatem in re tanti momenti prætermittendi aut contemnendi; præsertim quod cùm ipsi ad veritatis splendorem proximè accesserint, mihi sint, vt spero, ad Hieromonarchiæ huius omnimodam subuersionem tandem manus porrecturi. A communibus enim Monarchicorum commentis, cùm plurimùm discesserint; nouisque sint vsi proprijs in hac Monarchia retinenda placitis, facile mihi erit ea ad eiusdem Monarchiæ conuertere destructionem. Quo iure Pontifex Romanus Petro legitimo ordine succedens, habenas Ecclesiæ moderetur, diximus superiori capite, ac eius authoritatem ex authoritate Scripturarum esse depromptam ex Augustino ostendimus. Nec Caietani illa est priuata sententia, vt suo loco ostendimus, sed communis. Quod attinet ad Torcellanum, quem non vidisse nos fatemur, siquidem intelligit rationem successionis, hoc est, cur Pontifex Romanus potiùs quàm Antiochenus successerit Petro, ex Scriptura clarè non colligi, assentiuntur omnes orthodoxi, qui huius rei rationem à Petri facto petunt; Si verò successionem ipsam intelligat, non aliundè quàm ex Scriptura colligi debet, vt suprà differentem Bellarminum audiebamus; neque enim gubernationem Ecclesiæ cum Petro interituram ei commisit, sed quam ad successores transmitteret; iure itaque diuino, seu ex institutione Christi Romanus Pontifex, potius succedit, quàm quiuis alius Episcopus; nam quia Christus fixum ac ratum esse voluit, vt vnius spectabilis Capitis & Pastoris authoritate regeretur Ecclesia, planè consequens est, vt vi illius sanctionis, vt intereunte vno Pastore, succedat alius in eius locum, atque vno auulso non deficiat alter, quod ex vi primùm instituti Pontificatus Aaronici in veteri lege factitatum obseruamus. Secus enim concideret ordo à Christo præstitutus, illis verbis, *Pasce oues meas.* Vnde autem constet Pontificem debere esse hunc successorem, si quęrat aduersarius, illud Tertulliani vsurpabimus: *Traditio tibi prætenditur oculus, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix.* Itaque expressè habet Scriptura, Christum cùm in terris ageret, etiam Ecclesiæ caput visibile fuisse, ac recipiendum in cœlum antè Petrum Vicarium suum constituisse, ac totius Ecclesiæ procurationem ei tradidisse illis verbis: *Pasce oues meas, Pasce agnos meos:* Traditio verò Patrum nos docuit, in vnum Romanum Pontificem transiisse hanc authorita-

Torc. de pot. Pap. par. 5.

Tertull. de corona militis.

tis prærogatiuam. Traditioni verò non secus ac Scripturæ fidem habendam docent Chrysostomus, Basilius, Epiphanius, & cæteri, & Augustinus clarissimè omnium. Itaque cùm totus orbis consentientibus ac conspirantibus votis, Orientis ac Occidentis, statim à morte Petri, loco habuerit ac veneratus sit, vt suo loco ostendimus, non nisi stultissimè de ea re ambigi possit, & hoc etiam meo iudicio sibi voluit Torcellanus, quem tamen in suas partes pertrahere conatur Spalatensis. Sed iam relicto Torcellano Scholam Parisiensem vexat, eique ferè hæresim affingit, vt illam à se stare ostendat. *Volunt*, inquit, *Doctores Parisienses Christum in Ecclesia supremam potestatem instituisse, & reliquisse; & Papatum de iure diuino admittunt: prius tamen volunt hanc supremam iurisdictionis in regenda Ecclesia vniuersali potestatem, ipsimet toti Ecclesiæ vniuersali à Christo datam, (in ordine enim Episcopali omnes Episcopos, etiam cum Papa cum cõmuni, faciunt pares) cum ea tamen ipso diuino iure obligatione, vt quoniam tota Ecclesia non semper potest facilè congregari, illa vnum ponat suo loco caput, qui ipsius nomine, tanquam vniuersalis Ecclesiæ, vniuersalis magister ipsam regat Ecclesiam vniuersalem, & hunc esse Papam. Christum verò supremam hanc potestatem prius dedisse Ecclesiæ, quàm Petro, probant ex Matth.* 18. Dic Ecclesiæ, *& statim*; Quæcunque alligaueritis, *&c. Quibus verbis, aiunt dari Ecclesiæ potestatem excommunicandi, & consequenter alia iurisdictionalia exercendi. Postea verò ipsum Christum Petrum elegisse, vt nomine totius Ecclesiæ illam exerceret potestatem, quando dixit ei*, Pasce oues, *Ecclesiæque electionem præoccupasse; eique sic præscripsisse; vt ipsa deinceps loco Petri sibi Papam præponeret; sicut ipse Petrum toti Ecclesiæ, sed nomine ipsius Ecclesiæ præposuerat. Quod si Christus Petro illam curam non dedisset; tunc, inquiunt, potuisset Ecclesia, vel Petrum, vel alium quemcunque, prout ei placuisset, Papam constituere, (quod etiam concedit Bellarminus) quia Christus electo Petro, illam præuenit: Post mortem verò Petri illa perpetuò deinceps sibi Papam constituit. Dicunt ergo iure diuino, supremam potestatem Ecclesiasticam esse totam in Ecclesia primariò, & supremam item iure diuino esse in Papa secundariò, & in Ecclesia esse maiorem, quàm in Papa: & Papam esse ministrum Ecclesiæ; & proinde Ecclesiam vniuersalem, Conciliaque generalia ipsam repræsentantia esse supra Papam; Papam verò esse quidem supra singulos Episcopos, singulasque Ecclesias; non tamen supra vniuersas, sed vniuersitatem Episcoporum esse supra Papam, & Papam posse ab Ecclesia eligi, quicunque ei placuerit; etiamsi non sit Episcopus Romanus. Tunc enim semper verificabitur, inquiunt, illud: Vbi Papa, ibi Roma: & sic non tenent ipsam localem Romanam sedem esse necessariò Papalem, quod etiam Eckius affirmat: Concedit enim Papatum esse transferibilem, & posse eum à Romana sede auferri, & in alia collocari. Volunt præterea Papam esse subiectum correptioni fraternæ, eique Euangelico dicto: Si peccauerit, &c. ac consequenter eum correctioni Conciliorum subiacere, posseque ob quæcunque grauia delicta, & iudicari à Conciliis & puniri, ac etiam deponi: & ab ipso ad Concilium posse appellari: & vnionem Christianorum cum Christo vero capite primario Ecclesiæ, esse essentialem, atque ad salutem simpliciter necessariam: vnionem verò cum capite secundariò Papa, esse accidentalem, & ad salutem non simpliciter necessariam: Et Papam esse fallibilem, ac errare in rebus quoque fidei posse, non ita Ecclesiam. Hæc, & similia constanter tenent, & docent, Gersonius qui & Carlerius, in suo tractatu de potestate Ecclesiastica; & de auferibilitate Papæ; & de statibus Ecclesiasticis; & de pace, consideratione 2. & 4. & in Articulis contra Petrum de Luna artic. 1. & 11. & de vita spirituali animæ, lect. 2. & 3. aliisque locis. Petrus de Alliaco*

Marginalia: August. ad Ian. 118. — Spalat. Num. 4. — Ioan. 21. — Sup. c. 6. nu. 12. — Eckius de Prim. Pet. l. 1. c. 3. — Matth. 18.

Alliaco Cardinalis Cameracensis tractatu de Ecclesiæ authoritate; Iacobus Almainus tractatu de Dominio naturali, ciuili & Ecclesiastico; & de authoritate Ecclesiæ; & de potestate Ecclesiastica & Laïca; Ioannes Maior, disputatione de authoritate Concilij supra Pontificem in Commentariis in Matthæum cap.18. super illa verba: Si peccauerit in te, &c. & in 4. dist. 24. q. 3. & alij.

Hæc sanè doctrina, verbo tantùm tribuit Papæ supremam iurisdictionis Ecclesiasticæ potestatem iure diuino; re tamen illam eidem totam aufert. Si enim per prius est illa potestas in Ecclesia, quàm in Papa; & in Papa non est nisi quatenus ei illa ab Ecclesia tribuitur; vnde & purus sit minister Ecclesiæ; minoremque dicatur habere potestatem, quam tota habeat Ecclesia; si quoque supra totam Ecclesiam vniuersalem absolutè ei negatur omnis potestas; sed sola conceditur supra singulas Ecclesias; si idem vniuersali Ecclesiæ absolutè subijcitur; omninò profectò Ecclesiasticæ Reipublicæ forma Democratica hinc apparebit; non Monarchica. Et dum cum Augustino hi Doctores planè fatentur, Petro datas fuisse à Christo claues, tanquam procuratori totius Ecclesiæ; vt illas, nomine totius Ecclesiæ, tanquam vniuersalis Ecclesiæ typus & figura, & non in sua specialitate acciperet; certè idem prorsus, & dicunt in re, & sentiunt, quod ego pluribus in meo lib.1. declaraui. Quod si Petrus in acceptione clauium personam Ecclesiæ sustinuit; & in sua specialitate nihil accepit; id profectò fuit pro illa vice sola, quippiam merum personale, quod cùm persona simul extinctum est; neque in hoc data est ei vlla successio; neque Ecclesia amplius indiguit tali figura, tali typo, & tali procuratore; quia semel à Christo datæ claues Ecclesiæ in Petro, non sunt amplius ab Ecclesia ablatæ; quia illas Petrus, nō pro se solo accepit, sed pro omnibus simul & semel prælatis, præsentibus & futuris; qui omnes erant in Petro, quando ei Christus dabat claues. Cùm itaque Ecclesia tunc claues illas plenissimè habuerit in Petro, quid opus amplius est, vt post Petrum alius, & alius, & alius, perpetua successione adsit Ecclesiæ procurator? Vnde ergo habent necessitatem Papatus in Ecclesia, cuius etiam institutionem nullam viderint? SPALAT. Num. 5.

Accepit ergo Ecclesia vniuersa, non à Petro, sed in Petro, seu cum Petro tunc omnem potestatem Ecclesiasticam, quam Christus eidem suæ Ecclesiæ tribuebat; & hæc potestatis plenitudo, vt optimè docet Parisienses, data est Ecclesiæ vniuersæ, hoc est, omnibus & singulis Episcopis in solidum; quam potestatem plenissimè, iure diuino, quilibet Episcopus exerceat in suam gregis Dominici portionem: quia Episcopatus vnus est, vt dicebat Cyprianus, cuius à singulis in solidum pars tenetur: Et singulis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet. Ad quid igitur Ecclesiá indiget Papa? Quid præstare debet vniuersali Ecclesiæ Papa, quod non præstent ipsi Episcopo; vel singuli in suis Episcopatibus; vel quando opus est, etiam vniuersi in Concilijs? Vnumquemque enim Episcopum, quantumuis iure humano ligatus sit vni sedi particulari, iure tamen diuino, curam vniuersalem totius Ecclesiæ vniuersalis gerere debere, vbi opus sit, & necessitas, aut opportunitas exigat, satis ostendi li.2. cap.6. & 7. & inferius cap.9. confirmabo. Vbinam verò obsecro, istum Papatum inueniunt à Christo institutum? An in Petro? Sed nihil potestatis Petrum habuisse iam conuicimus, quod non æquè quiuis alius Apostolus habuerit, & consequenter omnes Episcopi Apostolorum in solidum successores. Si verò eos aliquod confusionis periculum turbat, si omnes Episcopi potiantur in potestate æquales; sciant Ecclesiam satis prospexisse Prouinciarum diuisione, & Primatum, Metropolitanorum ac Patriarcharum institutione, vt iam est ostensum. Sciant etiam de iure diuino, veram iurisdictionem in Ecclesia nullam esse, vt probabo lib.5. Sed totam charitate regi, regulis voluntarijs, ac documen- SPALAT. Num. 6. Cypr. de simpl. Præl. Id. l. 1. ep. 3.

tis, suasione, hortatu, increpationibus & obsecrationibus, pœnas verò alias nō habere, nisi ad summum, exclusionem hominis à reliqua fidelium societate; quæ est pœna dumtaxat priuatiua, non positiua. Quare propter iurisdictiones falsas & nullas Papatum ponere, est maximæ leuitatis. Cùm verò hi Doctores, verbo quidem Papatum de iure diuino dicant esse institutum, re tamen ipsa illum totum in esse, in fieri, & in conseruari Ecclesiæ subijciant, & consequenter cogantur ipsum Papatum totum ad ius positiuum Ecclesiasticum reducere: cur asserunt id quod probare non possunt; nec vllo, aut statuto, aut vsu Ecclesiæ confirmare: Et non potius visis tot Ecclesiasticis Decretis, & perpetua Ecclesiæ consuetudine, nobiscum affirment Ecclesiam perpetuò, antequam mōstrum hoc Papatus insurrexisset, per multa sæcula iuxta Euangelicam doctrinam & Apostolicas traditiones, & Patrum ac Conciliorum Decreta, aristocraticè, & non monarchicè, gubernatam fuisse: ac proinde nunc etiam debere gubernari? Et si qua debet inæqualitas inter Episcopos ab Ecclesia poni, eam debere poni, quam per tot sæcula iam posuit, & non nouam institui, Christo, Euangelijs, Concilijs, & Patribus omninò aduersantem, & Ecclesiam ipsam sæua tyrannida captiuantem.

Gerson. de potest. eccl. consid. 9. & in fin. concl. 2.

Spalat. Num. 7.

Mouebantur Parisienses luce veritatis, mouebantur necessitate pacis, & vnitatis: mouebantur turpitudine schismatum, ex concursu ambitioso ad Papatum: tot malis occurrere non poterant, nisi Papam suum, vt par est subderent Ecclesiæ, quo per Concilia generalia schismata extinguerentur, alioquin de remedio efficaci actum erat. Conati ergo sunt veram Ecclesiæ potestatem aperire, & Pontificis Romani indebitam supremitatem deprimere. Sed si Papatum ipsum penitus extinxissent, & nullum esse declarassent, vt reuera nullus est, & ipsi eum nullum esse optimè subolfecerant, Romanumque Pontificem in solo Patriarchali gradu reliquissent; sic penitus omnes schismatum occasiones amputassent, nec vllum amplius periculum schismatum superfuisset. Sed quia Papatus iste iam nimium inualuerat, neque spes erat in Concilio Constantiensi illum extinguendi; soli enim tunc Theologi Parisienses veritatem per rimulas inspiciebant, & verum remedium subodorari poterant, non penitus adhibere, ne contra torrentem frustra niterentur, & incassum laborarent, Papatum retinere coacti sunt in verbo, quē vt dixi reipsa demoliebantur. Ideoque Monarchicis nostris nihil obijci potest durius, nihil ingratius, nihil ipso Constantiensi Concilio odibilius, in quo Parisiensis doctrina, moderata tamen, obtinuerat, vt Papatus nomine quidem relinqueretur, re penè aboleretur, & Ecclesiasticum regimen supremum in ipsa tota Ecclesia, ipsiusque Concilijs (prout semper obtinuit, vel obtinere debuit) retineretur. Ac propterea Roma Concilium hoc Constantiense iam totum conculcauit; & ipsum igni tradendum proclamauit aliquando Thomas de Vio frater Dominicanus, Cardinalis Caietanus. Dum itaque audimus Gersonium & socios, viros doctissimos, Papatum retinere, & tueri; sciamus profectò id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi sententia, & ad vitanda scandala, ac ne maiores adhuc turbæ in Ecclesia excitarentur, iuxta illud eiusdem Gersonij documentum; Poterit siquidem, inquit, fieri, vt absque peccato mortali, imò cum merito magno sit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui dissentiat corde ab humanis determinationibus, aut traditionibus; qui tamen obligabitur, propter euitationem scandali, vel aliter, non repugnare exterius; nam potest aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falsitatum dogmatizatio permitti. Hoc documento vsum fuisse ipsum Gersonium & socios, non dubito; dum in Concilio Constantiensi Papatum ore tantùm defendunt & retinent.

Caietan. opusc. 1. c. 8.

Gers. de vit. spiri. animæ lect. 4. corol. 10.

Spalat. Num. 8.

Quinimo idem Gersonius hanc ipsam sententiam de Papatus vnitate in forma & magistraliter, timidè tamen & sub humana cautela ibidem explicarat, dū in lege purè diuina

diuina quatuor gradus aßignauit; vt primus sit legum in sacra Scriptura expreßè positarum pro tota Ecclesia; Secundus earum quæ ex his euidenti consequentia deducũtur: Tertius earum quæ sola traditione legitima habentur: Quartus earum quæ specialiter à Deo priuatis inspirantur. In tertio gradu posuit articulum de Romano Papatu, qui sit in vniuersalem Ecclesiam, his verbis; In tertio gradu reponentur leges diuinæ immediatè à Christo traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per succeßiuam relationem Apostolorum, & aliorum ad nos æquiualentum Scripturæ Canonicæ notificatæ sunt, vt forte est ista lex, vniuersalis Ecclesia Pontifici Romano subiecta sit. Non enim posset euidenter, aut per consequentiam purè de fide, ex legibus primi generis humana deductione fulciri. Quod tamẽ sit lex purè diuina, patet; quia nisi sic, posset humana traditione primatus iste cassari. Papatus ergo Romanus, neque est in Euãgelio expressus; neque ex Euangelio potest euidenti consequentia deduci; sed à traditione, nescio qua ipsum pendere asserit Gersonius. Quam etiam ipsam traditionem cùm nullam habeat, imo contrarium ex Patribus, & Conciliis pateat; argumentum leuißimum (puto, sciens & prudens) apposuit: alioquin videlicet sequi, humana traditione posse Papatum cassari. Hanc ergo sequelam vt necessariam concedo; sicut enim sola vsurpatione se erexit, ita potest, sublata vsurpatione aboleri; quod non modò absurdum non est, sed etiam in Ecclesia omnino necessarium. Id. ib. lect. 2

Parisiensium itaque doctrina enucleatè intellecta, nihil discrepat à mea his libris tradita doctrina, & ab ipsa veritate; vt legenti illos tractatus cum animi sinceritate, facilè constabit; & ego in sequentibus subinde ex ipsis Parisiensibus, multas decerpam veritates, tanquam ex iis, quorum doctrina valdè solida, vt plurimùm est, & ab ordinariis Monarchicorũ ambagibus, ac nugis satis remota. Schola itaque Parisiensis, & nostra est, & reipsa potestati studet Aristocratiæ, non Monarchicæ: quare ex eius quoque doctrina Papatus nullo potest solido subsistere fundamento: Quod vlterius sumo confirmandum. Parum abest quin nostros Parisienses schismaticos & hæreticos faciat importunus senex, sed doctissima, & toto orbe celeberrima Schola, hæc mendaciorum portenta, quibus totus hic liber deformatur, profligauit, & hanc labem grauissima censura absterst. Audiamus illos loquentes, & impium dogma obelisco confodientes; Dixerat primo capite Spalatensis, *supremum Ecclesiæ Romanæ Primatum, ipsiusque supra cæteras omnes Ecclesias imperium reuera nullis solidis initi fundamentis.* Quid igitur ad hæc Parisienses? HÆC PROPOSITIO, inquiunt, FALSA EST, ET VIAM AD SCHISMATA ET HÆRESES STERNENS. Dixerat, *neque Antiochiæ, neque Romæ Petrum propriè sedisse, sed vt excurreret Apostolatum accepisse, & quocunque pergeret, semper suam Cathedram, hoc est Episcopalem potestatem secum detulisse, quam nulli certo loco alligatam haberet.* Hanc verò, vt tulerunt Parisienses? HÆC PROPOSITIO, inquiunt, EST FALSA, ET QVÆ IGNORANTIAM AVTHORIS PRODIT. Dixerat, *Totam antiquitatem, vniuersalitatem Romani Episcopatus penitus ignorasse*; An siluerunt? HÆC PROPOSITIO, inquiunt, VT SVPERIOR, EST FALSA, ET IGNORANTIAM AVTHORIS OSTENDIT. Addiderat, *Constare Romanam Ecclesiam esse perfectißimè schismaticam, quæ se à corpore Ecclesiæ vniuersalis tunc abscidisset, quando ipsius membrum esse recusauit, & quod peius est, & schismati addidisse tyrannidem verè antichristianam.* An non igitur ad impias has voces exhorruerunt? HÆC PROPOSITIO, inquiunt, EST SCHISMATICA ET HÆRETICA. Addiderat amplius, *Omnes Episcopos esse omnium Apostolorum, etiam Petri in solidum succes-*

Spalat. Num. 9.
Lib. 4. c. 1. nu. 1.
Num. 25.
Cap. 2. nu. 11
Num. 36.
Cap. 6. nu. 2

sores, neque Petrum habuisse quicquam peculiare, in quo ei dari debeat magis quàm cæteris simul omnibus successio. An non igitur sustinuerunt viri tam Orthodoxi, tam Docti, tam Catholici? PRIOR PROPOSITIO, inquiunt, QVA PARTE STATVIT SINGVLOS EPISCOPOS ESSE PETRI SVCCESSORES, EST CAPTIOSA; QVIA PETRVS VLTRA POTESTATEM ORDINIS, IN QVA EI SVCCEDVNT EPISCOPI, ALIAM HABVIT IVRISDICTIONIS APOSTOLICÆ, CVI SOLVS ROMANVS PONTIFEX SVCCEDIT. POSTERIOR, EST HÆRETICA, SCHISMATICA, ET HIERARCHICI ORDINIS PERTVRBATIVA.
Num.7. Hæc præterea effuderat, *Planum est hunc Papatum esse totum fictitium, commentum hominum.* Quid igitur & de hoc dogmate censent? HÆC PROPOSITIO, aiunt, EST HÆRETICA, VT SVPRA NOTATVM EST. Rursum
Num.19. absolutè negarat, *Pontificem Romanum esse Petri peculiarem quocunque iure successorem, aut ex diuino iure colligi posse vlla ratione peculiari eum Petro succedere.* An igitur placuit impium dogma? HÆC PROPOSITIO, inquiunt, EST SCHISMATICA ET HÆRETICA, ATQVE ROMANO PONTIFICI CONTVMELIOSA. ACVT iam ad hoc caput septimum veniamus versantes,
Cap.7.nu.6 ac expendentes illa verba Spalatensis *potestatis plenitudo, vt optimè docent Parisienses, data est Ecclesiæ vniuersæ, hoc est omnibus & singulis Episcopis in solidum.* HÆC PROPOSITIO, inquiunt, EST CONTVMELIOSA IN FACVLTATEM PARISIENSEM, IN PARTICVLA SINGVLIS EPISCOPIS. An erat igitur quod ad Parisienses prouocaret, & eximiam Scholam appellaret, aut potius traduceret Aduersarius? Itaque alia responsione opus non sit; Prætereunda tamen nobis non est censura alterius impij dogmatis, quod re-
Eod.num. liquis assuere, veritus non est Spalatensis. *Sciant*, inquit, *etiam de iure diuino iurisdictionem in Ecclesia nullam esse, sed totam charitate regi, &c.* HÆC PROPOSITIO, clamant Parisienses, EST HÆRETICA ET ORDINIS HIERARCHICI SVBVERSIVA. Nos etiam qui sub signis almæ parentis militamus, eam priore libro refutamus, atque meo quidem iudicio, de ea re inconstantissimè scribit Spalatensis: Annon illius pura putaque oratio, *Christus immediatè concessit Apostolis potestatem ordinis, & iurisdictionem plenißimam?* Sed annon hoc ipso loco admittit in Ecclesia esse potestatem excommunicandi, ac excludendi homines à reliqua hominum societate? Quî verò hæc consistere possint, si veram iurisdictionem à Christo Ecclesia consecuta non sit, possitne anathematis pœna, quamquam quod vrget Spalatensis, *priuatiua* sit, ab eo decerni aut legitimè infligi, qui plectēdi *positiua* potestate non polleat? An possent pœna exilij quamquam in priuatione posita, Regia authoritate mulctari latrones, aut etiam communi ciuium societate excludi? Si penes Regem nulla esset iurisdictionis potestas? Addo verò, quòd etiam suprà monui, reclamare scripturam,
1.Cor.4. v. 21. & 2.Cor.13. v.10. quæ in Ecclesiæ ministris reos plectendi, ac mulctādi potestatem agnoscat; *Quid vultis*, inquit Apostolus Corinthios cōpellans, *in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Ac rursus: *Hæc absens scribo, vt non præsens durius agam, secundum potestatem.* Audisne Marce Antoni, *quam Dominus mihi dedit.* His rationibus adducti Parisienses librum Spalatensis, inter improbatæ lectionis libros reposuerunt ac reieceruēt: sed quia ad vetustiores illos Theologos Parisienses Gersonem, Almainum & Alliacensem prouocat Spalatensis, de his quoque nobis est agendum. Et quidem de Gersone accuratius, quod Scholæ Parisiensis Cancellarius,
ac

ac veluti huius agminis dux in hanc scenam inducatur, quamquam Alliacensi præceptore suo iunior. Qui igitur Gersonem typis mandari curauit, (caue autem existimes parisitatum eum, aut adulatum Pontifici) vt eum schismatis opinione purgaret, ac verè orthodoxum fuisse ostenderet, hæc de eo præfatus est: *Hic mihi* (inquit ille post celebratum Gersonem) *aliquos videor subaudire & obijcere, libros de potestate Ecclesiastica, non leuem maculam Gersonij pietati inurere: bona verba obsecro, certè qui auctoris institutum non malignè detorserit, & oscitanter perpenderit, contrarium facilè reputabit. An rogo, Pontificiæ auctoritati infestus est, qui sanctam S. A. Monarchicam, & ita Monarchicam esse asserit, vt neque ab Ecclesia vnquam tolli, neque in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari possit? Atque insuper Pontificem maximum, tanquam doctrinæ & vnitatis fidei symbolum, sic à Christo Domino institutum probat, vt Ecclesiam, solo Principatu Monarchico, ab hæreticorum conuenticulis, & synagogis Satanæ dignosci & secerni, atque solum Pontificem, Conciliorum generalium conuocandorum & comprobandorum authoritatem habere demonstret?* In vita Gersonij.

At inquies librum de auferibilitate Papæ edidit; verum id quidem est, sed attende ad schisma, quo bacchante lucubratum fuit, tum omnia benè concordabis. Enimuero Parisiensis Academia, cùm duos Antipapas de Ecclesiæ authoritate sic inter sese colludentes cerneret, vt neque actu, neque habitu vniendæ & concordandæ Ecclesiæ rationem retinerent; postquam ex vsitata scholæ consuetudine, multas supplicationes, & sacra de Spiritu sancto, pro Ecclesiæ pace & schismatum extirpatione, solemniter habuit, duce Gersonio, frequentia coëgit comitia, quibus primò disputatum fuit.

Omnem politiam rebus necessarijs ad sui conseruationem fuisse à Deo instructam; & Christum Dominum Ecclesiæ sponsæ charißimæ, non minus benè, quàm ciuili politiæ consultum, diuumque Petrum quamquam Ecclesiæ principem, Concilio *Oecumenico & fraternæ correctioni, propterea subijci voluisse (Matth. 18.) quod iuri diuino, & naturali repugnet, aliquem propria in causa, testem esse aut iudicem. Vnde Galat. 2. Petrus à Paulo redarguitur, eo quod ad veritatem Euangelij, non ambulet, hoc est, decretum Concilij Hierosolymitani super legalium abrogatione, minimè obseruet.*

Secundò conclusum fuit, auctoritatem, sanctitatem, & vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, isthoc symboli articulo obsignatam, Credo vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, *&c. non penes Antipapas (qui manibus atque pedibus Ecclesiæ vnitatem, & concordiam impedire conabantur) sed tantùm penes eos qui consilio, re, operâ, pacem atque vnionem procurarent, residere: & proinde istis inuitis atque reclamantibus,* Concilium *vnius obedientiæ, vt Gersonius appellat, indici & cogi posse (vt reuera habitum fuit) quo & vnitas sarciretur, & Ecclesiæ* Catholicæ *authoritas in pristinam libertatem assereretur: quia alioquin, Christum Ecclesiæ defuisse in necessariis, & Antipapas, statum Monarchicum Ecclesiæ à Christo institutum posse destruere oporteret, quod impoßibile est.*

Cæterùm, qui libellum, de auferibilitate, *cum titulo compararit, omniaque benignè examinarit, animaduertet tractatum hunc eruditißimum, non id velle quod hæretici cauillantur, aut inuidiosum illud lemma præ se fert: quoniam Ecclesiæ authoritatem, non absolutè & formaliter, sed casualiter tantùm, quoad abusum, & exercitium, authoritati Pontificiæ antecellere demonstrat Gersonius.* Ex his duo colligere fas sit: primùm spectanda esse tempora quibus scripsit Gerson, ac

duos Antipapas vexasse, qui diro schismate Ecclesiam infestarent, susque deque omnia miscerent, quo imperium scelere partum retinerent, non verò legitimos Pontifices vexasse, quorum authoritatem à Christo esse piissimus vir non dubitaret. Quare hîc animo recurrere debet, quod suprà monuimus, excogitata etiam à prudentissimis medicis grassante lue remedia, veneno depulso, vsui iam non esse; Alterum haudquaquam quod blaterat Spalatensis, nomine tenus Pontificatum agnouisse & propugnasse Gersonem; sed reipsa ac omnino ex animo sacram potestatem veneratum fuisse, ac obseruasse. Certè illo ipso tractatu cui barbarum titulum de auferibilitate Papæ præposuit, ea de Pontifice habet, quibus nihil magis orthodoxum proferri possit, multò enim de Christo capite Ecclesiæ præfatus sic de Pontifice statuit: *Auferibilis est*, inquit, *aut mutabilis lege stante qualibet politia ciuilis Monarchica, seu Regalis, vt fiat Aristocratica. Et non sic de Ecclesia, quæ in vno Monarcha supremo per vniuersum fundata est à Christo. Posset deduci consideratio tam à priori, quàm à posteriori, deducendo varietates quæ fuerunt in alijs politijs, quia nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo Regalem, nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia, quod secundum fas est esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus est in sua diœcesi Papa, vel Pastor supremus, æqualis Papæ Romano, errant in fide & vnitate Ecclesiæ, contra articulum illum,* Et in vnam sanctam Ecclesiam, *&c. & si pertinaces maneant, iudicandi sunt Hæretici, sicut Marsilius de Padua, & quidam aliorum. Consonat ratio, quia sicut ad vnam fidem, & ad eadem Sacramenta obligantur omnes viatores, sic oportuit, vt non esset schisma reductionem finalem fieri ad vnum supremum. Secus vbi communitas regitur legibus solis naturalibus & traditionibus humanis, quæ pro varietate temporum & locorum laudabilius, & vtilius variantur, quàm vt vno tenore ligent omnes, quemadmodum Aristoteles exemplificans de regula Lesbiæ.* Ac tandem vltima consideratione: *Auferibilis non est*, inquit, *vsque ad consummationem sæculi Vicarius sponsus Ecclesiæ, quin aliquis certus & vnicus præficiatur, & hoc lege stante, & præsupposita mundi duratione longissima. Detur oppositum, tunc Ecclesia maneret imperfecta vsque ad consummationem sæculi, nec suorum gauderet integritate membrorum, & præsertim membri principalis. Quocirca concludamus sub quadruplici corollario morali conformiter ad prædicta, & ad alias considerationes alibi notatas supra eadem materia: Et dicamus primò quod hi repugnant ordinationi Christi, & Spiritui sancto rebelles sunt, qui præsentis schismatis terminationem impediunt modis talibus, quos sciunt aut scire debent ad pacem protinus reducendam esse, vel inutiles, vel nociuos, vt si quæratur fieri pax per reductionem vnius obedientiæ ad alteram, vel per vim armatam, vel per dispositionem iuris, quæ non sunt probabiliter & salubriter expectanda. Nec sufficit dicere habemus Papam Christum, sufficit, vt credamus in eum, nam talis vnio ad Christum, & si sit necessaria, non tamen vsquequaque sufficit, vt in ea stemus, non procurando quantum in nobis est vnionem alteram ad vnum Vicarium suum in terris de quo constat Ecclesia.* Improbè itaque Spalatensis, & Gersonem, & Scholam Parisiensem traducit, quasi Pontificatum de medio sublatum voluerint, ac citra eius opem, ac operam Ecclesiam consistere docuerint. Duriora fateor quædam remedia excogitare eos temporum iniuria ac lues coëgit, sed ad schisma non impegerunt, nec eò delapsi sunt, vt præstitutũ à Christo ordinem conuellerent, aut etiam tollere conarentur.

Consid. 8.

Consid. 10.

Quare

Quare etiam nostri Parisienses verba Spalatensis diligentiori trutina examinantes, nigrum eis theta appingunt. Dixerat *Parisiensium doctrinam enucleatè intellectam nihil discrepare à sua his libris tradita doctrina, & ab ipsa veritate.* SPALAT. Num.9. Subiecerat & hæc impudentissima verba, *Schola Parisiensis, & nostra est, & re-ipsa potestati studet Aristocraticæ, non Monarchicæ: quare ex eius quoque doctrina, Papatus nullo potest solido subsistere fundamento.* Excipiunt illa Theologiæ lumina: MERA CONTRA FACVLTATEM PARISIENSEM IMPOSTVRA. Itaque superfluum sit in his diutius immorari.

Iam classicis Doctoribus relictis, præsidiũ ducere conatur ab ipsis Pontificibus, Pelagio secundo maximè & Gregorio primo. Quanquã verò prolixior sit & verbosior, ne quid dissimulasse videamur sua nos loquacitate obtundentem feramus, ac patienter audiamus. Sic igitur habet vanissima hominis oratio: SPALAT. Num.10. *Caput hoc vnicum totius Ecclesiæ vniuersalis*, inquit, *quis acrius, quis frequentius, quis vehementius impugnat, quàm ipse magnus Gregorius Pont. Rom. Qui sanè dum œcumenici Patriarchæ titulum, in Constantinopolitano Episcopo impugnat, Papatum penitus destruit, & in Ecclesia Christi nullum penitus caput vniuersale reperiri demonstrat. Si enim rationes ipsius, & conatus ad impugnandum, & debellandum Oecumenici titulum, quatenus Papam vniuersalem ille significaret, in Constantinopolitano quicquam valent (valent autem in hoc sensu plurimùm) valent certè nihil minus ad eundem titulum, etiam in Romano, & absolutè in quocumque alio opprimendum; illæ enim rationes planè conuincunt, in Ecclesia Christi nullum posse esse Episcopum, qui sit actu ipso, & iurisdictionis, regiminisque exercitatione vniuersalis.*

De prærogatiuis, seu priuilegiis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, satis multa quarto huius libri capite diximus, ostendimusque eam ad paria cum Romana Ecclesia priuilegia fuisse, partim consuetudine, partim Conciliorum Decretis, & partim ac maximè Imperatorum ibi iam residentium voluntate, & rescriptis euectam. Sicut igitur videbant Constantinopolitani Patriarchæ Romanos Pontifices, ad quoddam regimen totius vniuersalis Ecclesiæ, iure solo positiuo humano se extendere; ita eodem iure ad eadem priuilegia, & ipsi eleuati, idem vniuersale in quibusdam rebus, de quibus non infrà cap.9. regimen exercentes, priuilegium hoc voluerunt etiam peculiari titulo explicare; capitque vt videtur, primus Ioannes Constantinopolitanus Pelagij secundi tempore se vocare & inscribere Patriarcham Oecumenicum; hoc est, totius Orbis terræ vniuersalem; cui nimirum, in certis casibus subessent omnes aliæ totius mundi Ecclesiæ, etiam Patriarchales, sola excepta Romana; quam sibi subigere nunquam prætendit Constantinopolitana, sicut & semper Patriarcha Constantinopolitanus Romanum agnouit, similiter esse Patriarcham Oecumenicum; cui etiam pari modo omnes Ecclesiæ Patriarchales quoque in certis, ac iisdem casibus subessent; sola excepta Constantinopolitana. Vt quemadmodum Roma *vetus, &* Roma *noua, in solidum, vnicum supremum regimen in se habebant in temporalibus; ita vnum & idem esset earum regimen in solidum in spiritualibus; hoc enim expressè profitetur alter Ioannes, item Constantinopolitanus ad Hormisdam scribens; ait enim; Sanctissimas Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ, vnam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ Ciuitatis (Constantinopolis) vnam esse definio, & sicut oportet dicere, & olim scripsi vtrasque Ecclesias, tam Senioris, quàm nouæ Romæ, vnam esse euidenter intelligens; & vtriusque earum vnam sedem esse rectè definiens; indiuisibilem adunationem, & vtriusque nostrum consonam cõformationẽ, cum iudicij integritate cognosco. Quod Hormisda libenter accepit,* SPALAT. Num.11. Inter epist. Hormisd. post ep.34. Hormisd. epist.34.

neque vlla ratione repugnauit; imò etiam in vniuersalem curam ipsius Patriarchæ Constantinopolitani, erga totam Ecclesiam, præsertim Orientalem, expreßè & ipse consensit: dum ad eundem rescribens ait, De Antiochenæ quoque, atque Alexandrinæ Ecclesiarum statu, non supersedeas esse sollicitus, & clementißimo subinde Principe (Iustino) supplicato, vt in his quoque pacem religiosa ordinatione restituat: Hæc enim fuit, vt superius monui, & infrà cap. 9. repetam, præcipua primum Romani, deinde Constantinopolitani Primatus occasio, commoditas agendi cum Principe, pro bono statu totius Ecclesiæ vniuersalis, in Romano Imperio longè latéque diffusæ.

Ibid.

SPALAT. Num. 12. Hunc tamen Oecumenici titulum ferre non potuit, primùm Pelagius secundus, deinde post ipsum multò minus Gregorius: sicut & prius Leo ipsum Primatum Constantinopolitanæ Ecclesiæ ferre non potuit, vt vidimus cap. 4. Neque negare possumus hos sanctos Pontifices, propria etiam Romanæ Ecclesiæ iniuria plurimùm fuisse commotos, quàm priuilegiis hisce, & titulis aut Constantinopolitanæ subiici, aut saltem non præferri cernebant. Hinc Pelagius ait, Vnde fratres, reiecta penitus audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, & contra ipsam Domini Saluatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, &c. Sumpta est disputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquiescant: non liceat defendi quod non licet agere. Statimque ipsum Oecumenici titulum aggreditur. Et posteà: Prædecessores verò, inquit, Ioannis, & ipse Ioannes, non semel, sed sæpißimè Epistolas, atque libellos, propria manu subscriptos, sanctis Antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil vnquam proteruè contra Apostolicam sedem agere, nec de illius aut aliorum priuilegiis quicquam vsurpare. Item: Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur, nec vnquam Romana sedes, quæ instituente Domino caput est omnium Ecclesiarum, priuilegiis suis vsquam careat, aut expolietur. In his ergo titulis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, se vt ipsi putabant, ita extollentis, vt vel ipsam quoque sibi Romanam Ecclesiam subiiceret, vel saltem vt se à prælatione Romanæ Ecclesiæ subtraheret, cui tamen prius subiecta esset, iniuriam propriam considerabant, & eam repellere conabantur, sed multò magis, vt ex sequentibus ipsorum rationibus mox cognoscemus, ex publica totius Ecclesiæ causa mouebantur: cuius Ecclesiæ vniuersalis iniuriam tractant pluribus.

Pelag. 2. epist. 1.

SPALAT. Num. 13. Nullus, inquit Pelagius, Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia si summus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Exaggerátque hîc magnam adesse superbiam in ipso Ioanne, homine alioquin magnæ sanctitatis gloria fulgente, eleemosynis atque ieiuniis, & orationibus insigni, & ex eo, inquit, quo fœtebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, iactantiam tantùm sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet adscribere: & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi, sibi studeat membra subiugare. Et posteà: Si enim dici hoc licentia permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur: & fortasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, & nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Hæc Pelagius, imò verò potius Gregorius Pelagij consiliarius, Diaconus, Legatus, & adiutor præcipuus, Epistolarumque scriptor & dictator.

Ioan. Diac. in vit. Gre. l. 1. c. 26. & Bar. tom. 7. an. 577. 581. Baro. ibid. an. 586. nu. 26.

SPALAT. Num. 14. Gregorius verò ipse, Pelagij proximus successor ad Mauritium, non sine pungentißimis aculeis contra Ioannem scribens: Vbi ipsius ieiunia, asperrimamque viuendi rationem ad hypocrisim totam reduxit, ait, Quia verò non causa mea, sed Dei est, & quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ Synodi,

Greg. li. 4. ind. 13. ep. 32.

synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata, superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur; piissimus Dominus locum secet vulneris, atque resistentem ægrum, augustæ authoritatis vinculis constringat. Statimque ingreditur in Ecclesiæ Romanæ, Romanique Pontificis *diuinis, vt ipse censet, priuilegiis recensendis;* Petri *curam & claues afferens: & post varias exclamationes à priuata Romanæ Ecclesiæ iniuria, ad publicam totius Ecclesiæ transitum facit, & ait, Nunquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? Nunquid specialem iniuriam vendico? & non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum Decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit? vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetat vniuersalis. Et certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse nouimus sacerdotes; & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui Mediatorem Dei & hominum Iesum* Christum, *duas esse personas existimans, quia Deum fieri hominem potuisse non credidit, vsque ad Iudaicam perfidiam erupit; Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum, Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit, vniuersa ergo Ecclesia quod absit, à statu suo corruit; quando is qui appellatur vniuersalis cadit. Sed absit à cordibus* Christianorum *nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit; nec vti consensit; ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo, quod nos huius vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus & alter hanc sibi arripere, etiam non oblatam, præsumit? Ille ergo magis est piissimorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis Canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coërcendus est, qui Sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit: qui corde tumet; qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honore quoque Imperij vestri se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur.*

Et ad Constantiam *Augustam: Triste valde est, vt patienter feratur; quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coëpiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbia, quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere; dicens: Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, & Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo. Vnde per omnipotem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerso vocabulo, vllum quoquo modo præbeatis assensum, atque hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat,* Petri *tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur.* SPALAT. Num.15. Ibid ep.34. Isai.14.

Et ad Patriarchas *Alexandrinum & Antiochenum: Sicut enim, inquit veneranda vestra sanctitas nouit, mihi, per sanctam Chalcedonensem synodum, Pontifici sedis Apostolicæ, cui, Deo disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit, quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur,* Patriarcharum *nomen cæteris dero-* SPALAT. Num.16. Ibid.ep.36.

gatur, sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere, ex quantulacunque parte videatur. Cùm ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quàm ignominiosum sit, hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis Epistolis neminem vnquam vniuersalem nominet; ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

SPALAT. Num. 17. Ibid. ep. 38. *Et ad ipsum Ioannem: Certè Paulus Apostolus cùm audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius aliis se quodammodo capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens, exclamauit dicens: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo ille membra Dominici corporis, certis extra Christum, quasi capitibus & ipsis quidē Apostolis, subiici particulariter euitauit, tu quid Christo vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine; qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere? Quis, rogo, in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille, ad imitandum, proponitur; qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit, in cælum conscendam, &c. Quid enim fratres tui, omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata erroresque hominum quasi inter noctis tenebras lucent, quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi, in cælum conscendā, super cæli astra exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego, cum flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lachrymæ gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus, Dominus Ioannes tantæ abstinentiæ atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis, illi conetur esse similis, qui dum superbè esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & ideò veram beatitudinem perdidit; quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus Apostolus, primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt Plebium capita? Et tamen sub vno capite, omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo vnquam se vniuersalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquidnam, sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedonense Concilium, huius Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Quod ait Paulum, Andream, & Ioannem singulariū plebium capita fuisse, suprà lib. 1. cap. 3. num. 35. consideraui, id stare non posse. Et quod ait sub vno capite omnes illos Apostolos membra esse Ecclesiæ, includit etiam Petrum, & de Christo capite est intelligendus.

Eulogius

Eulogius sanè Alexandrinus à Gregorio monitus, ne Constantinopolitano Patriarchæ daret titulum Oecumenici, optimè intelligens eam Primatus competitionem non nihil Gregorium ad excandescentiam commouisse; ad ipsum Gregorium rescripsit, se omninò abstenturum, & iussis ipsius pariturum: titulum tamen Oecumenici his ipsis litteris quas ad Gregorium scribebat, præfixit; vt hoc pacto innueret se ipsi Gregorio in eo obsequi, in quo socium habere nolle videbatur, aut parem. Ideoque non absque aliqua verecundia, iterum ad ipsum Eulogium sic scribit Gregorius; Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere: & ecce in Præfatione Epistolæ, quam ad me ipsum qui prohibui, direxistis; superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor vniuersalis Ecclesiæ; meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur: Si enim vniuersalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc: recedant verba quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in Sancta Chalcedonensi Synodo, atque post à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra Sanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit; vt dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

SPALAT. Num. 18. — Greg. l. 7. ind. 1. ep. 30

Cyriacus Ioannis huius in Constantinopolitana sede successor, nihilominus in Oecumenici titulo perseuerauit; & quia inde suspicabatur, ne Gregorius ipsius communicatorias litteras, Oecumenici adeò Gregorio exoso titulo fulgentes, accipere recusaret, autor fuit vt ad Gregorium, & Anastasius Antiochenus & Imperator Mauritius scriberent, eumque monerent, ne pro leui re scandala suscitaret. Siquidem Patriarchæ ipsi Orientales, quemadmodum in Primatum illius sedis sponte & libenter, vt vidimus capite quarto, consenserunt; ita etiam titulum ei negare noluerunt. Et Imperator similiter, sicut Primatum Constantinopolitanum, sic etiam titulum libenter approbabat. Ideoque Gregorius cùm non posset amplius omninò reluctari, fremebat tamen & ad Anastasium ita rescribit, Nec miratus sum vos in vestris Epistolis Imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem, amor & potestas: Nam vtraque principaliter præsumunt; vtraque per autoritatem semper loquuntur. Et quidem in suscipienda fratris & consacerdotis nostri Cyriaci Synodica Epistola, dignum non fuit, vt pro causa profani vocabuli moras facerem; ne vnitatem Sanctæ Ecclesiæ perturbarem; sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens; quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus Apostata inuenit. Vos tamen, eandem causam nullam esse dicere non debetis; quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ, de Constantinopolitana Ecclesia sint egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, Si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In Omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit, citiùs adimpleturus est; Omnis qui se exaltat humiliabitur.

SPALAT. Num. 19. — Greg. l. 6. ind. 15. ep. 24. — Luc. 14. & 18.

Spalat. Num. 20. Greg. vbi sup. ep. 30. *Ad Mauritium verò; Dominorum, inquit, pietas prouida, ne quid fortasse scandali in vnitate Sanctæ Ecclesiæ, ex Sacerdotum dissensione generari potuisset, semel ac bis me admonere dignata est, vt responsales fratris & Consacerdotis mei Cyriaci benignè susciperem, eosque ad remeandum citiùs relaxarem. Et licet piissime Domine, aptè & prouidè cuncta præcipiatis; ego tamen inuenio, quia eorum iudicio indiscretus esse, & ex hac tali admonitione reprehendor. Nunquidnã si ex superbo & profano vocabulo, meus non in modico est animus vulneratus tantæ indiscretionis esse potuit; vt nescirem quid vnitati fidei, quid concordiæ Ecclesiasticæ deberem, & fratris mei responsales, & Synodicam Epistolam suscipere, cuiuslibet causæ amaritudine interueniente recusarem? Absit hoc: Nimis mihi fuerat desipuisse sic sapere. Aliud namque est, quod conseruandæ vnitati fidei; atque aliud quod debemus comprimendæ elationi. Et post pauca. Eundem verò fratrem & Consacerdotem meum studiosè admonere curaui; vt si habere pacem omnium, concordiamque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat. De quare mihi in suis iussionibus Dominorum pietas præcipit, dicens; vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat: Sed rogo, vt Imperialis pietas pẽset, quia alia sunt friuola valdè innoxia; atque alia vehementer nociua. Nunquid non, cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit; sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ; Si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit: nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari appetit, supra cæteros Sacerdotes se extollit: Sed quoniam veritas dicit: Omnis qui se exaltat humiliabitur, scio* Ibid. ep. 31. *quia qualibet elatio tanto citius rumpitur, quantò amplius inflatur. Et ad Alexandrinum ac Antiochenum rursus ait: Responsales siquidem fratris & Coëpiscopi nostri Cyriaci venientes, eius ad me Synodicam detulerunt Epistolam. Et quidem inter nos & ipsum, sicut vestra beatitudo nouit, propter appellationem prophani nominis est grauis discordia; sed in causa fidei transmissos responsales eius existimaui esse suscipiendos, ne culpa elationis, quæ in Constantinopolitana Ecclesia penè contra omnes Sa-* Greg. l. 7. ind. 2. epist. 69. *cerdotes exorta est, dissensionem fidei & rixam Ecclesiasticæ faceret vnitati. Et ad Thessalonicensem, præcursores Antichristi facit Ioannem & Cyriacum, hortaturque vt abstineant à vocabulo Oecumenici: Nam si vnus, inquit, vt putat, vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis. Hæc omnia Gregorius, quæ sanè prolixius describere non sum grauatus.*

Hac igitur verbosissima oratione contendit duos eximios Pontifices, Pelagium ac Gregorium, Primatum ipsum Pontificis Romani sustulisse, quod Oecumenici seu vniuersalis Patriarchæ titulum, quo se venditaret Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, acerrimè oppugnarint, ac ex Ecclesiæ ordinibus eliminandum duxerint: Ratus scilicet planè idem esse vniuersalem seu Oecumenicum Patriarcham dici, atque caput Ecclesiæ vniuersalis inscribi, vt propterea qui prius oppugnauerint, à posteriori quoque abhorruerint: Sed hæc primùm inconstantissimè dicuntur, ac sua dogmata ipse Spalatensis euertit: Sic enim li- Lib. 3. c. 8. Sect. 14. bro tertio de quouis Episcopo censet. *Docuimus*, inquit, *vnumquemque Episcopum iure diuino esse vniuersalem.* Si quiuis Episcopus vniuersalis censeri possit, quorsum eo titulo priuabitur Pontifex? Sed propius ad rem. Pelagium & Gregorium

gorium non intellexit Spalatensis, aut omninò improba mente deterioreque sensu eos protulit. Aduertendum enim omninò est, Oecumenici seu vniuersalis Episcopi nomen bifariam vsurpari posse. Primum vt sit vnicus & solus Episcopus, qui reliquos sua spoliatos dignitate Vicarios habeat, omnis potestatis expertes, nisi eius quam ab ipso mutuentur, & accipiant. Hoc sensu in neminem mortalium conuenire potest. Sed vnius Christi proprium est, qui solus caput est super omnem Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, tum quæ ab initio mundi fuit, tum quæ vsque ad finem sæculi perseuerabit, vt suo loco ex Sancto Thoma docuimus: Qua ratione elegãtissimè Tertullianus eum Catholicum Patris Sacerdotem vocat, hic sensus ex intimis grammaticæ visceribus eruitur. Alius huius vocabuli sensus est, vt Oecumenicus & vniuersalis dicatur Episcopus, qui authoritate capitis vniuersæ Ecclesiæ præsit, non cæteros sua dignitate nudans, sed Ecclesiasticam Hierarchiam suprema authoritate ac externa iurisdictione fouens. Priorem igitur sensum auersati sunt Pelagius & Gregorius in Ioanne Constantinopolitano Episcopo, qui, si illis fides habeatur, Oecumenicus & vniuersalis dici appeteret cum aliorum Episcoporum iniuria & depressione. Sic enim Pelagius Ioannem vexans, ac insolentioris ambitus notans, *Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo vnquam vtatur, quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Vides vt vniuersalem ac Oecumenicum Patriarcham dici intelligat, qui cæteros dignitate nudet. Quod clarissimè expressit Gregorius priore loco à Spalatensi citato: *Absit*, inquit, *à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno dementer sibi arrogatur.* Nec minùs apertè aliis locis; *Triste*, inquit ad Constantiam Augustam, *valdè est vt patienter feratur quatenus despectus omnibus prædictus frater, & Coëpiscopus meus solus appellari conetur Episcopus.* Et ad Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum. *Si*, inquit, *vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* Et ad ipsum Ioannem Constantinopolitanum. *Quid Christo*, inquit, *vniuersalis scilicet Ecclesiæ Capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere, &c. An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt; & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium?* Hoc eodem sensu Hadrianus primus, vt ipse aduertit Spalatensis, hunc titulum aduersus Constantinopolitanos exagitauit: *Hadrianus primus*, inquit, *& ipse ex propria tantum causa hunc titulum aduersum Constantinopolitanos exagitauit, sic enim scribit ad Imperatores Constantinũ & Irenem. Valdè mirati sumus, quod in vestris imperialibus iussis, pro Patriarcha Regiæ vrbis, scilicet Tarasio directis, vniuersalem ibidem reperimus exaratum, sed vtrum per imperitiam, aut schisma, vel hæresim iniquorum scriptum est ignoramus: Sed deinceps suademus vestræ Clementissimæ Imperialique potentiæ, vt minimè in suarum exarationum serie vniuersalis describatur, quia contra Sanctorum Canonum instituta, seu Sanctorum Patrum traditionum Decreta esse videtur. In secundo enim ordine, si nõ per Sanctæ nostræ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ authoritatẽ, sicut in omnibus patet, numquã valuit nomen habere, quod nimirũ, si vniuersalis super prælatã*

3. parte qu. 9. art. 8. lib. 4. ad Marcion.

Spalat. Num. 13.

Greg. lib. 4. ep. 34.

Ibid. ep. 36.

Num. 17.

Ibid. ep. 38.

Spalat. Num. 21. Hadr. 1. ep. 1.

sibi Romanam Ecclesiam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum describatur; tanquã Sanctarum Synodorum rebellem, atque hæreticum, manifestare se certum est. Quia si vniuersalis est, etiam Ecclesia nostræ Sedis primatum habere dignoscitur; quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet; quia in toto orbe terrarum, ab ipso redemptore mundi B. Petro Apostolo, Principatus & potestas data est, & per eundem Apostolum cuius vel immeriti vices gerimus, Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia vsque hactenus & in æuum tenet Principatum, ac potestatis authoritatem, quatenus quod non credimus, si quispiam eum vniuersalẽ nuncupauerit, vel assensum tribuerit; sciat se Orthodoxæ fidei esse alienum, & nostræ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ rebellem. Hæc tam clara sunt, vt bardus meritò censeatur, qui non videat priori acceptione Hadrianum auersatum vniuersalis, ac Oecumenici titulum, quem existimaret citra reliquorum Episcoporum depressionem vni certo hoc sensu tribui non posse. Est igitur quod Spalat. eò referat tum Pelagij tum Gregorij argumenta: Quæ non abnuimus sic compingi posse, vt obiicit. 1.

SPALAT. Num. 22. *Qui se dicit & facit Episcopum vniuersalem*, inquit, *reliquis omnibus Episcopis & nomen & honorem aufert & dignitatem, eamque totam in se solùm conuertit. 2. Luciferianum est velle vnum Episcopum se supra alios Episcopos, qui sunt astra cæli & nubes Ecclesiæ, efferre. 3. Schisma aperit & inducit, quod olim Corinthi inducebatur, & à Paulo repellebatur. 4. Solus Christus est Ecclesiæ caput vniuersale, & omnes Episcopi Christi membra: quod ergo Christi proprium est, hoc sibi vsurpat, qui se dicit & facit vniuersalem. 5. Neque Petrus neque vllus Apostolus aut sanctus Episcopus se fecit aut vocauit vnquam vniuersalem. 6. Id proprium est præcursoris Antichristi superbiendo se cæteris anteponere. 7. Si est in Ecclesia aliquis Episcopus vniuersalis, eò sanè in hæresim lapso tota caderet, aut macularetur Ecclesia.*

Sed hæc argumenta tantùm probant etiam Romanum Pontificem hunc vniuersalis & Oecumenici titulum dedecere, cùm vnicum & solum sonat Episcopum, cuius comparatione cæteri Vicariam tantam habeant potestatem, ac proculdubiò de nomine tantùm sint Episcopi: Quo sensu dici citra calumniam non possit, Pontificem sibi Oecumenici titulum vendicare ac vsurpare. Etsi enim ex præscripto Christi, qui Monarchia Ecclesiam suam contineri ac gubernari voluerit, vniuersæ Ecclesiæ authoritate Capitis moderetur, sartam tamen tectamque aliis Episcopis relinquit suam potestatem ac iurisdictionem, qua priuatis suis Ecclesiis ius dicant, leges ponant, ac in officio pro suæ authoritatis dignitate contineant. Hæc infrà fusiùs explicabuntur. Sed Baronius à Spalatensi vexatus manus nobis tendit, opemque aduersus importunum aduersarium exposcit. Audaciam Leguleij cuiusdam represserat Baronius, eumque in ordinem coëgerat; Sed Leguleij patrocinium contra Magnum Cardinalem ille suscipit: *Applicat sanè*, inquit, *nec immeritò aliquis Iurisconsultus ar-*

SPALAT. Num. 23. Bar. tom. 7. an. 587. n. 12 *gumentum hoc ex Pelagio desumptum, ad Papalis supremæ Monarchiæ depreßionem, contra eum insurgit Baronius his verbis: Sed hic amabo te, siste gradum, Lector, spectaculum tuis oculis ingeram, vnde rideas. Ecce progreditur è Cathedra Iuris professor factus vno momento Theologus; atque velut in scena mimus mutatis vestibus & superinducta persona, licentia histrionica statim vociferari incipit aduersus* Romanos Pontifices, *quod super vniuersalem Ecclesiã sibi authoritatẽ arrogent, ac nomen; ita raucè inclamans, & obstrepens turba Nouantiũ, vt dormientes in cunis absterrere posset infantes. Ex recitatis enim modò Pelagij Papæ verbis, quibus ait,*

ait, neminem Patriarcharum vti debere nomine vniuersalis; ipse mox infert, Primatum esse in Ecclesia non debere; ac proinde contra Pelagij assertam Sanctissimi Papæ sententiam, Romanos Episcopos sibi super omnes Ecclesias vendicare Primatum. O Cimmeriis tenebris offusam mentem! Sed ignoscendum misello non nisi ex illatis in Gratiani arcam fragmentis stipem mendicanti. Si enim ipsam hanc Pelagij integram Epistolam perlegisset, in qua tot robustis sententiis elucet Primatus Romani Pontificis; erubuisset certè sensissetque damnum suum; nimirum ex suo egesto stercore, instar turdi sibi viscum parasse. Sed accipe quot valida Pelagij Papæ in hac Epistola sint, de Primatu Romani Pontificis, prodita argumenta, atque firmatæ sententiæ. Primò quidem dum habet; Romanum Pontificem verum legitimumque Petri Apostoli esse successorem; cumque addit à Christo in eum collata priuilegia eadem, in ipsius successorem redundare præstantiam. Secundò dum firmiter asseuerat, ius generalis Synodi conuocandæ eiusque firmandæ, vnius esse tantùm Romani Pontificis. Tertiò dum quæ acta ab ipsis essent in eadem Synodo vniuersali, re ipsa Pelagius ipse nullius esse præcipit autoritatis. Quartò, dum iudicium in Orientis omnes Patriarchas exercet, sententiamque excommunicationis comminatur; si quid eiusmodi inconcessum præsumant. Quintò dum disertis verbis affirmat, prædecessores eiusdem Ioannis, Constantinopolitanos Episcopos, sæpissimè vt ait, Epistolis scriptis, datisque libellis, propria manu consignatis esse professos, Romanorum Pontificum Primatum; quem & nunquam in posterum sub obtestatione diuinæ sententiæ labefactare polliciti sunt. Sextò dum in eundem ipsum Ioannem Constantinopolitanum Patriarcham, fulmen excommunicationis interminatur; nisi citò emendaret quod deliquisset. Septimò, dum inferius, vt audies, totidem verbis, Romanam Ecclesiam à Domino esse institutam caput omnium Ecclesiarum affirmat. Octauò dum praxis ostenditur de Orientalibus Patriarchis consulere consuetis Apostolicam Sedem; atque ab ipsa de ambiguis expectare sententiam. Nonò, dum veteri consuetudine seruatum & Synodali decreto firmatum tradit, vt ex vniuerso orbe maiores & difficiliores causæ ad Sedem Apostolicam deferrentur. Decimò, dum eminentiori solio constitutus, lata sententia infames esse decernit quicunque aduersus Patres armantur; velut eorundem inuasores & occisores. Vndecimò, dum ad calcem ait, ipsos Romanos Pontifices in Ecclesia Catholica vindices Canonum præsidere, eosdemque instaurare, ac renouare, quæ prauorum hominum essent labefactata conatu. Hæc ex Pelagij Papæ Epistola; ex cuius fragmento abrogationem Primatus Romanæ Ecclesiæ se elicuisse, stultè vaniloquus existimauit. Sit modò satis tot virgis verberatum, è scena fugasse miserum Leguleium, in Theologum ex improuiso conflatum; vanè existimantem, ex animi libitu atque libidine, maiore facilitate quempiam posse profiteri Theologum, quàm euadere Iurisperitum, cùm ad hoc perficiendum triduum sibi satis esse putarit orator. Quod verò eadem leuitate atque etiam procacitate, qua Pelagium, Gregorium quoque Papam conatus est hæresis constituere assertorem, nos quæ ex Gregorio citat, cùm res Gregorij prosequemur, in ipsum pariter retorquebimus. Cùm igitur tot firmissimis assertionibus Pelagius Papa in hac Epistola sit promulgator, atque assertor Primatus Romanorum Pontificum; quis ingenio adeò obtusus non videat, ipsum, dum ait nullum Patriarcharum dici debere vniuersalem, ad illos Orientales, ad quos scribit, habuisse respectum? Huc vsque Baronius.

Cicero pro Murena.

Hoc tamen est, inquit Spalatensis, *garrule, vt est mos fœminarum, obloqui & conuitiis agere; seu Thrasonis more cũ vmbris pugnare; non disputare. Quid respondes ad argumentũ illius Leguleij ex verbis & assertione Pelagij eductum? Pelagij dictum est,*

SPALAT. Num. 24.

Baron.to. 7.an 587. n.13. & to. 8.an.595.n. 53. *Nullus Patriarcharum hoc profano vocabulo vtatur, quia si summus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur; & absit hoc sibi velle quempiam arripere; vnde honorem fratrum suorum imminuere ex qualicunque parte videatur. Ad hæc Baronius sic, Pelagius ad eos Orientales, ad quos scribit respectum habuit. Hoc est neminem ex Orientalibus Patriarchis posse aut debere, Oecumenici nomen vsurpare; si quidem id soli competat Romano, scilicet: sed Pelagius vniuersè loquitur; Absit, inquit, à fidelis cuiusque mente hoc sibi velle arripere.*

Spal.eod. num.24. Sed argumentatur Spalatensis: *Estne Romanus Pontifex*, inquit, *etiam ipse fidelis? ergo etiam ab ipsius mente debet hoc abesse. Et ratio quam subdit Pelagius, nonne est ratio generalis, quæ contra quemcumque militet, qui se faciat vniuersalem? Is enim, inquit, aliis honorem aufert, & qui se Patriarcham vocat vniuersalem, ille derogat nomen* Patriarchæ *cæteris* Patriarchis. *Iniuria ergo fit* Patriarchis, *si ipsis nomen auferatur* Patriarchale, *aufertur verò, quoties vnus sit in mundo* Patriarcha *vniuersalis, quicunque ille sit. Nam* Patriarcha *est supremus: & si quis* Patriarcha *habet supra se alium* Patriarcham, *cuius iurisdictioni ille sit subiectus, certè ille* Patriarcha *non erit. Qui autem se totius mundi* Patriarcham *facit, ille* Patriarchas *omnes sibi subiicit, & consequenter aufert eis ne sint* Patriarchæ. *Quia nullum alium, præter se agnoscit supremum. Qui autem supremus non est, ille* Patriarcha *non est. Dum igitur ait* Pelagius; *Si summus* Patriarcha *vniuersalis dicitur,* Patriarcharũ *nomen cæteris derogatur? Certè Romanum etiam includit. Hunc nos semper fecimus summum Patriarcham; neque potest Baronius non assentiri. At si hic ipse summus Patriarcha velit esse vniuersalis, derogabit reliquis hoc nomen Patriarchæ; ergo etiam ipsum summum Romanum Pontificem argumentum includit. Imò expressè Gregorius, idem argumentum tractans, & non sine sermonis emphasi repetens, sibi quoque id applicat; vbi Eulogium Alexandrinum reprehendit, qui ipsi Gregorio titulum* Oecumenici *at posuerat, sic enim loquitur Gregorius. Quod peto dulcissima mihi Sanctitas vestra vltra non faciat; quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquã ratio exigit præbetur. Cui verò alteri? Nempè ei qui dixit, Mihi non faciat? Vbi etiam, vt vides fatetur contra rationem esse, si Romanus quoque Pontifex ab aliquo fiat vel vocetur vniuersalis. Est & illud Gregorij argumentum suprà n.17. Omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi astra cæli sunt. Qui ergo se vniuersalem facit, iste veluti Lucifer super astra cæli exaltat Solium suum, & omnes Episcopi nubes sunt. Qui verò se vniuersalem facit, iste cum Lucifero dicit: Ascendam super altitudinem nubium. Quomodo igitur, si aliquis Orientalium id dicat, erit alter Lucifer, si verò* Romanus *idem dicat, & se vniuersalem faciat, non erit Lucifer? Aut si Romanus potest licitè, super hæc astra cæli exaltare solium, & super harum nubium altitudinem ascendere, citra Luciferianam infamiam; cur Lucifer erit alius qui hoc fecerit? An Lucifer iste in solo Oriente lucebit, non item in Occidente? Quid vero dicet Baronius de illis Gregorij verbis; Ego autem fideliter dico, quia quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Potestne *hoc dictum vniuersalius proponi? Quis illud ad solos restringat Orientales? Et si Gregorij mens fuit, ad solos Orientales suas dirigere inuectiuas. Cæterùm in se hoc est, in* Romano Pontifice, *nullum crimen agnosceret, si se vniuersalem esse & ostenderet & vocaret, cur dum vniuersali propositione Antichristos esse affirmat, seu Antichristi præcursores, eos omnes quicunque se vellent facere Episcopos vniuersales & vocare; non excepit expressè* Romanum

Romanum Pontificem ac declarauit sibi soli id competere? Sed profectò Gregorius, tametsi propriam iniuriam paucis attigerit, quod Romanus quoque Primatus quicunque ille sit eo Constantinopolitani Patriarchæ vocabulo deprimeretur; Dum videtur ipse Constantinopolitanus, vel eo vocabulo Romanam quoque Ecclesiam sibi autoritative subiicere; vel se in generali enumeratione ne ordine quidem post Romanam haberi secundam Ecclesiam Patriarchalem dignari: nihilominus vbi iam publicam causam totius Ecclesiæ tractat; & in hac publica causa argumenta multiplicat, nunquam loquitur comparatiuè, vt suum defendat Primatum, sed loquitur semper in sensu absoluto, vt vniuersalitatem hanc in quocunque oppugnet, & huc ipsius omnia diriguntur argumenta, vt in his paucis, quæ exempli gratia nunc consideraui est manifestum. Sed certè omnes inuectiuæ vniuersalissimè oppugnant illum titulum Oecumenici, in quocunque. Tu igitur, bone Theologe Baroni, si non vis esse purus Leguleius, ad hæc melius, si potes, responde.

Sed decipit ambiguitate vocabuli, & explosum, in priore sensu, quem explicauimus, œcumenici ac vniuersalis titulum cum eodem, alio sensu accepto imperitè confundit. Est quidem vox eadem, sed significatio planè diuersa. Itaque nos facilè molestissimis argumentis expediemus, ac extricabimus repetita vocabuli diuersa acceptione, & priori quidem ad quam Constantinopolitanorum superbiam ac insolentiam exegerint Pelagius & Gregorius, non modò in Orientales Patriarchas conuenire posse negamus, sed & Pontifici citra sacrilegium tribui non posse constantissimè asseueramus. Hoc namque sensu si ei deferretur Patriarcharum nomen, cæteris detraheretur, ac vt loquuntur Gregorius & Pelagius derogaretur. Est igitur Pontifex etiam ipse fidelis, imò fidelium caput Vicarium, nihil Episcopis subtractum cupit, super altitudinem nubium non ascendit, nec vlla elatione sua Antichristum præcurrit, aut superbiendo se cæteris præponit, vno verbo Antichristianum titulum horret ac execratur. Imò nec posteriore sensu, quanquam illo haud improbo, vniuersalis aut Oecumenicus audire flagrat, sed seruum se seruorum dicit, quamquam Ecclesiæ vniuersalis Episcopum. Non erat igitur tam acerbè, tamque insolenter excipiendus Baronius, quem tamen ad Leguleiorum subsellia impudentissimè amandat Aduersarius. Sed vt eius argumenta ex Epistola Pelagij deprompta, depellat, his omnibus erroribus se implicat, Successionem Pontificis cuius iure 1.
Petri priuilegia consequitur, solius imitationis & exempli esse, non vllius suprà Episcopos potestatis. Romanum Episcopum iure Ecclesiastico tantum, & ex 2.
accidenti primas habuisse in Conciliis. Præcepisse, sed citra effectum. Non alio 3.
iure quàm alios Episcopos ius suæ communionis negasse. Inter Patriarchas 4. 5.
solùm primum dignitatis locum obtinuisse. Iure fulmina eius à Constantino- 6.
politanis contempta. Romanam Ecclesiam iure solùm positiuo dignitatis ca- 7.
put habitam fuisse. Solius fidei doctrina, non etiam potestate, antecelluisse vni- 8.
uersis Ecclesiis Romanam. Conciliis Constantinopolitano & Chalcedonensi 9.
assertam Oecumenici dignitatem Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Iure solo 10.
Ecclesiastico Pontificem in reliquos Patriarchas animaduertisse. Eam potesta- 11.
tem omnium Patriarcharum communem fuisse, & charitatem magis quàm potestatem arguere. Hæc errorum portenta ac monstra partim suprà debellauimus, partim verò infrà confodiemus ac conficiemus. Vellicat tamen rursus Baronium Spalatensis ac indignis modis exagitat seróque degustatam Theo-

SPALAT. Num.26. Bar.tom.6. an. 451.nu. 143. logicā exprobrat, harū rerum non optimus Censor aut Iudex. *Quamuis, inquit, etiam Pelagius & Gregorius expreßè negent suprà nu.14. 15. 17. 18. vllum vnquam ex eorum prædecessoribus, pompatico illo vsum nomine; id tamen violentißimè interpretatur Baronius; vt nemo Rom. Pon. eo titulo ex solemni ritu semper, & in omnibus vsus sit inscriptionibus vel subscriptionibus; & Leonem inter alios adducit se Episcopum vniuersalem inscribentem. Sed plurimùm fallitur, seu potius fallere nos conatur Baronius. Leo enim ad Martianum sic: Leo Episcopus Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, Martiano Augusto, hoc est Catholicæ Ecclesiæ: Omnis autem Ecclesia Orthodoxa Catholica dicitur; quia est vna ex illis, quæ Catholicam constituunt Ecclesiam, & Catholicam fidem, atque doctrinam tuentur. Ac longè diuersum est, esse Episcopum Ecclesiæ vniuersalis, hoc est Catholicæ; & esse Episcopum vniuersalem, hoc est Oecumenicum: Et plurimùm fallitur Bellarminus, dum in vtroque eundem sensum ponit. Nam Episcopus illius vel illius Ecclesiæ Catholicæ; siue absolutè, etiam Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, aut quod idem est, vniuersalis, semper bonum sensum facit; nimirum illum esse Episcopum illius, vel illius Ecclesiæ, quæ simul cum aliis Catholicam tenent fidem & Catholicam constituunt Ecclesiam: Seu illum esse Episcopum vnum ex illis qui sunt in Ecclesia Catholica, ad excludendos Episcopos hæreticos & schismaticos; At verò Episcopus Oecumenicus, potest etiam in malo sensu sumi, imò de se ordinarium malum sensum importat, videlicet vt ille solus Episcopus sit toti per orbem Ecclesiæ vniuersali præfectus. Quia igitur titulus hic Oecumenici, in hoc malo sensu sumptus, pro Episcopo, qui se solum in vniuersam Ecclesiam plenum ius habere profitetur, erat abominandus, ideò Gregorius illū & à se & à prædecessoribus suis amouere contendit, qui tamen reliquos omnes Episcopos vniuersalis Ecclesiæ Episcopos suprà nu.17. vocauit. Quare frustra etiam Baronius conatur defendere titulum Epistolæ Apocryphæ Sixti primi, quo se vniuersalis Ecclesiæ illæ Episcopum inscribit. Quilibet enim Episcopus est Episcopus Ecclesiæ vniuersalis, sed vniuersalis Episcopus nullus est. Dicit quoque titulum hunc Oecumenici oblatum fuisse Leoni à Concilio Chalcedonensi, illumque eum respuisse: quod quamuis in Concilij illius actis non extet: ego tamen id facilè concesserim, tum Baronio, tum Bellarmino, tum etiā Decreti Gratiani reformatoribus: Quia ad confirmationem Primatus Constantinopolitani plurimùm proderat Primatus Romanus, quò enim maior fuisset in priuilegiis humanis Ecclesia Romana, eò maior etiam futura erat Constantinopolitana, quæ ad Romanæ Ecclesiæ priuilegia, & æqualitatem iam fuerat euecta: ideoque huius tituli Orientales liberales fuerunt Romano Pontifici, cui æquari quidem, non tamen superponi, aut supponi Constantinopolitanum volebant. Solo dignitatis siue præeminentiæ loco Constantinopolitana Ecclesia Romanæ deferebat, sicut Roma noua Romæ veteri, honoris locum, non authoritatis & potestatis imperium cedebat. Et quando Iustinianus suprà cap.4. n.10. Romanum Episcopum faciebat primum, Constantinopolitanum 2. non subiiciebat Romano Constantinopolitanum in potestate & iurisdictione, sed in dignitate sola & honore, soláque loci præcedentia: in quo Gregorium fefellit opinio, dum hinc asserit Constantinopolitanam Ecclesiam Apostolicæ sedi semper fuisse subiectam, si veram subiectionem intelligit: sed fortasse subiectam intellexit inferiorē & secundā.* Quod attinet primū ad Leonem, vniuersalis Ecclesiæ Episcopum se dixit, non modò illo sensu quo quiuis antistes in Ecclesiæ Catholicæ cōmunione perseuerans, Ecclesiæ vniuersalis Episcopus iure censetur, sed planè authoritate capitis, quæ ad vniuersam Ecclesiā se fundat: illo scilicet

Leo ep. 57.

Bellarm. de Rom. Pōt. l.2.c.31. tit. 15.

Baron. to. 2. an. 142. num. 4.

Bar. to. 6. an. 451. nu. 142. Bell. vbi suprà. Dist. 99. ad cap. fin.

Greg. l.7. ind. 2. ep. 63.

ſcilicet ſenſu, quo de Dioſcori damnatione agens Paſchaſinus in Concilio Chalcedonenſi Legatus Pontificis Leonis pronuntiauit: *Vnde*, inquit, *& beatiſsimus Papa, Caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos vt Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum & Petra fidei, & cæleſtis regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudauit.* Quo etiam ſenſu Chalcedonenſes Patres de ſuo conſeſſu ad Leonem ſcribentes. Quibus ſcilicet Epiſcopis in Concilij congregatis, *Tu quidem*, inquiunt, *cæteris ſicut caput præeras, qui tuum tenebant ordinem, hoc eſt in legatis tuis beneuolentiam præferens.* Quo item ſenſu iidem Patres, eundem Leonem agnoſcunt, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa ſit. Quo item Ambroſius, Baſſianus, cum Collegis Epiſtola ad Syricium Papam, *Paſtorem* eum & *cuſtodem ouilis Chriſti* vocant. Quo item ipſe Leo aſſerit ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ curam confluere, vt nihil vſquam à ſuo capite diſſideat. Ac rurſus vrbem Romam per beati Petri ſedem caput effectam, latius præſidere religione diuina quàm dominatione terrena. Quod attinet verò ad ipſum vniuerſalis Epiſcopi titulum, Pontifici delatum in Concilio Chalcedonenſi, ac à Pontifice repudiatum, benè eſt quod Gregorio fidem habet Spalatenſis, nec factum negat, hinc enim contra illum ineuitabile argumentum teximus, niſi vniuerſalis Epiſcopi titulus bono ſenſu accipi poſſet, neutiquam in triumphis deceſſorum ſuorum poneret delatum illis à Chalcedonenſibus hunc honorem. Neque credo, cùm Leonem vniuerſalem Epiſcopum inſcriberent piiſſimi viri, Antichriſtianũ titulum, qui Luciferi ſuperbiam ſpiraret, attingere volebant. Quare proculdubio ea Oecumenici ac vniuerſalis Epiſcopi diſtinctio omnino admitti debet.

Tom. 2. Cõc. in fin. Cõc. Chal.

In relat. Conc.

Epiſt. 81. & 84.

Serm. 1. in Nat. Petr. & Paul.

Sed inſtat Spalatenſis, etiam hoc ſenſu eum repudiaſſe Pontifices, quod ex Gregorij Epiſtolis facilè deprehenditur. Itaque reſpondeo & hac acceptione non placuiſſe Pontificibus propter alium prophanum ſenſum, qui in verbis lateret, & ne quis homonymia vocis abuteretur. Quod ad calcem ſectionis, vt Conſtantinopolitanos palpet, ſcribit, Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopolitanum Antiſtitem, *non ſubieciſſe Romano in poteſtate & iuriſdictione, ſed in dignitate ſola & honore*, ab ipſo Iuſtiniano refellitur. Sic enim ille Epiſtola ad Ioannem Papam. *Reddentes*, inquit, *honorem Apoſtolicæ Sedi & veſtræ Sanctitati, (quod ſemper nobis in voto, & fuit, & eſt) & vt decet patrem honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis: quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire ſedi veſtræ ſanctitatis properauimus. In præſenti ergo quæ commota ſunt (quamuis manifeſta & indubitata ſunt, & ſecundum Apoſtolicæ veſtræ ſedis doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita & prædicata) neceſſarium duximus ad notitiam veſtræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus honorem & authoritatem creſcere veſtræ ſedis.* Et ad Ioannem P. in principio Authenticæ, vt Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione. *Vt*, inquit, *legum originem anterior Roma ſortita eſt: ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe nemo eſt qui dubitet. Vnde*

Codice de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

Id. ad Ioan. P. in princ. Authent.

& nos necessarium duximus patriam legum, fontem Sacerdotij speciali nostri numinis lege illustrare, vt ex hoc in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum positæ sunt, saluberrima legis vigor extendatur: & sit totius Occidentis, nec non & Orientis, vbi possessiones sitæ inueniuntur, ad Ecclesias nostras, siue nunc pertinentes, seu postea eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei consecrata, &c. Sanctitas itaque tua præsentem nostræ mansuetudinis legem piissimam, siue sacrosanctam oblationem, quam Deo dedicamus, accipiens, intra sacratissima vasa reponat, & à nobis seruandam, & omnes Ecclesiasticas possessiones seruaturam. Et in Authentica de Ecclesiasticis titulis & priuilegiis. *Ideoque sancimus,* ait, *secundum sanctarum Synodorum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum; beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolitanum nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem: alijs autem omnibus sedibus præponatur.* Et ad Bonifacium Papam: *Prima salus,* inquit, *est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica extra maculam semper est Catholica religio reseruata. De qua spe, & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta. Et per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ religionis, & perfecta soliditas, promittens sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem mea manu subscripsi, & Bonifacio sancto, & venerabili Papæ vrbis Romæ direxi, damnans antecessores & successores meos, & omnes qui sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.* Sed rursus Baronium ac Bellarminum impetit, propugnatamque à nobis de diuersa acceptione tituli Oecumenici, siue vniuersalis Episcopi doctrinam vellicat, aut potius sic obscurè, vt difficile sit, quid sibi velit, peruidere. Sic autem habet tenebricosi hominis oratio.

In Authent. de Eccl. tit. & priuil. c. 2.

Ad Bonif. Pap. extat in Decretis Bon. Papæ.

Spalat. Num. 27.

Adhuc, inquit, *tamen Baronius vbi ad Gregorium accedit, & Bellarminus non quiescunt, omninoque volunt Romanum Papam esse Oecumenicum; non autem Constantinopolitanum, nec alium quemcumque: & iam Gregorij dicta cum Pelagij dictis consentientia excutientes, distingunt significationem huius nominis Oecumenici. Vt primum significet vnum solum singularem, præter quem nemo sit: & ita Patriarcha Oecumenicus, seu vniuersalis, in hoc malo sensu sit Pater totius mundi; cui reliqui omnes Episcopi subsint vt filij; non vt fratres; & in administratione collegæ: & sic fatentur Christum solum à Gregorio dici caput vniuersale totius Ecclesiæ. Et in hoc sensu fatentur nomen Oecumenici esse verè profanum, sacrilegum, & Antichristianum. Alia verò sit significatio, qua dicitur vniuersale, hoc est, quod remanentibus partibus integris, ipsum cæteris supereminet, & curam gerat totius Ecclesiæ, sed generalem, ita vt particulares Episcopos non excludat. Qua ratione, inquiunt, vetuit Gregorius inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum, de Orientalibus intelligens; quod nequaquam alterum alteri voluit esse subiectum. Quo sensu sæpè reperiri certum est, aiunt, Romanum Pontificem esse dictum vniuersalem Episcopum absque aliquo fastu; cum eo nomine id quod est exprimatur; nempè quod ipse, cura Pastorali vni-*

Bellar. vbi sup. & Baron. tom. 8. ann. 595. nu. 36. & seqq. Greg. in fin. Regist. init. priuil. S. Medardi.

vniuersi gregis totius orbis supereemineat. Sic illi. Qui deinde ex varijs actu Gregorij ipsius curam vniuersalem probant.

Profectò, inquit Spalatensis, *Gregorius Oecumenici titulum simpliciter & absolutè reijcit, & reprehendit, & insectatur, cuius non nisi malum sensum agnoscebat; priorem nempè illum quem etiam Baronius & Bellarminus, vt malum & importunum reijciebant. Episcopus enim, qui sit actu Episcopus & solus vniuersalis, qui nimirum Episcopali propria authoritate actu regat totam Ecclesiam vniuersalem, omnes profectò alios excludit Episcopos, quia nullam eis relinquit Ecclesiam partialem, quam regant vt propriam; siquidem tota vniuersalis, & totalis Ecclesia, illius vnius, qui sit Episcopus vniuersalis, proprius est Episcopatus, & sic Episcopi alij cùm nullam propriam habeant Ecclesiam, sed in aliena laborent, illius vnius Episcopi vniuersalis meri erunt Vicarij, Coadiutores & Ministri; non cum plenitudine potestatis, qui propriam non habent Ecclesiam, sed cum parte sollicitudinis alienæ, quia loco Episcopi proprij & vniuersalis in ea parte supplent, in qua sunt ab eo positi & applicati, vt probabam etiam lib. 2. cap. 5. num. 27. & sequentibus. Vertant se igitur quocunque volunt nostri Monarchici, aut Papatum sui Romani Hieromonarchæ abijciant, aut ipsum solum Episcopum verum, & proprium totius Ecclesiæ, cum omnium aliorum Episcoporum exclusione totali, qui ei subsint vt filij, seu potius vt famuli, & Coadiutores, & Ministri, non vt fratres & collegæ, faciant necesse est. Illud enim ipsorum vniuersale, quod remanentibus partibus integris, supereemineat omnibus & curam gerat generalem, applicemus Romano Papæ: & tūc quæro non de Patriarcha, sed de Episcopo, num Episcopus Romanus, sit Episcopus vniuersalis totius Ecclesiæ vniuersalis remanentibus partibus integris; hoc est Episcopis cum potestate Episcopali ipsorū propria, & non aliena; primaria & nō delegata, verbis aiunt, rebus negant: Quod si & verbis & reipsa id concedunt, actū est de Papatu. Quid enim tandē erit illa supereminentia & cura generalis? Erit ne supereminentia & cura in ipsamet potestate Episcopali? Hoc est, vt hic Episcopus vniuersalis, hac potestate supereemineat omnibus, & curam habeat omnium Ecclesiarum generalem, ideo quia illa sit ipsius propria, & illi soli tradita, alij verò eam ab ipso participent, & tantam habeant, quantam ille communicet. Et hoc reuera volunt nostri Monarchici, & apertißimè, & mordicus tueri conantur, & contendunt, vt vidimus supra libro 2. cap. 5. Sed hoc pacto illud ipsorum vniuersale non relinquit partes integras. Quod si potestas hac Episcopalis, tota & integra est in vno quoque Episcopo propria, & principalis (vt re vera est, & probaui loco citato, rursusque pluribus lib. 5. confirmabo) & illud manere partes integras significet hoc ipsum, nimirum Episcopos esse cum plena propria, & primaria potestate, vnumquemque in sua Ecclesia; quid quæso erit illa supereminentia & cura generalis, per quam vnus Episcopus poßit merito appellari Episcopus vniuersalis? Si supereminentiam hanc, & curam ponunt in potestate ipsa propria Ecclesiastica, quæ est Episcopalis, quæro ponuntne illam in habitu, an in actu? Si in habitu iam probaui lib. 2. cap. 7. num. 5. & seqq. & infra cap. 9. huius, num. 12. & seqq. curam talem in habitu cuilibet Episcopo conuenire: Si verò eam considerant in actu (quod certè vel maximè volunt) tunc illa ita erit propria in hoc vno, vt in aliis non sit propria; & sic partes non erunt integræ: aut si in illis est propria, & partes sint integræ, in hoc vno illa non erit vniuersalis; neque ille habebit supereminentiam, curamve in hac potestate, quia hanc potestatem non habet, nisi pro sua sola Ecclesia particulari in actu. Hic enim Episcopus vniuersalis, puta Romanus, vel est Episcopus etiam proprius actu exempli gratia Ecclesiæ Toletanæ, vel non. Si non est Episco-*

SPALAT. Num. 28.

pus Toletanus, profectò neque erit vniuersalis, si est, ergo Toletanus Episcopus particularis, non est Toletanus Episcopus, sed Vice-Episcopus, & minister Episcopi huius vniuersalis in Ecclesia tamen sola Toletana: Nisi dicamus ex æquo vtrumque esse Episcopum Toletanum; & tunc quæram, num Toletanus particularis, sine hoc socio Episcopo vniuersali, habeat totam Episcopalem potestatem integram, vt propriam; aut non, sed partem? Si habet totam, quid fatit ei vniuersalis? Et in quo is habebit supereminentiam, & curam super illum? Si non habet totam, id erit profectò quia vniuersalis ei non communicauit nisi partem, ergo non est propria ipsius Toletani illa Episcopalis potestas, sed delegata ab Episcopo vniuersali; & sic Toletanus verè non est Episcopus proprius illius Ecclesiæ, sed minister Episcopi vniuersalis; & ita partes non manent integræ. Idem dicam de cæteris omnibus Episcopis, qui, si manent integri, hoc est cum plena potestate Episcopali propria, quid relinquent Episcopo vniuersali? Aut in quo consistet ipsius super illos in potestate Episcopali cura & supereminentia? Quomodo ille erit Episcopus vniuersalis totius Ecclesiæ, si ei sub ipsius propria potestate Episcopali nihil Ecclesiæ totalis relinquitur, nisi sua tantum particula, cuius est Episcopus particularis, nempè Romana Diœcesis? Quod si illa supereminentia, & cura generalis non est in potestate propria Episcopali, sed vel in Metropolitana, vel in Patriarchali, sciant Hieromonarchici, dum in potestate Episcopali relinquunt partes integras, vt certè eas coguntur relinquere, id est Episcopos proprios, cum propria plena Episcopali potestate, quemque in sua Ecclesia, se Papatui vale dixisse. Iam enim sequitur necessario, Papam ipsum non esse Episcopum vniuersalem. Et hoc contendimus cum Gregorio in hac nostra disputatione. Ablata verò Papæ omni potestate Episcopali, quæ est propria Ecclesiastica, erga vniuersalem Ecclesiam, & ea ipsi relicta, pro sua sola particulari Ecclesia Romana; manentibus similiter omnibus & singulis Episcopis integris, (quod concedunt) hoc est, necessario cum plena & propria Episcopali potestate, in sua Ecclesia, quid erit Papa comparatus alijs Episcopis, quod spectat ad regimen spirituale animarum, nisi purus & simplex Episcopus vnus ex illis penitus in potestate Episcopali cuicunque Episcopo æqualis? Cur ergo se ingerit in excommunicandis hominibus extra Romanam Diœcesim constitutis, in beneficiorum alienæ Diœcesis collatione, in casuum reseruatione, in censurarum absolutione, in indulgentiarum concessione, in primarijs iudicijs, in votorum, ordinum, matrimoniorũ, & similibus dispensationibus; ac in multis alijs, quæ ad ordinarium spectant regimen Episcoporum? In his verò iam consistit totus neruus Papatus Romani. Ingerit se profectò in ista, quia vult esse id, quod eum esse non posse, mihi concedunt cum Gregorio nunc Bellarminus & Baronius, & velint nolint cogentur concedere omnes; nempè vult esse Episcopus vniuersalis in illo malo & peruerso sensu, quo solus intelligatur esse Episcopus totius mundi verus, proprius, proximus & ordinarius, nulla parte alia integra manente: atque in hoc suam ille agnoscit supereminentiam & curam; qua ille sit caput vniuersale vniuersalis Ecclesiæ, hoc est Lucifer (vt est Gregorij sententia apertaque assertio) & præcursor Antichristi sacrilegus & profanus. De vniuersalitate verò Metropolitica, seu Patriarchali, licet ad præsens huius Capitis institutum nihil faciat, patet tamen ne in his quidem vllum posse dari in Ecclesia aut Metropolitanum, aut Patriarcham vniuersalem. De Metropolitano non est dubium: De Patriarcha verò ijsdẽ Gregorij & Pelagij argumentis, superiorique nostra ratiocinatione res conuincetur. Quia si vnus est Patriarcha vniuersalis, alij nulli erũt Patriarchæ, sed ille solus: nam vel partes integræ manent, vel non; si non, ergo nulli Patriarchæ præter illum; si manent, ergo ille vniuersalis non est, siquidem alij quoque
quisque

quisque per se propria sua Patriarchali potestate, in suo Patriarchatu est independens ac supremus. Et hæc iam clarè patet. Quare ne in his quidē vlla potest dari, vllius supra alios Patriarchas iurisdictionalis & authoritatiua superemmentia, quoad ius ipsum Patriarchale, & sic neq; Patriarcha vniuersalis in hoc sēsu potest vllus esse in Ecclesia. At verò his omnibus nugis refellendis vnus sufficit Gregorius, qui magna testimoniorum luce ostendit, vnum esse in tota Ecclesia Caput, quod suprema authoritate non modò fideles omnes, sed & Episcoporum Chorum moderetur, *partibus*, tamen vt Spalatensis verbis vtar, *integris remanentibus.* Quo sensu in exercitu Imperator & Tribunos, & Centuriones haud secus ac milites regit & gubernat; cùm tamen integram illis relinquat suam authoritatem, sartamque ac tectam seruet, sed in priuatas Centurias ac Cohortes, cùm ad eum totius exercitus cura referatur. Hoc igitur sensu existimasse Gregorium vnum esse summum ducem, ac Imperatorem in Ecclesia, qui Episcopis, Metropolitanis, Primatibus ac Patriarchis præsit, tanquam priuatis sacræ militiæ præfectis, qui negat, planè depuduit: Et primùm quidem, vt ei nostram distinctionem & agnitam, & probatam fuisse constet, inde ostendimus, quod ipse inter Principatum, & vniuersalitatem longum latumque discrimen statuat, adeoque Petrum Principem Ecclesiæ vniuersalis faciat, Apostolum tamen vniuersalem inficietur. *Cunctis*, inquit, *Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est, &c. Ecclesia claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi ac soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Accedit & illud quod Pontificem Romanum, tanquam Ecclesiarum caput spectet, eique det potestatem ac iurisdictionem in Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas: *Quis dubitet*, inquit, *Ecclesiam Constantinopolitanam Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus domnus Imperator: & frater noster Eusebius * eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.* Et Epistola sequenti: *Si qua*, inquit, *culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis Apostolicæ Sedi Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.* Sic verò Ioanni defensori scripsit. *Contra hæc*, inquit, *si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham: Dicendum est, quia a Sede Apostolica, (quæ omnium Ecclesiarum Caput est) causa audienda & dirimenda fuerat.* Et in Epistola quam Ioanni Panormitano Episcopo scribit: *Illud*, inquit, *admonemus; vt Apostolicæ Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet; si caput fidei nulla pulset iniuria, & canonum manet incolumis intemerata semper authoritas.* Et Epistola ad Natalem Salonitanum Episcopum; *Si*, inquit, *quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.* Scribit Ioanni Episcopo Constantinopolitano de Ioanne Presbytero iniustè damnato, quem liberum pronuntiat. *Reprobantes*, inquit, *eorum (supradictorum iudicum) sententiam, nostra eum definitione Catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri misericordia, & gratia reuelante denunciauimus.* Et de disceptatione inter Ecclesiam Rauennatem, & Claudium Abbatem, commemorans dubias causas Romæ terminandas. *Nunquid*, inquit, *non ipse nosti, quia in causa, quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem & Coepiscopum nostrum orta est, secundum Canones ad sedem Apostolicam recurrit, & nostra sententia est definita?* Ac Anastasio Presbytero de Isauria rescribens

Lib.4.ind. 13.ep.32.

Greg.l.7. ind 2.ep.61.

* Cyriacus.

Ib.ep.64.

Id.l.11.ind. 6.ep.54.

Ib.ep.42.

Id l.2 ind. 10.ep.37.

Lib.5.ind. 14.ep.15.

Ib.ep.14.

poterant; quæ non poterant alij tres Patriarchæ, ideo Oecumenici Patriarchæ titulo in modesto sensu illi duo sunt insigniti; ad distinctionem reliquorum trium Patriarcharum, qui in iure illo pleniori Patriarchali, erant illis inferiores, imò etiam illis aliquo modo subiecti, quamuis in communi iure Patriarchali, & ipsi sint supremi; vt traditum est à me libro tertio capite decimo. Sit ergo noster Papa Patriarcha vniuersalis totius Ecclesiæ vniuersalis; hoc sensu non repugno; sed Episcopus vniuersalis Ecclesiæ vniuersalis proprius, nullo modo potest esse; vt iam probaui. Ius porrò Patriarchale totum positiuum, ac limitatum nihil repugnat Ecclesiasticæ Aristocratiæ iure diuino institutæ; & consequenter immenso Papatui nihil fauet. Ac interim moneo, Patriarchas omnes quandam vniuersalitatem prætendisse, propter ingentes regiones, quæ vnicuique Patriarchatui suberant. Et quia vnusquisque eorum primus erat & supremus; nec de iure ordinario alteri subiectus; vt declaratum est libro tertio capite decimo. Ideo Paulus Constantinopolitanus Patriarcha, pænitens ait; vt tradit Theophanes; Vtinam ne vnquam in Sacerdotis throno sedissem; Ecclesia Dei (Constantinopolitana) tyrannidem patiente, præsertim cùm scissa sit à reliquis vniuersalibus sedibus, & anathematizata. Et in Concilio Florentino omnes Patriarchæ etiam Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus vocantur Oecumenici. Ideoque Græci, tempore septimæ Synodi generalis, reprehensi ab Anastasio Bibliothecario, quod suum Patriarcham Oecumenicum vocarent, & sic eum totius orbis Patriarcham viderentur facere, respondebant; Se illum vocare vniuersalem, non quod vniuersi orbis teneret Præsulatum, sed quod cuidam parti præsit orbis. Neque profectò simpliciter hanc respuerim expositionem illius tituli. Nempè vt omnis Patriarcha dicatur οἰκουμενικός, *quia præeminentiam quandam, & præsidentiam obtinet suprà partem benè magnam* τῆς οἰκουμένης; *adeoque cum paucis aliis* τῇ οἰκουμένῃ, *toti nempè orbi Christiano præsideat. Quo mihi videtur alludere Nilus ille Thessalonicensis, siue quis alius qui de causis dissensionum, & Primatu Papæ scripsit, cùm Canonem sextum Nicænum explicans dicit; Decretum fuisse, vt parti* τῆς οἰκουμένης *præesset Alexandrinus, parti Romanus, parti verò Antiochenus, nec liceret alteri aliena inuadere. Nihilominus tamen, præter hanc communem omnium Patriarcharum vniuersalitatem, quæ vera vniuersalitas non est, nisi valde impropriè; nec verũ nomen Oecumenici meretur; Romanus, & Constãtinopolitanus adhuc maiorem habuerunt vniuersalitatem; & prætenderunt verè in toto orbe Christiano, vt ostendam ca. 9. & suprà ipsos, etiam reliquos Patriarchas, ad quorum distinctionem hi duo vocabantur Oecumenici Patriarchæ. Et quidem Constantinopolitanus, vt dixi, non se Episcopum Oecumenicum, sed Patriarcham Oecumenicum vocauit; noster verò Papa Romanus se Episcopum vniuersalem facit totius Ecclesiæ vniuersalis; qui est ille à Græcis tantoperè abominatus sensus, quo Episcoporum omnium dignitas, & potestas in vnum solùm confertur. Et hoc meritò visum est Pelagio & Gregorio intolerabile. Qui sanè, sicut Primatum illum modestiorem, alicuius suprà totam Ecclesiam præeminentiæ, soli Romano conuenire putarunt, & in eo socium habere Constantinopolitanum ægrè tulerunt; ita exorbitantem hunc Primatum Papalem, à quo adeò abhorruerunt, nunquam sunt ausi prætendere. Et est mera vanitas Baronij, dum mordicus tenet Romanum solùm Episcopum verè esse vniuersalis Ecclesiæ Episcopum vniuersalem; sed ex sola humilitate nomen hoc respuisse Gregorium: ille enim in hoc nomine iniuriam grauissimam omnium Episcoporum contineri generali ratione profitebatur; & ridiculum est rem ipsam, quæ iniusta est, indebitè & cum aliorum iniuria retinere, nomen autem respuere: sed qui nomen iniuriam continens respuebat, multo magis rem ipsam iniuriam facientem à se remouebat. Illam tamen humilitatem, & modestiam, imò & iustitiam vniuersam exuit paulò pòst Bonifacius tertius; dum à Phoca Impe-*

[Marginal notes: Apud Baro. tom 9. an. 784. nu. 2. — Concil. Flor. sess. 1. Ferrariæ. — Apud Baro. tom. 9. an. 787. nu. 6. — Lib. 1. de Prim. Pap. — Baro. to. 8. an. 593. nu. 53. 54.]

ratore impetrauit, vt solus Romanus Oecumenicus vocaretur; quod ei Phocas in odium Cyriaci Constantinopolitani libenter, sed incassum concessit. A parricida ergo Phoca, non à Christo habet Episcopus Romanus, vt sit Episcopus vniuersalis. Qui tamen huiusmodi Papatum sibi assumit, Gregorio magno teste, fidem perdit; vt explico infrà capite decimo. Quod ad curam quandam generalem Principatum Pontificis reuocat, alia refutatione non indiget, cùm meridiana luce clarius euicerimus, Gregorium verum ac legitimum Primatum authoritate præditum, ac ornatum intellexisse, ac Pontificibus asseruisse. Quod verò vt Constantinopolitanos omni ambitu purget, addit eos Oecumenici titulo vsos, *modesto*, vt loquitur, *sensu*, quique in reliquos etiam Patriarchas conueniat, tam est à veritate alienum, vt pudeat eius inuerecundiæ. Nam præterquam quòd hunc Oecumenici titulum nunquam cum reliquis Orientis Patriarchis participauit Constantinopolitanus, sed eum semper vni sibi asseruit; Annon constat, in eam insolentiam tandem abreptum fuisse, vt sibi sumpserit Orientis Concilia indicere, conuocare, regere, ac authoritate Oecumenici Episcopi; ius etiam reliquis Patriarchis dicere, ac indicata ab eis rescindere ac irritare, ad se vnum reuocata totius Orientis summa procuratione ac gubernatione, quæ optimis Pontificibus Pelagio & Gregorio, & ante hos Leoni magno, bilẽ mouerit, & in Constantinopolitanum armauerit, quem propterea tanquam nominis Episcopalis afflictorem ac perditorem, insolentissimumque vastatorem traduxerint, & eum in ordinem cogere studuerint? Qua de re grauissimè imprimis conqueritur Pelagius Epistola, vt habet inscriptio, ad dilectissimos fratres vniuersos Episcopos, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolim conuenerant, missa. *Relatum est*, inquit, *ad Apostolicam sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalium Synodorum conuocandi authoritas, Apostolicæ sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo, (qui Synodus taliter præsumpta, esse non potuit) statuistis, ex authoritate S. Petri Apostolorum principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi, atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitãter transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse, ita vt deinceps quã appareant, nec ventilentur. Etenim ipse Saluator B. Apostolo Petro, tanquam ipsa per se veritas loquitur, dicens: Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis* Concilia *celebrari: quapropter (vt iam dictum est) rectè non Concilium, sed vestrum conuenticulum, vel conciliabulum cassatum: & quicquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ sedis communione carere non vultis.* Scilicet occasione causæ Gregorij Antiocheni Episcopi, qui inuidia Præfectorum, & totius populi Antiocheni, grauissimi criminis insimulabatur, ac eius purgandi specie ac prætextu, Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, ad quem se contulerat, hanc Synodum habuit, atque in ea per summam insolentiam Oecumenici titulum sibi vsurpauit, quod meritò Pelagio displicuit. Qua de re etiam Gregorius ad Eulogium: *Ante annos octo*, inquit, *sanctæ memoriæ Pelagij prædecessoris mei tempore frater, & Coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe, ex*

Pelag. Pap. 2. ep. 8.

Greg. l. 4. ind. 13. ep. 36. ad Eulogium.

ex causa alia occasionem quærens, Synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus, vt agnouit, directis litteris ex authoritate sancti Petri Apostoli eiusdem Synodi acta cassauit: quarum videlicet Epistolarum Sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Et alibi: Cognoscat, inquit, *fraternitas vestra Ioannem Constantinopolitanum in Synodo superbum & pestiferum Oecumenicum, hoc est, vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse.* Haud igitur miti ac modesto sensu, quod habet Spalatensis, sed planè superbo ac furioso, Oecumenici titulum sibi vendicauit Constantinopolitanus, imò verò Imperatorum rescriptis hunc suum ambitum firmari curauit. Extat scilicet Leonis & Constantini de ea re rescriptum, quo non modò grandis, & alta, verùm immodica ac enormis ei potestas tribuitur magno aliorum Patriarcharum præiudicio. *Omnium Metropoleon,* inquiunt, *& Episcopatuum, Monasteriorumque, & Ecclesiarum cura, & iudicium ad proprium Patriarcham spectat, Constantinopolitano verò, licet etiam in aliarum sedium territorijs, in quibus hæc prærogatiua non est, crucium fixiones in templis concedere: neque hoc solùm, sed & controuersias in aliis sedibus exortas dirimere ac diiudicare potest.* Quo etiam recentiores Græci Canonem Chalcedonensem inflectunt ac torquent, vt Constantinopolitano ius appellationum asserant, ac ab aliis Patriarchis ad eum prouocari posse demonstrent. Sic Nilus: [a] *Vigesimus octauus* Canon, inquit, *eiusdem Synodi quartæ, & trigesimus sextus sextæ, iisdem prærogatiuis dignantes vtramque sedem, manifestè etiam prouocationem Constantinopolitanæ sedi tribuunt.* Balsamon: [b] *Diximus,* inquit, *non esse quæ de Papa constituta sunt specialia eius, & solius priuilegia, vt necesse habeat quiuis condemnatus Episcopus ad sedem Romanam accedere, sed etiam subaudiri ad sedem Constantinopolitanam, eadem quoque rursus dicimus.* Certè ipse Anatolius, cùm Canone Constantinopolitano fretus secundum à Pontifice Romano locum vsurpandum sibi duxisset, Oecumenicumque sese ostentare statuisset, etiam ante Concilij Chalcedonensis vllum decretum, ius sibi sumpsit in reliquos Orientis Patriarchas, ac ad se illorum ordinationes reuocare tentauit, qua de re vehementissimè conqueritur Leo Epistola ad Martianum Imperatorem: [c] *Quia conuenit fidei vestræ,* inquit, *vel gloriæ, vt sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur: agite, quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus Episcopus pareat patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine vllo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat.* Sed & ad Anatolium scribens insolentissimum hunc eius ambitum notat, atque iniuriæ Alexandrino & Antiocheno Patriarchis factæ postulat & arcessit, quos scilicet sibi subiicere tentaret. *Post illa itaque ordinationis tuæ,* [d] inquit, *non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam: vt sacratissimas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropoli-*

Leunclauius tit. 3. de Patriar. lib. Leonis & Constant. Πασῶν τῶν μητροπόλεων καὶ ἐπισκοπῶν, μοναστηρίων τε καὶ ἐκκλησιῶν, ἡ φροντὶς καὶ ἡ κρίσις ἐπὶ τῷ οἰκείῳ πατριάρχῃ ἀνάκειται, τῷ δὲ Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχῃ ἔξεστι καὶ ἐν ταῖς τῶν ἄλλων θρόνων ἐνορίαις, ἐν αἷς οὐκ ἔστι τὸ τοιοῦτον προνόμιον, σταυροπήγια διδόναι, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τοῖς ἄλλοις θρόνοις κινουμένας ἀμφισβητήσεις ἐπισκέπτεσθαι καὶ διορθοῦσθαι, καὶ τέλει ἐπιτιθέναι.

[a] Lib. 2. de Primatu Papæ. Ἡ εἰκοστὴ ὀγδόη τῆς αὐτῆς συνόδου, καὶ ἡ τριακοστὴ ἕκτη τῆς ἕκτης, τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαι τοὺς πρεσβείων ἀμφοτέρους τοὺς θρόνους, σαφῶς καὶ τὸ ἔκκλητον τῷ θρόνῳ τῷ Κωνσταντίνου διδόασι.

[b] Balf. in Sard. Conc. c. 5. Ἐπεὶ δὲ ἐν τοῖς προλαβοῦσι κεφαλαίοις, εἴπομεν μὴ εἶναι τὰ περὶ τοῦ Πάπα ἐκδοθέντα ἰδικὰ τούτου καὶ μόνου προνόμια, ὥστε ἔχειν ἐξ ἀνάγκης πάντα ἐπίσκοπον καταδικαζόμενον θρόνῳ τῆς Ῥώμης προστρέχειν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως, τὰ αὐτὰ καὶ πάλιν φαμέν. [c] Ep. 524. [d] Leo ep. 53.

tani Episcopi proprio honore priuentur. Haud igitur modestiore illo, ac saniore sensu, se Oecumenicos ac vniuersales Episcopos venditare voluerunt Constantinopolitani Antistites, quos propterea pro viribus repressit Leo, ac eum sequuti magni Pontifices Gelasius, Pelagius, Gregorius.

Spalat. Num. 30. Vaticinatur igitur Spalatensis etiam sequenti sectione, qua modestiam Antistitum Constantinopolitanorum rursus venditat. *Et tantùm abest,* inquit, *Græcos vnquam in suo illo Oecumenico titulo Papatum absolutum prætendisse, & eo sensu, quo adeò malè apud Pelagium, & Gregorium audijt, titulum hunc vsurpasse, ad significandum videlicet se habere in vniuersam Ecclesiam supremum Præsulatum, vt etiam id prætendentem nostrum Romanum semper plurimùm sint stomachati, & interdum etiam verbis obiurgarint. Ad Imperatorem Constantinopolitanum scripserat litteras Innocentius tertius, vt eum ad opem ferendam Christianis pro recuperatione terræ sanctæ permoueret. Scripserat etiam in eandem sentētiam ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum: In vtrisque obiter attigit etiam aliquid de schismate Græcorum, monens, vt vnicam agnoscerent Ecclesiam Romanam, matrem cæterarum, & totius Ecclesiæ vnicum caput, & vniuersale. His respondens Patriarcha Ioannes, sic ait; Quod autem mihi in tuæ Sanctitatis scripto non modicam superinduxit ambiguitatem, non abscondam; nam & pro miro habeo, quomodo vnam & vniuersalem Romanorum vocasti Ecclesiam; vt quasi diuisam in species quasdam specialissimas; & hoc vno existente grege ouilium Christi, nobis quodammodo Pastoribus sub eo constitutis, Pastorum Principe communique doctore? Quid ad hæc Innocentius? Audi.*

Innoc. 3. l. 1. ep. 353. Id. ep. 354. Ibid. l. 2. ep. 199.

Spalat. Num. 31. Ibid l. 2. ep. 200. *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Ecclesia duabus de causis vniuersalis vocatur; intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi, cùm non res sermoni, sed rei sit sermo subiectus. Dicitur enim vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur; & secundum hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ; prima videlicet, & præcipua; veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet Ecclesias vniuersas. Et secundum hanc nominis rationem, Romana tantùm Ecclesia vniuersalis nuncupatur; quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata: sicut & Deus vniuersalis Dominus appellatur; non quasi iam diuisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas; sed quoniam vniuersa, sub eius dominio, continentur. Est enim vna generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et sunt multæ particulares Ecclesiæ; de quibus Apostolus ait, Instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum: ex omnibus vna consistit, tanquam ex particularibus generalis; & vna præeminet omnibus; quoniam cùm vnum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: Omnes vnum corpus sumus in Christo; illa velut caput cæteris membris excellit. Sic Innocentius.*

Matth. 16. 2. Cor. 11. Ephes. 4.

Spalat. Num. 32. *Hæc tamen mihi videntur dubium Ioannis potius inuoluere, quàm soluere. Dubium eius erat, si Ecclesia Romana est vniuersalis, ergo cæteræ Ecclesiæ sunt species ipsius specialissimæ; sicut animal vniuersale diuiditur per multas differentias, & diffunditur per omnes species tandem atomas & specialissimas; vt sit iam totum animal in omnibus indiuiduis Hominis, Leonis, Equi, Bouis, & similium. Aliam enim vniuersalitatem non poterat reperire Ioannes in Ecclesia Romana: nisi quis dixisset eam*

esse vniuersalem, id est totam; & in ipsa totam Christi Ecclesiam esse conclusam; sed hoc asserere erat summæ stultitiæ. Siquidem extra Romanam Ecclesiam sint adhuc plurimæ aliæ; & fatetur Innocentius, eam, hoc sensu, non esse vniuersalem; sed partem totius Christi Ecclesiæ. Vniuersalem tamen dicit esse, quia sub se continet vniuersas; quia prima pars est, & præcipua, velut caput in corpore. Quomodo verò hinc dicitur vniuersalis? Certè si existens ipsa vniuersalis continet sub se omnes alias; eas continebit vt vniuersale genus suas species, & singula omnium specierum indiuidua: & quod ait de capite, sciat caput non esse vniuersale membrum sui corporis; imò caput, quatenus & ipsum membrum est, ac pars corporis, siue commembrum, nihil habet supra reliquum corpus iuris, aut potestatis; vt suprà attigimus lib. 1. cap. 1. num. 4. Pars enim alicuius totius materialis, nihil aliud præstat illi toti, nisi integritatem: & cuiusque partis officium, vt pars est, aliud non est nisi integrare, & solo situ inter se partes totius materialis distinguntur; aut etiam quantitate sola; vt vna sit maior, alia minor; quando omnes non sunt inter se magnitudine æquales. Quod si caput dicitur regere totum corpus; hac ratione non est membrum; neque pars corporis; sed à membro contrà distinguitur, & tunc aliud est esse caput; aliud esse membrum; tunc enim caput consideratur propter influxum, virtutes, & potentias, quæ in capite animalis resident, & operantur. Quæ virtutes & potentiæ atque influxus, non integrant amplius corpus animalis; sed fouent, regunt, & gubernant; & sunt ab omnibus membris, & partibus integrantibus corpus animalis omnino diuersæ. Pars enim, vt pars, nunquam suum totum gubernat, sed simul cum suo toto gubernatur, & quod gubernat aliquod totum, ab eo toto diuersum consideratur, & separatum. Ita Ecclesia tota Christi, dicebat Ioannes, est totus magnus grex; Ecclesia verò Romana est pars huius gregis; pars verò gregis nunquam regit reliquum gregem; sed Pastores qui sunt extra gregem, gregem gubernant: Grex verò Christi, vt dicebat Cyprianus, vnus est magnus; id est, fidelium vniuersitas; quæ est ipsa Ecclesia vniuersalis; sed in partes diuisus, & singulis partibus sunt sui assignati singuli Pastores, sub vnico Pastore & Doctore Christo omnes constituti.

Romana ergo Ecclesia, cum pars sit gregis; & pars in partem non dominetur, vt pars; ideo illa non regit alias Ecclesias, sed ipsa quoque vt vna ex Ecclesiis, à suo proprio Pastore regitur, & gubernatur; qui ipsius Pastor, simul cũ reliquis omnibus pastoribus, & eius Compastoribus, sub vnico Pastore Christo Domino est constitutus, qui solus Christus est Rector, & Pastor vniuersalis totius Ecclesiæ; qui sub se habet Pastores omnes, tanquam ipsius seruos & operarios; quibus non dominium, quod ipse solus habet in totum hunc magnum gregem, sed opus & pasturam solam commisit, sibi dominium reseruauit: sicut si alicuius magni gregis verus Dominus proprietarius, sed simul etiam professione sua Pastor, qui plures sub se haberet alios Pastores ab ipso conductos, & operarios, qui illum gregem, non vt proprium, sed vt alienum, nimirum huius Pastoris, qui est etiam gregis Dominus pascerent, à grege tantisper recederet, gregemque suum illis Pastoribus suis famulis pascendum commendaret; profectò nullum in eos transferret super gregem dominium, nullam proprietatem, sed solam curam pascendi, & illi non succederent huic gregis Domino in dominio, sed in sola cura Pastorali; Ita Episcopi omnes, tanquam meri operarij Christi succedunt Christo in sola cura pascendi, & singuli quidem pro sua portione; dominium enim in totum gregem sibi reseruat Christus, & ipse solus est vniuersalis & Pastor, & Dominus huius gregis; verumque caput, in ratione capitis, non membri: quia ille solus virtute sua gregem ipsum totum, & simul Pastores, viuificat, dirigit, & gu- SPALAT. Num. 33.

bernat: Episcopus verò quisque suam partem pascit, & solius pasturæ curam gerit, nec inter Episcopos vllus est, qui non sit seruus, & Pastor, ad pascendum tantum, & non ad dominandum assumptus. Cura enim vnicuique Pastori à Christo commissa est in gregem, & non in Pastores; nam ipse solus Pastorum curam gerit, neque vllus est qui Christi in dominio illo vniuersali, totius gregis solus vices gerat, sed omnes simul Episcopi in sola cura Pastorali, pro Christo supplent, & sunt in ea sola Christi Vicarij & administri. Quare si etiam Innocentius ab Ecclesia Romana, quam caput fecit, & nihilominus partem totius Ecclesiæ vniuersalis, se ad ipsius Ecclesiæ Pastorem reducat; & hunc velit esse caput ministeriale vniuersale totius Ecclesiæ vniuersalis, similiter falletur, quia vniuersalis Ecclesia magnus grex, cum ab vnico solo Pastore puro homine pasci non possit, diuisa est in partes; & per partes, pluribus assignata Pastoribus, non diuisim, sed simul & in solidum; vt est toties à me explicatum. Et hoc Ioannes obijciebat Innocentio; quod tamen ab eo nequaquam soluitur, sed implicatur: vni enim soli Pastori gregem hunc vniuersum fuisse commissum à Christo nunquam probabit, imò & Euangelium, & fides, & Patres, & Ecclesia docent eam pluribus fuisse ex æquo commendatam. Et Deus quidem meritò dicitur Dominus vniuersalis; sed tamen non est diuisus in species; neque dominium illud vniuersale in quemquam transtulit, sed sibi soli perpetuo reseruat. Quare mera vanitas est, & præsumptio ac vsurpatio, sibi dominium in vniuersalem Ecclesiam arrogare. Tu quæso, studiose Lector, has Innocentij pro se adductas assertiones & declarationes attentius considera, & planè perspicies ab eo ipsum, imò ipsissimum Primatum, & illam ipsissimam vniuersalitatem arrogari, quam Pelagius & Gregorius tam acriter sunt insectati, ac propterea eius conatum meritò abominaberis. Quàm magno conatu magnas nugas dicit. Primùm quidem verissimum est, Constantinopolitanos Antistites, quod eos vires deficerent, nunquam id molitos vt vniuersam Ecclesiam suæ Sedi subiicerent: Sed constat totum Orientem sibi asserere voluisse, vt scilicet, in illo orbis terrarum tractu Oecumenici Episcopi audirent, non secus ac Pontifex in vniuersa Ecclesia. Hoc omninò colligitur ex his quæ Eustachius Patriarcha Constantinopolitanus, ac reliqui Antistites Græci, Basilio Imperatore à Latinis sibi concedi postularunt, vt pax sanciretur. Qua de re sic Glaber: *Circa annum,* inquit, *Domini millesimum vigesimum quartum Constantinopolitanus Præsul cum suo Principe Basilio, alijque nonnulli Græcorum consilium iniere, quatenus cum consensu Romani Pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe sicut Romana in vniuerso, vniuersalem dici & haberi.* Hæc scilicet Græcorum modestia fuit. Demùm insulsissimè à schismaticis præsidium ducit, maximè verò à Ioanne illo, in cuius gratiam Innocentium tertium flagellat: sed nos doctrinam optimi Pontificis suprà propugnauimus, quoque sensu Ecclesia Romana Oecumenica & vniuersalis dicatur, explicauimus. Eò recurrito, ac nostra expendito, facileque euanescent illæ argutiarum nebulæ, quibus sincerissimæ Innocentij disputationi tenebras offundere conatur. Christum vnum, summum Ecclesiæ Monarcham agnoscimus & prædicamus, à quo Pontifices gloriæ suæ radios ducant, quippè qui eius ministri sint, sed vera ac legitima præditi in Ecclesiam authoritate, quæ eos pro suis Principibus colat, quamquam Christi, cui omne genu flectitur, seruis: Sed sunt hæc à nobis vberrimè in superioribus explicata; & à nobis ostensum Vicarium caput dignitati Christi nihil quidquam detrahere.

Glab. l. 4. c. 1.

Verùm

Verùm iam palmare, vt ipse putat, ex Gregorio versat argumentum, cui tamen neruos succidere facilè omninò sit. *Argumentum*, inquit, *illud Gregorij quod nos suprà nu. 22. vltimum, hoc est septimum in ordine recensuimus, iam dignum est quod seorsim à nobis consideretur, vbi contendit, si in Ecclesia aliquis sit Episcopus vniuersalis, eo in hæresim lapso, totam Ecclesiam eiusdem lapsus macula inficiendam, totámque hæreticam vocandam, quamdiu scilicet Episcopum suum proprium habet hæreticum. Ex Episcopi enim fide, totius Ecclesiæ, cui talis Episcopus præsit, pendet fides: oues enim suum pastorem sequuntur, ac nisi expellatur, oues etiam cum ipso corruptæ censentur. Propterea Ecclesiæ particulares interdum corruptæ & hæreticæ, & fuerunt & vocatæ sunt plurimæ; Ecclesia verò vniuersalis & tota nunquam tanta infamia laborauit, neque laborare potest, quia illam totam nunquam Christus deserit. Ideoque ipsius fides & bona æstimatio non est in vnico homine erroribus obnoxio collocanda. O quàm præclarè cum tota* Ecclesia *actum esset, eique egregiè prouisum, si illa vni soli tota homini in terris niteretur, vnicumque haberet* Episcopum *vniuersalem, cum tota plenitudine potestatis; alij verò potestate ista diminuti, illius tantummodò essent Vicarij & administri. Quid si iste* Ecclesiæ *totius verus & proprius* Episcopus *oscitanter ageret, genióque indulgeret, aut temporalia tantùm curaret, vt sæpè fecerũt multi, (quid verò hodie faciant ego nescio) spiritualibus eorum propriis ministeriũ penitus contemptis? Quomodo se habebat* Ecclesia *quando pueri penè infantes, quando scelesti homines, quando monstra quædam in illam sedem vel irrepserunt, vel intrusi sunt?* Spalat. Num. 34.

Respondeo igitur equidem vim & robur habere argumentum Gregorij, cùm vnus vniuersalis ac Oecumenicus celebratur Ecclesiæ Episcopus, penes quem sit tota Episcopalis potestas, nec vlli alij nisi Vicariorum titulo Episcopi censeantur, scilicet, cùm extra totum nihil sit sumere, vt aiunt Philosophi, si totus Episcopatus ad eum reuocetur, eo de gradu per hæresim deiecto, nullum iam habet Episcopum Ecclesia, proindéque Ecclesiæ nomine excidit, quippe quæ sine Episcopis existere nequeat, at cùm solummodò Oecumenicus censetur Episcopus, qui principatum inter Episcopos gerit, sarta & integra permanente eorum authoritate, vtcumque labatur & corruat, tota non labitur nec concidit Ecclesia, sed reliquorum, qui in ordine stant, operâ sustentatur. Addo verò robustissimum esse Gregorij Argumentum aduersus Constantinopolitanum, non item aduersum Romanum Pontificem. Ratio discriminis est, quia pro Petro cuius successor est Pontifex, rogatum à Christo nouimus, ne eius fides labasceret; *Ego*, inquit, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quod nulla ratione in Constantinopolitanum Antistitem conuenit. Sanè Gregorius agnoscit, Pontifici Romano dictum, quod est Petro dictum. *Cunctis*, inquit, *Euangelium scientibus liquet quod voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est, Ipsi quippe dicitur Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum, &c. Cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur: & vir sanctißimus Consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis Episcopus conatur.* Præterea Romanus Pontifex se vniuersalem Episcopum non asserit, qui solus Episcopus sit, & alios nomine, dignitate ac authoritate spoliet ac nudet: Vnde etiam, *Ex hac parte*, inquit appositissimè Becanus, *posito sed non concesso quod poßit fieri Hæreticus, non sequeretur labente Pontifice, totam Ecclesiã periclitari: nam illo labente, adhuc superessent multi Episcopi & Sacerdotes, qui Ec-* Li. 4. ep. 32.

clesiæ prospicerent, vt temporibus Ioannis illius de quo infrà factum scimus, donec nouus eligeretur Pontifex. Hæc duo igitur in argumento aduersus Constantinopolitanos assumit Gregorius, multos Episcopos Constantinopolitanos in hæresim lapsos fuisse, vt de Nestorio & Macedonio constat, ac eum qui se vocat Episcopum & Sacerdotem vniuersalem eo sensu quem ad se rapere velle Ioannes videretur, significare se solum esse Episcopum & Sacerdotem, ac reliquis omnibus nomen, honorem & potestatem Episcopalem detrahere. Quibus positis validissimum instruit aduersus Constantinopolitanos argumentum. Si verbi gratia Nestorius aut Macedonius fuisset Episcopus & Sacerdos vniuersalis, hoc est solus Episcopus, sequeretur totam Ecclesiam fuisse lapsam quando ipse lapsus est, tunc enim censetur labi ac concidere Ecclesia, quando nullus in ea perseuerat Episcopus, hoc verò in Pontificem, vt ostendimus, non conuenit.

Spalat. Num. 34. Baron. to. an. 955. n. 2. 34. Bar. to. 10. an. 961. nu. 13. 17. 19. Ib. an. 964. nu 3. Ibid. n. 2. Ibid. n. 4. Ibid. nu. 15. Glaber apud Bar. tom. 11. an. 1033. n. 6.

Verùm exemplis è Pontificum historia depromptis nos premit aduersarius. *Ioannes XII.* inquit, *puer, nondum pubertate expleta, factus est Romanus Pontifex; cuius adolescentia ita vniuersalem gubernauit Ecclesiam, vt Missam celebraret, sed non communicaret; Diaconos in equorũ stabulo ordinaret, Episcopos precio crearet, & eos quidem interdum pueros, decem annorum, sacrilegia, incestus, stupra, & adulteria plurima impunè committeret. Confessarium suum oculis & vita priuaret, Cardinalésque virilibus eis amputatis, occideret; alios manu, lingua, digitis, naribus mutilaret; incendiis saeuiret, ense accinctus, galeatus, loricatus, & pharetratus incederet; Diabolique vinum sortilegus in amorem biberet, seditiones & arma in Imperatorem commoueret, Romanique sanguinis magnæ effusionis author esset; Episcopos flagellaret, & demum in sinu adulteræ, à Diabolo percussus, interierit. Benedictus IX. puer decennis, in Sede Romana Papa, intercedente thesaurorum pecunia, collocatus: turpitudine vitæ infamis, Sedem illam deturpauit. Vertat se quo vult Baronius, siue hos faciat veros & legitimos Pontifices; siue intrusos & pseudo-Papas, æquè vtrimque luit & perit Ecclesia vniuersalis, si volumus Pontificem Romanum esse proprium Episcopũ totius Ecclesiæ vniuersalis. Illa enim nec ἀκέφαλος esse potest; neque certè ab Episcopo puero eoque scelestissimo regi ac dirigi, sed fœdari; æquè ringitur, Mater Ecclesia, si Episcopus hic vniuersalis verus sit, atque si intrusus; illud malum; hoc pessimus. Quid ergo dicimus Ecclesiam vniuersam vnico vniuersali subdi Episcopo; in quo huiusmodi, nec infrequentia subeat pericula? Quis credat æternam Christi sapientiam voluisse gregem suum vniuersum, quem sanguine suo acquisiuit, contra quem inferorum portæ non praeualebunt, tantæ confusioni, tamque apertis subdere periculis, vt ab vnico homine, imò etiam puero, & tot iniquitatibus obnoxio, pl. nissimè gubernetur, imò fœdissimè dissipetur? Consuluit Christus meliùs, consuluit Ecclesiæ suæ; dum illam, non ab vnico homine fragili, & imbecillo pendere; sed à cœtu magno plurimorum subpastorum in nomine Magni ouium Pastoris congregatorum in solidum, coli voluit, & gubernari; vt vbi vnus deficit, statim alius, aliíve occurrant; etsi vnus degeneret, fiatque ex pastore lupus; non inde tota quicquam patiatur Ecclesia vniuersalis; sed sola illa particularis; cui reliquæ statim opem ferant; ac præsertim circumuicinæ, vt est iam à me libro tertio praecedenti explicatum.*

Hebr. 13.

Spalat. Num. 35. Baro. to. 10. an. 907. 908. Ib. an. 908. nu. 3.

Quid dicam de Sergio tertio, qui Christophorum Papam, sic de sede Romana deturbauit, vinculis astrinxit, & carcere macerauit, ac demum in Monasterium detrusit? Sicut idem Christophorus, Leonem quintum è Sede illa expulerat, & se intruserat. Plena sunt illa tempora ordinationibus Paparum, exordinationibus, & superordinationibus. Sergius porrò & inuasione Papatus, & vitæ turpitudine infamis,

mis, & sceleſtiſſimus vndequaque fuit. Audi Luitprandum: Theodora ſcortum impudens, huius Alberici, qui nuper hominem exuit, auia; quod dictu etiam nefandiſſimum eſt, Romanæ ciuitatis non inuiriliter Monarchiam obtinebat; quæ duas habuit natas, Marozíam atque Theodoram, ſibi non ſolùm æquales, verùm etiam Veneris exortiuo promptiores. Harum vna, Marozia, è Papa Sergio, cuius ſupra fecimus mentionem, Ioannem, qui poſt Ioannis Rauennatis obitum S. R. Eccleſiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio. Ex Alberto autem Marchione, Albericũ; qui noſtro poſt tempore Romanæ vrbis Principatum vſurpauit, &c. His poſteà ſubdit *Baronius iſta: Quæ tunc facies Eccleſiæ Romanæ? Quàm fœdiſſima; cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ, æquè ac ſordidiſſimæ meretrices? Quarum arbitrio mutarentur Sedes; darentur Epiſcopi, &, quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum Amaſij, pſeudo-Pontifices, qui non ſint niſi ad conſignanda tantùm tempora, in Catalogo Romanorum Pontificũ ſcripti. Quis enim à ſcortis huiuſmodi intruſos, ſine lege, legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Eadem ſanè Theodora ſcortũ impudentiſſimum effecerat, vt Lando Papa, Ioannem, quem illa turpiſſimè deperibat, & Rauennate Presbytero faceret primum Epiſcopum Bononienſem, tum verò Archiepiſcopum Rauennatem: Et illa eadem hunc ipſum Ioannem Amaſiũ ſuũ, in Sede etiã Romana, mortuo Lando, collocauit; fuitque is Ioannes X. Eo igitur tempore infames meretriculæ vniuerſalem dicendæ ſunt rexiſſe Eccleſiam? Abſit hoc, abſit; regebant quidem Romanam, ſed non alias; quarũ ſponſi Romanæ meretricis poculum fornicarium non bibebant. Stephanus VI. alias VII. & Sergius III. præclari ſcilicet Eccleſiæ vniuerſalis gubernatores, acta Formoſi Papæ omnia, ex ſolo odio reſciderunt; omneſque ad ſacros ordines à Formoſo promotos reordinari voluerunt; cadauerque Formoſi è ſepulchro tractum ille digitis priuauit; hic capitali ſupplicio ac ſi viueret, affecit; corpuſque ipſius in Tiberim proiecit. Et talibus monſtris Chriſtus vniuerſalem Eccleſiam committeret?* Luctuoſiſſima Eccleſiæ tempora profert Spalatenſis, quibus ſub iugum tyrannorum miſſa Roma, Pontifices ſuos creare interdicta, portentis à ſæuis tyrannis ſibi Rectoribus impoſitis per ſummum ſcelus parere iuſſa ſit. Cæterùm vt hic Ioannes immanitatis, ſæuitiæ, nefandarum cupidinum, ac omnis generis ſcelerum à fideliſſimis hiſtoricis poſtuletur ac damnetur, non eſt tamen qui eum hæreſeos inſimulet, vt etiã propterea Eccleſia eum ferendum duxerit, ne ſcilicet ſchiſma, quo nihil deterius fingi poſſit, induceret. Qua de re ſic Baronius poſt recenſitos infamis mõſtri natales. *Abortiuum iſtum,* inquit, *tunc parturiit Roma tyrannis, vi pollens, armis omnia miſcens, omnia audens, atque ſubuertens, vt nullo pacto dicẽdus tunc fuerit legitimus iſte Põtifex, in cuius electione lex nulla ſit ſuffragata, ſed omnia vis & metus impleuerint, cùm qui nec ætate Diaconus eſſe potuit, oſtenſus ſit tanquam in ſcena minus Pontificem agens. Attamen accedens conſenſus, hunc tolerandum vtcumque perditiſſima illa tempora ſuaſerunt magis quàm Eccleſiam ſchiſmate ſcindere, cuius vitandi cauſa, vt pote mali omnium peſſimi, vniuerſa Catholica Eccleſia eum eſt venerata Pontificem, minoris ſciens eſſe mali monſtruoſum quantumlibet caput ferre, quàm duobus capitibus infamari, & ſecari corpus vnum in duo.* Cùm autem ſcelera ſceleribus cumularet, ac in dies Eccleſiæ pernicioſior euaderet, Epiſcopi Cardinales, totuſque Clerus abigendam hanc beſtiam curarunt, adeóque Ottonis Imperatoris, qui ex Germania Romam aduolaſſet, opera de gradu deiiciendum ſategerunt, propoſitis atrocioribus criminibus, quibus Pontificatus dignitatem polluiſſet ac contaminaſſet. Quod his verbis expreſſit Luitprandus.

Ibi. an. 912. nu. 8.

Ibid. n. 7. 11. 14.

Ib. an. 897. nu. 6. Platina in vtroque.

Baro. tom. 10. an. 955.

Apud Bar. to.10.an. 963. *Post triduum*, inquit, *rogantibus tam Romanis Episcopis, quàm plebe magnus in Sancti Petri Ecclesia fit conuentus: sederuntque cum Imperatore Archiepiscopi, &c.*

Luitprand. l. 6. c. 7. *His ita residentibus silentiumque summum tenentibus, ita est Sanctus Imperator exorsus: Quoniam decorum esset, tam claro sanctoque Papam Ioannem interesse Cōcilio: cur tantum declinauerit cœtum, vos ô Sancti Patres, consulimus, quibus communis labor Ecclesiasticus ac commune negotium existit. Tunc Romani Pontifices, Episcopi scilicet suffraganei, & Cardinales Presbyteri ac Diaconi cum vniuersa plebe dixerunt: Miramur sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet; ita apertè diabolica pertractat negotia, vt nihil circuitionis vtatur. Imperator respondit. Iustum nobis videtur, vt accusationes nominatim exprimantur. Deinde quod agendum est, communi consilio pertractetur.*

Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse & non communicasse, testatus est. Ioannes Episcopus Narniensis, & Ioannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum, Diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris condiaconis & Presbyteris dixit, se scire quòd ordinationes Episcoporum faceret pretio, & quod annorum decem Episcopum in Tudertina ciuitate ordinarit. De sacrilegio non est necesse percontari, quia plus videndo quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainarij, & Stephanam Patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & Sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse: Venationem dixerunt publicè exercuisse. Benedictum spiritualem Patrem suum lumine priuasse, & mox mortuum esse. Ioannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse, testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam clerici, quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iouis, Veneris, ceterorumque Dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo Crucis se munisse professi sunt. Hactenus accusationes. Sed mirum, quod de eius intrusione in Sedem Apostolicam cùm adolescens esset decem & octo annorum, nullum sit factum illi negotium. At scias id illi non humanitatis gratia esse donatum & indultum miserationis ergò; sed magno artificio prætermissum: etenim si fuisset Ioannis electio ostensa nulla: æquè Ottonis Imperium, quod acceperat à Ioanne, fuisset illegitimum declaratum, vt pote collatum ab eo, qui Pontifex non fuisset. Sic igitur abstinuit ab his Otto, ne sui abrogationem Imperij, eius damnatione procuraret. Pergunt Acta.

His auditis Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id est Saxonicam, intelligere nequibant: Luitprando Cremonensi Episcopo præcepit, vt Latino sermone hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur, exprimeret. Surgens itaque sic cœpit: Luitpr. l. 6. cap. 8. *Persæpè contigit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus constituti inuidorum infamia maculentur: displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quòd hanc in Papam accusationem, quam modo Benedictus Cardinalis Diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus, incerti vtrum è zelo iustitiæ, ac impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis authoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere, & si vult, nemo potest, sanctamque eius Genetricem intemeratam Virginem Mariam, perque pretiosissimum Apostolorum Principis corpus, in cuius hæc recitantur Ecclesia, vt nulla in Dominum Papam iaculentur conuitia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa.*

Tunc

Tunc Episcopi, Diaconi, Clerus & cunctus Romanorũ populus, quasi vir vnus dixerunt: si non & quæ per Benedictum Diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora, Ioannes Papa indigna commisit facinora; non nos à peccatorum vinculis absoluat Apostolorum Princeps beatus Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, iustis aperit: Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouissima in sinistra parte positi cum eis qui dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quod si fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus clypeo, galea, lorica indutus occurrit. Solus Tiberis qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt huius rei testes, quot sunt in nostro exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet Domino Imperatori: Mittantur litteræ Domino Papæ vt adueniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt litteræ destinatæ, quæ sic se habent. Summo Pontifici & vniuersali Papæ Domino Ioanni, Otto diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ in Domino salutem. Romam ob seruitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causa esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ vestrique defensores videre noluissetis: talia de vobis, tamque obscœna protulerunt, vt si de histrionibus dicerentur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestrã lateant omnia, quædã vobis sub breuitate describimus, quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret vnus. Noueritis itaque nõ à paucis, sed ab omnibus tam vestri quàm alterius ordinis vos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propria cognatione atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse: In ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his vos omnibus purgare, non dissimuletis: Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter Sanctorum Canonum sanctionem. Dat. VIII. *Idus Nouembris. Pergit auctor.*

Hanc Epistolam cùm legisset, huiusmodi apologeticum scripsit. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis. Nos audiuimus dicere, quod vultis alium Papam facere; si hac feceritis: Excommunico vos de Deo omnipotenti, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & Missam celebrare. Cùm hæc Epistola à Sancta Synodo legeretur, aduenerunt qui prius defuerant religiosi à Lotharingia, Henricus Treuirensis Archiepiscopus, ab Æmilia & Liguria Vuido Mutinensis, Gezo Tortonensis, Singulphus Placentinus. Quorum consilio Domino Papæ ita rescribunt. Summo Pontifici & vniuersali Papæ Domino Ioanni, Otto diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, sed & Sancta Synodus Romæ ob seruitium Dei congregata in Domino salutem: Præterita Synodo, quæ celebrata est octauo Idus Nouembris, litteras vobis direximus, in quibus accusatorum verba atque accusationis causæ continebantur. Rogauimus etiam iisdem litteris magnitudinem vestram, quemadmodum iustum est. A vobis non quales temporis qualitas; sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, litteras accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit: sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuntij interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis causa satisfacerent sanctam vos Synodum declinasse. Est & aliud vestris in litteris scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scri-

bere deceret: Excommunicastis enim omnes, vt non habeamus licẽtiam canendi Missam, ordinandi Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ Sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam vllum ordinare. Nunc vsque putauimus, immò credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum, nisi vestra auctoritas priscorum sententias infirmaret auctorum. Nos verò intentioni vestræ non verbis respondeamus. Si ad Synodum venire, & obiecta purgare non differtis: auctoritati vestræ proculdubiò obediemus. Sed si (quod absit) venire & obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cùm præsertim vos venire nihil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo; tunc excommunicationẽ vestram paruipendemus, eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem iustè facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, immò venditor cum cæteris prius ligandi atque soluendi potestatem à Magistro in hæc verba accepit: Amen dico vobis quæcumque alligaueritis super terram, &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque soluere valuit: postquam verò cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit: quem postea ligatum soluere, solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infœlicissimo laqueo strangulauit? Data decimo Kalend. Decembris, & missa per Hadrianum Cardinalem Presbyterũ, & Benedictum Cardinalem Diaconum. Qui cùm ad Tiberim peruenissent, eum non inuenerunt, pharetratus enim in Campestria iam abierat, nec quisquam erat, qui vbi ipse erat, indicare posset; Cumque eum inuenire non possent, cum iisdem litteris ad sanctam Synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reuersi. Mox Imperator ait: Expectauimus aduentum eius, vt præsente eo quod nobis egerit, quereremur. Verùm quoniam eum non affuturum certò scimus: quàm perfidè nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, reliquoque Clero, necnon & Comitibus & Iudicibus, omnique plebi, quòd idem Ioannes Papa oppressus à Berengario atque Adelberto rebellibus nostris, misit in Saxoniam nuntios, rogans, vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam Sancti Petri & seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò Deo adiuuante, quantum fecerimus, non est necesse dicere, vt impræsentiarum videtis. Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus sancti Petri promisit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc Sancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, suffraganei scilicet Episcopi, reliquusque Clerus, & cunctus populus dixerunt. Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset; quoquo modo tolerandus esset: Quot prius casti huius facti sunt imitatione incesti? quot probi huius exemplo conuersationis sunt reprobi? petimus itaque magnitudinem imperij, monstrum illud nulla virtute redemptum à vitiis, à Sancta Romana Ecclesia pelli, aliumque loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conuersationis præesse valeat, & prodesse sibi: rectè viuat, & benè viuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator: Placet, inquit, quod dicitis; nihilque gratius nobis, quàm vt talis, qui huic Sanctæ & vniuersali Sedi præponatur, inueniri possit. His dictis omnes vna voce dixerunt: Leonem venerabilem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protoscriniarium virum approbatum ad summum Sacerdotij gradum nobis in pastorem eligimus, vt sit summus & vniuersalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob mores improbos Ioanne Apostata. Cùm hoc omnes tertiò dixissent, annuẽte Imperatore, nominatim Leonem ad Lateranense Palatiũ, secundũ consuetudinem

cum

cum Cardinalibus ducunt, & certo tempore in Ecclesia sancti Petri ad summum Sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt. Quamquam verò, quòd rectè aduertit Baronius, plus sibi & Imperator, & Episcopi vsurparint, quàm leges Ecclesiæ paterentur, adeoque, vt ipsi loquuntur, inauditum vlcus inaudito cauterio sanare tentarint; apparet tamen portentosissimi Pontificis horrendo lapsu reliquam minimè concidisse Ecclesiam; quamquam & hic lapsus, vt monebamus, morum non fidei vitium fuit, vt propterea ab eo præsidium ducere non potuerit Spalatensis. Nec enim vitæ improbitas Pontificem confestim authoritate nudat. De Benedicto IX. ista ex Baronio accipe: *In Ioannis locum*, inquit, *hoc eodem anno subrogatum fuisse eius successorem Benedictum, habet Hermannus, Sigebertus & alij. Cùm (proh nefas) tyrannide Alberici Comitis Tusculani eius filius puer in sacrosanctam Petri sedem intruditur, monstrum erigitur, statuiturque portentum. Cùm enim morte duorum germanorum Pontificum Benedicti atque Ioannis, è domo sua Pontificatum diu retentum egredi, ægro animo ferret: ne id fieret, cùm alium non haberet, filium quem habebat ætate puerum, malis artibus in Petri Cathedram Angelis reuerendam idem Albericus intrusit. En vides quæ sint à Principibus toleráda, cùm immiscent se quacumque via in electione Romanorum Pontificum, ob idque declamaui sæpius, & exclamare non desinam, & commonere præsentes, & pòst futuros fratres meos S.R.E. Cardinales, vt pro viribus ad sanguinem vsque certare laborent, quò omnem Principibus aditum ad electionem Romanorum Pontificum obstruant, cùm nihil hoc funestius pati Romana Ecclesia consueuerit, & pluribus summo ipsius damno contigerit demonstrari, cùm eos non Principes adiutores, sed tyrannos persecutores, in electione Pontificum est experta. Quid potuit Romanæ Ecclesiæ durius ac luctuosius contigisse, quàm vt qui tyrannide lupi sunt, de Pastore creando decernant & curent? Quorum illud vnum studium sit, vt præficiatur ouibus Pastor ignauus, quo ipsis liberum sit, cùm velint, in oues irrumpere? Nunquam audiatur amplius tyrannis ista in Ecclesia Dei, vt Pontificem cogatur accipere à Principibus. Ista cùm legunt facta perditissimi Nouatores, Ecclesiæ Romanæ infestissimi perduelles, vociferantur in eam, exclamantque apparere ex ijs in ea stigmata Antichristi, ita quos furor armat; & diabolicus spiritus agitat, in blasphemias concitati prorumpunt. Quos miseros ita animo pacato compello: Facit ne ista Ecclesia ipsa Romana, an patitur, cùm in eam indignus intruditur, & monstrum aliquod sæculari potentia in sacrosanctam illam sedem prouehitur & exaltatur? Sed quod pati ista coacta sit, iam ipsa facta superius enarrata declarant, & quæ sunt dicenda monstrabũt. Quæ ratio patitur, quæ charitas persuadet, quæ iudicij recti discretio imperat, vt præter omne ius fasque ita insurgatis in eam? Veluti cùm quis in hominem incidat à latronibus spoliatum, vulneribus cõfossum, sauciatum, in luto ex suo sanguine volutatũ, semiuiuum relictum, in foueamque præcipitatum: non in grassatores ipsos sæuissimos ac scelestissimos inuehatur, detestatusque eos, cõtumelijs atque maledictis vltricibus impetat; sed ea conuertat probra cuncta in ærũnosum illum, ac miserum miseriarum planè omnium scopum, eiusque nõ alliget vulnera compassione, sed confricãs detractione, scalpensque blasphemijs, maiore crudelitate faciat recrudescere? Ita planè qui deteriora passam temporibus istis Romanam Ecclesiam conspicantes, nihil patientes super contritione Ioseph, neque condolentes suffocatæ iustitiæ, sed concitati furore, perciti amaro zelo, acti liuore non in auctores malorum iacula probrorũ intorquent, sed in eam arcu ferreo obduratæ perfidiæ sagittas venenatas immittunt, vnde magis dolens ipsa illud exclamare cogatur; Et super dolorem vulnerum meorũ addiderunt. Cùm potius: Si qua consolatio in Christo, si quo solatium charitatis,*

Baro. to. II. an. 1033.

si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis in eis essent, vtique exemplo Samaritani compatientes, non blasphemantes, aliquod exhibere solatium eidē Ecclesiæ afflictæ nimiùm, atque adeo immaniter lancinatæ curassent. Quæ etsi interdum ad tempus depressa, sed non destituta, sibi benè conscia à Deo factæ promissionis (nempè quod etsi affligi possit, perdi non possit) illud Dauidicū repetitum sæpius meditetur summa constantia: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerūt mihi, suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatē suam: Dominus iustus cōcidet ceruices peccatorū: confundantur & conuertantur retrorsum omnes, qui oderūt Sion. Hæc quoque in se contorta agnoscat Spal. memineritque neque hunc Benedictum hæreseos arcessitum. Quod ad Sergium attinet Christophori vexatorem, etiam huius facinora & clades ab Ecclesia à tyrannis acceptas explicat post alios Conditor Annalium. *Subrogatus est*, inquit, *in locum ipsius Leo eius nominis quintus, patria Ardeatinus, quem breuitas temporis, quo sedit, reddit obscurum: nam tantùm dies quadraginta Ecclesiam gubernasse tradūt veteres, res Romanorum Pontificum prosequuti; pulsum verò atque detrusum in carcerē à Christophoro, quem sedisse post eum affirmāt; sed nec Christophori sedem stetisse immotam, sed post menses septē deturbatum à Sergio inuasore æquè confirmant, quod contigit anno sequenti. Sunt hæc planè tēpora, inopia Scriptorum obscura, & tyrannide sedem Apostolicā inuadentium tetra. Christi anno 908. indictione vndecima inchoato, rursum prauorum turbis & factionibus, inuasionibus & grassationibus tyrānorum Romana vehementer perturbatur Ecclesia: siquidem Christophorus violenter è sede pellitur, vinculis stringitur, in carcerem truditur, atque vitam monasticam amplecti cogitur: vbi autem mortuus est, sepultus fuit in Basilica sancti Petri, cuius sepulchro hanc vnico versu appositam inscriptionem, Manlius qui exscripsit sic recitat:*

Baro.to.10. an.907.

Ibid. An.908.

Hic pia Christophori requiescunt membra sepulti.

Exurgit rursus hoc eiecto Sergius ille nefandus, quem audisti in Formosum Papam ita sæuisse. Potēs iste armis Marchionis Tusciæ Adelberti, homo vitiorum omnium seruus, facinorosissimus omnium, quæ intentata reliquit? Inuasit iste sedem Christophori, non Formosi (vt memoria lapsus asseruit Luitprādus) quem quidem constat post malum ingressum, deterioremque progressum, pessimum denique esse consecutum egressum. De quo Sigebertus hæc, anno superiori, habet in sua Chronographia: Sergius Romanæ Ecclesiæ cētesimus vigesimus præsidet. Iste est Sergius Diaconus propter Formosum à Papatu reprobatus, qui ab eodē Formoso Episcopus factus, ad Francos se contulit, & eorū auxilio Christophorū inuasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, Papatum inuasit, & Romanos minis, & terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent, &c. Sed hæc superius, suo loco sunt dicta de sacrilegio ab ipso in Formosum post eius obitum perpetrato. In quibus corrigendus Sigebertus, dū ordinatum à Formoso Episcopū Sergium dicit, quem Acta Synodalia superius recitata non nisi Presbyterum nominent, Luitprandus verò eum ex Diacono arripuisse sibi nomen Pontificis tradit. Cæterùm ab omnibus non legitimus Pontifex, sed conclamatur inuasor, vt non mireris, si (quod audisti ex Sigeberto (ordinationes Formosi repulit, sed parum istud nisi alias superinduxisset ordinationes. Sunt hæc infelicissima illa tēpora, cùm alter alterius res gestas, intrusus quisque Pontifex aboleret, quæ damnans & execrans huius temporis auctor Auxilius nomine, suo prosecutus est stylo, de quo hæc Sigebertus, cùm agit de Scriptoribus Ecclesiasticis, viris illustribus; Auxilius, inquit, Scripsit Dialogum sub persona Infensoris & Defensoris: diuinis & Canonicis exemplis munitum, contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ, scilicet de ordinationibus, & superordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordina-

ordinationibus, & superordinationibus. Hæc de argumento, in quo Auxilius suo versatus commentario. Perpetrata sunt ista ab inuasoribus & intrusis Apostolicam Sedem Pontificis nomen vsurpantibus, & illegitimè thronum Apostolicum inuadentibus. Verùm legitimè creati Romani Pontifices (vt Ioannes nonus, de quo nuper) ista vehementer sunt execrati. Cæterùm cùm huiusmodi inuasores Sedis Apostolicæ inualuere, quid adeò mirandum sit, si inconcessa sacris legibus ab illis tentata fuerint & vsurpata? Quid minus habet alienorum inuasor à grassatore? At ab istis quis iusta, legitimaque requirat.

Præterquam quod igitur nec iste Sergius hæreseos insimulatur, inuasor fuit, non legitimus Cathedræ Petri successor, vt proinde præsidium ab eo ducere etiam non possit Spalatensis: *Quid de Liberio, & Vigilio dicemus?* inquit, *Audiamus Petrum Damiani; Hinc est enim, ait, quod omnes ordinationes quæ à Liberio (hæretico videlicet ac seditioso) factæ sunt, in sui status noscuntur immobilitate seruatæ. Porrò Liberius perfidiæ deceptus errore, Arianæ hæresi subscripsisse dignoscitur, ac per eius transgreßionem nefandißima scelera sunt commissa. Multi quoque Sacerdotes & Clerici per eius malitiam sunt perempti, reseruati verò Catholici non solùm ab Ecclesiis, sed etiam à locis sunt prohibiti. Liberius itaque factus Apostata sex annorum spatia superuixit. Quid de Papa Vigilio dicam, qui nimirum sceleratus & impius; Istum denique noueris esse Vigilium, qui primus Bonifacio Papæ molitus est insidias; quatenus eo viuente Apostolicam sedem sacrilegus obtineret, sed resistente senatu, conatus illicitos & nefarios implere non potuit. Postmodum verò solitis machinationibus Silueriũ Papam aggressus est Apostolica dignitate priuare; quod ille mox animaduertens, Synodale Conciliũ congregauit, vbi authoritate Spiritus Sancti & Apostolica potestate, eũ, vt re vera Simoniacũ & inuasorẽ Ecclesiæ, anathematis vinculis obligauit. Vigilius tamen, vt sacrilega mente conceperat, per imperialem potentiam, datámque pecuniam, & falsorum testium adminiculo prædictum Papam Silueriùm nequiter condemnauit, monachicisque vestibus induit, & ad Pontias in exilium destinauit, sustentans eum pane tribulationis, & aqua angustiæ; ibique Felix Papa ille confessor factus, defunctus, ac sepultus est; ad cuius tumulum nonnulli sanabantur infirmi. Vigilius autem dignis anathematis nexibus irretitus reus insuper homicidij nefariis ausibus se Papam instituit. Huc vsque Petrus Damiani: Hilarius verò in Liberium anathema, tanquam in hæreticum Arianum vibrat.*

Siricij oscitantiam dicat Hieronymus; vt pro ipso fidei defensionem in Romana Ecclesia mulierem vnam, id est Marcellã, suscipere fuerit necesse. Honorij hæresim hic prætermitto, & aliorum scelera grauißima seu intolerabilem negligentiã, ne videar in detegendis Patrũ, vtcunque paterno nomine indignißimorũ, verendis nimiũ curiosus. Hæc tamen pauca propterea retulerim, vt pateat diuinam prouidentiã non esse talem, vt voluerit suam Ecclesiam vniuersalem totã vni homini fragili & erroribus pluribus obnoxio committere; & cõsequenter eam & infamiæ maculis, & tot aliorũ damnorũ periculis exponere. Et hoc optimè considerauit etiã Gerbertus Remensis, vt videbimus capite sequenti. Meritò ergo Gregorius vehemẽter abhorruit, ne quis assereret in Ecclesia Christi esse vnicũ Episcopum vniuersalem: & qui Episcopi Oecumenici titulum est tantoperè insectatus, multò magis rem tali titulo significatã ab Ecclesia exterminãdã esse & censebat & docebat. Ac iam de Gregorio & Pelagio satis. Nunc quæ fuerint Romanis Pontificibus huius vniuersalitatis vsurpandæ occasiones, inquiramus.

Agamus primùm de Liberio. Sectarij omnes hæreseos postulant, sed re-

SPALAT. Num. 36. Petr. Dam. ep. 16. c. 16.

Hilar. in Fragm. in ep. Liber.

SPALAT. Num. 37. Hier. ep. 16.

clamat Bellarminus, in quem propterea insurgunt Vuitakerus, Sutliuius, Sibrandus, Danæus, Chamierus, Iunius; Sed sucurrit ac fert opem fortissimus Athleta Gretserus. *Bellarminus,* inquit, *dicit, Liberium nec hæresim docuisse, nec hæreticum fuisse; sed solùm peccasse actu externo, quando metu coactus & tædio diuturni exilij impulsus, damnationem Athanasij suo suffragio confirmauit, & cum hæreticis communicauit. Agglomerant* Caluinistæ *multos auctores; qui Liberium hæresi & secta Arianæ subscripsisse dicant. In his ponit Sibrandus Contractum, Rheginonem, Marianum Scotum, Fasciculum temporum, compilationem* Chronologicam, *Platinam,* Adde Petrum Damiani, cuius testimonio vtitur Spalatensis, *quibus addit* Chamierus *Sabellicum Ennead.* 7. *li.* 8. *Vvitackerus, Martinum Polonum, Vincentium in speculo; Aquinatem, Turrecrematam, Cusanum, Alphonsum de* Castro, *qui omnes sunt recentiores & aliquot seculis, à seculo Liberij distantes; ac proinde minus idonei rei priscæ testes. Adde, nullum ex dictis affirmare Liberium corde & animo Arianum fuisse: omnia eorum dicta, de solo actu externo, vi tormentorum & formidine mortis & diuturnioris exilij extorto. Quod etiam de antiquis rectè asseritur.*

Gretſ. in def. Bell. tom. 2. c. 9. l. 3.

Verba sancti Athanasij in Epistola ad solitarios sunt ista. Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est, verùm illud ipsum quoque & eorum violentiam & Liberij in heresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, quum liberos affectus habebat, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, ea iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendæ sunt. Vbi apertè vides Athanasium Liberij subscriptionem coactioni adscribere; & palam dicere; non tam fuisse à voluntate Liberij, quàm eorum, à quibus Liberius cogebatur. Nec quidquam scribit Athanasius, quod nos compellat credere Liberium, verè, etiam actu interno, hæresim Arianam complexum esse.

Quid, quod S. Athanasius non agit directè de subscriptione hæreseos, sed tantùm de subscriptione in damnationem Athanasij: quod longè aliud est. Nam potuit quis absque approbatione hæreseos in damnationẽ Athanasij consentire: Quamuis enim Constantius Imp. dictitare soleret, teste S. Athanasio: Obsequere & scribe contra Athanasium; qui enim contra eum scribit, ille planè nobiscum Arianas sententias amplectitur; tamen id simpliciter non erat necessarium; poterat enim quis animo detestari hæresim Arianam, & in damnationem Athanasij subscribere; non propter fidem eius, sed ob crimina, quæ ei obiiciebantur, vel vt redimeret hæreticorum vexationem, vel alias ob causas. Quod quidem factum nequaquam decebat Liberium; sed tamen sine vllo hæreseos crimine ab eo fieri potuit. Nec sanctus Athanasius de hoc piaculo Liberium accusat; imò subscriptionem ipsam, vt vidimus, valdè excusat, culpam potiùs in coactores, quàm in ipsum Liberium referens. Nec etiam necesse fuit, vt animo ipsam damnationem Athanasij comprobaret; nam metu maioris mali potest Catholicus impelli, vt Catholicum, solo actu externo, mente prorsus inuita ac refragante condemnet, vt non semel accidit.

Quoniam verò, qui condemnationem Athanasij, Catholicæ fidei & probitatis laude spectatissimi, calculo suo comprobabant; hoc ipso censebantur ad Arianos transire, (licet reuera animo Arianam perfidiam detestarentur) præsertim si etiam communicatio cum Arianis interueniret, vt hic interuenit; hinc

hinc factum est, vt veterum nonnulli Liberium hæresi subscripsisse scriberent. Subscripsit enim, vt Bellarminus ait, interpretatiuè; quia tum subscriptiones contra Athanasium moris erat ita interpretari. Ex quibus lux allucet his D. Hieronymus lib. de viris Illust. in Fortunatiano. In hoc habetur detestabilis, (Fortunatianus) quod Liberium, Romanæ vrbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitauit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos impulit, quia scilicet compulit illum ad subscriptionem contra Athanasium, quæ tunc censebatur subscriptio hæreseos. Idem S. Hieronymus in Chronico, Liberius tædio victus exilij, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit, nimirum in hæreticam prauitatem existimatus est subscripsisse, quia subscripserat contra Athanasium. Nec plus euincitur ex libro Pontificali in vita Liberij; nec ex Epistolis ipsius Liberij, quas manuscriptas legit Bellarminus in Vaticana Bibliotheca; & quæ extant in noua editione operum S. Hilarij, quam dedit Lutetia anno Chr. M. DCV. *quas etiam Annalibus suis intexuit Card. Baronius anno redemptoris* CCCLVII. *Et tamen Sibrandus & Chamierus multum præsidij causæ suæ contra Liberiũ subscripsisse contra Athanasium: Quod vltrò fatemur; nec excusamus à crimine, sed ab hæresi. Illud item inde euincent, Liberium subscripsisse non Arianæ, sed Sirmiensi Confessioni contra Photinum; vt copiosè & accuratè probat Baronius anno cit. num. 46. & seqq. in qua nihil erat sanæ & Orthodoxæ fidei aduersum, cùm eam vt Catholicam acceptet & explanet S. Hilarius.*

Addit Bellarminus, Liberium etiam subscripsisse confessioni factæ per Encænia Ecclesiæ Antiochenæ; quam similiter S. Hilarius lib. de Synodis, tanquam Catholicam exponit. Calumniatur Iunius. Bellarminum per imprudentiam ἀσεβεῖν: *non enim Hilarium exposuisse duas illas Fidei expositiones, nisi quatenus cum Orthodoxa fide congruunt. Quis de hoc dubitat? At congruunt omninò; nam quòd substantialis vox omissa est; nihil Orthodoxiæ detrahit, quandoquidem nihil in symbolis illis apparet, quod rei vocabulo huic subiectæ aduersetur. Nec verum est eius loco* τὸ ὁμοιούσιον *in illis professionibus apud Hilarium suffectum esse. Et quamuis* τῦ ὁμοιουσίου *vox aliquandiu prauo sensu ab Hæreticis esset vsurpata; non sequitur tamen eam notione maligna à Liberio sua in confessione positam, qua antequam Sirmio excederet, excommunicabat omnes* τοὺς μὴ κατ' οὐσίαν, καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ἀποφαίνοντας, *qui non secundum substantiam & secundum omnia filium Patri similem esse dicerent; quod vt rectè monet Baronius nihil est quàm dicere, filium esse Patri consubstantialem: Et si planius id per vocabulum* τῦ ὁμοουσίου *significasset Liberius, quo tamen tunc, propter Arianos, consultò abstinuit. Hinc Ariani & Semiariani in conuenticulo Sirmiensi æquè abdicarunt & reiecerunt vocabulum* τῦ ὁμοιουσίου, *ac* τῦ ὁμοουσίου, *vt docet S. Hilarius lib. de Synodis, & similiter S. Athanasius lib. de Syn.* Hactenus Gretserus, cui similia tradidimus in examine Iniquitatis Plessæi. Cæterùm & hoc addendum sit, ex quo Liberius in Athanasij damnationem consensit, vnde vix fuit vt hæreseos notam effugeret amplius pro legitimo Pontifice Ecclesiam Romanam non coluisse, sed detractam illi hanc dignitatem in Felicem contulisse, qui cùm initio vsurpatæ Sedis Arianus audiret, nuntio hæresi remisso, aut saltem hoc rumore purgato, se ad Orthodoxos receperat, fidemque Catholicam erat professus. Liberius tandem mortuo Felice, ac omni hæreseos suspicione depulsa, Sedem suam recepit. Veniamus ad Vigilium improbè in Sedem Petri inuolasse ac operâ Theodoræ impiæ Imperatricis depulso Sanctissimo Pontifice Siluerio per nefandum scelus Põtificios fasces sibi asser-

uisse hominem etiam hæresi pollutum agnoscunt Baronius, Bellarminus, & reliqui Orthodoxi. Sed illis initiis pro Pontifice non habent, cum eum vniuersus Clerus Romanus tanquam pestem & flammam Ecclesiæ tunc sit auersatus & execratus. Sed tandem mortuo Siluerio, è cuius tumulo & ossibus miraculorũ flores erumperent ac enascerentur, religione adductus à scelerato proposito resiliit, Orthodoxumque se se professus non modò assentiente Clero legitimum Pontificatum obtinuit, verùm etiam auitorũ institutorum defensorem se egregium præbuit. Quod totum aurea oratione explicauit Baronius. *Caterùm*, inquit, *qui vocat ea qua non sunt tanquam ea qua sunt, & de tenebris facit lucem splendescere, non aliũ quàm seipsum esse qui regit Israël, & deducit velut ouem Ioseph, vult à cunctis intelligi, dum sinit aliquãdo res Romana Ecclesia titubare, in summumque discrimen adduci, atque penè periclitari: vt cùm omnis fermè spes videri possit esse consumpta, & animo concidant, deficiántque ipsi qui contra vehementes ventorũ flatus nituntur & laborant in remigando; tunc ipse ex improuiso appareat atque dicat: Confidite, ego sum, nolite timere. Sum ego qui eidem cæli claues tradidi & inferorum, quò scirent omnes, calicolas ipsum habere socios & inferis damnari. Ego ipse sum, qui ne aliquis eius successor posset diffidere de meritis, post triplicis reatum negationis eidem Petro vniuersalis gregis credidi prafecturam. Ego insuper ille ipse sum, qui eidem aliquando dixi: Tu es Petrus & super hanc Petram adificabo Ecclesiã meã, & porta inferi non praualebunt aduersus eam. Ne videlicet, quilibet successor eius clauum tenens, ad impetum tumentium fluctuum timeret quassari nauiculam, vel in scopulos illisam frangi, dissoluique si impingat in Syrtes, cui magis sit metuenda infida securitas, ne in littore otiosa consistens cæno putrescat, & alga sepeliatur, quàm à sauo flante Aquilone tempestas. Sic igitur ex insperato tandem post diras, quibus agitata est Ecclesia Romana, procellas, imperante Deo ventis & mari, facta est tranquillitas magna, cùm qui hactenus ad malum Vigilius vigilasset, cæpit pro vniuerso grege agere vigil excubias, vbi legitimus esse cæpit Episcopus. Quomodo autem hac facta sint, audiamus. His igitur qua dicta sunt, à Vigilio legitimè de Sedis abdicatione completis: mox studia Belisarij, vt idem eligeretur Pontifex, suffragantur, populum ad id petendum impellentis atque Senatum. Tunc Clerus in maximas coniectus angustias, quid ageret, agitabat diu multúmque mutuis consultationibus: primumque longè abhorrens, vt hominem tot criminibus implicatum in sedem eueheret Pontificiam, id prasertim sacris Ecclesia legibus prohibentibus: Sed quòd immineret periculum, ne obsequens Vigilius votis Augusta, eandem Sedem Apostolicam (quod nunquam acciderat) si non haresi, saltem communicatione cum hareticis inita macularet, ab eius electione se magis magisque exhibuit alienum. Magna quidem erant ista: adeò vt ad eligendum Vigilium nullis adduci rationibus possent qui essent optimi; sed omnes vt ab execrando facinore, ab eius electione longè longiùs abhorrere, suadebat ipsa recti amans ratio. Contrà verò accuratiùs rem expendentes, manifestè cernebant, si quemcunque alium eligerent summum Pontificem, scindendam mox fore Ecclesiam diro schismate, quod potentia seculari ex sententia iußisque Theodora Augusta rursus euehendus in Pontificiam Sedem Vigilius esset, rursus idolum collocandum in templo, conspiciendamque abominationem desolationis stantem in loco sancto; per quem timerent simul cum schismate etiam haresim inducendam, vt potè indigentem Vigilium auxilis Theodora, vt in sede semel adepta contineri firmarique posset, in gratiam ipsius cuncta facturum contra illum quem Clerus elegisset Romanum Pontificem, foréque vt alius nunquam sessurus esset quousque viueret Theodora.*

Baron. to. 7. an. 540.

His

His insuper addebatur, quòd cùm Vigilij personam, quam diu ob oculos habuissent, satis perspectam haberent, nempè esse hominem re vera Catholicum, honoris tamen cupiditate flagrantem, cuius rei causa sese turpissimè Theodoræ Augustæ instar mancipij vendidisset: salubre illud consilium inierunt, vt ipsum quoque modo possent ab Imperatrice redimerent, impenso illi honore quem cuperet, sibique ita hominem vendicarent, atque hoc modo arctioribus nexibus obligarent: duplicem inde se consecuturos esse vtilitatem videntes, nempè, & ab imminente schismate, & ab irrepente hæresi Ecclesiam Romanam reddendam fore securam. Sic igitur diuinitùs inspirato consilio (vt exitus declarauit) communi sententiæ inhærentes, more maiorum solemnibus ritibus rem agentes, accipientesque ab ipso Vigilio Catholicæ fidei professionem vnà cum hæresum & hæreticorum omnium exercitatione, euehunt ipsum in Pontificium thronum, creantque Romanum Pontificem sexto (vt dictum est) die à morte Siluerij, quarto Kalendas Iulij.

Hæc quidem cuncta Dei nutu esse facta, probauit euentus: siquidem nouo exemplo accidit, vt qui ad maledicendum populo Dei Propheta antea fuisset inductus, idem ad benedicendum eidem conuerteretur, & qui missus fuerat homicida, in Prophetam Deum laudantem continuò mutaretur. Fuit ista planè mutatio dexteræ excelsi, & insigne miraculum, quo perspicuum factum est, Dei prouidentia Romanam Ecclesiam solicitius gubernari, vt in quouis discrimine constituta, sit penitus liberanda; quod diuina sit promissione secura, vt à portis inferi semper illæsa permaneat; & mirifica quadam transformatione quos iniquos accepit, soleat mox reddere sanctos, vt eidem fixè mox ipsi inhærentes sacræ Petræ, super quam Christus suam fundauit Ecclesiam, instar polypi ipsius colorem accipiant, & quod maius est, eiusdem quoque consequantur robur & firmitatem. Siquidem probarunt euenta (quod apparuit tanquam ostentum) ipsum qui hactenus sterilis arundo fuit, & mobilis in diuersa agitata pro diuersitate ventorum, in firmam stabilemque Petram esse conuersum, solido inhærentem in Ecclesia posito fundamento. Hæc de electione Vigilij, sæculari quoque nobilitate clarissimi, filij nimirum (vt Anastasius habet) Ioannis Consulis.

Horum gratia scito non ob aliam, quod Clero non adeò liberum esset quicquid vellet liberè agere, dictum à sancto Gregorio, ab Hormisdæ tempore vsque ad Vigilium fuisse Romanorum Pontificum ordinationes expositas: sunt enim hæc eius verba. De ordinationibus verò Apostolicæ Sedis Pontificum, vtrum post beatissimum virum Hormisdam aliqua sint addita, charitas vestra requirit: sed vsque ad Vigilij Papæ tempora expositas ordinationes Præsulum esse cognoscas. Hæc ipse. Haud tamen ob id Deus ipsam suam dereliquit Ecclesiam; sed cùm ipse eidem præsideret Antistes, mala cuncta obuiantia conuertere sciuit in bonum, ipsosque lupos in gregem irruentes in optimos mutare Pastores, vt omnes intelligerent, esse Deum qui regat Israël.

Quis enim non intelligat, ista de electione Vigilij improbi hominis diuino consilio esse permissa, ne quis contemnendum putet, si quem viderit non meritis, sed nomine tantùm referentem Petrum, sedere suprà Apostolicam sedem Pontificem? Menior & vmbræ Petri immensam à Deo præstitam esse virtutem: nam etsi quid inane esse vmbra prorsus appareat, corpus tamen ipsum sole illustratum ostendit; sicque ex diuina facta Petro promissione, qui vmbra tantùm eius corporis sua imbecillitate videri possent creati Pontifices, eosdem tamen non esse Apostolicæ virtutis expertes; prout euentu rerum in Vigilio factum intelliges, nec quidem aliquo temporis interuallo; sed (quod magna admiratione dignum est) statim vbi legitima electione Petri thronum conscendit, Sacerdotale robur accepit, & constantiam induit Pontificiam: vt planè

ad confutandas hæreses, atque hæreticos visus sit accepisse à Domino Apostolatum, omnem spem penitus adimens aliter de se sperandi iis qui eum (vt vidimus) ad praua quæque perpetranda pellexerant. Quo enim tempore expectabatur, vt post Siluerij obitum reuocaret (quod fuerat ipse antea Theodoræ Augustæ pollicitus) Anthimum Episcopum ab Agapeto damnatum Constantinopoli; tunc aduersus eum, atque collegas ipsius hæreticos irrogatum in ipsos anathema, illud iterans, confirmauit.

Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 10. *Sciendum est,* inquit Bellarminus, *Anthemium hæreticum depositum fuisse ab Agapeto Romano Pontifice de Episcopatu Constantinopolitano: Deinde Imperatricem petiuisse à Silverio Agapeti successore, vt Anthemium restitueret. Quo recusante, Vigilium tunc Archidiaconum, promisisse Imperatrici, se Anthemium reuocaturum, si posset Romanus Pontifex fieri, continuò autem iussu Imperatricis opera Belisarij fuisse sanctum Siluerium expulsum de sua sede in exilium, & Vigilium creatum Papam, seu potius Antipapam. Quo tempore non esset mirum, si errare in fide, & etiam hæreticus planè esse potuisset. Quamquam ne tunc quidem definiuit aliquid contra fidem tanquam Pontifex, neque animo hæreticus fuit. Siquidem Epistolam scripsit nefariam quidem, & Christiano homine indignam, tamen in ea Catholicam fidem non damnauit palam, neque hæretico animo; sed occultè propter cupiditatem præsidendi, vt Liberatus dicit, & ex Epistola ipsa Vigilij apparet: scribit enim, vt caueant ne Epistolam illam vllus videat, & vt omnia sint occulta vsque ad tempus. Erat enim tunc Vigilius in angustiis summis, in quas eum ambitio sua coniecerat. Nam si palàm se hæreticum profiteretur, metuebat Romanos, qui hæreticum sedere in Petri cathedra nunquam passuri videbantur, si è contrario Catholicum profiteretur, metuebat Imperatricem hæreticam, cuius opera Pontificatum adeptus fuerat. Itaque rationem illam excogitauit, vt Romæ Catholicum ageret, & interim per literas apud Imperatricem hæreticum simularet.*

Contigit autem paulò pòst, vt Siluerius moreretur, & Vigilius qui eo vsque in schismate sederat, inciperet iam solus, & legitimus Pontifex esse, nimirum confirmante & accipiente eum Clero, & populo Romano. Ab hoc verò tempore nullus inuentus est in Vigilio aut error, aut erroris simulatio: sed summa constantia in fide vsque ad mortem, vt appareat cum ipso Pontificatu firmitatem fidei eum accepisse, & de leui palea in solidißimam Petram commutatum fuisse. Nam cùm Imperatrix Theodora hæretica fretà occultis litteris & promißione Vigilij, peteret ab eo vt Anthemium Patriarcham prædictum sicut promiserat restitueret, ille rescripsit se temerè promisisse, grauiterque ea promißione peccasse, & ideò non posse, nec velle implere quæ promiserat, ne peccata peccatis adderet. Quocirca ab irata Imperatrice in exilium missus fuit, & miserè vexatus vsque ad mortem. Id quod non solùm scribitur in Pontificali, sed etiam annotarunt Paulus Diaconus in vita Iustiniani, & Aimonius libro 2. capite 32. de gestis Francorum, & ipsi etiam Magdeburgenses Centuria sexta, capite 10. in vita Vigilij, idem etiam indicat breuißimè Liberatus in fine capitis 22. vbi dicit: Vigilium ab illa ipsa hæresi, quam initio occultè fouerat, miserè postea afflictum fuisse.

Denique Vigilium, post mortem Siluerij verum & sanctum Pontificem fuisse, testantur omnes illi, qui illo ipso tempore viuentes scripserunt aliquid de Vigilio. Gregorius I. lib. 2. Epist. 36. ad Episcopos Hiberniæ: Recordandæ, inquit, memoriæ Vigilius Papa in vrbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam vel Acephalos, damnationis promulgauit sententiam. Caßiodorus libro de diuinis lectionibus cap. 1. Origenem, inquit, præsenti tempore à Vigilio Papa viro beatißimo constat esse

dam-

damnatum. Arator præfationem Actorum Apostolicorum, quæ ipse carmine scripsit, & Vigilio Papæ dedicauit, sic incipit: Domino sancto beatissimo Apostolico, & in toto orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio. Denique constat ex Euagrio libro 4. capite 37. à Vigilio confirmatam fuisse 5. Synodum generalem, in qua damnata est hæresis illa quam Theodora fouebat, & de qua ipse Vigilius ab aduersarijs accusatur. Siricium suprà purgauimus. Sed nec Hieronymus aliud in eo notat, quàm quod homo candidi pectoris Ruffinum, qui se in eius familiaritatem insinuarat, ratus Orthodoxum & Catholicum, ei non restiterit, nec eius conatus initio represserit. Verba Hieronymi sunt: *Sancta Marcella*, inquit, *quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita vt Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximéque sæculi homines, in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat, publicè restitit.* Hier. ep. 16. Cæterùm qualis quantusque fuerit Siricius, accipe ex Ambrosio, ac collegis Episcopis. *Recognouimus*, inquiunt, *litteris Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant & sequantur: & ideo quia nosti ouiculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi prouidus Pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ feralique vlulatu dominicum ouile dispergant.* Ambr. ep. 7 Siric. Pap. Honorium omnes sectarij hæreseos postulant. Sed reclamant Orthodoxi, Baronius, Bellarminus, Gretserus, & reliqui apud quos extant prolixæ disputationes, à quibus recitandis supercedemus, quod aduersarius eum accusasse contentus nullus rationibus crimen probauerit. Quis igitur innocens esse poterit, quod aiebat ille, si accusare sufficiat? Abeunt igitur in fumos, quæ sunt à desertore in innocentes Pontifices iactata. Neque instructum aduersus Patriarchas Constantinopolitanos argumentum horum exemplorum robore in nostros Pontifices inflecti possit, quicquid blateret aduersarius: vt enim homines sint Pontifices, peccato & vitio obnoxij, tamen de Cathedra differentes, aut pronuntiantes errare non sinit Spiritus ille veritatis, quem vt fidem Petri fulciret, oratione sua Ecclesiæ suæ summis Ecclesiæ Pastoribus conciliauit Christus; *Ego*, inquit, *rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22.

Iam Gregorium relinquit & Pelagium, & aliò properat. *Vniuersalis Ecclesiæ Caput, hoc ingens toti corpori graue ambitio potissimùm Romana genuit. Qui quidem Papatus monstrosus non statim totus in lucem est editus; sed paulatim diuersis se occasionibus offerentibus, & per partes acceptis subinde incrementis, ex informi imbecilloque embrione in validum, & maturum fœtum adoleuit: tandemque exactis temporibus partus ille infœlix, totique Ecclesiæ infestus, ex vtero prodijt. Immensum esset formationes huius monstri hic omnes numerare; multas iam vsurpationes posuimus in præcedentibus; plurimas in subsequentibus suis quasque locis reponemus; hîc tamen insignes quasdam, siue occasiones extruendi erigendique Papatus, siue Monarchiæ vsurpationes, partim artificiosas, partim violentas, commemorabo.* SPALAT. Num. 38.

Romanæ profectò vrbis excellentia, Curiæ Imperialis commoditas, Imperatorum præsentia, & cum ipsis frequens familiaritas, sine quibus nullum vnquam graue Ecclesiasticum negotium potuit ad optatum exitum perduci, occasio ampla fuerunt Episcopis Romanis intumescendi; seseque nimium efferendi. Erat porro natiuum Romanum vitium superbia, vt obseruat Hieronymus ex illis verbis Pauli, Romanam superbiam suggillantibus; Noli altum sapere, sed time. Vt non sitis vobis sapientes. SPALAT. Num. 39. Hieron. in procem. l. 2. in ep. ad Gal.

Non plus sapere, quàm oportet sapere. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, &c. Sed de Ecclesiasticorum Romanorum superbia Pharisaica quantum conqueratur idem Hieronymus, suprà vidimus, Grauius Basilius; *Quale nobis, inquit, auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu aderit? In vniuersum hoc litteris volebam (Romano Papæ) significare; non per afflictiones oppressis, humiliatisque pœnam esse irrogandam, neque dignitatem æstimandam superbiam; quod etiam solùm peccatum Deum inimicum reddere sufficit.* Et alibi: *Odi, inquit, fastum illius Ecclesiæ.* Paulinus quoque de superba Vrbici Papæ (Siricij) discretione queritur. Eandem superbiam obiecerunt postea rursum Orientales Romano Pontifici; dum nimio rigore schisma faciebat; abrumpens cõmunionem cum ipso Oriente propter Acacium; qui hæreticus non fuit, sed iustis de causis, vt ipsi Orientales censuerunt, cum hæretico Petro Alexandrino communicarat, (de quo aliàs.) Superbiæ nimiæ & arrogantiæ Gelasium insimularant; vt ex ipsis Gelasij Epistolis fit manifestum; sic enim ille scribit ad Anastasium Augustum: *sed adhuc Apostolicam sedem sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare, arrogantemque contendunt. Habet hoc qualitas sæpè languentium, vt accusent magis medicos, congruis obseruationibus ad salubria reuocantes; quàm vt ipsi suos noxios appetitus deponere vel reprobare consentiant, &c.*

Rom. 12. Basil. ep. 10. Apud Baro. tom. 4. an. 372. nu. 32. Gel. ep. 10.

SPALAT. Num. 40. *Mirum igitur esse non debet, si, vbi fastus & superbia dominatur, ibi etiam suprà alios dominium & imperium, vbi non licet per fas, per nefas conquiratur, & data quacumque occasione dominatum prætendendi, illa non prætermittatur, sed alienæ potestatis vsurpatione ad dominandum insurgatur. Id in nostro Domino Papa contigisse est manifestum; occasione enim aliquorum priuilegiorum, quæ ei partim ex Apostolica fundatione, partim ex consuetudine Ecclesiastica, & Patrum decretis, partim ex vrbis dignitate, & Imperatorum præsentia ac concessionibus (vt vidimus suprà capite 3. & infrà capite 9. melius explicabitur) negari non debent, intra limites priuilegiorum nolens se continere, paulatim ita exundauit, vt Monarchiam ad se solùm, compressis omnibus & Patriarchis, & Primatibus, & Episcopis, (quemadmodum ex parte ostendi libro 3. capite 12. & suis alijs locis adhuc clarius ostendetur) plenam attraxerit, & indebitè occupauerit. In quo ei primùm Imperatorum studia, vt alias monui, plurimùm fauerunt; sed nihilominus etiam in officio illum continebant; Nam si aliquid contra Canones ad aliorum Primatum & Episcoporum depressionem conabatur, ijs reclamantibus, & ab ipsis Imperatoribus, ab indebitis abstinere cogebatur. Casus itaque Imperij fuit prima & præcipua Romanæ Ecclesiasticæ Monarchiæ erectio; sublato enim correctore, laxatis frenis, in tyrannidem facilè præceps ruit: ad quod Reguli ex cineribus Imperij suscitati, & ipsius ope indigentes, in hoc illum plurimùm iuuarunt.*

SPALAT. Num. 41. *Carolum, ille, magnum, Regem potentissimum, qui Imperium penè totius Occidentis Imperatori ereptum sibi subiugarat; Imperiali titulo, & dignitate sua, non Ecclesiastica vlla & Episcopali, sed Laïca decorauit potestate, quàm vel vt Reipubl. membrum præcipuum, & Romanæ ciuitatis pars singularis; nimirum vnus & præcipuus ex ipsius proceribus, vt ostendam libro sexto obtinebat: vel vsurpatione etiam, & in Imperatores iam in Italia debiles rebellationibus excitatis, & promotis sibi comparabat. Carolus verò, vicibus repensis, ei terrenum non exiguum concessit in Italia Principatum, & ex Episcopo fecit Regem. Terreno itaque nec contemnendo auctus Principatu, tanto facilius Ecclesiam opprimere eique libertatem, quam à Christo illa habuit, eripere potuit; & eam sibi totam in Occidente subiugare. Quis*

enim

enim ei ex Prælatis Ecclesiasticis resisteret, quos Imperator nouus, aliique Reges & Principes Papæ addictissimi ne mutire quidem contra Papam permittebant? Imò verò Papatu eximio iam erecto, vt fieri solet, postea inter ipsos viros Ecclesiasticos adulatores sunt exorti; qui vsurpatam Monarchiam scriptis stabilire, & vanis commentis, & figmentis defendere sunt conati, & quem Primatum iam pridem nonnulli Romani Pontifices in Petro fundari excogitarant; Euangelica verba detorto sensu, vt est à me lib. 1. ostensum, peruertentes, & à Petro ad se solos trahentes; illum omnino voluerunt nostri Ecclesiastici adulatores confirmare. Atque hinc in nostro Occidente in vulgi opinione Primatus, sic plurimùm inualuit. Ita enim natura comparatum est, diuino ad hoc hominibus instinctu dato; vt vnum Deum & numen supremum agnoscamus; cùm verò longè extra sensum sit Deus, facile nos ad sensata conuertimus; Vbi ergo audimus de vno quodam homine, maximam celebrari in rebus spiritualibus potestatem ad supernaturalia pertinentem; & illum esse solùm, ac proprium Vicarium Christi, ac Vice-Deum in terris, diuina quadam omnipotentia instructum; cùm in Deum verum non feramur, tam facilè à sensibus remotum, hunc nobis hominem visibilem & palpabilem, nobisque in terris præsentem Deum esse facile nobis persuademus. Et hæc est in vulgo passim iam formata Idololatria; cui Idiotæ, qui sunt innumerabiles, iam plenè assenserunt qui reuera Papam pro altero Deo tenent, & colunt internè populi dissiti ab eo longius, externè verò etiam qui Romæ adsunt. Huc adorationes, huc pedum oscula, huc genibus flexis cum eo, etiam Episcoporum, allocationes, huc eminentes illæ in ambone prealto deportationes, huc anni Iubilæi, huc indulgentiæ, huc cerei agni, huc grana & globuli; numismata, & imagunculæ, ad expiationem animorum ab eo dispartita; huc claues cæli & inferni in ipsius solius manibus positæ; huc denique innumerabilia alia inseruiunt inuenta, atque artificia & deducunt. Sed illas pedum exosculationes nunc quæso paulùlum consideremus. Sunt hæc non modò in maximos Pontifices ac summos Imperatores, verùm etiam in totam Ecclesiam, ne dicam in vniuersum genus humanum, cui sit desertoris iudicio illusum, contumeliosa. Potentiam vrbis ac Imperatorum præsentiam aliquid externi splendoris Pontificiæ dignitati conciliasse, nulli dubitamus. Sed illi ipsi Imperatores, qui Pontifices coluerunt, lege Christi ad id præstandum obligatos se agnouerunt & prædicarunt, eorum testimonia, quibus non semel in superioribus vsi sumus, hîc non retexeremus, nisi vanissima importuni aduersarij oratione ad hunc laborem suscipiendum adigeremur. Prodeant igitur rerum Domini Imperatores & Reges, suæque obseruantiæ in Pontificem ipsi rationes explicent ac aperiant. *Philippus Imperator*, inquit Eusebius Cæsariensis, *cùm in die postremæ vigiliæ Paschatis vnà cum multitudine in Ecclesia precationum particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo Fabiano, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, permissus est intrare, quàm se confessus fuisset, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocauisset: Episcopusque dixit eum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperator alacri animo & lubenti Episcopo moram gessit, & religiosam puramque affectionem Dei timore incitatam reipsa declarauit.* Sic Constantinus primus ad Syluestrum Papam. *Imperator Cæsar Flauius Constantinus in Christo Iesu ex sancta Trinitate Saluatore Domino nostro victor ac triumphator, semperque Augustus sanctissimo ac beatissimo Patri Patrum Syluestro vrbis Romanæ Episcopo & Papæ, atque omnibus eius*

Euseb. Cæs. l. 6. c. 27.
Nice. Cal. l. 5. c. 25.

successoribus, qui in sede beati Petri vsque in finem seculi sessuri sunt Pontificibus, nec non & omnibus reuerendissimis, & Deo amabilibus Catholicis Episcopis, eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, per hanc nostram Imperialem constitutionem subiectis in vniuerso orbe terrarum, nunc & in posterum cunctis retrò temporibus constitutis gratia, & pax à Deo, &c. Ea quæ Saluator & Redemptor noster Iesus Christus, per suos sanctos Apostolos Petrum & Paulum interueniente Patre nostro Syluestro, summo Pontifice & vniuersali Papa, mirabiliter dignatus est operari, liquida enarratione studuit propalare nostra Serenitas. Primùm quidem nostram fidem, quàm à prælibato beatissimo Patre, & oratore nostro Syluestro agnoscerem, & beneficiis ipsius beati Petri integerrimè sanitati comperi me restitutum, vnà cum omnibus nostris Satrapis & vniuerso Senatu, Optimatibusque meis, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperij subiacenti, vt sicut in terris sanctus Petrus Vicarius Filij Dei videtur esse constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius Principis Apostolorum, principatus potestatem, amplius quàm terrena Imperialis nostræ Serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis, nostroque Imperio, obtineant, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum, & eius successores firmos apud Deum esse patronos, &c. Et Gratianus, Valentinianus, & Theodosius: *Cunctos populos,* inquiunt, *quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret.* Sic Honorius Augustus ad Bonifacium Papam; *Victor Honorius,* inquit, *inclytus triumphator, semper Augustus, sancto & venerabili Bonifacio Papæ vrbis æternæ. Scripta beatitudinis tuæ debita reuerentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quòd sanctimoniam tuam, post longum incommodum, optatæ redditam didicimus sanitati: & ideo reuertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Apostolatus tuus studium, ac votum suum circa salutem, ac imperium nostrum dignetur impendere. Id autem pietati nostræ satis placitum esse cognosce, quod sanctimonia tua de Ecclesiarum ac populi perturbatione solicita est: quæ vt ne aliqua ratione possit euenire, satis clementia nostra credidit esse prouisum. Denique beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. Ac si duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem; sed illum solùm in sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit.* Et Valentinianus tertius in Epistola ad Theodosum Imperatorem. *Cùm venissem,* inquit, *ad vrbem Romam, rogatus sum à Romano Episcopo, & alijs scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cùm sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare, Domine Sanctissime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundum solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem quæ orta est de fide. Huic itaque postulanti & coniuranti salutem nostram communem, annuere non negaui, quate-*

Li. de summa Trinitate, & fide Catholica.

Epist. ad Theodos. Imp. quæ extat in Concil. Chalc.

quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus Sacerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus, intra Italiam, omni præiudicio submoto, à principio omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & ratio veræ diuinitatis expostulat. Et Valentinianus, & Martianus ad Leonem Papam. *Ad hoc*, aiunt, *maximum Imperium venimus Dei prouidentia & electione Senatus excellentißimi, cunctæque militiæ, vnde pro reuerenda & Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam sanctitatem, principatum in Episcopatu diuinæ fidei poßidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.* Sic Marcianus Imperator ad Leonem Papam. *Superest*, inquit, *vt si placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris vtique desiderijs sanctitas vestra satisfaciet, & sacræ religioni quæ vtilia sunt decernet: si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs litteris tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, vt ad quēdam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctißimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua dispositione declarent.* Galla Placidia Imperatrix Epistola ad Pulcheriam Augustam sic loquitur. *Igitur tua clementia secundum Catholicam fidem quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare dignetur, vt quicquid in illo tumultuoso apud Ephesum Concilio constitutum est, omni virtute remoueatur, vt omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ sedis, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam claues regni cælestis accipiens, Sacerdotij principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuersationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & nostro Imperio orbem gubernandum seruandūque commisit.* Pulcheria Augusta Epistola ad Leonem Papam. *Propterea*, inquit, *tua reuerentia quocunque modo prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, & Illyrici, in vnam ciuitatem velociter valeant cōuenire, & illic facto Cōcilio, & de Catholica confeßione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Anastasius Imperator ad Hormisdam Papam: *His igitur*, inquit, *præfatis initiis hortamur, vt ad ea quæ de Scythiæ partibus mota, vnde & Concilium fieri, conuenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. Nobis autem omnia optata præstantur, si orationibus vestris, & frequenti paganorū allocutione nostri memores fueritis.* Iustinus Imperator Epistola ad Hormisdam Papam: *Scias*, inquit, *Pater religiosißime, &c. Oret vestræ religionis sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum Catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio iugi perpetuitate seruari annuat.* Athalaricus Rex Epistola ad Clerum Ecclesiæ Romanæ; *Si quispiam*, inquit, *ad Romanum Clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatißimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus, vt aut ipse inter vtrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. Et si fortè, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad secu-*

Epist. ad Leon. Pap.

Marc. Imp. ad Leo. Pap.

Epist. ad Hormisd. Papam.

laria fora iurgaturus accurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictæ sedis Præsule fuisse cõtemptas. Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium iudicio fuerit, sacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum, decem librarum auri dispendio feriatur, quæ pauperibus erogentur, carensque impetratis, negotij quoque sui amißione mulctetur. Dignus enim est duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & nostra iussa temerarit. Iustinianus Imperator Epistola ad Ioannem Papam. *Reddentes,* inquit, *honorem Apostolicæ, sedi & vestræ sanctitati, (quod semper nobis in voto, & fuit & est) & vt decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam nobis semper fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus, & subijcere, & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus. In præsenti ergo quæ cõmota sunt, quamuis manifesta & indubitata sunt, & secundum Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita & prædicata, necessarium duximus ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ est caput omnium sanctarũ Ecclesiarum. Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & auctoritatem crescere vestræ sedis.* Idem ad Ioannem Papam; *Vt legum,* inquit, *originem anterior Roma sortita est: ita & summi Pontificatus apicem apud eam nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem Sacerdotij speciali nostri numinis lege illustrare, vt ex hoc in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum positæ sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur, & sit totius Occidẽtis, nec non & Orientis, vbi possessiones sitæ inueniuntur ad Ecclesias nostras, siue nunc pertinentes, seu postea eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei consecrata. Sanctitas itaque tua præsentem nostræ mansuetudinis legem piißimam, siue sacrosanctam oblationem quam Deo dedicamus, accipiens, intra sacratißima vasa reponat, & à nobis seruandam, & in omnes Ecclesiasticas possessiones seruituram.* Et alibi: *Ideoque,* inquit, *sancimus secundum sanctarum Synodorum definitiones, sanctißimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: beatißimum autem Archiepiscopum Constantinopolitanum nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem: aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Et ad Bonifacium Papam: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica extra maculam semper est Catholica religio seruata. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas, promittens sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes sedi Apostolicæ, eorũ nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autẽ professionem mea manu subscripsi, & Bonifacio S. & venerabili Papæ vrbis Romæ direxi, damnans & antecessores & successores meos, & omnes, qui S. Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.*

Cod. de summa Trinitate, & fide Catholica.

Iustin. ad Ioan. Pap. in princip. Authent. vt Eccl. Rom. centum an. gaudeat præscriptione.

In Auth. de Ecclesi. tit. & priu c. 2.

nituntur. Sic Constantinus quartus Imperator Epistola ad Domnum Papam. *Constantinus Imperator sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ & vniuersali Papæ,&c. Postquam tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram beatitudinem per præsentem nostram piam, sacram, dirigere viros vtiles, modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ sedis, eiusque Concilij, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, quatenus conuenientes cum hîc posito sanctissimo Patriarcha, & Macario sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ ciuitatis perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus ijs qui huc aduenerunt ex parte sedis vestræ per præsentem nostram piam sacram. Per Deum enim omnipotentem non est apud nos partis cuiuslibet fauor, sed æqualitatem vtrisque partibus conseruabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui à vobis diriguntur, quoquomodo: sed in omni honore, cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebimus. Iustinianus secundus*, inquit Beda, *in Imperium restitutus Constantinum Papam ad se venire iubens honorificè suscepit ac remisit, vt cùm die Dominica Missas sibi facere iubens cõmunionem de eius manu acceperit: quem prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit. Papa*, inquit Luitprandus Rex Longobardorum, *vrbis Romæ in omni mundo caput est Ecclesiarum Dei & Sacerdotum.* Carolus magnus Epistola ad Eliphandum Toletanum: *Nec vestræ*, inquit, *meæ paucitati in consensione huius nouæ assertionis socium admitto: sed Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ & Catholicis traditionibus tota mentis intẽtione, tota cordis alacritate coniungi.* Et in priuilegio Ecclesiæ Bremensis apud Crantzium in Metropol. *Summi Pontificis*, inquit, *& vniuersalis Papæ Hadriani præcepto, nec non & Moguntinensis Episcopi, omniumque qui adfuêre Pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis Vvillehado commisimus.* Et alibi: *Principaliter totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in Sacerdotalem videlicet & regalem, diuisum esse nouimus. De qua re Gelasius Romanæ sedis venerabilis Episcopus ad Anastasium Imperatorem ita scribit: Duæ sunt Imperatrices Augustæ, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tantò grauius põdus est Sacerdotibus, quantò etiam pro ipsis Regibus hominibusque in diuino reddituri sunt examine rationem. Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis ita scribit: Quantum pertinet*, inquit, *ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo Christiano Imperatore nemo celsior inuenitur.* Et libro septimo. *Placuit, & si Episcopus accusatus appellauerit ad Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.* Quod attinet ad fastum Romanorum, quem à Paulo & Hieronymo suggillatum vrget Spalatensis, equidem fateor vnicuique genti ferè esse sua ingenita vitia, quod elegantissimis verbis expressit Hieronymus in Epistolam ad Galatas. *Vnaquæque*, inquit, *Prouincia suas habeat proprietates, Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros, verè ab Epimenide Poëta dictos, Apostolus comprobat. Vanos Mauros, & feroces Dalmatas, Latinus pulsat historicus. Timidos Phrygas, omnes Poëtæ lacerant. Athenis expeditiora nasci ingenia, Philosophi gloriantur. Græcos leues apud C. Cæsarem suggillat Tullius, dicens: Aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum: & pro Flacco ingenita, inquit, leuitas & erudita vanitas. Ipsum Israël, graui corde, & dura ceruice, omnes scripturæ*

Beda de sex ætatibus mundi de an. 4665.

In legib. Longobar. tit. 23. §. 5.

Lib. 1. c. 7.

Lib. 5. Legum Franc. c. 167.

Li. 17. c. 235

Hieron. ad c. 3. ep. ad Gal. l. 1.

arguunt.. Fastu etiam igitur intumuerint Romani proprio gentis vitio: sed hanc labem facilè abstergit Religio, quæ magnos illos spiritus ponere iubet, adeóque à Paulo monitos Romanos desiisse altum sapere in procliui est, vt credamus, ac quidem Hieronymus magnis laudibus Romanam gentem cumulat, ac ornat, licet vitia eorum etiam cum Apostolo perstringat: *Romanæ plebis*, inquit, *laudatur fides. Vbi alibi tanto studio & frequētia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulcra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum.* Facile ergo fuit sic institutis omnem superbiam & fastum deposuisse, nec video quî huius insaniæ priores Pontifices insimulari possint, quos constet penè omnes Martyres fuisse, addo verò plures Pontifices, nec Romanos, nec Italos fuisse, sed vel Afros, vel Græcos, adeóque Romam Christianam plura suæ humilitatis indicia dedisse, quàm dederit Græcia, aut ipse Oriens. Sed & suprà simplicitatem Siricij carpebat Spalatensis. Non igitur è vitiis Gentis efficax aduersus Pontifices ducitur argumentum. Quod attinet ad Basilium in fastum Ecclesiæ Romanæ detonantem responsum parauit in Annalibus Baronius, atque sanctissimum virum vltrò dolori indulsisse, nec iram in potestate habuisse, cùm se Romæ, tanquam hæreticum traduci intellexisset; quamquam haudquaquam Romani, sed ipsi Basilij contribules ea labe eum conspersissent. Cernens igitur vir piissimus, & imprimis orthodoxis se odio impositi erroris à Pontifice veluti despectum, quippe qui cū toties rogasset, nequidem rescripsisset in illam duriorem vocem erupit; *O di fastum illius Ecclesiæ* Romanæ scilicet, sic itaque hac de re Baronius: *At quid (dicet aliquis)* inquit, *cùm idem S. Basilius erecti supercilij æquè insimulet Occidentales? Et alibi de Romana Ecclesia dicat: O di fastum illius Ecclesiæ: vt pote quæ ex dictis superius causis detrectaret Legatos in Orientem mittere, suppetias ferre, atque demum pacificas litteras reddere? Condonandum quidem esse etiam sanctissimis viris afflictis animo, ærumnis pressis, oppressisque densa angustiarum caligine, si in aliquod interdum verbum erumpant exorbitans, facilè iudicabunt, qui præstantissimos illos Iob, atque Hieremiam considerant, veniamque puto concedent. Absit tamen omninò vt in Basilium, dum fastum Romanæ exprobrat Ecclesiæ, in ipsum, inquam, maximè pium, maximè sanctum, illud Platonis in Cynicum calcantem ipsius fastum scomma retorqueam: sed maiori fastu. Quamuis*, addit Baronius, *Gregorius Nazianzenus de eodem Basilio testetur ipsum fastus, atque supercilij nomine ab alijs reprehensum: cùm tamen ipse eum excusans hæc dicat: Quid ad hæc nobis dicturi sunt, qui homini fastum superciliumque obijciunt? Iniqui sanè & acerbi rerum huiusmodi iudices, &c. At quod mireris, idem ipse Gregorius, qui non modò Basilium ait fastus expertem, eumque excusat atque defendit; alibi tamen, cùm ab eo inuitus Sasimis præficeretur Episcopus, non sine stomacho illum fastus insimulat, cùm de eo sic ait:*

An te, summe vir, potius notem,
Tuumque fastum, quem tibi inuexit thronus?

Ex quibus euidenter, Lector, intelligis, quod nuper diximus, sanctorum quoque virorum animos interdum ex perturbatione, instar solis alioqui semper effulgentis, ad breue temporis spatium pati deliquium. At de his hactenus. Improbè verò Carolum Magnum, Galliarum decus, tot infidelium domitorem, Ecclesiæque nunquam satis laudatum defensorem adoritur ac incessit. Certè constat piissimum Principem

Hieron. procem. in secundum l. comm. ad Galat.

Baro. to. 4. an. 372.

pem antequam quicquã in eius gratiam moliti essent Pontifices, sola Religione & reuerentia Petri adductum, aduersum tyrannos, qui eos vexarent, opem Christiano Rege dignam eis tulisse, ac eos in libertatem oppressis vsurpatoribus vendicasse ac asseruisse. Quod verò indulgentias sacras ac Dei imagines, aliaque etiam minutiora pietatis subsidia suggillat, facit ne Sectariorum petulantiæ aliquid cessisse videri possit, sed non sunt ista huius instituti. Dicamus de pedum osculis, in quæ iam inuehitur Spalatensis. *Pedum oscula*, inquit, *similesque* SPALAT. Num.42.
humiles actiones solere interdum quibusdam, & à quibusdam exhiberi; & hoc ex varijs affectibus, non est dubium. In primis solent homines ex humilitate & reuerentia, magnæ personæ præsertim, vt tali actu humili magis moueant illam ad id quod ab eo petitur concedendum, pedum oscula vel offerre, vel adhibere. Ita mulier peccatrix Luc.7.
lacrymis rigabat pedes Christi, eosque osculabatur. Ita Epiphanius, per litteras, aduolutus pedibus Ioannis Episcopi Hierosolymitani, ab eo petit vt errores Origenis relinquat. Apud Hier. ep.60.
Ita Episcopi Orientales opem à Papa Symmacho implorantes, offerunt sanctorum vestigiorum adorationem. Inter Ep. Sym. post Apolog.
Deinde ex opinione sanctitatis mouentur homines ad hos actus humilitatis ac in specie, vt alicuius pedes osculentur. Ita sanctæ mulieres Matth.28.
Christum à mortuis iam excitatum videntes, tenuerunt pedes eius & adorauerunt: & Dauid ait, Adorandum esse scabellum pedum eius; quoniam, inquit, sanctum est. Psal.98.
Ita turba Hierosolymitana Epiphanij, & Anselmi Cantuariensis Romana, vidente Papa, pedes osculabatur. Hier. adu. error. Io. Hierosl. ad Pammach. Malmesb. de gestis Pontif.
Et Plato Monachus ac Theodorus Studita ad Simeonem Monachum scribentes, aiunt; Cæterùm oramus bonitatem tuam, & tanquam sacris vestigijs tuis aduoluti, obsecramus, &c. Qui Leonis quoque Papæ III. ob ipsius reuerentiam, sacris vestigijs aduoluuntur. Apud Baró. Angl. to 9. an.808.n.17 Ib.an.809. nu 22.
In recipiendis etiam Sacramentalibus à ministris Ecclesiæ donis, corporis humilitatem, oscula & inclinationem adhibitam, à Regibus quoque & Principibus cerno: vnde Illud Ambrosij; Vides Regum colla & Principum summitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri. Ambr. de dig. Sac. c.2.
Ita ad pedes Stephani Papæ primi procidit Olympius cum vxore, flagitans baptismi Sacramentum. Ita ad Dionysij Papæ pedes, alius pœnitentiam postulans se deiecit. Apud Baro. to.2.an.259 nu.28. Ib.an.260. nu.10.
Sic quoque Episcopi Orientales, ex deuotione ipsorum & reuerentia primi Patriarchæ, verbis officiosis adorationem Papæ Symmacho offerunt ipsius vestigiorum. Inter Ep. Sym. ante ep.4.
Sed hi actus omnes, hæc oscula, hæ humiliationes, ex voluntatē pia, piaque affectione, & deuotione procedunt osculantis; neque possunt à quoquam homine puro, quamuis sanctissimo, & eminentissimo, ex debito peti; & qui hæc pedum oscula, vt debita sibi prætenderet; hic plenus superbia stomachum faceret omnibus, & risum excitaret. Certè Petrus, quem primum, & maximum Papam faciunt nostri, ne adorationem quidem purè humanam, ad eius pedes à Centurione factam, voluit admittere: Qui Centurio optimè sciebat Petrum non esse Deum; sed purum hominem: orationes enim & eleemosynas faciebat propter Deum, vt optimè fide instructus circa verum Deum; & de hoc testimonium habebat ab vniuersa gente Iudæorum. Et Petrus ipse negauit sibi deberi illam adorationem, licet non esset diuina: Quia, inquit, & ego ipse homo sum; Etsi Act.10.
fuit Papa vniuersalis, Christique supremus Vicarius; hanc tamen adorationem & multo plus pedum oscula deuitauit. Imò & Angelus Ioannem prohibuit, ne ipsum adoraret, quem tamen cultu latriæ non erat adoraturus. At verò Antoninus parasitus strenuus Papam honore ponit Angelis verbo quidem parem, ex ipsius autem argumento superiorem. Non minor, inquit, honor debetur Papæ, quàm Angelis. Vnde Anto. sum. part.3. tit. 22.c.5.§ 4.
Papa recipit à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum, quod non per-

misit Angelus à Ioanne Euangelista sibi fieri. Miram certè adulatoris audaciam! Quæ risu aut fastidio potius quàm argumentatione retundenda est. Quod si à superbo huiusmodi facto ad ius valeat ratio, quidni colligat & Nabuchodonosoris statuam, & ipsum Antichristum, Angelis honore digniores?

Spalat. Num. 43. August. in Ps. 46. *Augustinus profectò magnam in eo superbiam agnoscit, qui pedibus suis Christianos velit subijcere: explicans enim illud Psalmi; subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris, inter alia ait: Mirum si Apostoli tam superbè loquerentur, vt gauderent gentes esse positas sub pedibus suis, id est Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos secum esse sub pedibus illius, qui mortuus est pro nobis; Nam sub pedibus Pauli currebant, qui volebant esse Pauli, & dicebat eis: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Quid ergo hic? Quid accepturi sumus? Subiecit plebes nobis, & gentes sub pedibus nostris. Omnes pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus* 1. Cor. 1. *gentibus sunt, & omnes non pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt, &c. Schismaticumque esse agnoscit, velle vt Christiani sint sub pedibus vnius; sicut illos schismaticos fuisse scimus, qui sub Pauli pedibus, in sua specialitate esse volebant: Ita dum noster Papa non solùm lætatur, vt eius pedes & populi, & gentes, imò & Episcopi, & magni Principes ac Reges, & Imperatores deosculentur; Sed etiam id suo iure postulat ac requirit, superbiæ magnæ notam, secundum Augustinum quomodo refugiat ipse videat: Certè schismati fauet, & illud procurat; dum sibi & non Christo fideles subijcit: si enim Christi pedibus, & non suis proprijs homines subijceret; non ipse solus, non modo à populis, sed etiam ab ipsismet alijs Christi mi-* Apud Baro. to. 11. an. 1071. nu. 6. *nistris, & suis comministris, pedum oscula requireret. Sicut Alexander secundus ea expressè voluit; & sibi dari iussit à Lanfranco viro S. Archiepiscopo Cantuariensi.*

Spalat. Num. 44. Ib. to. 12. an. 1111. Ib. to. 12. an. 1191. Concil. Flor. init. Ferrariæ. *Et initio quidem noluerunt Papæ, vt Episcopi ad pedes se ipsorum primùm prosternerent, sed statim ad osculum oris surgerent; vt factum habes in Paschali secundo; postea tamen ijs ab ore repulsis voluerunt, & modo volunt, vt ipsorum crepidis tantummodo oscula Prælati quique magni & Christi Vicarij infigant: imò etiam à Cardinalibus suis interdum id poposcerunt, vt habemus in ceremonijs Papalis ingressus à Cencio descriptis: Meritò Græci Antistites noluerunt in Concilio Florentino tantæ indignitati obsequi; sed Dominum Papam osculo primum manus; deinde genæ honorificè tractarunt. Quod si ob reuerentiam Christi, osculum pedum eius ministro (dicamus etiam Vicario) Episcopo Romano à Principibus quoque exhibetur; eadem ratione debet Episcopo cuique exhiberi: Cùm Episcopus quisque nihil minus sit Vicarius Christi quàm Romanus, vt iam in præcedentibus demonstraui. Imò & Presbyterorum Christi ministrorum pedibus ex deuotione in piis Christi fidelibus, præbita sunt oscula; sicut enim Caio Papæ (si vera sunt tales legendæ.) Præpedigna exosculata est pedes, ita Claudius Gabinij Sacerdotis pedes est osculatus, in eadem historia.* Baro. to. 2. an. 294. nu. 8. 10. *Sed sicut in exhibentibus tale obsequium propter Christi reuerentiam laudabile est, & approbandum; ita & in admittentibus & acceptantibus id obsequij ordinariè est omnino reprehensibile & reprobandum. Non enim decet seruum ea quæ Domini propria sunt, sibi vsurpare; & Augustinus meritò non exiguam superbiam in depressione sub pedibus deprehendit: quam depressionem ego, & non minorem agnosco, vbi quis ad suorum pedum oscula aliquem protrudit.* Sunt ista ἀντιλογίας & contradictionis plena: vult subesse his idololatriæ crimen, & tamen agnoscit hunc deosculandorum pedum honorem, nedum Pontifici quem hoc obsequij genere non modò Reges, sed & Orientis Episcopi colendum duxerint, delatum, verùm etiam sanctis Antistitibus tributum, & vt neget in promptu sunt exempla quibus

bus id euincatur & demonstretur. Tantùm verò abest vt inficietur, vt etiam illa nobis vltrò largiatur, quî hæc constare possint? De Epiphanio res est clarissima apud Hieronymum. *Nonne*, inquit, *cùm de* Αναςάσει *pergeretis ad crucem, & ad eum Epiphanium omnis ætatis, & sexus turba conflueret offerens paruulos, pedes deosculans, fimbrias vellens, cumque non posset promouere gradum, sed in vno loco vix fluctus vndantis populi sustineret, tu tortus inuidia aduersus gloriosum senem clamitabas.* Sed & Valentinianum eum honorem habuisse sancto Martino Turonensi Episcopo, testis nobis Venantius Fortunatus. Hier. ep. 61. ad Pāmach.

Hinc Celer exiliit rapiens se Cæsar & ardens:
Martini genua amplectens, pedibusque volutans:

Venantij Fortunati. Clemētiani Fortunati.

Sed & de Imperatrice Maximi coniuge, hæc habet Sulpitius Seuerus: *Diebus*, inquit, *ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla vnquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, imò potius seruitutem, non poterat euadere: non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat.* Et quidem ex Tertulliano constat, vsu olim receptum in Ecclesia, vt pœnitentes reconciliandi Ecclesiæ non modò Presbyterorum, sed & reliquorum vestigia lamberent, quem morem Zepherinum impetens suggillat Tertullianus desertor & hostis Ecclesiæ factus. *Et tu quidem*, inquit, *pænitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens conciliatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compositum, prosternes in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominu exitum, quantis potes misericordiæ illecebris bonus Pastor, & Benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis capras tuas quæris, tua ouis ne rursus de grege exiliat, quasi non exinde iam liceat, quod nec semel licuit: cæteras etiam metu comples, cùm maximè indulges.* Seue. Sulp. Dial. 2. c. 7. Tertull. de pudicit. c. 13

Quid quòd Chrysostomus eo honoris genere etiam colendos Monachos docet? *Ad eos abi*, inquit, *hospitare, accede, sanctos tange pedes. Multò namque honestius est, illorum pedes tangere, quàm aliorum caput: Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantùm habent figuram; tu ipsam habentem in se ipso Christum non pedibus tenebis & saluus eris? Sancti sunt pedes, licet viles: inquinatorum verò neque caput venerandum est. Sanctorum certè pedes magna potuerunt, quamobrem & vlciscuntur cum pedibus puluerem excusserint.* Videamus iam de Pontificibus. Exploratissimum est, nec ab hoc cultus genere abhorruisse summos Principes, qui Vicarium Christi tanquam parentem optimum venerati sint, demissis in terram vultibus. Testes nobis Iustinus senior, Iustinianus secundus, Federicus primus, & posteriores deinceps omnes, vt omittantur Reges Pipinus, Carolus Magnus, & tam multi alij. Ipsi Episcopi nullo fastu turgentes, quamquam in Oriente positi ordinis sui caput hoc honore prosequi non sunt dedignati. Qua de re extat luculentum testimonium in Epistolis Orientalium Episcoporum ad Symmachum. Et plura alia exempla suppeditat ipse Spalatensis. Anastasius Bibliothecarius describens creationem Leonis IV. Pontificis, quæ fuit anno Christi 847. tradit in Lateranensi Patriarchio, pedes ei, morem obseruando antiquum, omnes osculatos esse. Tergiuersatur tamen Spalatensis, & vana distinctiuncula nobis illudere parat. *Hi actus omnes*, inquit, *hæc oscula, hæ humiliationes ex voluntate pia, piaque affectione & deuotione procedunt osculantis; neque possunt à quoquam homine puro, quamuis* Chrysost. hom. 59. Spalat. Num. 41.

sanctissimo & eminentissimo, ex debito peti, & qui hæc pedum oscula, vt debita sibi prætenderet, hic plenus superbia stomachum faceret omnibus, & risum excitaret. Sed rursus hæc inconstantissimè dicuntur; si enim in illo obsequij genere, quod assumit, idololatriæ ratio inest, siue expetatur ac deposcatur, siue vltrò delatus admittatur, crimen semper habet: & apparet Cornelium non à Petro permotum aut persuasum, sed priuato errore abductum, ad Petri sese deiecisse pedes; quod tamen ille non sustinuit, sed oblatum honorem repudiauit, errantemque

Act.10. eum in viam reduxit: *Nam*, inquit, *& ego homo sum.* Ex quo etiam apparet contra Spalatensem, aliquid homine maius in Petro suspexisse, quod etiam

Esa.c.60.14 optimi Theologi tradunt. Cæterùm obiter aduerte quàm sit verum illud, *mundis omnia munda, coinquinatis autem nihil mundum,* quibus pietas cordi est hi pia accommodatione ad Vicarij Christi honores, etiam illud Prophetæ inflectunt, *Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.* Spalatensi verò dolet à sanctissimo viro Antonino comparationem institutam inter Pontificem & Angelum, cùm tamen ipse Synagogæ Pontifex, hoc longè inferior, Angelus Domini exercituum dicatur. Locus Augustini, quem vrget ad rem non est, loquitur enim de ea subiectione, qua regnum Christi imminuitur, aliis parere iussis Christianis, cùm tamen penes eum vnum sit summum Imperium. Hanc

Aug.qu.61. in Gen. & l.20. contr. Faust.c.21. vsurpati Christi honoris notam, vt effugiat Pontifex, pedes sanctissimos deosculaturis non sua insignia ostendit, sed crucis venerabile signum profert, cui Christiani oscula figant, ac hoc honore Christum in suo Vicario colant. Quod autem vrgebat Spalatensis, *non magis Pontificem esse Vicarium Christi, quàm reliquos Antistites*, est centies à nobis profligatum. Restat eximendus de Angelo à sui adoratione Ioannem arcente ac depellente scrupulus. Ioannem ipsum adoratorem Angeli, Angelus adoratus correxit, prohibuitque, quia talis apparuerat, vt pro Deo posset adorari, cui sententiæ alij subscribunt. In his Gregorius

Greg. 21. Moral. c.10.vel 11. innuit licet eam præterea causam reddat, quia naturam humanam Angelus per filij Dei Incarnationem, antequam se ab homine adorari sinebat, redemptam & erectam, ac sibi ipsi quoque prælatam veneratur, nec in membris subiectam despicit, quàm in ipso, inquit, membrorum capite prælatam vidit. De facto Petri diximus suprà, Cornelium nimirum altiora de ipso sensisse quàm pateretur Religio Christiana. Cæterùm quicumque ille honos fuerit, quem ei deferre cogitarit Cornelius, Petrus præ modestia non est passus tantam demissionem, aut vt corrigeret nimiam Cornelij opinionem de ipso, aut vt aliorum vel errori, vel offensioni occurreret, vt hoc etiam quasi præmium honoris, illis præsertim teneræ Ecclesiæ principiis, reiiceret. Expendamus alia Spalatensis commenta.

MONITIO

MONITIO AD LECTOREM.




VM vita noſtra non manſio, ſed via & tranſitus ſit ad alteram vitam, Candide & Catholice Lector, errat qui in re inſtabili quærit firmitatem. Quamdiu enim æquor hoc vitæ nauigamus, tamdiu iactamur inter vndas, & noui ſemper aliqui fluctus. O nos miſeros, ô incertos & infœlices! Nuper grande vulnus accepi, magnamque iacturam feci in morte optimi fratris, cuius hæret fortiter in animo memoria. Sed quid me ſoletur niſi communis lex Næuio expreſſa? *Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.*

Leuius ſiquidem fit patientia, quicquid corrigere eſt nefas. Doleo equidem ex animo (neque hominem exui) at vulnera ferenda ſunt quæ infliguntur à diuina manu. Quis enim Deo ſe opponat? Iuit quò imus omnes, nec meta, ſed tempus nos ſecernit: quod vult Deus, velimus: quò ducit, eamus. Optima illa profectò pietas, ſiue gratitudo in defunctos, laudare, meminiſſe, & quæ mandarint exequi, non inani queſtu proſequi: nam queri mollitia eſt, reluctari inſania: lugere vix viri eſt, certè Chriſtiani non eſt. Viuit amor in mortuum, virum à ſe, & virtutibus clarum, quem ſine ſuperbia dico, à multis amatum, & video, & lætor. Amicitia quæ deſinere poteſt, vera nunquam fuit. Turbida hæc noſtra fractus morbis, fractus & laboribus deſeruit, & ad lætos illos locos ſedeſque beatas abiit, fruiturus illîc æterna quiete & beatitudine. Reliquit opus eruditum, ſpeculum animi (procul atra recedat inuidia: ſuum cuique decus poſteritas rependet) quod in lucem dare deſtinabat: Verùm pertinax inualetudo & mors, quæ nihil egregium ſinit eſſe diu, obſtitit quò minus deſtinatum adimpleret, ac vltimam manum imponeret. Illa enim viro ad maxima quæque eunti in illo ingenij flore, addam etiam fama & ſpe honorum, vitæ filum præcidit. Ingeniorum ille auctor & altor alium excitabit, qui impleat vel augeat omiſſa; hæc eſt lex vniuerſi, naſci, mori. Pleraque fortaſſe reperies languida, at

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque vno Luna rubens nitet vultu.

Vt nauis in malacia hæret; ſic ingenium in hoc languore cui melior aura non adſpirat. Imbecillum corpus ægrè niſi animo ſuſtentabat. Si hoc opus perlegis, beneficium eſt; ſi cenſes, voti ſumma. Hæc ſcire te volui lector & ſaluere.





INDEX AVTHORVM ET

SCRIPTORVM QVI IN HAC SECVNDA huius operis parte citantur, vel refelluntur.

Pi-

INDEX CONCILIORVM QVÆ IBIDEM CITANTVR.



INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE SACRÆ, QVI IN HAC POSTERIORI HVIVS OPERIS PARTE CITANTVR.

21. Pasce

FINIS INDICIS SCRIPTVRARVM.

RERVM MEMORABILIVM
IN HAC POSTERIORI HVIVS OPERIS PARTE CONTENTARVM INDEX.

A

B

C

D

E

Popu-

HVIVS INDICIS FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAgina 4. linea 31. Carthaginensis. Pag. 8. lin. 2. & 5. gratias curationum, opitulationes. pag. 10. lin. 8. Chorepiscopum abusus. p. 12. l. 41. professionem. p. 14. l. 1. & æquè, lege, vt. vel lin. 2. leg. faciat, pro faciat. p. ead. l. 22 quam honorem. p. 16. l. 8 ad locum Ambrosij, deest, ait. & l. 11. scribendum vt, pro, &c. p. 20. l. 16. sigillare, leg. suggillare. p. 21. l. 15 determinatis & Episcopis, dele, &c. p. 22. l. 14. rationes leg. nationes. p. 23. l. 17. quæ essent, leg. qui. p. 27. l. 14 Amphilachio, lo. p. 29. l. 17. Toletanæ Ciuitas. p. 32. l. 1. Patris, leg. Patres. p. 36. iudicauit, leg. indicauit. p. 45. l. 5. Gregorij, leg. Georgij. p. 40. l. 14. ius suffragijs, dele s. p. 55. l. 15. reliquis, leg. aliquis. p. 62. l. 22. mil. leg. nil. p. 72. l. 14. ac breue tempus, ad. p. 79. l. 35. atque, leg. atque. p. 92. l. 1. susceptus, leg. susceptis Eadem pag. l. 35. Vrsinus, leg. Vrsicinus. pag. 100. in conspectu capit. 2. columna linea 15. Arrianum, lege Arianam. p. 101. lin. 10. Hilaro, leg. Hilario. p. 102. l. 23. Episcopi, leg. Episcopo. p. 105. l. 42. rane, leg. ratione. p. 109. l. 11. fuisses leg. fuisse. p. 124. l. 22. Ephesim. leg. Ephesum. p. 126. l. 41. post fuit dele in. p. 135. l. 1. Carthaginem, leg. Carthaginensis. p. 137. l. 26. quam, leg. quem. p. 151. l. 33. Mediomattrico, leg. Mediomatrica. p. 161. l. 9. hæc, leg. hac. p. 176. l. 5. formata, leg. formatis. p. 175. l. 36. susque, leg. iusque. p. 183. l. 32. coacti sunt, leg. coacti sunt. p. 204. l. 41. ordinatione. leg. ordinationem. p. 206. l. 8. iudicia, leg. indicia. p. 221. l. 26. Pontificem, leg. Pontifice. p. 231. l. 24. hominum, leg. hominem. lin. 28. pro ea, leg. pro eo. lin. 32. pro Anthemium, leg. Anthimum. p. 251. lin. 20. obluctatur, leg. oblectari. lin. 45. de facta, leg. de facto. p. 260. lin. 3. dubito, leg. dubitat. p. 379. lin. 19. habeat, leg. habeatis. p. 472. l. 21. particula, leg. particulari. p. 481. lin. 40. Irenem, leg. Irenæum. p. 494. lin. 15. Episcopi; dele; p. 513. lin. 22. nullus, leg. nullis.



